PETRI ABÆLARDI

OPERA

PARISIIS. — E TYPIS C. LAHURE ET SOCIORUM

VIIS DICTIS DE FLEURUS, 9, ET DE L'OUEST, 21

PETRI ABÆLARDI

OPERA

HACTENUS SEORSIM EDITA NUNC PRIMUM IN UNUM COLLEGIT
TEXTUM AD FIDEM LIBRORUM EDITORUM SCRIPTORUMQUE RECENSUIT
NOTAS, ARGUMENTA, INDICES ADJECIT

VICTOR COUSIN

ADJUVANTE CAROLO JOURDAIN

PHILOSOPHIÆ IN ACADEMIA PARISIENSI OLIM PROFESSORE

TOMUS POSTERIOR

PARISIIS

PROSTANT APUD AUG. DURAND

VIA DICTA DES GRÈS, 5

—

MDCCCLIX

MAGISTRI

PETRI ABÆLARDI,

NANNETENSIS

INTRODUCTIO AD THEOLOGIAM,

DIVISA IN III LIBROS.

Hoc opus, ad quod lectorem referre solet Abælardus, sæpe ab eo diversis titulis designatum est. In Historia Calamitatum vocatur *Tractatus de Unitate et Trinitate Divina;* in Epistola ad Episcopum Parisiensem, *Opusculum de Fide sanctæ Trinitatis;* in Commentario de Epistola ad Romanos, *Opusculum Theologiæ* et sæpissime *Theologia*, quo sub nomine illud indicant et loca ejus referunt D. Bernardus, Guilielmus a D. Theodorico, et Gualterius a D. Victore. Diversæ quoque in codicibus ejusdem operis inscriptiones sunt: appellatur in codice Victorino 446 *Liber super sacram scripturam;* in codice Turonensi, *Introductio ad Theologiam;* neque dubitamus quin idem illud sit ac opus in Catalogo librorum manuscriptorum Angliæ et Hiberniæ[1] sic designatum : *Liber de Essentia divina et de Trinitate*, Part. II, cod. 42; *Scholarius*, Part. II, cod. 8670. Titulum assumpsimus ab Amboesio delectum, quo ab ætate decima septima opus est indicatum.

Nos in proœmio docet Abælardus quid sibi proposuerit, conscribendo aliquam, ut ait, sacræ eruditionis summam, quasi divinæ scripturæ introductionem; scilicet ut petitioni discipulorum satisfaceret, qui cum plurima ab eo de philosophia et sæcularibus litteris scripta legissent et eis admodum lecta placuissent, existimaverunt rem utilem et viro religioso dignam fore, si ingenium in dialectica exercitatum Domino consecraret, validioribusque rationis præsidiis fidem catholicam tueri ac confirmare studeret. Huc etiam redeunt quæ Noster in Historia Calamitatum narrat[2] : « Ipsi accidisse ut ad ipsum fidei nostræ fundamentum humanæ rationis similitudinibus disserendum primo se applicaret, et quemdam Theologiæ tractatum de Unitate et Trinitate divina scholaribus suis componeret, qui humanas et philosophicas rationes requirebant, et plus quæ intelligi quam quæ dici possent efflagitabant. » Quum illa loca contuleris ac comparaveris, manifestum tibi prorsus videbitur hanc Theologiæ Introductionem primum esse theologicum opus ab Abælardo elucubratum, neque multo tempore compositum fuisse postquam ille primum e monasterio D. Dionysii discesserit, et idem esse quod, Alberico et Lotulfo accusantibus, damnaverit

[1] Oxoniæ, 1697, in-fol. — [2] Vide t. I. hujus editionis, p. 18.

concilium Suessionense anno circiter 1121. Nullo modo igitur consentimus Henrico Goldhorn qui nuper contra communem opinionem contendit Introductionem Theologiæ in lucem editam fuisse post Theologiam Christianam cujus illa esset veluti summa ac compendium[1]. Sententiam suam pluribus confirmare rationibus conatur Goldhorn, quas ducit ex ipsis opinionibus in utroque opusculo expositis, et e scribendi genere, et ex iis quæ pluribus locis obiter Abælardus innuere videtur. Ea autem argumenta referenda esse non necesse putamus; nam quamvis sint subtilia sane et ingeniosa, non possunt bis repetitum ab Abælardo testimonium elevare.

Introductionem Theologiæ recognovimus ad codicem Victorinum 446, quem expressisse videtur Amboesius in operis editione principe. Codex ille qui fœtus est sæculi quinti decimi et nonnunquam corruptus, non ultra tertii libri mediam partem procedit, ita ut gravissimi celeberrimique operum theologicorum quæ Abælardus composuerit, finis usque ad hunc diem viris doctis fuerit desideratus, et nonnulli etiam dubitaverint an opus inceptum auctor absolverit. Quorsum autem ista dubitatio mittenda sit, satis demonstrat supplementum, hactenus ineditum, quod latere Oxoniæ in duobus codicibus, altero e Bodleiana Bibliotheca 8615, altero e Collegio Balliolensi 458, Catalogus Librorum Manuscriptorum Angliæ et Hiberniæ jam dudum fidem faciebat[2], nosque post textum ab Amboesio datum, edidimus. Utinam supplementum istud prolixius et amplius occurrisset, partemque operis desideratam nobis restituisset! Paucis vero constat paginis quæ novam lucem vix afferunt ad noscendas intelligendasque Abælardi hæreticas opiniones in concilio Suessionensi condemnatas.

PROLOGUS.

Scholarium nostrorum petitioni, prout possumus, satisfacientes, aliquam sacræ eruditionis Summam, quasi divinæ Scripturæ Introductionem conscripsimus. Cum enim a nobis plurima de philosophicis studiis et sæcularium litterarum scriptis studiose legissent, et eis admodum lecta placuissent; visum illis est, ut multo facilius divinæ paginæ intelligentiam, sive sacræ fidei rationes nostrum penetraret ingenium, quam philosophicæ abyssi puteos, ut aiunt, exhausisset. Addebant etiam nec me aliter philosophiæ cursum consummare, nec ad ejus pervenire metam, aut aliquem ex ea me fructum colligere, nisi ejus studium ad Deum, ad quem omnia referri convenit, terminarem. Ad hoc quippe fidelibus sæcularium artium scripta et libros gentilium legere permissum est, ut per eas locutionum et eloquentiæ generibus atque argumentationum modis, aut naturis

[1] *Commentatio historico-theologica de summis principiis theologiæ Abælardeæ*, auct. Henr. Goldhorn Lipsiæ 1838, in-8°, p. 70 et sqq. — [2] Part. I.

rerum præcognitis, quidquid ad intelligentiam vel decorem sacræ Scripturæ, sive ad defendendam vel adstruendam veritatem ejus pertinet, assequi valeamus. Quo enim fides nostra, id est Christiana, inquiunt, difficilioribus implicita quæstionibus videtur, et ab humana ratione longius absistere; validioribus utique munienda est rationum præsidiis, maxime vero contra impugnationes eorum, qui se Philosophos profitentur. Quorum quanto subtilior videtur inquisitio, tanto difficilior ad solvendum, et ad perturbandam fidei nostræ simplicitatem facilior invenitur. Ad has itaque dissolvendas controversias cum me sufficere arbitrarentur, quem quasi ab ipsis cunabulis in Philosophiæ studiis, ac præcipue Dialecticæ, quæ omnium magistra rationum videtur, conversatum sciant, atque experimento, ut aiunt, didicerint; unanimiter postulant ne talentum mihi a Domino commissum multiplicare differam, quod cum usuris utique districtus ille et horrendus Judex quando exigat ignoratur. Addunt etiam nostræ jam ætati ac professioni convenire, ut sicut mores et habitum, ita commutem et studium, et humanis divina præferam volumina, qui ad Deum sæculo relicto totum me jam transferre proposui; et quia olim studium ad lucrandam pecuniam institueram, nunc ad lucrandas animas hoc convertam, ut saltem circa undecimam ad excolendam Dominicam vineam prout possum introeam. Hæc et his similia discipulis nostris frequenter improperantibus, ut si non propter rationem, vel propter improbitatem nostrum assequerentur assensum; in hoc tandem consensimus, ut pro viribus nostris, imo divinæ gratiæ supplemento, quod postulant aggredi tentaremus; non tam nos veritatem dicere promittentes, quam opinionis nostræ sensum quem efflagitant exponentes.

In quo quidem opere, si culpis meis exigentibus a Catholica, quod absit, exorbitavero intelligentia vel locutione; ignoscat ille mihi, qui ex intentione opera pensat, parato semper ad satisfactionem de male dictis vel corrigendis vel delendis, cum quis me fidelium vel virtute rationis, vel auctoritate scripturæ correxerit. Scio namque quod scriptum est[1]: « Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum. » Et in *Proverbiis*[2]: « Via vitæ, increpatio disciplinæ; qui autem odit increpationes, insipiens est. » Et iterum[3]: « Qui custodit increpationes, astutior fiet : et qui increpationes odit, morietur. » Et rursum[4]: « Non amat pestilens eum, qui se corripit : si autem corripuerit sapientem, intelliget disciplinam. » Item[5]: « Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus. » Ad hoc autem et beatissimi Augustini exemplo provocamur, qui cum a

[1] Psalm. CXL, v. 5. — [2] *Prov.*, cap. VI, v. 23. — [3] *Prov.*, cap. XV, v. 5. — [4] *Ibid.*, v. 12; cap. XIX, v. 25. — [5] *Prov.*, cap. XXIX, v. 1.

Deo tantam eloquentiam ac sapientiam assecutus esset, plura tamen in scriptis suis erronee posita retractando atque corrigendo professus est, dicens[1] : « Neque enim quisquam, nisi imprudens, ideo quia errata mea reprehendo, me reprehendere audebit. Ut volet, quisque accipiat hoc quod facio; me tamen Apostolicam illam sententiam intueri et in hac re oportuit, ubi ait[2] : « Si nos ipsos judicaremus, a Domino non judicaremur. » Illud etiam quod scriptum est[3] : « Ex multiloquio non effugies peccatum. » Item : « Quem vero filiorum[4] suorum non terruit Christus, ubi ait[5] : « Omne verbum otiosum quodcunque dixerit homo, reddet « rationem pro eo in die judicii. » Unde et Apostolus Jacobus : « Sit, inquit[6], omnis « homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. » Et alio loco[7] : « Si « quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. » Ego hanc perfectionem mihi nec nunc arrogo cum sim senex, quanto minus cum juvenis cœpi scribere? » Tanti itaque viri instructus exemplo, si qua forte per errorem proferam, nulla in his per contemptionem defendam, aut per elationem præsumam, ut si nondum ignorantiæ vitio caream, hæresis tamen crimen non incurram. Non enim ignorantia hæreticum facit, sed magis superbiæ obstinatio[8] : cum quis videlicet ex novitate aliqua nomen sibi comparare desiderans, aliquid inusitatum proferre gloriatur, quod adversus omnes defendere inopportune nititur, ut vel ceteris superior, vel nullis habeatur inferior. Unde Gennadius Massiliensis Episcopus *de Orthodoxa fide Ecclesiasticorum dogmatum*[9] : « Quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticus, nisi[10] in contentione hæreticus fiat. » Augustinus in *Epistola ad Optatum*[11] : « Si de anima falsitatis assertio proferatur, et falsitas mendacem, et falsitatis inopportuna defensio hæreticum facit. » Rursus idem *super Genesim*[12] : « Non ob aliud sunt hæretici, nisi quod scripturas canonicas non recte intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt. » Qui et in libro *de Utilitate credendi*, hæreticum diligenter describens[13] : Hæreticus, inquit, « est, ut mea fert opinio, qui alicuius temporalis commodi, et maxime gloriæ causa, falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur. » Item idem in xviii. *de Civitate Dei*[14] : « Qui in ecclesia aliqua prava sapiunt, si correcti contumaciter resistunt, et sua pestifera dogmata emendare nolunt, sed et defendere persistunt, hæretici fiunt. » Rursus idem de *Unico baptismo*, lib. iv : « Istum hæreticum nondum dico, nisi manifestata sibi doctrina Catholica fidei resistere maluerit, et illud quod tenebat elegerit. » Sed hæc hactenus. Nunc ad propositum accedamus.

[1] Retract. Prol., *Opp.*, t. I, col. 1. — [2] *Corinth.*, I, cap. xi, v. 31. — [3] *In multiloquio non deerit peccatum*, *Prov.*, cap. x, v. 19. — [4] Aliter *Fidelium*. — [5] Matth., cap. xii, v. 36. — [6] Jacob., cap. i, v. 19. — [7] Jacob., cap. iii, v. 2. — [8] *Obstinacia*, Cod. Vict. — [9] Cap vii. — [10] *Nisi quis in contentione*, Cod. Vict. — [11] *Opp.*, t. III, col. 216. — [12] *Opp.*, t. VIII, col. 45. — [13] *Opp.*, t. VII, col. 533. — [14] *Opp.*, t. IX, col. 197.

ARGUMENTUM OPERIS.

Primus iste liber Theologiæ breviter comprehendit summam totius prædicti Tractatus, in Fide scilicet, et Caritate, et Sacramentis. Quid sit Fides, quid Spes, quid Caritas, quid Sacramentum. Quomodo proprie sive improprie Fides dicatur. Quæ sit Fides Catholica. Positio sententiæ de fide sanctæ Trinitatis, sive unitatis. Quare solus Pater dicatur ingenitus. Quid velit distinctio trium personarum in una divinitatis essentia. Quod vocabulo Patris divina potentia specialiter designetur. Quare opera trium personarum indivisa dicantur. Quod nomine Filii seu Verbi divina sapientia exprimatur. Quod Spiritus sanctus divinæ caritatis bonitas appelletur. Testimonia Prophetarum de Trinitate. Testimonia Philosophorum.

Secundus liber Theologiæ disserit ea quæ de Trinitate primus liber proposuit, et ad testimoniorum auctoritatem intelligentiæ commendat rationem.

Tertius liber superposita replicando, diligentius de potentia, et sapientia Dei, et bonitate, in quibus Trinitas consistit, perfectius inquirit ac disserit.

LIBER PRIMUS.

1 Tria sunt, ut arbitror, in quibus humanæ salutis summa consistit, Fides videlicet, Caritas, et Sacramentum. Spem autem in fide, tanquam speciem in genere, comprehendi existimo. Est quippe fides existimatio rerum non apparentium, hoc est sensibus corporis non subjacentium; spes vero, exspectatio aliquod commodum adipiscendi, quando videlicet quis credit se aliquod bonum assecuturum esse. Est itaque fides tam bonarum quam malarum rerum, et tam de præsentibus vel præteritis, quam futuris, sicut in principio *Enchiridion* beatus disserit Augustinus[1]. Spes autem de bonis est tantum et de futuris. Exspectatio quippe alicuius incommodi non tam spes dicenda est quam desperatio, hoc est diffidentia a bono. Caritas vero est amor honestus, qui ad eum videlicet finem dirigitur, ad quem oportet: sicut e contrario cupiditas, amor inhonestus ac turpis appellatur. Amor vero est bona erga alterum ipsum voluntas, qua videlicet optamus, ut eo

[1] *Opp.*, t. VI, col. 497.

modo se habeat, quo se habere bonum ei credimus esse, et hoc ejus potius quam nostri causa desideramus. Sæpe namque contingit ut aliquem odientes, et ab eo quoquomodo nos liberare[1] volentes, optemus eum ad cœlestia jam transferri, et superna illic gloria frui : quo melius ei contingere nil potest. Nec tamen id ejus amore gerimus, quia pro nobis id potius quam pro ipso agimus, nec tam illius utilitatem, quam nostram in hoc attendentes. Cui fortassis in hoc ipso melius quam nobismet ipsis optamus; magis adhuc præsentis vitæ miseriam, quam futuræ gloriam nobis cupientes. Quod Tullius quoque, cum amicitiam in secundo *Rhetoricæ* definiret, diligenter providebat, dicens : « Amicitia est voluntas erga aliquem rerum bonarum, ipsius illius causa, quem diligit. » Ubi profecto cum adjecit, ipsius illius causa, quem diligit, veram a falsa distinxit amicitiam. Sunt enim qui alios amare dicuntur, quacunque intentione bene illis[2] esse desiderent. Qui cum id causa sui potius quam illorum agant, non tam hominem diligunt, quam fortunam ejus sequuntur, nec tam commoda ipsius quam sua in illo venantur, nec tale desiderium tam caritas, id est amor honestus, ut dictum est, quam cupiditas, id est amor inhonestus ac turpis, est dicendum. Illa quippe amor Dei, hæc amor sæculi nuncupatur : quia per illum Deo copulamur, per istum mundanis occupamur curis, et terrenis deservimus desideriis. Et per illum quidem quæ Dei sunt curamus, per istum quæ nostra sunt providemus. Et in illo finis est Deus, id est finalis et suprema causa, ad quem nostra dirigitur intentio, quando videlicet tam ipsum quam proximum diligimus propter ipsum, nec tam nostram quam ipsius sequimur voluntatem. In isto autem ipsi nosmetipsos finem constituimus, quibus satis est si desideria nostra compleamus, et voluntati nostræ pareamus. Quales et Apostolus prævidens[3] : « Erunt, inquit, homines seipsos amantes, » hoc est in se potius quam in Deo sui amoris finem constituentes. Cum enim proximum tanquam nos ipsos amare jubeamur, nequaquam peccamus nos amando, sed amoris, ut dictum est, finem in nobis collocando. Et cum nostri quoque sicut et proximi curam in necessariis agere debeamus, nonnulla propter nosmetipsos agere nos oportet, ut et nos eorum quæ agimus causa quædam exsistamus, sed non, ut dictum est, finis, id est superior et suprema causa, quæ Deus est. Hoc ipsum quippe quod pro nobis gerimus, si recte agamus, propter Deum facimus, cui hoc placere credimus, et ejus dilectio nostræ causa est : ut nos quoque propter ipsum, non eum propter nos diligamus. Alioquin perverse agentes in nobis potius quam in ipso nostræ dilectionis finem constitueremus. Tunc vero propter ipsum tam nosmetipsos quam proximum diligimus, cum ideo nos amamus, quia hoc ei credimus placere : non quia nobis utile fore, licet id constet inutile nobis esse non posse.

[1] Sic Cod. Vict. Male legit Amb. *deliberare*. — [2] Sic Cod. Vict. *Alii* Amb. — [3] *Tim.* II, cap. III, v. 2.

Nihil igitur amandum est, nihil omnino faciendum nisi propter Deum, ut in Deo finem omnium constituamus. Unde et ipse α et ω dicitur, hoc est principium et finis. Principium quidem supremum a quo omnia; finis, id est finalis et suprema causa, propter quem omnia. Neque enim comedere, nec dormire, nec uxorem ducere, nec omnino aliud facere nisi propter ipsum debemus. Alioquin bestialiter viveremus, nostris tantum voluptatibus dediti. Comedere autem propter ipsum debemus, hoc uno saltem ut corpori quod suum est ac nobis commissum, necessaria impendamus, quibus in ejus obsequio sustentetur. Similiter et dormiendo ipsum reficere debemus, ut vigilare cum oportet in ejus obsequio valeamus. Uxor quoque ab eo qui est incontinens ducenda est, non solum propter filios ipsi generandos, verum etiam ne eum ex fornicatione offendamus. Qui[1] etiam cum pro nobis ipsi oramus, aut aliquid quod nobis apud eum prosit efficimus, ipsa ejus etiam caritas ad hoc nos compellit, per quæ ad eum quem super omnia diligimus, pervenire cupimus. Sic et cetera omnia propter ipsum facienda sunt, alioquin ab ipso frustra remunerationem expectaremus, si ea quæ agimus propter ipsum non ageremus. Quod diligenter Apostolus attendens in I *ad Corinthios* Epistola dicit[2]: « Sive ergo manducatis, sive aliud quid facitis, omnia in gloria Dei facite. »

Sacramentum vero est visibile signum invisibilis gratiæ Dei, veluti cum quis baptizatur, ipsa exterior ablutio corporis, quam videmus, signum est interioris ablutionis animæ; cum ita interior homo a peccatis mundatur, sicut exterior a corporalibus sordibus. Nunc autem tribus supra positis breviter assignatis atque descriptis, scilicet Fide, Caritate, et Sacramento, de singulis diligentius est agendum, quantum pertinet ad propositam humanæ salvationis summam, et de his quæ præcipue majoribus implicita quæstionibus videntur. Ac primum de fide quæ naturaliter ceteris prior est, tanquam bonorum omnium fundamentum. Quid enim sperari, vel speratum amari potest, nisi prius credatur? Credi autem potest, si non speretur vel ametur? Ex fide itaque spes nascitur, cum quod credimus bonum nos adepturos esse per Dei misericordiam confidimus. Unde Apostolus[3]: « Fides, » inquit, « est sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium. » Substantia sperandarum rerum, hoc est fundamentum et origo, unde ad speranda aliqua perducimur, credendo videlicet prius ea esse, ut postmodum speremus. Argumentum non apparentium, hoc est probatio quod sint aliqua non apparentia. Quia enim nemo fidem esse dubitat, oportet ex hoc ut aliqua non apparentia esse concedat : cum fides, ut dictum est, proprie non dicatur nisi de his quæ nondum apparent. Unde juxta Apostolum[4],

[1] Sic Amboesius. Forsan : *quin etiam.* — [2] *Corinth.* I, cap. x, v 31. — [3] *Heb.*, cap. xi, v. 1. — [4] *Corinth.* I, cap. xiii, v. 8.

cum nunc tria manere dicantur, fides scilicet, spes, caritas; sola caritas nunquam excidit, tam in hoc scilicet sæculo, quam in alio futuro perseveratura. Ex quo et merito major dicitur tam dignitate perseverantiæ, quam remunerationis debito; cum ipsa videlicet sola, ut arbitror, remunerationis sit digna. Si quis autem de apparentibus quoque fidem haberi dicat, fidem abusive nominat. Reperitur tamen fides dici de apparentibus quoque, sicut de non apparentibus. De utroque autem exempla præ manibus habemus. Gregorius *Homilia* VI, lib. II in Evangelia[1] : « Quum Apostolus dicat : « Est fides sperandarum rerum substan« tia, etc., » profecto liquet, quia fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt. Quæ enim sunt apparentia, fidem non habent, sed agnitionem. » Idem *Dialog.*, lib. IV, cap. VIII[2] : « Quum Paulus dicat : « Est enim fides « sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, » hoc veraciter debet credi quod non valet videri. Nam credi jam non potest quod videri potest. » Augustinus *super Joannem*[3] : « Et nunc dico vobis priusquam fiat, ut cum « factum fuerit credatis[4]. » Quid est hoc, cum magis hæc credere habeat antequam fiat id quod credendum est? Hæc est enim laus fidei, si quod creditur non videtur. Nam quid magnum est si id creditur quod videtur, secundum illam Domini sententiam, qua discipulum arguit dicens[5] : « Quia vidisti, cre« didisti? Beati, etc. » Sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippe homine divinitas videri non potuit. Hominem igitur vidit, et ideo confessus est, dicens[6] : « Dominus meus et Deus meus. » Nam ipsa fides ita est definita : Est autem fides sperandarum rerum substantia, quæ non videntur. Quapropter quid sibi vult, « ut cum factum fuerit credatis? » Nam et ille cui dictum est : « Quia vidisti, credidisti, » non hoc credidit quod vidit. Cernebat carnem, et credebat Deum latentem in carne. Sed et si dicimus credi quæ videntur, sicut dicit unusquisque oculis suis se credidisse, non tamen ipsa est quæ in nobis ædificatur fides, sed ex rebus quas videmus, agitur in nobis, ut ea credantur, quæ non videntur. » Item[7] : « Creditur non fide nova, sed aucta, aut certe cum mortuus esset defecta, cum resurrexisset refecta. » Item *Sermone tricesimo nono*[8] : « Quid promittit credentibus? Cognoscetis veritatem[9]. » Non quia cognoverunt, sed ut cognoscerent crediderunt. Credimus ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus. Quid est enim fides, nisi credere quod non vides? Fides ergo est, quæ non vides credere, veritas quod credidisti, videre. Veritas est, sed adhuc creditur, non videtur. » Idem in libro de verbo Do-

[1] *Leg.*, lib. II, homil. XXVI. — [2] *Leg.*, lib. IV, cap. VI. — [3] Joan., cap. XIV, v. 29. — [4] *Tract.*, 79. *Opp.*, t. III, col. 700. — [5] Joan., cap. XX, v. 29. — [6] *Ibid.*, v. 28. — [7] Sup. Joan. *Tract.* 79. *Opp.*, t. III, col. 701. — [8] Sup. Joan. *Tract.* 40; *Opp.*, t. III, col. 568. — [9] Joan., cap. VIII, v. 32.

mini, et quibusdam sententiis Pauli apostoli, *Sermone octogesimo* : « Justus ex « fide vivit[1], » quia credit quod non videt. « Filii Dei sumus, et nondum apparuit « quid erimus[2]. Quamdiu enim sumus in corpore peregrinamur a Deo; per « fidem enim ambulamus, non per speciem[3]. » Nunc videmus in tenebris, et jam visio erit, non fides; et jam res, non spes[4]. Amabimus videndo et tenendo. Ergo charitas perfecta erit, sicut ait Apostolus[5] : « Fides, spes, charitas, tria hæc, « major autem horum est charitas. » Securi illo adjuvante perseverantes in eo dicamus[6] : « Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, etc. » Idem libro secundo *Quæstionum Evangelicarum* : « Justitia Dei in eo reve- « latur ex fide in fidem[7], » intelligitur quidem fides qua creduntur ea quæ non videntur. »

Sed tamen est fides etiam rerum, quando non verbis, sed rebus ipsis præsentibus, creditur quod futurum est, quum jam per speciem manifestam se contemplandam præbebit sanctis ipsa Dei sapientia. De qua fide rerum lucisque ipsius præsentia forsitan Paulus dicit : « Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem. » Dicit enim alio loco[8] : « Nos enim revelata facie gloriam Dei spectantes in eamdem imaginem transformabimur a gloria in gloriam. » Sicut enim dicit hic a gloria in gloriam, ita et ibi ex fide in fidem. De gloria scilicet Evangelii, quo nunc credentes illuminantur in gloriam manifestæ veritatis. Apud Philosophos quoque de apparentibus etiam fides dici videtur; qua etiam videlicet res quælibet ita animo tenetur, ut de ipsa non dubitetur, sive per opinionem, sive per experimentum quoque sensuum. Unde Boethius *super Topica* Ciceronis libro primo : « Argumentum est ratio quæ rei dubiæ facit fidem. » Multa enim, inquam, sunt quæ faciunt fidem, sed quia rationes non sunt, nec argumenta esse possunt, ut visus facit fidem his quæ videntur. Sed quia ratio non est visus, nec argumentum quidem esse potest. His itaque testimoniis patet fidei nomen modo proprie, modo improprie poni, cum videlicet non solum de occultis, verum etiam de manifestis fides dicatur. Sunt autem plura ad Deum pertinentia quæ credi vel non credi nostra non[9] interest, quia sive credantur sive non credantur, nullum incurrimus periculum, veluti si credamus Deum cras pluviam facturum vel non facturum, vel huic nequissimo homini misericordiam impensurum, vel non. Ei vero[10] qui de fide ad ædificationem loquitur, ea sola tractare ac docere sufficit, quæ si non credantur damnationem pariunt. Hæc autem sunt quæ ad fidem Catholicam pertinent.

Catholica quippe est fides, id est universalis, quæ ita omnibus necessaria est,

[1] *Rom.*, cap. I, v. 17. — [2] I, Joan., cap. III, v. 2. — [3] II, *Corinth.*, cap. V, v. 6. — [4] I, *Corinth.*, cap. XIII, v. 12. — [5] I, *Corinth.* XIII, 13. — [6] *Rom.*, cap. VIII, v. 34. — [7] *Rom.*, cap. I, v. 17. *Quæst.* 39. *Opp.*, t. III, col. 266. — [8] II, *Corinth.*, cap. III, v. 18. — [9] *Nihil.* Cod. Vict. — [10] Sic Cod. Vict. *Ei vos* Amb.

ut nemo discretus absque ea salvari possit. Bene Athanasius cum præmisisset : « Hæc est fides Catholica, » statim id aperiens, unde scilicet dicatur Catholica, et velut exponens ait : « Quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. » Sunt et qui velint fidem Catholicam ad differentiam fidei Catholicorum non ubique cum Ecclesia dilatatæ, sed quasi in angulo aliquo latitantis, vel in aliqua terrarum parte conclusæ. Fides autem Catholica partim circa ipsam divinitatis naturam, partim circa divina beneficia et quascunque Dei necessarias dispensationes vel ordinationes consistit, quæ nobis diligenter Apostolorum vel Sanctorum patrum symbolis expressa sunt. Ac primum de his quæ ad divinitatis naturam pertinent, consideremus qualiter videlicet in una et eadem penitus divinitatis substantia tres personæ credantur, Pater scilicet, ac Filius, ac Spiritus sanctus, et quid rationis vel utilitatis hæc in uno Deo habeat personarum distinctio. Primo itaque hanc fidei summam ponamus, de unitate scilicet ac trinitate divina, deinde positam, prout Dominus dederit, disseramus.

Tenet igitur Christianæ fidei religio unum solummodo Deum esse, ac nullo modo plures esse Deos, unum omnium dominum, unum creatorem, unum principium, unum lumen, unum bonum, unum immensum, unum omnipotentem, unum æternum, unam substantiam sive essentiam incommutabilem penitus ac simplicem, cui nec partes aliquæ, nec aliquid quod ipsa non fuerit, possit inesse, ac per omnia solam prædicat ac credit unitatem, excepto quod ad personarum pertinet multitudinem. Huic itaque tam simplici seu individuæ ac meræ substantiæ, tres inesse personas sibi per omnia coæquales ac coæternas, non numero rerum, sed pluralitate proprietatum diversas veraciter confitetur, Deum videlicet Patrem, ut dictum est, ac Deum Filium ejus, atque Deum Spiritum ejus, ab utrisque procedentem. Non est autem una persona altera, licet sit hoc ipsum quod altera : neque enim qui Pater est Filius est, aut Spiritus sanctus; nec qui Filius est, Spiritus sanctus est; sed tamen quod Pater est, est Filius, est et Spiritus sanctus, et e contrario. Idem quippe Deus tam Pater est, quam Filius seu Spiritus sanctus; unum quippe prorsus in natura, unum tam numero quam substantia sunt; sed juxta eorum proprietates ita personaliter ab invicem distinguntur, ut alius sit iste quam ille, non aliud. Homo est personaliter, non substantialiter diversus, cum hic videlicet non sit ille, licet hic sit penitus hoc quod ille, id est eadem penitus sit substantia qua et ille, non persona. Unde Sedulius : « Non quia qui summus Pater est et Filius hic est; sed quia quod summus Pater est et Filius hoc est. »

Proprium autem est Dei Patris ingenitum esse, hoc est a seipso non ab alio existere, sicut Filii proprium est a Patre genitum esse, non creatum vel factum, et Spiritus sancti ab utrisque procedere, nec creatum nec factum esse. Quod enim

æternaliter subsistit, atque initio caret, nec creatum nec factum convenit dici. Solum itaque Patrem ingenitum dicimus, hoc est a seipso non ab alio. Unde Augustinus adversus *Felicianum Arianum*[1] : « Patrem ingenitum dico, quia non processit ex altero. » Isidorus *Etymol.* lib. VI[2] : « Pater, inquit, solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus. » Aliud itaque dicere est Patrem ingenitum, aliud non genitum, sicut aliud est dicere aliquid injustum, aliud non justum. Quippe quod injustum est necesse est esse non justum, sed non e converso : lapis quippe non justus, nec tamen injustus est. Sic et cum Deus Pater sit ingenitus, constat profecto eum esse non genitum, id est non esse Filium. Spiritus vero sanctus ipse quoque est non genitus, cum ipse etiam non sit genitus, hoc est non sit Filius, nec tamen ideo est ingenitus, cum ipse ab alio sit, tam a Patre scilicet quam a Filio procedens. Solus itaque Pater ingenitus dicitur, sicut solus Filius genitus. Spiritus vero sanctus, nec genitus est, nec ingenitus, sed ut dictum est, non genitus. Unde Augustinus *ad Orosium*, cap. II[3] : « Spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum fides certa declarat, quia si dixerimus ingenitum, duos patres affirmare videbimur : sin autem genitum, duos filios affirmare[4] culpamur. Sed quod certa fides tenet, nec ingenitus est, nec genitus, sed ab utrisque procedens, id est a Patre et Filio. » Idem et Gennadius, *de Orthodoxa fide Ecclesiasticorum dogmatum*, cap. I, asserit his verbis : « Pater ergo principium deitatis, a quo Filius est natus, a quo Spiritus sanctus non natus, quia Filius non est, nec ingenitus, quia non est Pater. » Hinc et beatus Papa Gregorius in *Symbolo* Epistolis suis præscripto meminit dicens[5] : « Credimus Spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum, sed coæternum de Patre et Filio procedentem. » Cum autem unaquæque persona harum sit Deus aut Dominus sive Creator, nec una persona sit altera ; non tamen ideo plures Dii vel domini sunt, sive creatores, sicut plures sunt personæ. Quippe cum dicimus Deos, aut dominos seu creatores, rerum quemdam numerum ostendimus, quarum unaquæque Deus sit, aut dominus sive creator, cum in individuitate nulla rerum possit esse multitudo, unde et individuam dicimus Trinitatem. Cum vero multas in Deo profitemur personas, proprietatum non rerum multitudinem, ut supra meminimus, demonstravimus. Quædam itaque de singulis tantum dicuntur personis, ut ingenitus de solo Patre, genitus sive incarnatus de solo Filio, procedens ab utroque, de solo Spiritu sancto : quædam conjunctim tantum et non singillatim, ut trinitas de tribus tantum personis : quædam tam divisim quam conjunctim de eis æque dicuntur, ut Deus, Dominus, Creator, omnipotens, sapientia, virtus, justitia, etc.

[1] *Opp.*, t. VIII, App., col. 41. — [2] Lib. VII, cap. IV, *Opp.*, t. III, p. 311. — [3] *De Trinit.*, lib. XV. *Opp.*, t. VIII, col. 1000. — [4] Aliter *credere*. — [5] *Opp.*, t. III. Hoc confessionis fidei symbolum creditur a sancto Gregorio pronuntiatum fuisse in ipso suæ ordinationis et inaugurationis solemni ritu.

Solum vero hoc nomen, quod est persona, pluraliter proferimus, cum videlicet plures proferimus personas, non Deos aut dominos nec ullam in cæteris pluralitatem recipimus. Unde Augustinus *de Trinitate*, lib. VII, cap. VII[1] : « Pater ad se dicitur persona, non ad Filium vel Spiritum. » Item : « Hoc solum non est, quod, cum dicatur de singulis ad se, pluraliter non singulariter accipitur in summa. Dicimus itaque : Pater est persona, et Filius est persona, Spiritus sanctus persona; Pater tamen et Filius et Spiritus sanctus non sunt una persona, sed plures. » Quarum quidem tamen personarum sicut eadem prorsus est substantia, ita indeterminans est gloria, indivisa operatio ac voluntas.

Hac[2] autem fidei summa circa unitatem ac trinitatem proposita, superest ut adversus inquisitiones dubitantium, congruis eam[3] similitudinum exemplis defendamus atque astruamus. Quid enim ad doctrinam loqui proficit, si quod docere volumus exponi non potest ut intelligatur ? Quod diligenter beatus attendens Augustinus cum difficillimum de Trinitate illum exponere vellet locum, quod videlicet Evangelista Joannes exorsus est, dicens[4] : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ; » « Hoc inquit, animalis homo non percipit. Quid ergo fratres ? Silebimus hinc ? Quare ergo scribitur, si siletur ? aut quare auditur, si non exponitur ? Sed ut quid exponitur, si non intelligitur ? Itaque quoniam rursus non dubito in numero vestro quosdam esse, a quibus possit non solum expositum capi, sed antequam exponatur intelligi ; non fraudabo eos qui possunt capere, dum timeo superfluus esse auribus eorum qui non possunt capere. »

Primum itaque nobis disserendum occurrit, quid sibi velit in una divinitatis natura personarum ista distinctio, ut eadem scilicet Pater, eadem Filius, eadem Spiritus sanctus sit appellata. Deinde qualiter una penitus et individua permanente substantia, Trinitas personarum queat assignari, et quod de unitate ac Trinitate divina ante proposuimus, contra vehementes philosophicas impugnationes defendi. Videtur autem nobis suprapositis trium personarum nominibus summi boni perfectio diligenter esse descripta, ut cum videlicet prædicatur Deus esse Pater et Filius et Spiritus sanctus, eum summum bonum atque in omnibus perfectum hac distinctione Trinitatis intelligamus.

Patris quippe nomine divinæ majestatis potentia designatur, qua videlicet quidquid velit efficere potest, unde Augustinus in *Enchiridion*[5] : « Neque enim veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quæcunque vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus. » Idem in

[1] *Opp.*, t. VIII, col. 861. — [2] *Nunc autem.* Cod. Vict. — [3] Sic. Cod. Vict. *Congruis etiam similitudinum* Amb. — [4] Joan., cap. I. v. 1. — [5] *Opp.*, t. VI, col. 232.

lib. *de Spiritu et littera* : « Non potest facere injusta, quia ipse est summa justitia et bonitas. Omnipotens vero est, non quod possit omnia facere, sed quia potest efficere quidquid vult. » Sicut autem Dei Patris vocabulo divinæ majestas potentiæ exprimitur specialiter, ita Filii seu Verbi appellatione sapientia Dei significatur, qua scilicet cuncta discernere valet, ut in nullo penitus decipi queat.

XI At vero Spiritus sancti vocabulo ipsa ejus charitas seu benignitas exprimitur, qua videlicet optime cuncta vult fieri seu disponi, et eo modo singula provenire quo melius possunt, malis[1] quoque bene utens, et optime singula disponens, et ad optimum finem quoque perducens. Non est autem perfectus in omnibus, qui in aliquo impotens invenitur, nec perfecte beatus est qui in aliquo decipi potest, nec penitus benignus qui omnia optime fieri non velit ac disponi. Ubi vero hæc tria conveniunt, ut tam videlicet potentia quam sapientia, quam bona voluntate sit perfectus : nil boni est quod ejus plenitudini desit. Tale est ergo Deum Patrem ac Filium et Spiritum sanctum nos profiteri, ac si ipsum, ut dictum est, summum bonum esse prædicemus : cui tanquam[2] bonorum omnium plenitudini nil desit, et cujus participatione bona esse cætera constet. Nec solum hæc Trinitatis distinctio ad summi boni perfectionem, ut dictum est, describendam convenit, verum etiam ad persuadendum hominibus divini cultus religionem plurimum proficit, ut ob hoc præcipue ipsa Dei sapientia incarnata in prædicatione sua eam rectissime decrevisset assumere. Duo quippe sunt quæ nos omnino subjectos Deo efficiunt, timor videlicet atque amor. Potestas quippe et sapientia maxime timorem incutiunt, cum eum quem judicem esse scimus, et cuncta quæ voluerit, punire posse, et nil eum latere cognoscimus. Benignitas autem ad amorem specialiter pertinet, ut quem benignissimum habemus, potissimum diligamus. Ex quo etiam certum est eum impietatem ulcisci velle, quia quo plus placet ei æquitas, eo magis ipsi displicet iniquitas, sicut scriptum est[3] : « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. » Nec solum ad timorem vel ad amorem Dei hominibus incutiendum hæc Trinitatis distinctio necessaria est, verum et ad universorum operum ejus commendationem plurimum valet, ut quæcunque agit, egregie fieri credantur, utpote qui omnia quæ velit, efficere possit, et in omnibus modis conservare sciat, et optime cuncta fieri seu procedere velit. Unde et cum ad aliquid per nos operandum divinam imploramus gratiam, recte[4] commemorationem Trinitatis facimus, dicentes : « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, » vel « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, » ut videlicet divinam potentiam et sapientiam seu benignitatem commemorando, quæcunque Deus efficiat, egregie fieri demonstremus. Unde et Moyses cum de universa mundi ageret creatione, in ipso statim

[1] Sic Cod. Vict. *In aliis* male legit Amb. — [2] Sic Cod. Vict. *Inquam* Amb. — [3] Psalm. XLIV, v. 8. — [4] *Recte* Cod. Vict. *Ante* Amb.

Genesis exordio, Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum commemorat, ut quæcunque a Deo fieri narrat, egregie facta credantur. Cum enim ait[1]: « In principio creavit Deus cœlum et terram, » et postmodum adjecit[2]: « Spiritus Domini ferebatur super aquas, » divinam Trinitatem diligenter expressit, in Deo quidem creatore Patrem insinuans, hoc est divinam commemorans potentiam, per quam creare omnia de nihilo potuerit; quamquam etiam non incongrue hoc nomen « Deus » juxta propriam interpretationem innuit, quod hoc videlicet quasi Θεός, id est timor interpretetur, cum potestati reverentia timoris maxime exhibeatur. Nomine vero principii Filium designat, id est divinam rationem seu sapientiam, in qua per providentiam cuncta prius consistere quodammodo habuerunt, atque ibidem incipere, priusquam in effectum operis ducerentur. Unde et Evangelista de Verbo Patris disserens[3]: « Quod factum est, » inquit, « in ipso vita erat. » Sic et Macrobius Platonem insecutus, mentem Dei, quam Greci νοῦν appellant, originales rerum species, quæ Ideæ dictæ sunt, continere meminit[4], antequam etiam, inquit Priscianus, in corpora prodirent, hoc est in effecta operum provenirent. Spiritus vero Domini aperte Spiritum sanctum insinuat, id est divinæ gratiæ bonitatem, juxta hanc quidem diligentem Prophetæ considerationem, qui, cum ad excellentem hominis creationem ventum esset, provide hoc opus ceteris anteponens[5], et quasi præ[6] ceteris commendans, distinctionem patenter[7] Trinitatis fecerit, ubi videlicet a domino potius dictum est[8] « Faciamus hominem, » quam faciam: « ad imaginem, » inquit, « et similitudinem nostram; » virum quidem ad imaginem, mulierem vero ad similitudinem. Vir quippe juxta Apostolum[9], imago Dei est, non mulier. Sed sicut vir imago est Dei, ita et mulier imago dicitur viri. Imago quippe expressa alicujus similitudo vocatur, similitudo autem dici potest, etsi non multum id cujus est similitudo exprimat. Vir itaque ad imaginem Trinitatis est factus, quia quo perfectior conditus est quam mulier, descriptæ summi boni perfectioni similior existit; qui et per potestatem tam mulieri quam cæteris mundanis prælatus est creaturis, et per sapientiam dignior, et per amorem ad ea quibus perfectio est pronior exstitit. Bene et eum a serpente non esse seductum, cum seduceretur mulier, testatur Apostolus[10]; qui tamen amore mulieris gustatum ei fructum porrigentis, cum eam contristare nollet, in transgressionem prorumpit, amplius de misericordia Dei quam oporteret præsumens, quem ad ignoscendum facilem existimabat, pro tam levi quæ ei videbatur offensa, si quoquomodo commissam sibi a Domino non scandalizaret mulierem, præsertim cum hæc pie magis, quam

[1] *Genes.*, cap. I, v. 1. — [2] *Ibid.*, v. 2. — [3] Joan., cap. I, v. 3, 4. — [4] In *Somn. Scip.*, lib. I, cap. IX. — [5] Sic Cod. Vict. *Imponens* Amb. — [6] Sic Cod. Vict. *Pro* Amb. — [7] Sic Cod. Vict. *Potenter* Amb. — [8] *Genes.*, cap. I, v. 26. — [9] I, *Corinth.*, cap. II, v. 7. — [10] I, *Tim.*, cap. II, v. 14.

malitiose fieri videretur. A quo etiam amplius amari Deum quam a muliere, quis non consentiat? Quomodo enim illa tunc Deum vere dilexerit, quem sibi in dolo fuisse locutum crediderit, cum serpentis acquieverit consilio?

Quod autem nomine Patris divina potentia, nomine vero Filii seu Verbi divina sapientia, nomine Spiritus sancti ipsa Dei benignitas seu charitas specialiter exprimatur, nec nos auctoritas nec ratio subterfugit. Potentiam quidem nomine Patris specialiter exprimi, ex multis colligitur testimoniis. Unde Maximus episcopus in expositione symboli quod dicitur Apostolorum, quæ legitur[1] in quinta quadragesimæ Dominica, his verbis insinuat : « Credis in Deum, inquit, patrem omnipotentem. In Deo natura innascibilis, in Patre ingeniti veritas, in omnipotente plenitudo virtutis ostenditur. Est namque per ingenitam deitatem omnipotens, et per omnipotentiam Pater. » Innascibilem hoc loco, increatum dicit, ingenitam deitatem Patris appellat, hoc est eum solum ex tribus personis ingenitum esse profitetur, cum videlicet, ut jam supra meminimus, solus ipse non sit ab alio. Ceteræ vero personæ ab ipso sunt. Quod vero dicitur ipse Pater per ingenitam deitatem esse omnipotens, hoc est per hoc quod cum sit Deus, insuper, ut dictum est, ipse solus sit ingenitus, et rursus per omnipotentiam Pater, aperte innuitur, quod sicut ingenitum esse proprium est Dei Patris, ita et ad proprietatem ejus specialiter divinam potentiam pertinere, licet unaquæque aliarum personarum cum sit ejusdem cum Patre substantiæ, ejusdem sit penitus potentiæ. Juxta proprietates quippe trium personarum, quædam specialiter ac tanquam proprie de aliqua earum dici vel accipi solent, quæ tamen juxta earum naturæ unionem[2], singulis inesse non ambigimus, ut sapientia Filio, charitas Spiritui sancto specialiter attribuitur, cum tamen tam Pater quam Spiritus sanctus, seu etiam tota Trinitas sapientia sit, et similiter tam Pater ipse quam Filius charitas dici possit. Sic etiam juxta personarum proprietates, quædam opera specialiter alicui personæ attribuuntur, quamvis indivisa totius Trinitatis opera prædicentur, et quidquid ab una earum fit, a singulis fieri constet. Soli quippe Filio carnis susceptio assignatur : et ex aqua et spiritu tantum, non ex aqua etiam et[3] Patre vel Filio regenerari dicuntur, cum tamen in istis totius operatio Trinitatis affuerit. Sic et juxta ipsam Patris proprietatem specialiter ei et maxime quæ ad potentiam pertinent assignari solent, cum ex ipsius, ut dictum est, nomine, divina specialiter potentia designetur, et eo ipso quod solus ipse ingenitus dicitur, hoc est a seipso, non ab alio, existens, quædam ei secundum substantiæ modum propria maneat potentia; ut cum videlicet ipse Pater omnia facere possit quæ Filius et Spiritus sanctus, hoc insuper habeat, ut a se ipso solus ipse queat exsistere, nec

[1] Sic Cod. Vict. *Legem* Amb. — [2] Sic Cod. Vict. *Naturam* Amb.

necesse habeat ab alio esse. Non minus tamen aut Filium aut Spiritum sanctum omnipotentem prædicamus quam Patrem. Ut enim beatus meminit Augustinus[1], non propter aliud omnipotens dicitur Deus, nisi quia quidquid vult potest efficere, ut non scilicet in aliquo efficiendo ullum ejus voluntati impedimentum obsistat. Ideo autem trium personarum indivisa opera, id est communia dicuntur, quod quidquid potentia geritur, id sapientia moderatur, et bonitate[2] conditur. Unde et merito in his quæ facere Deum exoramus, commemorationem facimus Trinitatis dicentes: « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, » vel: « In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. » Ut sicut trium personarum est indivisa operatio, ita et eorum sit inseparabilis invocatio, atque hoc modo cum fides ipsa postulati beneficii astruatur, tamen ipsa operis divini efficacia commendetur. Facile enim creditur facturus esse bonum quod rogatur, qui et facere id, sicut voluerit, potest, et benignissimus esse cognoscitur. Nomine vero Patris, ut dictum est, omnipotentia Dei, nomine Spiritus summa ejus benignitas commemoratur. Cum autem et sapientiæ divinæ commemoratio additur, quæ scilicet nomine Filii exprimitur, per quam in omnibus quæ efficit modum tenere noverit, egregius effectus ostenditur qui ab eo proveniat, qui omnia quæ velit facere queat, et in omnibus faciendis modum sciat servare, et optime cuncta velit fieri. At vero cum unaquæque trium personarum inde omnipotens dicatur, quod quidquid earum quæcunque velit efficere, possit complere; non tamen necesse est eodem modo se penitus habere unam quo alteram, cum a se invicem suis proprietatibus[3] diversæ sint. Solus quippe Pater potest esse Pater sive ingenitus, et solus Filius genitus, sicut et solus Spiritus sanctus procedens. Quidquid itaque una persona facere potest, et alia potest, et ideo unaquæque omnipotens dicitur, sed non quidquid una esse potest, vel cujus modo una esse potest, necesse est alteram esse. Hoc autem, teste Hieronymo, plus habere Pater a Filio invenitur, quod solus a seipso est, Filius vero a se non est, sed a Patre tanquam genitus. Sic quippe ait Nicæni concilii, exponendo fidem, symbolum[4]: « Absit ergo in Filio Dei aliud plus minusve, aut in loco aut in tempore, aut in potentia, aut in scientia, aut in æqualitate, aut in subjectione, cum dicitur hoc ut divinitati ejus ascribatur, non carni. Si enim plus minusve aliud invenitur, excepto hoc quod genuit Pater Filium, et excepto hoc quod Filius non ex semetipso natus est, sed de Patre natus est, proprie aut invidens aut impotens Pater, insuper etiam temporalis agnoscitur. » Ex his quidem verbis Hieronymi, cum profitetur nil plus in Patre quam in Filio, vel minus in Filio quam in Patre reperiri, excepto quod Filius a seipso non est, sicut et Pater,

[1] *Enchiridion*, cap. XXIV. — [2] *Benignitate* Cod. Vict. — [3] Sic Cod. Vict. *Cum in suis proprietatibus* Amb. — [4] Explan. ad Cyrill., *Opp.*, t. V, col. 125; opus ab Hieronymo conscriptum esse non videtur.

profecto videtur juxta naturam vel modum existentiæ, non operationis, hanc quasi propriam Patri ascribere potentiam, quod solus ipse per se subsistere queat, vel a seipso existere habeat, hoc est non ab alio; ceteras vero duas in Trinitate personas ab ipso necesse sit esse, nec per se habeant subsistere. Cui et illud beati consonat Ambrosii, qui in *Epistola Pauli ad Ephesios* ubi scriptum est[1]: « Unus Deus et Pater omnium, qui super omnes, etc. » Si itaque potentiam tam ad naturam subsistendi, quam ad efficaciam operationis referamus, inveniemus ad proprietatem personæ Patris proprie vel specialiter omnipotentiam attinere, qui non solum cum ceteris duabus personis Deus æque[2] omnia efficere potest, verum etiam ipse solus a se non ab alio existere habet, et sicut ex se habet existere, ita etiam ex se habet posse. Ceteræ vero personæ sicut ab ipso habent esse, ita et ab ipso habent posse quod volunt efficere; unde et per semetipsum Filius dicit[3]: « Non possum ego a meipso facere quidquam. » Et alibi[4]: « Et a meipso facio nil, » vel : « A meipso non loquor. » Cum itaque de Patre Maximus dixerit, quod per ingenitam deitatem sit omnipotens, id est per hoc quod cum sit Deus, sit etiam ingenitus : illa quoque propria Patris potentia qua solus ipse a se, non ab alio subsistit, unde solus ipse ingenitus dicitur, in omnipotentia comprehenditur[5], et sic eum intellexit omnipotentem, ut quidquid ad potentiam attinet, non solum quantum ad operationis effectum, verum etiam quantum ad subsistendi modum, ei tanquam propriam attribuerit : ut tale sit scilicet quod dixerit per ingenitam deitatem omnipotens, ac si aperte diceret per hoc quod Deus est et ingenitus, eum utroque modo, ut diximus, proprie omnipotentem esse. Sic et cum statim subjunxerit, et per omnipotentiam Pater, tale est, ac si hanc quam intellexerit omnipotentiam ipsum proprie habere fateamur. Fortasse autem et in hoc diligentius accipi potest per omnipotentiam Pater, ac si dicamus eum per omnipotentiam, quæ ei, ut dictum est, specialiter tribuitur, de ipso Sapientiam suam tanquam Filium generare, cum ipsa scilicet divina Sapientia aliquid sit de divina omnipotentia, cum sit ipsa quoque aliqua potentia. Sapientiam namque dicimus potentiam discernendi, sive a deceptione sive a fallacia providendi, ne in aliquo decipi possit, vel aliud eum latere queat. Est itaque divina sapientia quædam divina potentia, per quam videlicet Deus cuncta perfecte discernere atque cognoscere habet, ne in aliquo errare per inscientiam possit, secundum quod scilicet Verbum ipsum Dei de ipsa Patris substantia esse dicitur, quod est Filium ex Patre genitum esse, sicut postmodum, ipso annuente, plenius disseremus, cum ad hujus scilicet generationis modum exponendum ventum fuerit. Nunc vero præsentis

[1] *Ephes.*, cap. IV, v. 6. — [2] Sic. Cod. Vict. *Æque* deest Edit. Amb. — [3] Joan., cap. V, v. 30. — [4] Joan., cap. VIII, v. 28; cap. XIV, v. 10. — [5] *Illam quoque propriam — potentiam — comprehendit* Cod. Vict.

est operæ auctoritates inducere quibus vocabulo Patris divinam maxime astruamus potentiam exprimi. Quod si etiam tam Evangelica quam Apostolica discutiamus dicta, intelligemus juxta ipsius locutionis proprietatem, ea quæ ad potentiam pertinent, Patri specialiter ascribi, ut hic quoque aperte colligi possit vocabulo Patris ipsam specialiter omnipotentiam designari. Ait quippe Filius[1]: « Quæ Pater posuit in sua potestate, » non quæ ipse Filius vel Spiritus sanctus, licet eadem sit trium personarum potestas. Et alibi[2]: « Sicut disposuit, » inquit, « mihi Pater. » Qui etiam videlicet Filius quoties humanitas ejus opem unitæ sibi divinitatis implorat, aut quascunque ei preces fundit, solo Patris utitur vocabulo, ipsam scilicet commemorando potentiam qua potens est efficere quod rogatur, veluti cum dicit: « Pater sancte, serva eos[3]. Pater, in manus tuas commendo spiritum meum[4], » et similia quæ ad orationem pertinent. Quod et adhuc maxime mos ecclesiasticus observat, ut in illis specialibus orationibus quæ in celebrationibus missarum ad altare fiunt, quæ scilicet orationes ad solum Patrem locutionem dirigentes intendunt. Sed et cum ait Apostolus Christum surrexisse a mortuis per gloriam Dei Patris, id est per virtutem divinæ potentiæ, vel Patrem eum a mortuis suscitasse, et vivificaturum esse corpora nostra, vel ab eo Filium, vel Spiritum sanctum missum esse, vel ei Filium obedisse, quasi proprie vel specialiter Patri tribuit, quæ ad potentiam pertinere videntur, ut ex his quoque insinuetur maxime ad personam Patris, juxta ejus, ut dictum est, proprietatem ea quæ potentiæ sunt ascribenda esse, sicut Filio ea quæ ad animi rationem vel sapientiam pertinent, sicut est judicare, quod discretionis est. Unde scriptum est[5]: « Pater omne judicium dedit Filio, » quia potentia cedit sapientiæ in discretione judicii, ubi æquitas magis examinanda est, quam vis potentiæ exercenda. Quod autem supponitur quia filius hominis est ex quo divinum maxime pendeat judicium, declarat secundum quod ipse Filius protestatus est[6]: « Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem nullam habent de peccato. » Ac si dicatur ex hoc maximam impios condemnationem juste incurrere, quia tanto divino beneficio ingrati inexcusabiles exstiterunt, missum etiam a Patre Filium respuentes. Ad hoc etiam illa inscriptio Psalmi noni pertinet quæ ait[7]: « Pro occultis filii scilicet judiciis, » de quibus in eodem Psalmo subjunctum est: « Cognoscetur Dominus judicia faciens, » et alibi[8]: « Judicia tua abyssus multa. » Quia videlicet, sicut dictum est, sapientiæ est judicare, id est quod ex justitia cuique debeatur, cognoscere. Christum autem Dei sapientiam et Dei virtutem Apostolus nominat[9]; sapientiam quidem per quam omnia ad integrum novit,

[1] *Act. Apost.*, cap. I, v. 7. — [2] Luc., cap. XXII, v. 29. — [3] Joan., cap. XVII, v. 11. — [4] Luc., cap. XXIII, v. 46. — [5] Joan., cap. V, v. 22. — [6] Joan., cap. XV, v. 22. — [7] Psalm. IX, v. 17. — [8] Psalm. XXXV, v. 7. — [9] I, *Corinth.*, cap. I, v. 24.

virtutem vero, per quam omnium bonorum efficaciam complet, secundum quod scriptum est[1] : « Omnia per ipsum facta sunt, » et alibi[2] : « Omnia in sapientia fecisti. » Unde et dextera sive manus patris appellatus est, per quam Pater omnia operatus est. Qui etiam bene mens patris, sive ratio, sive Angelus consilii dictus est, quia omnia in hac sapientia rationabiliter Pater disponit, sive creando mundum, sive reparando eundem post lapsum : et in hoc Pater verum consilium nostræ ignorantiæ dedit, cum eo incarnato nos visitaverit. Sed et quando hominibus apparere ad aliquid docendum Deus legitur, Filio id magis quam alteri personæ tribuitur, eo quod docere ad sapientiam necesse pertineat. Sive ergo ad aliquid[3] docendum antiquis temporibus in angelo vel in aliqua specie corporali Deus apparuerit, sive tempore gratiæ per hominem assumptum se mundo visibilem exhibuerit, Filio id proprie aut specialiter propter suprapositam causam ascribitur. Per ipsum enim Deus nos erudiens tanquam verbo suo nos instruit, quoties de plenitudine ipsa sapientiæ suæ nobis aliquid impartit, sicut scriptum est[4] : « Et de plenitudine ejus omnes accepimus. »

Logos itaque filius Dei cum dicitur, id est Verbum, secundum illam significationem sumitur, secundum quam λόγος apud Græcos ipsum etiam mentis conceptum seu rationem mentis significat, non vocis prolationem. Unde Boethius in *Categoriis* Aristotelis, lib. II : « Quoniam Græca oratione λόγος dicitur etiam animi cogitatio, et intra se ratiocinatio, Λόγος quoque et oratio, ne quis Aristotelem, cum diceret λόγον, id est rationem quantitatem esse, de eo putaret dicere quem quisque λόγον in cogitatione disponeret, addidit, quæ fit cum voce. » Hinc et beatus meminit Augustinus libro *Quæstionum* octogesimo tertio, cap. XLIV[5] : « In principio inquit, erat Verbum, » quod Λόγος Græce dicitur, Latine autem orationem et Verbum significat. Sed hoc loco melius Verbum interpretatur, ut significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quæ per Verbum facta sunt. Ratio vero, etsi nihil per eam fiat, necesse ratio dicitur. » Idem in libro *Contra quinque hæreses* : « In principio erat Verbum, » melius Græci λόγον dicunt; Λόγος quippe Verbum significat et rationem. » De quo quidem verbo Dei scilicet intelligibili, quod, ut dictum est, sapientia intelligitur, beatus quoque Gregorius in *Homilia Evangeliorum* septima ita loquitur[6], distinguens scilicet ipsum intelligibile verbum a verbo audibili, quod est vox : « Scitis, inquit, quia unigenitus Verbum patris vocatur, Joanne attestante qui ait : « In principio erat Verbum. » Ex ipsa nostra locutione cognoscitis quia prius vox sonat, ut verbum postmodum possit audiri : Joannes ergo vocem se esse asserit, quia verbum præcedit. » Idem in *Homilia*

[1] Joan., cap. I, v. 3. — [2] Psalm. CIII, v. 24. — [3] Sic Cod. Vict. *Aliud* Amb. — [4] Joan., cap. I, v. 16. — [5] Leg. *Libro Quæstionum* LXXIII, cap. LXIII, *Opp.*, t. VI, col. 38. — [6] Hom. VII, n. 2.

XXIII de Joanne Baptista[1] : « Ego vox clamantis in deserto. » Ideo, inquit, vox a propheta vocatus est, quia verbum præibat quod est dicere. Sicut verbum audibile in auditore præcedit intelligibile, quia videlicet prius vox sonat, ut postmodum ex ea intellectus concipiatur : ita Joannis prædicatio anteibat, adventum Domini nuntiando. Verbum itaque dicit conceptum mentis, et quamdam intelligentiæ locutionem quæ in mente formatur, ad cujus similitudinem unigenitus Verbum Dei et quasi quædam ejus intellectualis ac perpetua locutio, in cujus providentia omnium ab æterno præfixa consistit ordinatio atque operatio. Unde et Moyses cum in diversis rerum creationibus faciendis præmittat[2], « Dixit Deus, » et ad dictum statim adjungat effectum dicens, « Et factum est ita, » cuncta Deum condidisse in verbo, hoc est in sapientia sua ostendit, id est omnia rationabiliter. De quo etiam Psalmista ait[3] : « Dixit et facta sunt, » id est ratione cuncta condidit sive ordinavit. Qui etiam hoc verbum alibi apertius demonstrans, non esse verbum audibile, et transitorium, sed intelligibile et permanens, ait[4] : « Qui fecit cœlos in intellectu, » hoc est ad modum illum quo eos primum ordinaverat in verbo mentis, id est in conspectu suæ perpetue omnia providentis intelligentiæ. Hanc autem intellectualem Dei locutionem, id est æternam suæ sapientiæ ordinationem Augustinus de *Civitate Dei*, lib. XVI, cap. VI, describens : « Dei, inquit, ante factum suum, locutio sui ipsius facti est incommutabilis ratio, quæ non habet sonum strepentem atque transeuntem, sed vim sempiterne manentem, et temporaliter operantem. »

Quemadmodum vero quæ ad potentiam pertinent, Patri; quæ ad sapientiam, Filio specialiter tribuuntur; ita quæ ad operationem divinæ gratiæ attinent, ac divinæ charitatis bonitatem, Spiritui sancto ascribuntur, sicut est remissio peccatorum, et quorumcunque donorum distributio, ex sola bonitate ejus, non vero ex meritis nostris proveniens; qualis est regeneratio in baptismo ad dimittenda peccata, confirmatio per impositionem manus Episcopi, ad dandum armaturam virtutum quibus scilicet virtutibus, post remissionem peccatorum perceptam, resistere valeamus inimico tunc vehementius insurgenti. Sic et cetera Sacramenta quæ in Ecclesia conficiuntur, ex bonitate Dei Spiritui tribuenda sunt, ut ex hoc patenter innuatur ipsum divinæ bonitatis affectum, atque divinæ gratiæ dulcedinem Spiritus sancti vocabulo exprimi. Spiritu quippe oris nostri, id est anhelitu maxime affectus animi patefiunt, cum videlicet aut præ amore suspiramus, aut præ laboris aut doloris angustia gemimus. Unde in hoc loco Spiritus sanctus pro affectu bene ponitur, juxta illud Sapientiæ[5] : « Benignus est spiritus

[1] Joan., cap. I, v. 23. Leg. *Homil.* XX, n. 3. — [2] *Genes.*, cap. I, v. 3 et seq. — [3] Psalm. XXXII, v. 9. — [4] Psalm. CXXXV, v. 5. — [5] *Sap.*, cap. I, v. 6.

Sapientiæ etc. » atque illud Psalmistæ[1] : « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam etc. » Unde et Apostolus[2], « Deus charitas est, » quia, teste Gregorio, spiritus ipse amor est. De quo etiam Augustinus in primo *super Genesim*[3], eo loco quo scriptum est[4] : « Spiritus ferebatur super aquas, » ita meminit : « Egenus atque indigens amor ita diligit, ut rebus quas diligit subjiciatur. Propterea cum memoraretur Spiritus Domini in quo sancta ejus benevolentia dilectioque intelligatur, superferri dictus est, ne faciendo opera sua per indigentiæ[5] necessitatem, potius quam per abundantiam beneficentiæ Deus amare putetur. » Idem in XIV de *Trinitate*[6] : « Denique si in nobis Dei nil est majus charitate, et nullum est majus donum Dei quam Spiritus sanctus; quid consequentius, quam quod ipse sit charitas quæ dicitur Deus, et ex Deo? Quod si charitas qua diligit Pater Filium, et Patrem diligit Filius ineffabiliter, communionem amborum demonstrat, quid convenientius quam ut ille proprie dicatur charitas quæ spiritus est communis amborum? » Idem supra libro V[7] : « Spiritus sanctus secundum id quod dictum est « quia Deus « spiritus est[8], » potest quidem universaliter dici, quia et Pater Spiritus, et Filius Spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus. » Et post pauca : « Spiritus sanctus quædam Patris Filiique communio est, et ideo fortasse sic appellatur, quia Patri et Filio potest eadem appellatio convenire. Ut ergo ex nomine quod utrisque convenit, utriusque communio significetur, vocatur donum amborum Spiritus sanctus. » Idem in XV[9] : « Multis exemplis dici possunt multarum rerum vocabula et universaliter poni, et proprie quibusdam rebus adhiberi. Hoc ideo dixi, ne quisquam propterea nos inconvenienter existimet charitatem appellare Spiritum sanctum, quia et Deus Pater, et Deus Filius, possunt charitas appellari. » Clarum itaque ex supra positis arbitror testimoniis, divinam, ut diximus, potentiam vocabulo Patris exprimi, divinam sapientiam Filium intelligi, ac divinæ gratiæ bonitatem Spiritum sanctum appellari. Tale itaque est dicere Domini potestatem, ac si dicamus divinam potentiam, ex qua divina genita est sapientia. Tale est et dicere, Deum Filium; quasi diceremus, divinam sapientiam ex divina genitam potentia. Spiritum vero sanctum cum dicimus, tale est, ac si commemoremus divinæ bonitatis charitatem, ex Patre et Filio pariter procedentem. Modum vero hujus generationis seu processionis prout Dominus dederit, in sequentibus exponemus. Nunc autem ad nostræ fidei assertionem adversus universos Christianæ fidei derisores, tam Judæos scilicet quam Gentiles, ex scriptis eorum testi-

[1] Psalm. CXLII, v. 10. — [2] I, Joan., cap. IV, v. 8. — [3] *Opp.*, t. III, col. 121. Locus sic restituendus : « An quoniam egenus atque indigus amor ita diligit, ut rebus quas diligit subjiciatur, propterea cum commemoraretur spiritus Dei in quo sancta ejus benevolentia dilectioque intelligitur, superferri dictus est, » etc., etc. — [4] *Genes.*, cap. I, v. 2. — [5] Sic Cod. Vict. *Diligentiæ* Amb. — [6] Lib. XV, cap. 19. *Opp.*, t. VIII, col. 993. — [7] Lib. V, cap. XI. *Opp.*, t. VIII, col. 839. — [8] Joan., cap. IV, v. 24. — [9] Cap. XVII. *Opp.*, t. VIII, col. 988.

monia inducere libet, quibus hanc Trinitatis distinctionem omnibus annuntiatam esse intelligant, quam quidem divina inspiratio et per prophetas Judæis, et per philosophos Gentibus dignata est revelare, ut utrumque populum ad cultum unius Dei ipsa summi boni perfectio agnita invitaret, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, et facilius hæc fides Trinitatis tempore gratiæ susciperetur ab utroque populo, cum eam a doctoribus quoque antiquis viderent esse traditam.

Primum ipsa legis exordia occurrant, ubi legislator Moyses fidem Catholicam de unitate pariter et Trinitate tanquam omnium bonorum fundamentum anteponit. Cum enim dicitur[1]: « In principio creavit Deus cœlum et terram, » pro eo quod apud nos dicitur Deus, Hebraica veritas habet, *Heloym*, quod est plurale hujus singularis, quod est *Hel*. Quare ergo non dictum est *Hel*, quod est Deus, sed *Heloym*, quod apud Hebræos dii sive judices interpretatur, nisi hoc ad multitudinem divinarum personarum accommodetur: ut videlicet eo modo insinuetur pluralitas in Deo, quomodo et Trinitas; et quodammodo multiplex dicatur Deus quomodo et trinus, non secundum quamdam substantiæ diversitatem, sed secundum personarum proprietates? Ut videlicet tale sit quod dictum est *Heloym*, ac si diceretur, non res multæ, sed personæ multæ, quarum unaquæque sit Deus, alioquin plures etiam dicerent Deos, cum unus sit tantum. Nam et ibidem de unitate substantiæ demonstranda caute provisum est, cum dicitur *Creavit*, non *Creaverunt*, servata singularitate numeri in verbo secundum unitatem substantiæ per subjectum nomen intelligentiæ, quamvis scilicet istud nomen secundum formam vocis et terminationem declinationis sit pluralis numeri, sicut e contrario cum dicitur, *Turba ruunt*, ad nomen singularis numeri plurale verbum applicatur, juxta intelligentiam scilicet pluralitatis rerum per subjectum nomen intelligentiæ. Tale est ergo *Heloym* creavit, ac si diceretur : Trinitas personarum divinarum creavit, id est cooperata est. Ubi et statim in sequentibus distinctionem personarum annectit, quasi ad determinandum quod ad hanc denotandam *Heloym* pluraliter dixerat. Spiritus quidem sancti æternitas patenter ostenditur, cum dicitur[2]: « Spiritus domini ferebatur super aquas. » Verbum vero, id est Filius, simul et patenter insinuatur, cum dicitur[3]: « Dixit Deus : Fiat, » hoc est in dicto suo seu verbo, id est, in coæterna sapientia sua pater ordinavit facienda. Non enim de corporali locutione hoc accipi potest. In eo quoque quod scriptum est[4]: « Et vidit Deus quod esset bonum, » bonitas Dei quam Spiritum sanctum dicimus, insinuatur: sicut in eo quod dicitur : « Dixit Deus, » intelligitur verbum et Pater. Tale est enim quod dicitur : « Vidit Deus quod esset bonum, » ac si dicatur : Intelligendo, quia opus quod fecerat bonum

[1] *Genes.*, cap. I, v. 1. — [2] *Ibid.*, v. 2. — [3] *Ibid.*, v. 3. — [4] *Ibid.*, v. 4.

esset, amavit illud, eo ipso quod bonum erat. Ex quo et ipse bonus esse liquido monstratur. Quid etiam apertius ad documentum Trinitatis esse potest, quam illud quod postea in creatione hominis subjungitur, dicente Domino[1] : « Faciamus hominem, etc. » Quid enim pluraliter dictum est *Faciamus*, nisi ut cooperatio totius Trinitatis exprimatur? Quippe quos cohortaretur Deus ad creandum hominem, aut ad se in aliquo juvandum, cum ipse solus creaturus sit? Scriptum namque est[2] : « Quis adjuvit Spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Cum quo iniit consilium, etc. » Bene autem ad imaginem, et similitudinem Trinitatis, hoc est ad expressam similitudinem quamdam trium personarum, homo fieri dicitur, qui et Patrem per potestatem, quam in ceteras creaturas accepit, imitatur : et Filium per rationem, et Spiritum per innocentiæ benignitatem, quam postmodum per culpam amisit. Ad hanc quoque pluralitatem divinarum personarum illud attinere videtur, quod in sequentibus per serpentem dictum est[3] : « Eritis sicut dii, » quod, ut superius dictum est, in Hebraico sonat *Heloym*, id est divinæ personæ potius quam Dii diversi, nec non et illa dominica increpatio[4] : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, » et rursus istud quod Dominus ait[5] : « Descendamus et confundamus linguam eorum, » cum hoc solus Deus compleverit. Unde et subditur : « Atque ita divisit eos. »

Nunc autem post legem, ad Prophetas transeamus. Ait itaque maximus Prophetarum et Regum David, qui suam ceteris intelligentiam præferens dicit[6] : « Super omnes docentes me intellexi. » Et[7] : « Super senes intellexi. » Ait inquam distinctionem Trinitatis patenter insinuans[8] : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. » Qui et alibi unitatem pariter cum trinitate insinuat dicens[9] : « Benedicat nos Deus, Deus noster; benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ. » Trina quippe confessio Dei, Trinitatem exprimit personarum, Patris scilicet, et Filii, et Spiritus sancti. Bene autem filium Dei designans addidit, « noster, » quasi eum participem nostræ naturæ, et a Patre nobis esse datum ostendens, cum per incarnationem verbi divina nos sapientia illuminavit. De quo etiam Verbo Apostolus ait[10] : « Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. » Unitatem vero divinæ substantiæ Psalmista in eodem aperit, cum post ternam divini nominis prolationem, unum tantummodo Deum in tribus personis intelligens, non conjunxit eos pluraliter, sed singulariter. Hinc et illud consonat Isaïæ quod dicit se vidisse Seraphim et audisse clamantia[11] : « Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus

[1] *Ibid.*, v. 26. — [2] Isai., cap. XL, v. 13. — [3] *Genes.*, cap. III, v. 5. — [4] *Ibid.*, v. 22. — [5] *Genes.*, cap. XI, v. 7 et 8. — [6] Psalm. CXVIII, v. 99. — [7] *Ibid.*, v. 100. — [8] Psalm. XXXII, v. 6. — [9] Psalm. LXVI, v. 7. — [10] *Rom.*, cap. VIII, v. 32. — [11] *Isai.*, cap. VI, v. 3.

sabaoth. » Recte autem vocabulo Domini usus est Propheta ad potentiam designandam, quia dominorum est præesse; quæ videlicet potentia plerumque etiam hoc nomine Deus assignatur. Eo videlicet quod Θεός Græce, id est Deus, teste Isidoro [1], « timor interpretatur, » et potestas quælibet timor est subjectorum. Quod autem verbum Dei, ipsa sapientia ejus sit intelligendum, aperte in *Ecclesiastico* monstratur his verbis[2]: « Omnis sapientia a domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit? Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiæ ab ævo, fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, etc. » David quoque æternam Filii generationem ex Patre Deo aperte insinuat, ubi personam Filii introducit loquentis sic[3]: « Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te, postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem. » Tale est autem quod ait : « Ego hodie genui te, » ac si diceret : Æterna lux ex ipsa mea substantia es; nam quia in æternitate nihil præteritum aut futurum, sed tantummodo præsens, idcirco adverbio temporis præsentis, pro æternitate est usus dicendo « hodie, » pro « æternaliter. » Bene autem ad « hodie » addidit « genui, » quasi præsens præteritum, ut videlicet ipsam generationem per « hodie » præsentem, semper, per « genui » perfectam esse indicaret, nunquam scilicet aut cessare, aut incœptam esse. Quippe quæ præterita sunt, jam completa sunt et perfecta; ideoque præteritum quasi pro perfectione posuit, ostendens scilicet Filium ex Patre semper generari et semper genitum esse. Qui et alibi apertius æternitatem Filii protestatur dicens[4]: « Permanebit cum sole et ante lunam, in generatione et generationem, » et rursus[5]: « Tecum principium. » De hac etiam ineffabili et æterna generatione, sive etiam temporali, quarum utraque mirabilis est, Isaïas admirans ait[6]: « Generationem ejus quis enarrabit? » Ac si aperte diceret : « Non est hoc disserere humani ingenii, sed solius Dei, » cujus tamen spiritus in his fidelibus quos vult loquitur, ipso attestante qui ait[7]: « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. » Hieronymus etiam *super Ecclesiastem* eo loco quo dicitur[8]: « Quis scit spiritus filiorum hominum si ascendat sursum, et spiritus pecoris descendat deorsum in terra? » illud quod dictum est : « Generationem ejus quis enarrabit? » ad exemplum difficilis non impossibilis trahit dicens : « Adjiciendo « quis » difficultatem rei voluit demonstrare. Pronomen enim « quis » in scripturis sanctis, non pro impossibili, sed pro difficili semper accipitur, ut ibi : « Generationem ejus quis enarrabit? id est Christi, etc. »

[1] *Etymolog.*, lib. VII, cap. I. *Opp.*, t. III, p 294. « Deus græce Θεός dicitur, quasi δέος, id est timor. » — [2] *Eccli.*, cap. I, v. 1. — [3] Psalm. II, v. 7 et 8. — [4] Psalm. LXXI, v. 5. — [5] Psalm. CIX, v. 3. — [6] *Isai.*, cap. LIII, v. 8. — [7] Matth., cap. X, v. 20. — [8] *Eccli.*, III, 21.

Hæc etiam sapientiæ coæternitas cum Patre plane in *Proverbiis* monstratur his verbis[1] : « Ego sapientia habito in consilio, Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret ab initio; ab æterno ordinata sum, antequam terra fieret. Necdum erant abyssi, et ego jam concepta eram; necdum fontes, necdum montes. Ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, et cardines orbis terræ. Quando præparabat cœlos, aderam; quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore. » Quid enim apertius ad æternam generationem Verbi, quam id quod ipsa Sapientia perhibet se ante constitutionem mundi conceptam esse et parturiri, et se cum Patre æternaliter permanentem semper ludere coram eo? Quippe quod conceptum parturitur, utique in ipso est a quo generatur, et sapientia in ipsa substantia sive in essentia potentiæ est : cum ipsa scilicet quædam sit potentia, sicut posterius ostendemus. Tale est ergo sapientiam conceptam parturiri a Deo, ac si dictum sit, ipsam sapientiam ex ipsa Patris substantia ex qua est gigni. Tale est sapientiam ludere coram Patre, et cum ipso cuncta componere, ac si dixerit ipsam divinam potentiam omnia in sapientia pro bonitatis suæ arbitrio disponere, ut in ipso ludo ipsum bonitatis effectum intelligamus, de quo scriptum est[2] : « Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum. » Quod autem ait : « Sapientiam coram Deo Patre semper assistere, » tale est omnipotentiam ipsam nil efficere nisi præeunte ratione et ducatu sapientiæ. Item in eisdem Proverbiis de Filio Dei et ineffabili nomine ipsius quoque Filii manifestissime scripsit, quasi inducens personam admirabilis cujusdam prophetæ, hanc inenarrabilem generationem prophetantis atque admirantis. Dicit quippe sic[3] : « Visio quam locutus est vir cum quo est Deus, et qui Deo secum morante confortatus, ait : « Quis suscitavit omnes terminos terræ? quod no« men ejus, aut quod nomen filii ejus? » Quam firmum etiam et quam apertum fidei nostræ testimonium in Ecclesiastico occurrit, ubi quidem sapientia Dei et se primogenitam ante omnia dicit secundum divinitatis naturam, et postmodum creatam secundum naturæ nostræ assumptionem, cum ipsa videlicet ad imperium Patris per incarnationis habitum visitaverit Israel? Scriptum quippe est ibi[4] : « Sapientia in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur dicens : « Ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creatu« ram, ego in cœlis feci ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem « terram. Ego in altissimis habito; et thronus in columna nubis. Girum cœli « circuivi sola, etc. » Et post pauca[5] : « Tunc præcepit et dixit mihi creator omnium, et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi : « In

[1] *Prov.*, cap. VIII, v. 12.— [2] Psalm. XXXII, v. 6. —[3] *Prov.*, cap. XXX, v. 1. —[4] *Eccli.*, XXIV, 4. — [5] *Ibid.*, v. 12.

« Jacob habita, et in Israel hereditare, et in electis meis mitte radices. » In eodem quoque libro apertissime peccatorum remissionem consistere in incarnatione divinæ sapientiæ quæ Christus est, prophetat dicens, peccata David per Christum purgata esse. Ibi enim cum laude David plura dicerentur, summa totius laudis in hoc uno collecta est quod dicitur[1] : « Christus purgavit peccata ipsius, et exaltavit in æternum cornu ejus, et dedit illi testamentum regum, et sedem gloriæ in Israel. » Michæas quoque de hac æterna Verbi generatione ex patre, nec non et de temporali ex matre ait[2] : « Et tu Bethleem Effrata parvula es in millibus Juda, ex te egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis. » Dicant rebelles et increduli Judæi, de quo nascituro in Bethleem hoc dictum sit, quod videlicet egressus ejus ab initio sit, a diebus æternitatis. Æternum quippe est quod origine caret. Quod si hoc referant ad Messiam illum, scilicet maximum prophetam, ut aiunt, quem exspectant, qui tamen secundum eos homo purus erit, non etiam Deus, ostendant quis egressus ejus æternus sit, vel unde æternaliter egrediatur. Si autem dicant eum æternaliter egredi ex Bethleem, eo quod ejus nativitas in eo loco futura ab æterno prævisa sit a Deo et prædestinata, hoc utique modo cujuslibet hominis, vel cujuslibet rei nativitas æterna est, quia videlicet ab æterno prævisa[3]. Dicant itaque æternam generationem esse quam ex Scriptura legunt, et legendo profitentur, et profitentes non credunt. Respondeant etiam mihi cum audiunt prophetam dicentem[4] : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum, » quid per verbum Domini, quid per os ejus, et per spiritum intelligant. Unum quippe omnium aliarum rerum principium Deum constat esse. Et omne quod est, aut Deus est, et ideo æternum, aut ab æterno illo principio manet creatum. Scriptum præterea est[5] : « In principio creavit Deus cœlum et terram, » unde ante hoc nihil creatum esse volunt. Verbum itaque illud quo cœli firmati sunt, et ideo prius est his quos constituit, creatum non est, imo creator ipse qui Deus, quo cœli firmati sunt. Si autem hoc verbum locutionem aliquam Dei transitoriam appellant, sicut et verbum hominis, eo videlicet quod scriptum est[6] : « Dixit Deus, et facta sunt, » atque ita Deus quoque sicut homo modo loquatur, cum ait[7] : « Fiat lux, » modo conticeat, profecto permutabilis est divinitatis æternitas, cum non semper dicat « Fiat lux » et cetera quæ jam condita sunt. Quid etiam opus verbo audibili fuit ante mundi constitutionem, cum nondum esset qui loqueretur, vel qui audiretur? Numquid inane verbum non protulit, si opus verbo non fuerit, præsertim quum sola voluntas sufficeret, nec ad

[1] *Eccli.*, cap. XLVII, v. 13. — [2] *Mich.*, cap v, v. 2. — [3] *Provisa* Cod. Vict. et Theol. Christ. — [4] Psalm. XXXII, v. 6. — [5] *Genes.*, cap. I, v. 1. — [6] Psalm. XXXII, v. 9. — [7] *Genes.*, cap. I, v. 3.

hæc aliquis esset, qui audito verbo instrueretur, quo etiam proferendo verbum emitteret, cum nullus adhuc locus creatus esset, nec aer adhuc conditus ex quo verba formantur? Quibus etiam instrumentis verba formaret, cum nec os, nec pars aliqua inesse possit ei qui omnino simplex est, et indivisibile? Omne quippe, quod partibus constat, posterius est naturaliter his ex quibus constat et quorum conventu perficitur, cum ex ipsis suum esse contrahat ex quibus est constitutum. Omne etiam, inquit Plato[1], quod junctum est natura, dissolubile est. Quod si Spiritum domini ventum intelligant, sicut ibi accipere volunt[2] : « Spiritus Domini ferebatur super aquas, » eo, ut aiunt, quod ventus in aquis quas commovet, maxime appareat : quomodo spiritus, id est flatus Domini oris esse dicatur, quum videlicet neque os, neque aliquam partem, ut dictum est, habeat? Quomodo etiam per ventum virtus cœli consistit et terræ? Intelligant ergo hunc esse illum Spiritum Domini, cujus septiformem gratiam Isaias describens ait[3] : « Et requiescet Spiritus Domini super eum, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, etc. » Et alibi[4] : « Et nunc Dominus misit me et Spiritus ejus. » Et rursus[5] : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me. » De quo etiam in Sapientia dicitur[6] : « Spiritus sanctus effugiet disciplinæ fictum, benignus est enim spiritus sapientiæ, etc. » De quo iterum cum subditur[7] : « Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, » aperte ipse Spiritus Deus esse perhibetur, quum omnia continere dicatur. Et iterum ad Deum loquens Sapientia dicit[8] : « Sensum autem tuum quis scivit, nisi tu dederis sapientiam, et miseris spiritum tuum sanctum de altissimis? » Et rursus[9] : « O quam bonus et suavis, Domine, Spiritus tuus in nobis! » Hinc etiam cum ipse spiritus sapientiæ describeretur, verus Deus plane prædicatur, cum inter cetera de eo scriptum sit in Sapientia sic[10] : « Omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus. » Quem etiam Heliud in libro Job confitetur creatorem dicens[11] : « Spiritus Domini fecit me, et spiraculum omnipotentis vivificavit me. » Cujus et Filius ipse Dei in Evangelio æqualem sibi et Patri dignitatem ascribens dicit[12] : « Ite, docete omnes gentes, etc. » Nec non et Apostolus, teste Augustino, cum templum Spiritus sancti nominavit, aperte eum esse Deum pronuntiat, cum solius templum Dei esse dicatur. Scriptum quippe est in Apostolo[13] : « Nescitis quoniam templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? » Ubi aperte insinuat Deum ipsum cujus est templum, et Spiritum Dei quem inhabitare dicit idem esse. Sic et beatus Petrus in *Actibus Apostolorum* Spiritum sanctum Deum profitetur di-

[1] *In Timæo.* — [2] *Genes.*, cap. I, v. 2. — [3] *Isai.*, cap. XI, v. 4. — [4] *Isai.*, cap. XLVIII, v. 16. — [5] *Isai.*, cap. LXI, v. 1. — [6] *Sap.*, cap. I, v. 5. — [7] *Ibid.*, v. 7. — [8] *Sap.*, cap. IX, v. 17. — [9] *Sap.*, cap. XII, v. 1. — [10] *Sap.*, cap. VII, v. 23. — [11] *Job*, cap. XXXIII, v. 4. — [12] *Matth.*, cap. XXVIII, v. 19. — [13] I, *Corinth.*, cap. III, v. 16.

cens[1] : « Ut quid mentitus es Spiritui sancto, Anania? non es mentitus hominibus, sed Deo. » De quo iterum Spiritu in eisdem Actibus continetur[2] : « Hoc dicit Spiritus jubens : Separate mihi Barnabam et Paulum, etc. » Et rursum[3] : « Placuit Spiritui sancto et nobis. » Et Psalmista Spiritum Dei ubique esse tanquam incircumscriptum profitetur dicens[4] : « Quo ibo a spiritu tuo? » Qui et statim ut ipsum spiritum Dei, quem ubique esse profitetur, idem esse cum ipso Deo ad quem loquitur, insinuet; per hoc patenter ostendit quod statim spiritum ipsum ubique esse assignat per ipsum Deum quem ubique esse astruit, dicens[5] : « Si ascendero in cœlum, tu illic es, etc. » Sed et cum Veritas ipsa perhibet, peccatum in Spiritum non esse remissibile[6], cum peccatum in Patrem vel in Filium remissibile dicat, cui aperte non insinuet Spiritum ipsum non minorem esse Patre vel Filio, et per hoc etiam ipsum Deum plenum esse sicut est Pater ipse vel Filius? Liquet itaque ex suprapositis tam Verbum Dei quam Spiritum ejus, Deum esse; sicut et ipse cujus est verbum vel spiritus. Intelligant igitur, ut dictum est, hoc Verbum Deum, id est Filium Dei, non transitorium verbum, non audibile, sed intellectuale, hoc est ipsam rationem sive sapientiam coæternam Deo, quam dici convenit omnisapientiam sicut et dicimus omnipotentiam, unde et scriptum est[7] : « Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. » Qui etiam in libro *Sapientiæ* verus Dei filius et consubstantialis monstratur, ad differentiam scilicet adoptivorum filiorum, de quibus per prædicationem ejus Deo acquisitis scriptum est[8] : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. » Sic quippe cum ejus passio in *Sapientia* manifeste prophetaretur, inter cetera ab impiis dictum est[9] : « Si enim verus Dei filius est, suscipiet illum et liberabit de manu contrariorum. » Hanc et aperte generationem profitetur sancta anima per Deum liberata, cum in *Ecclesiastico* dicit[10] : « Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ. »

Nunc autem post testimonia Prophetarum de fide sanctæ Trinitatis, libet etiam testimonia Philosophorum supponere, quos ad unius Dei intelligentiam cum ipsa philosophiæ ratio perduxit, quia juxta Apostolum[11] : « Invisibilia ipsius Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, » tum etiam ipsa continentissimæ vitæ sobrietas, quodam eis merito idipsum acquisivit. Oportebat quippe tunc etiam, ut in ipsis præsignaret Deus per aliquod abundantioris gratiæ donum, quam acceptior sit ei qui sobrie vivit, et se ab illecebris

[1] *Act. Apost.*, cap. v, v. 3. — [2] *Act. Apost.*, cap. xiii, v. 2. — [3] *Act. Apost.*, cap. xv, v. 28. — [4] Psalm. cxxxviii, v. 7. — [5] Matth., cap. xii, v. 32. — [6] Marc., cap. iii, v. 29. — [7] *Eccli.*, cap. i, v. 1. — [8] Joan., cap. i, v. 12. — [9] *Sap.*, cap. ii, v. 18. — [10] *Eccli.*, cap. li, v. 14. — [11] *Rom.*, cap. i, v. 20.

hujus mundi per contemptum ejus abstrahit, quam qui voluptatibus ejus deditus, spurcitiis omnibus se immergit. Quantæ autem continentiæ[1] vel abstinentiæ Philosophi fuerint, sancti etiam Doctores tradunt, qui et eorum vitam ad nostram increpationem advehunt, et pleraque ex documentis eorum moralibus, vel testimoniis fidei, ad ædificationem nostram assumunt : quod qui ignorat, legat saltem Hieronymum contra Jovinianum, et viderit quanta de eorum virtutibus et ceterorum gentilium referat, ad impudentiam scilicet illius hæretici conterendam. Maxime autem et nos opere hoc testimoniis seu rationibus Philosophorum niti convenit, in quo adversus eos præcipue agimus, qui fidem nostram philosophicis nituntur oppugnare documentis, præsertim cum nemo nisi per ea quæ recipit, arguendus sit aut convincendus, et ille nimia confusione conteratur, qui per eadem vincitur per quæ vincere nitebatur. Philosophos autem unum tantummodo Deum cognoscere unus ex ipsis Tullius, in primo *Rhetoricorum*, perhibet dicens eos qui philosophiæ dant operam, non arbitrari Deos esse, ac si aperte dicat, imo unum Deum, non Deos plures. Qui etiam qualiter, Deo revelante, ad ipsius divinæ Trinitatis cognitionem conscenderint, Paulus quoque apostolus in *Epistola ad Romanos* patenter insinuat dicens[2] : « Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis revelavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, etc. » Unde et Claudianus Præfectorio Patricio de statu animæ scribens, his meminit verbis : « Et quoniam mortalium generi natura datum est, ut abstrusa fortius quærat, ut negata magis ambigat[3], ut tardius adepta plus diligat; eo flagrantius animadvertitur veritas, quo diutius desideratur, vel laboriosius quæritur, vel tardius invenitur. » Hinc factum, ut Philosophi quoque excellentibus ingeniis longi seculi de veritate quærentes abusque Pythagora Italico, vel Ionico Thalete semper exstiterint, qui dissidentibus aliis, vel in parte operis aliud dignum tanta indage senserunt. Unde etiam doctor gentium non tam ignaros veri Philosophos, quam cognitionis contemptores accusat, inquiens : « Invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, etc. » Hinc etiam illud est Augustini *de Civitate Dei*, lib. VIII[4] : « Homo Christianus, litteris tantum ecclesiasticis eruditus, cavet eos qui secundum elementa hujus mundi philosophantur. Admonetur enim apostolico præcepto[5] : « Cavete ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem

[1] In edit. Amb. et Cod. Vict. *Incontinentiæ* male omnino et contra auctoris mentem. — [2] *Rom.*, cap. I, v. 19. — [3] Aliter *Ambiat.* — [4] Cap. X. *Opp.*, t. VIII, col. 198. — [5] *Coloss.*, cap. II, v. 8.

« seductionem secundum elementa mundi. » Deinde ne omnes tales arbitretur, aliud audit ab eodem Apostolo de quibusdam[1], « quia quod notum est Dei, « manifestum est in illis, etc. » Et ubi Atheniensibus loquens, cum rem magnam de Deo dixisset, et quæ a paucis posset intelligi[2] : « Quod in illo vivimus, mo- « vemur et sumus, » adjecit, « sicut et vestri quidam dixerunt. » Idem in libro *de Spiritu et Littera* : « Vita sapiens quæ fecit mundum, contemplato mundo intelligitur. Interroga mundum et ornatum cœli, terram fructificantem herbis, et lignis et animalibus plenam, mare quantis natantibus plenum est, aerem quantis volatilibus, interroga omnia et vide si non omnia specie sua tanquam voce tibi respondeant : « Deus nos fecit. » Hæc Philosophi nobiles quæsierunt, et ex arte artificem cognoverunt. » Isidorus *de Summo bono*, lib. I, cap. IV[3] : Sicut laus operis in artificem retorquet laudem, ita et rerum creator per creaturam suam laudatur, et quanto sit excellentior ex ipsa operis conditione monstratur. » Item : « Collaudant Deum et insensibilia per nos, dum ea considerantes Deum laudamus. Dixerunt antiqui : quia nihil sit quod non sensum habeat in Deum. » Nemo itaque miretur, si ab ipsis quoque Philosophis, qui tot sanctorum assertionibus ad divinitatis notitiam ipso etiam Domino revelante conscenderunt, testimonia inducamus. Licet eorum plurimi ab ipso quoque Apostolo graviter arguantur, eo quod, juxta illud quod ipsemet ait[4] : « Scientia inflat, » ex ipsa divinæ notitiæ prærogativa superbiendo reprobi facti sunt : non enim eos in exemplo vivendi hoc loco assumimus, sed docendi sive credendi, sicut et Salomonem frequenter, cujus tamen sapientiæ excellentia ipsius etiam Domini testimonio omnibus præferenda, per concupiscentiam carnalesque voluptates devicta idolatriæ consensit, divino cultu derelicto, quem in scripturis suis et docebat et prædicabat; ad quem etiam cultum Dei magnificandum ipse jussu Dei templum ædificavit, a quo pater ejus justus inhibitus fuit. Deus autem reprobis et infidelibus nonnunquam maxima dona distribuit, quæ aliorum doctrinæ vel usui necessaria fore videt; nec non et per reprobos multa miracula operatur, de quibus Veritas in Evangelio[5]: « Multi dicent mihi in illa die : « Do- « mine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmo- « nia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? » Et tunc confitebor illis : « Quia non novi vos, discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. » Deus autem cum per reprobos aut miracula ostendit, aut prophetias loquitur, aut quælibet magna operatur, non hoc ad utilitatem ipsorum agitur[6] quibus utitur tanquam ministris, sed potius aliorum, quos instruere per istos intendit. Qui et

[1] *Rom.*, cap. I, v. 8. — [2] *Act. Apost.*, cap. XVII, v. 28. — [3] *Opp.*, t. VI, p. 121. — [4] I, *Corinth.*, cap. VIII, v. 1. — [5] Matth., cap. VII, v. 22. — [6] Sic Cod. Vict. In Edit. Amb. *Pro agitur legitur agere* quod nullum sensum efficit.

per indignos ministros gratiæ suæ dona non deserens, quotidie sacramenta Ecclesiæ ad invocationem sui nominis spiritualiter conficit in salutem credentium. Bene autem et per indignos sive infideles maxima Deus operatur, qui verbis asini Prophetam docuit[1], ne si per magnos tantum magna operaretur, virtutibus meritisque hominum magis quam divinæ gratiæ hæc tribuerentur. Ne quando tamen de salute omnium desperet philosophorum, aut omnium vitam existimet reprobam, qui dominicam incarnationem præcesserunt, beatum audiat Hieronymum, Evangelium Matthæi exponentem. Ait quippe sic inter cetera[2] : « Ex eo quod malus servus ausus sit dicere[3] : « Metis ubi non seminasti, et congregas « ubi non sparsisti, » intelligamus etiam gentilium philosophorum bonam vitam recipere Deum, aliter habere eos qui juste et aliter eos qui injuste agunt. » Si enim supra positam ab Apostolo causam discutiamus, qua videlicet quosdam eorum post divinam quam assecuti sunt notitiam, in reprobum sensum tradi meminerit, cum in suis scilicet evanescerent cogitationibus, dicentes se esse sapientes, id est suam sapientiam proprio studio vel ingenio ascribentes, non divinæ gratiæ dono tribuentes, reperiemus eos qui præcipui habentur, omnem præcipue philosophiam divinæ tribuere gratiæ, veluti Socratem sive Platonem. Socratem quidem, lib. IX *de Civit. Dei*, beatus Augustinus talibus effert præconiis[4] : « Socrates, magister Platonis, universam philosophiam ad corrigendos componendosque mores exegisse commemoratur. Hic animum intendit ad hoc quod esset beatæ vitæ necessarium, per[5] quam unam omnium philosophorum invigilasse ac laborasse videtur industria. Nolebat immundos terrenis cupiditatibus animos se extendere in divina conari, quandoquidem ab eis causas rerum videbat inquiri, quas primas atque summas, non nisi in unius vi ac summi Dei voluntate esse credebat. Unde et non eas putabat nisi mundata mente posse comprehendi, et ideo purgandis bonis moribus vitæ censebat instandum, ut deprimentibus libidinibus exoneratus animus, naturali vigore in æterna se attolleret, naturamque incorporalem atque incommutabilis luminis, ubi causæ omnium factarum naturarum stabiliter uniuntur, intelligentiæ puritate conspiceret. » A Platone quoque, in primo *de Republica*, personam Socratis et Timæi inducente, scriptum est ita[6] : « Socrates : « Ergo age, Timæe, deliba cœptum, « vocata, ut mos est, in auxilium divinitate : » Timæus. « Vere, mi Socrates. « Nam cum omnibus mos sit, et quasi quædam religio, qui de maximis vel mi- « nimis rebus aliquid sunt acturi, precari auxilium divinitatis, quanto nos « æquius est, qui universitatis naturæ substantiæque rationem præstituri su-

[1] *Num.*, cap. XXII, v. 28, Scriptura ariolum vocat, non prophetam. — [2] *Opp.*, t. IV, p. 1, col. 123. — [3] Matth., cap. XXV, v. 24. — [4] Lib. VIII, cap. III. *Opp.*, t. VII, col. 191. — [5] Lege : *Propter quam.* — [6] *In Timæo.*

« mus, invocare divinam opem, nisi plane sævo quodam furore atque implaca- « bili raptemur amentia. » Ecce aperte ex his verbis Platonis asseritur morem hunc esse Philosophis, ut tam in maximis quam minimis quæ agenda sunt divinum invocent auxilium, et pro summo furore atque implacabili amentia, id si dimittatur, apud eos haberi. Quod itaque ait Apostolus, quosdam Philosophorum et gentilium sapientum, hoc quod de Deo vel ceteris intelligebant, sibi potius quam Deo ascripsisse, atque hinc excæcari meruisse, paucis potius quam multis imputandum videtur, sicut et ipsa turpitudinis pœna quam consequenter adjungit dicens[1] : « Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. » Et rursum[2] : « Masculi, » inquit, « in masculos turpitudinem operantes, etc. » Constat quippe Philosophos maxime continenter vixisse, atque ad continentiam tam scriptis quam exemplis multas nobis exhortationes reliquisse. Sed si quis sine fide venturi eos salvari posse contradicat, quomodo id comprobare poterit, quod in eum scilicet non crediderint, quem etiam per gentilem feminam, id est Sibyllam, multo fere apertius quam per omnes Prophetas, vaticinatum viderint? Neque enim ideo astruendum est eos incarnationem Domini futuram non expectasse, aut non credidisse, quia hoc in scripturis eorum minime reperitur, cum nec fortasse in omnibus eorum prophetarum scriptis ita satis sit expressa, divino id disponente consilio, ut non quibuslibet, aut per quoslibet, tantum revelaretur arcanum, cum etiam provida dispensatione, septuaginta interpretes, in multis scripturarum locis quas transferebant, scriptum Dei filium reperientes, hoc penitus præterisse ac reticuisse dicuntur, ne scandalum scilicet infidelibus auctoribus magis commoverent quam fidem astruerent. Scimus quippe Philosophos, cum de diis quos populus venerabatur, diversa a ceteris sentirent, et ideo a populo in fide dissentirent, metu tamen compulsos, communia cum illis templa tenere, et cærimoniis eorum interesse, ac se pariter idololatras simulasse. Unde Augustinus *de vera Religione*[3] : « Sapientes, inquit, quos philosophos vocant, scholas habebant dissidentes, et templa communia, non enim vel populos vel sacerdotes latebat de ipsorum natura deorum quam diversa sentirent. Omnes tamen cum sectatoribus suis diversa et adversa sentientibus ad sacra communia, nullo prohibente, veniebant. Sed certe illud satis, quantum mihi videtur, apparet aliud eos in religione suscepisse cum populo, et aliud eosdem ipso populo audiente defendisse privatim. Socrates tamen audacior ceteris fuisse perhibetur, jurando per canem quemlibet, aut lapidem, et quidquid juraturo quasi ad manum occurrisset. Credo intelligebat qualiacunque opera naturæ, quæ administrante divina providentia generentur[4], multo quam hominum meliora, et ideo divinis

[1] *Rom.*, cap. I, v. 26. — [2] *Ibid.*, v. 27. — [3] *Opp.*, t. I, col. 747. — [4] Lege : *gignerentur.*

honoribus digniora quam ea quæ in templis colebantur. Non quod vere canis aut lapis essent colenda sapientibus, sed ut hoc modo intelligerent, quod possent tanta superstitione demersos[1] esse homines, ut esset tam turpis demonstrandus gradus, ad quem venire si puderet, viderent quanto magis pudendum esset in turpiore consistere. Similiter et illos qui mundum istum visibilem summum Deum esse opinantur, admonebat turpitudinis suæ, docens esse consequens, ut quilibet lapis tanquam summi Dei particula jure coleretur. » Item[2] : « Socrates cum populo simulacra venerabatur, et post ejus damnationem mortemque nemo ausus est jurare per canem, nec appellare quemcumque lapidem[3] Jovem, sed hoc tantummodo memoriæ litterisque mandare. Quod utrum timore an aliqua cognitione fecerint, judicare non est meum. » Ex his itaque verbis aperte docemur quod scholæ id est doctrinæ Philosophorum longe in fide dissentirent a vulgo, cum quo tamen habebant templa communia, cum eos omnes[4] a se in fide dissidere tam populus quam sacerdotes sentirent; nec solum diversos a fide, sed adversos etiam existere, qui cum manifeste cum populo exteriorem religionem templis exhiberent, « stultorum » scilicet, quorum « infinitus est numerus[5], » multitudinem metuentes, privatim tamen, et quasi sapientiam loquentes inter perfectos, ipso etiam nonnunquam populo audiente, sectam fidei contrariam profitebantur atque defendebant. Quorum quidem Socrates maximus idololatriæ derisor, in tantum plures deos, id est idola, contemptum adduxit, ut eis canem præferre auderet, per quem ad hanc irrisionem jusjurandum susceperat, unde et antiquorum nominum gloriam ipsis abstulit idolis. Superest nunc ut proposita quoque Philosophorum proferamus de fide testimonia, ut utrumque populum infidelem ex ipsis suis doctoribus confutemus : Judæos scilicet ex Prophetis, Gentiles ex Philosophis.

XVI Primus autem nunc ille antiquissimus Philosophorum, et magni nominis occurrat Mercurius, quem pro excellentia sua deum quoque appellaverunt. Cujus quidem testimonium de generatione Verbi Augustinus *Contra quinque hæreses*[6] disputans, inducit, dicens : « Hermes qui Mercurius Latine dicitur, scripsit librum qui appellatur « λόγος τέλειος[7], » id est verbum perfectum. Audiamus quid loquatur de verbo perfecto. « Dominus, inquit, et factor omnium deorum secundum fecit dominum, hunc fecit primum, et solum et verum. Bonus autem ei visus est, et plenissimus omnium bonorum : lætatus est, et valde dilexit eum tanquam unigenitum suum. » Item alio loco : « Filius benedicti Dei atque bonæ voluntatis, cujus nomen non potest humano ore narrari. » Augustinus quem primo factum

[1] Sic Cod. Vict. *Eversos* Amb. — [2] *Ibid.* — [3] *Lapidem* deest ap. Amboesium. — [4] Cum eos *tamen* omnes Cod. Vict. — [5] Eccl., cap. I, v. 15. — [6] *Contra quinque hæreses*, cap. III. — [7] Λόγος τέλεος Cod. Vict.

dixit, postea unigenitum appellavit. Quantum plenissimus sit, Joannes Evangelista ait[1] : « De plenitudine eius omnes accepimus. » Deos autem, hoc est animalia rationalia immortalia, Philosophi planetas, seu etiam mundum ipsum vocare consueverunt, unde et Propheta solem et lunam et cetera, militiam cœli vocat, morem gentilium secutus, qui eis tanquam rectoribus et protectoribus suis immolabant. Horum autem Deorum excellentiores, juxta Platonem, summus Deus, cum de creatione hominis facienda alloquitur, quasi omnia quæ in terris deorsum fiunt a superioribus, per occultas planetarum ac siderum naturas administrentur. Ita enim dicit[2]: « Dum Deorum quæritur opifex, idem paterque ego : opera siquidem mea dissolubilia natura, me tamen ita volente indissolubilia, etc. » Ad hoc et illud pertinet, quod in octavo *de Civitate Dei* de Platonicis dicitur[3]: « Omnium, inquiunt, animalium in quibus est anima rationalis, tripartita divisio est, in deos, homines, dæmones. Deorum sedes est in cœlo, hominum in terra, in aere dæmonum. » Et Boethius *super Porphyrium* : « Quandocunque, inquit, supponimus Deum animali, secundum eam opinionem facimus, quæ cœlum stellasque atque hunc mundum totum animatum esse confirmat, quos etiam deorum nomine appellaverunt. » Beatus vero Augustinus quod dicitur de sole et ceteris cœlestibus luminaribus, nequaquam refellere audet, sed sibi incertum esse profitetur, utrum videlicet quidam rectores spiritus illis insint, per quos etiam vivificentur, et quod mirabile dictu videtur, dicit etiam se ignorare, utrum hæc quoque pertineant ad societatem eorum quos nos Christiani angelos vel cœlestes spiritus dicimus. Unde in *Enchiridion* ita dicit[4] : « Utrum archangeli appellentur virtutes, et quid intra se[5] distent sedes sive dominationes, sive principatus, sive potestates : dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt. Ego me ista ignorare profiteor. Sed nec istud certum habeo, utrum ad eamdem societatem pertineant sol et luna, et cetera sidera, quamvis nonnullis lucida esse corpora, non cum sensu vel[6] intelligentia videantur. » Ne quis forte sacris eruditus litteris abhorreat Hermetis philosophi verba, quibus videlicet ait de Deo patre : « Qui secundum fecerit Dominum, hoc est genuerit filium ; » cum profecto Deus filius a Deo patre nec factus nec creatus, sed tantum sit genitus; sciat etiam a catholicis et sanctis doctoribus multa de eadem generatione similiter abusive prolata, cum nonnunquam Patrem auctorem Filii, vel eum procreasse, vel Filium a Patre formatum, ipsius Patris esse effectum abusive pronuntient. Unde Hilarius *de Trinitate*, lib. III[7] : « Secundum Apostolum quia[8] « in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter[9], » sed incompre-

[1] Joan., cap. I, v. 16. — [2] *In Timæo.* — [3] Lib. VIII, cap. XIV. *Opp.*, t. VII, col. 202. — [4] Cap. LVIII, *Opp.*, t. VI, col. 218. — [5] Lege : *Inter se.* — [6] Male legerat Amb. *Non consensu vel.* — [7] Cap. III, *Opp.*, Parisiis, 1695, in-fol., col. 809. — [8] *Quia* deest ap. Hilarium. — [9] *Coloss.*, cap. II, v. 9.

hensibiliter, inenarrabiliter ante omne tempus et secula, unigenitum ex his quæ ingenita in se erant procreavit, omne quod Deus est per charitatem atque virtutem nativitati ejus impertiens; ac sic ingenito[1], perfecto, æternoque patri, unigenitus, et perfectus, et æternus est filius. Ea autem quæ ei sunt secundum corpus quod assumpsit, bonitatis ejus ad salutem nostram voluntas est. » Idem in XI[2] : « Verba quæ loquor vobis, non a me loquor. » Nam dum non a se loquitur, auctori eum necesse est debere[3] quod loquitur. » Item[4] : « Ad id quod agit secundum nativitatem sibi pater auctor est. » Rursus idem in XII[5], de non nato Deo Patre, et nato ab eo Filio loquens ait : « Neque ipsum non natum atque nasci, quia illud ab altero, hoc vero a nemine est, et aliud est sine auctore esse semper æternum, aliud quod patri, id est auctori, est coæternum. Ubi enim pater auctor est, ibi et nativitas est; at vero ubi auctor est æternus, ibi et nativitatis æternitas est, quia sicut nativitas ab auctore est, ita et ab æterno auctore æterna nativitas. » Item[6] : « Quod ex æterno natum est, id si non æternum natum, jam non erit et pater auctor æternus. Si quid igitur ei qui ab æterno patre natus est, ex æternitate defuerit, idipsum auctori qui pater est, non est ambiguum defuisse, quia quod gignenti est infinitum, infinitum est etiam nascenti. » Item[7] : « Ex æterno nil aliud quam æternum. Quod si non æternum, jam non pater, qui generationis est auctor, æternus est. » Item : « Ex te natus ostenditur, ut nil aliud quam te sibi significet auctorem. » Idem in Psal. 137[8] : « Tu formasti me et posuisti « super me manum tuam, » utrumque significat, ut quod formavit, antiquum sit, quod superposuit manum novissimum sit. Quod enim secundum naturam divinitatis formatus sit, Apostolus docet dicens[9] : « Qui cum in forma Dei esset. » Quod enim in forma est, formatur, in forma et ei pater naturæ et divinitatis est, ut referri possit ad patrem, et formatus ab ipso sit. » Augustinus, *Quæst. veteris et novæ legis*, cap. LVII[10] : « Deus pater Deum filium generavit, in quo ipse videretur, qui nil ab eo distaret, ut magnitudini suæ congruus responderet affectus. » Item : « Simillimum itaque filium suum creans addidit, ex se quasi alterum se. » Idem in eodem : « Habuit itaque ante mundum creatæ sobolis principatum, ut pater rerum futurus ante esse debuerit pater proprius, hoc est proprii sui fœtus. » In *Ecclesiastico* etiam ipsa Dei sapientia quæ Filius ejus dicitur, tam ab ipso creata, quam genita commemoratur[11] : « Sapientiam, inquit, Dei præcedentem omnia quis investigabit? Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiæ ab

[1] *Sic ab ingenito* ap. Hilarium. — [2] Cap. XII, col. 1089; Joan., cap. XIV, v. 10. — [3] Male apud Amboesium : *Necesse esse est debere*. — [4] *Ibid.* — [5] Cap. XXI, col. 1123. — [6] *Ibid., ibid.* — [7] *Ibid.*, cap. XXV, col. 1125. — [8] Leg. 138, *Opp.*, col. 511. — [9] *Philip.* cap. II, v. 6. Locus sic restituendus : « Quod enim in forma est, formatur in formam, et quidem paternæ naturæ et divinitatis formam. Et nescio an quod formatus in forma servi est, referri possit ad patrem, ut formatus ab ipso sit. » — [10] Quæst. ex nov. Testam., 48. *Opp.*, t. III, App., col. 61. — [11] *Eccli.*, cap. I, v. 3 et seq.

ævo. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. » Et iterum : « Unus est altissimus creator omnipotens et dominus Deus ; ipse creavit illam in Spiritu sancto, et effudit illam super omnia opera sua. » Item infra : « Sapientia inter benedictos benedicetur dicens : Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam. Girum cœli circuivi sola etc. » Et rursum : « Ab initio et ante secula creata sum, et usque ad futurum seculum non desinam etc. » Quid itaque mirum cum in verbis quoque ecclesiasticorum ac sanctorum doctorum nonnulla tam abusive proferantur, ad generationem Verbi demonstrandam, ut Deus Pater auctor esse Filii sui, et eum procreasse, vel Filius ab eo procreatus, vel ejus dicatur effectus esse, secundum id videlicet quod ab eo est genitus potius quam creatus vel factus, et ille tantum genitor potius quam creator vel auctor ; quid, inquam, mirum si prædictus philosophus Hermes, videlicet in illis[1] ecclesiasticis imbutus disciplinis, abusionem verborum non curaverit[2], dicendo scilicet fecisse, pro genuisse ? Quid etiam cum secundum a Patre Filium dixerit, a verbis quoque sanctorum alienus non existit ? Unde Hilarius *de Trinitate*, in XII : « Filius ex te Deo patre Deus verus et a te genitus, post te ita confitendus ut tecum ; quia æternæ originis, sive æternus auctor es. Nam dum ex te est, secundus a te est. Secundus, inquam, ex modo existendi, non ex differentia dignitatis. Hic quippe a Deo Patre quasi primo loco subsistit, cum Spiritus tanquam tertio loco ab utrisque sit. » Unde et Patrem Hieronymus principalem spiritum ad Filium nominat, opere videlicet illo suo *de tribus virtutibus*[3], ita loquens : « David in Psalmo tres spiritus postulat dicens[4] : « Spiritu principali confirma me, Spiritum « rectum innova in visceribus meis, Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. » Qui sunt isti tres spiritus ? Spiritus principalis Pater est, rectus spiritus Christus est, spiritus sanctus, Spiritus sanctus est. » Augustinus, *Veteris et novæ legis* cap. LVIII[5] : « Spiritum sanctum qui tertius sit a Patre, secundus autem a Christo secundum numeri ordinem, » ac si diceret secundum ordinatam ac congruam computationis ordinationem, juxta videlicet ipsam existentiæ seriem, quæ in ipsis est personis, non secundum aliquos earum dignitatis gradus. Pater quippe a nullo est, Filius a Patre solo est, Spiritus sanctus ab utrisque simul esse contrahit.

Revolvatur et ille maximus Philosophorum Plato, ejusque sequaces, qui testimonio sanctorum Patrum, præ ceteris gentium philosophis fidei Christianæ accedentes, totius Trinitatis summam post Prophetas patenter ediderunt[6], ubi videlicet mentem quam νοῦν vocant, ex Deo natam, atque ipsi coæternam esse perhibent, id est Filium, quem sapientiam Dei dicimus, ex Deo Patre æternaliter

[1] Sic Cod. Vict. et Edit. Amb. Melius in *Theol. Christ.*, *nullis* pro *in illis* legitur. — [2] Melius *Theol. Christ. caverit.* — [3] Inter opera S. Hieronymi nullum exstat opus de tribus virtutibus. — [4] Psalm. L, v. 14. — [5] Quæst. 88, *Opp.*, t. III, col. 80. — [6] Sic Cod. Vict. *Addiderunt* Edit. Amb.

genitum. Qui nec Spiritus sancti personam prætermisisse videntur, cum animam mundi esse astruxerunt tertiam a Deo et νοῦν[1] personam. Quod vero Plato sanctæ Trinitatis fidem non solum docuerit, sed et ita esse convicerit, Claudianus Præfectorio patricio, de statu animarum scribens, his astruit verbis : « Plato, inquit, procedat in medium, qui tantis equidem seculis ante puerperium virginis, ante incarnationem Dei, ante prædictam summæ Trinitatis in gentibus veritatem, ineffabiliter unum, tres in divinitate personas, mirabili ingenio, immutabili eloquio quæsivit, invenit, prodidit : Patrem Deum, paternamque mentem, actionem sive consilium, et utriusque horum amorem mutuum, unam summam æque ternam indivisam divinitatem, non solum ita credi oportere docuit, sed ita esse convincit. » Quod autem Claudianus mutuum amorem adinvicem Patris et Filii dixerit, non incongrue animam mundi, id est universorum fidelium vitam atque salutem, Plato nominavit. In[2] quo videlicet amore Dei, quælibet anima mortua jacet. De qua quidem anima mundi ea diligenter consideremus quæ a Platone dicta sunt, a quo cæteri quoque philosophi quod de anima ipsa dixerint habuisse creduntur. Hanc itaque videlicet mundi animam, quasi tertiam a Deo et νοῦν personam distinguens, prolixiori ac diligentiori descriptione prosequens, eam tam in se ipsam quam in effectis suis integerrima designatione declarat, juxta quam et nos Spiritum sanctum modo secundum effecta operum suorum dicere solemus, modo secundum naturalem bonitatis ejus affectum, quem in se ipso ab æterno habuit, sicut diligentius postmodum distinguemus. Nunc autem illa Platonis verba de anima mundi diligenter excutiamus, ut in eis Spiritum sanctum integerrime designatum esse agnoscamus. Dicit itaque Plato hanc ante mundi constitutionem factam sive genitam a Deo esse, in quo Spiritus sancti perpetuam processionem, qua ex Deo Patre est, nobis, ni fallor, insinuat. Solent quippe philosophi factum ex Deo sive genitum dicere, omne quod a Deo habet esse. Unde et Hermes superius, filium Dei factum a Deo dixit, secundum hoc quod ab ipso habet esse tanquam æternaliter genitus, non temporaliter ab ipso factus aut creatus. Plato quoque omne quod a Deo habet esse, genitum dicit ex ipso, non tamen ideo omne quod a Deo est, filium ejus esse, velut ipsum mundum et cetera ejus opera. Ait autem sic, cum de mundo antea locutus ad animam venisset mundi[3] : « Nec tamen, inquit, eo quo nos ad præsens loquimur ordine ortum animæ Deus annuit, minoremque ac posteriorem corporibus fecit eam; neque enim decebat[4] rem antiquiorem a post genita regi. » Itemque : « Deus tam ab antiquitate quam virtutibus præire animam naturæ corporis jussit, dominamque eam et principali jure voluit esse, circa id quod tueretur. » In

[1] Sic Cod. Vict. — [2] Sic Amb. Leg. *Sine quo.* — [3] *In Timæo.* — [4] Sic Cod. Vict. *Docebat* Amb.

quo etiam notandum est, quod dum eam præesse regimini mundi ut dominam dicit, profecto eam omni præfert creaturæ, et Deum esse astruit, quam postmodum his verbis animam mundi vocavit. Hoc dicit : « Et demum reliquias prioris concretionis, ex qua animam mundi commiscuerat, etc. » Bene autem Spiritum sanctum animam mundi quasi vitam universitatis posuit, cum in bonitate Dei omnia quodammodo vivere habeant, et universa tanquam viva sint apud Deum, et nulla mortua, hoc est nulla inutilia, nec etiam ipsa mala, quæ optime per bonitatem ipsius disponuntur, juxta quod tam apud Evangelistas quam apud Platonicos, scriptum esse meminimus[1] : « Quod factum est in ipso vita erat. » Ac si diceret : Omnia temporaliter facta per ipsum, hoc est per ipsam Dei bonitatem condita, in ipsa Dei bonitate quodammodo perenniter vivebant, cum apud divinam providentiam omnia ab æterno per ejus bonitatem optime essent ordinata, ut tam bene singula procedere vellet, quantum oporteret. Hinc non incongrue illud Apostoli consonare videtur, quod perhibet philosophorum quosdam dixisse, quod « in Deo vivimus, movemur et sumus[2], » ac si hanc animam mundi ipsum intelligerent Deum. Quod vero dicit Deum excogitasse tertium animæ genus, quod animam mundi dicimus, tale est ac si tertiam a Deo et *Noym*[3] personam astruat esse Spiritum sanctum in illa spirituali divina substantia. Excogitare Deus dicitur, hoc est ex integro percipere unius personæ discretionem, quam nos digne cogitare, atque ab ipso Patre et Filio plene distinguere non sufficimus; soli quippe sibi Trinitas divina vere cognita est. Tantumdem etiam valet aliquid[4] ex Deo excogitari aliquo modo, quantum illud se habere illo modo, hoc est ita veraciter esse. Deinde statim hujus tertiæ personæ, quam animam mundi collocat, diligentem adhibet descriptionem, cum animam ipsam ex individua et immutabili substantia consistere perhibet, ac rursum ex dividua, secundum quod scilicet seipsam anima scindere putatur per corpora. Tale quippe est quod dicit animam ex hoc et illo constare, tanquam si diceret ipsam sic tam hoc quam illud in se habere, ut ipsa animæ substantia et individua et quodammodo dividua sit. Nam et Spiritus sanctus et in se ipso simplex omnino substantia est, et ex natura divinitatis omnis invariabilis atque incommutabilis in se ipso perseverat; atque idem Spiritus per effecta multiplex quodammodo vocatur, et septem spiritus nonnunquam dicitur, secundum septiformis gratiæ suæ efficientiam. Unde et in laude divinæ sapientiæ spiritus et unicus, et multiplex, et discurrens, et stabilis esse describitur. Dicit itaque Philosophus animam ipsam esse ex individua semperque in suo statu perseverante substantia; itemque alia quæ

[1] Joan., cap. I, v. 3. — [2] *Act. Apost.*, cap. XVII, v. 18. — [3] Sic Cod. Vict. Νοῷ Amb. — [4] Sic in *Theologia Christiana.* Male legit Amboesius : *Videt aliud.*

inseparabilis comes corporum, per eadem corpora se scindere putatur, quia Spiritus sanctus et hujusmodi est, qui ex suo statu quem in se ipso, non in effectis suis habet, omnino simplex esse atque incommutabilis, et quodammodo multiplex esse secundum effecta putatur, quod est seipsum in corpora scindere, secundum quod ipsa videlicet anima inseparabilis comes est corporum, cum hanc scilicet multiplicitatis scissuram nullo modo quantum ad seipsam habere possit, sed, ut dictum est, quantum ad effecta, suorum videlicet distributione donorum, cum aliam isti gratiam, aliam illi tribuat, et se ipsum singulis non æqualiter vel eodem modo conferat: ut hinc quoque alium spiritum iste, alium ille habere dicatur. Egregie quoque putari dictum est et non esse, quia si vere ac proprie loquamur, non est hæc multiplicitas spiritus, sed effectorum ipsius, cum eum videlicet in hoc uno muliplicem dicamus, quia multiplicia facit, quod est effecta ejus magis esse diversa quam ipsum. Cum itaque in ipsa anima mundi individua et dividua, sive, ut dictum est, eadem et diversa concurrat substantia, addidit his duobus in ipsa anima concurrentibus quandam mixturam effici ex individuo et dividuo, scilicet sive ex eodem et diverso, hoc est incommutabili et mutabili. In qua quidem, ut ita dicam, mixtura Spiritus sancti proprietas distinguitur, et integre videtur expressa tam in se ipso quam in effectis, ut dictum est, suis. Dicit itaque, quia Deus hoc tertium substantiæ genus, ita ut dictum est, mixtum, locavit medium inter utramque substantiam, individuam scilicet atque dividuam, quia cum sit ipse spiritus ex Deo, tanquam ab ipso procedens, utrumque eorum ab ipso habet agi a quo esse habet. Et hoc est dicere, quod Deus locavit hoc ipsum animæ genus inter utraque supra dicta quasi medium horum, hoc est mixtum ex eis : ac si diceret, quod ab ipso Deo a quo est, ipsa anima tam hoc quam illud habet, ut videlicet et individua sit ut substantia sua, et dividua secundum effecta. Quod autem dictum est « locavit » congrue dictum est juxta metaphoram locutionis qua dictum est medium quasi inter aliqua circumstantia collocandum[1]. Postquam autem assignavit mixturam animæ ex individuo et dividuo, transit ad mixturam ex eodem et diverso, dicens animam eamdem eodem modo ex eodem et diverso consistere; sicut ex individuo et dividuo consistit. Cujus, inquit, pars idem, pars diversum vocetur, cum videlicet spiritus ille et idem sit in substantia cum Deo et *Noym*[2], id est cum Patre et Filio, et diversus in proprietate personæ. Possumus et eumdem, hoc est incommutabilem eum in se dicere, et diversum quodammodo per effecta esse, cum non solum ipse quæ diversa sunt, fecerit, secundum quod superius dictum est ex dividua constare substantia. verumetiam ea per temporum

[1] Cod. Vict. *Collocatum*. — [2] Sic Cod. Vict. Νοῦ Amb.

successionem mutat, et narrat prout opportunum esse indicat, juxta illud Boethii[1]:

.... Stabilisque manens dat cuncta moveri

Et jam quidem superius eum incommutabilem esse assignaverat, cum ait: « Semperque in suo statu perseverante substantia. » Sed quod variabilis per effectum et suorum mutationem esset, nondum addiderat; quod nunc facit. Bene itaque dicit animam ipsam quoddam medium esse, id est mixtum ex individua in se substantia, et dividua per conjunctionem corpoream, id est conjunctionem ipsius ad corpora, quando scilicet ipsa ad rem quamlibet creandam vel regendam atque disponendam se applicat, sicut animalis anima corpori suo sua impertiet beneficia; cui etiam philosophus totam vim et concordiam proportionalem numerorum tribuit, ut divinæ gratiæ bonitate universarum rerum concordiam consistere doceat. Omnis quippe ordo naturæ et concinna dispositio numerorum proportionibus vestigatur atque assignatur, et omnium perfectissimum exemplar numerus occurrit, qui rebus congruit universis; quod quidem eos non latet qui philosophiæ rimantur arcana. Hinc est etiam quod Arithmetica, quæ tota circa proportiones numerorum consistit, mater et magistra ceterarum artium dicitur: quod scilicet ex dissectione numerorum ceterarum rerum vestigatio doctrinaque pendeat. Cujus etiam ut ineffabilem exprimerent benignitatis ejus dulcedinem, totam ei musicarum consonantiarum ascribunt harmoniam, qua et ipsum jugiter resonare firmamentum, et superiores mundi partes repleri perhibent. Nihil quippe est quod ita oblectet, et nimia suavitate sui alliciat animos, sicut melodia; nihil ita pronum ad eos componendos vel commovendos vel pacandos, ut, juxta illud primi capituli Boethianæ musicæ, scirent philosophi, quod nostræ tota animæ corporisque compago musica coaptatione conjuncta sit; adeo quidem ut iracundiam insaniamque melodia sedari, et gravissimarum infirmitatum dolores curari animadverterent atque efficerent. Quod qui ignorat, nec experiendo didicit, adhuc legat dictum musicæ capitulum, et inveniet quomodo Pythagoras ebrium[2] adolescentem sub Phrygii modi sono incitatum, spondæo succinente reddidit duriorem et sui compotem. Nam cum scortum, inquit, in rivalis domo esset clausum, atque ille furens domum vellet comburere, cumque Pythagoras stellarum cursus, ut ei mos erat, nocturnus inspiceret, ubi intellexit sono Phrygii modi incitatum multis amicorum admonitionibus a facinoribus noluisse desistere, mutari modum præcepit, atque ita furentis animum adolescentis ad statum

[1] *Consol. Phil.* III. — [2] In edit. Amb. *Ebrum*, quasi nomen proprium. Longe rectius *Theologia Christiana* ab Edm. Martene edita *ebrium*, ut sequentia demonstrant.

mentis pacatissimæ temperavit. Inveniet etiam ibidem, quod cum vinolenti adolescentes tibiarum etiam cantu, ut fit, instincti, mulieris pudicæ[1] fores frangerent, admonuisse tibicinem ut spondeum caneret dicitur Pythagoras; quod cum ille fecisset, tarditate modorum et gravitate canentis illorum petulantiam consedasse. Videbit iterum et quomodo Terpander atque Arion Lesbios atque Iones gravissimis morbis cantus eripuere præsidio; necnon et qualiter Ismenias Thebanus, Boetiorum pluribus quos sciatici[2] doloris tormenta vexabant, modis fertur cunctas abstersisse molestias. Ubi etiam Empedocles, cum ejus hospitem, in *Vitis patrum*, quidam gladio furibundus invaderet, inflexisse modum canendi, itaque adolescentis iracundiam temperasse. In tantum vero, inquit Boethius, prisce philosophiæ studiis vis musicæ artis innotuit, ut Pythagorici, cum diurnas in somno resolverent curas, quibusdam cantilenis uterentur, ut eos lenis et quietus sopor reciperet, itaque expergefacti[3] aliis quibusdam modis stuporem somni confusionemque purgarent; id nimirum scientes, quod tota nostra animæ compago corporisque musica coaptatione conjuncta sit; nam ut sese corporis affectus habet, ita etiam pulsus cordis motibus incitantur. Quod scilicet Democritus Hipocrati medico tradidisse fertur, cum eum quasi insanum, cunctis Democriti civibus id opinantibus, in custodia medendi causa viseret. Sed quorsum isthæc? Quia non potest dubitari quin nostræ animæ et corporis status eisdem quodammodo proportionibus videatur esse compositus, quibus harmonicas modulationes posterior disputatio conjungi copularique demonstrabit. Quodsi parva fidelibus videantur, quæ juxta Philosophos de virtute diximus harmonica, nisi et sacræ Scripturæ testimonio id confirmemus, occurrat memoriæ qualiter spiritu malo in Saül irruente, actum est prudentium virorum consilio, vim harmonicæ suavitatis non ignorantium[4], ut vesaniæ tantæ stimulis Davidici moduli mederentur. Unde et postmodum vir Deo plenus, cum ad divini cultus religionem amplificandam Templum ædificare disponeret, Psalmos qui decantarentur, composuit, et omnium musicorum instrumentorum genera congregavit, ut tam vocum quam sonorum consonantiis rudem alliceret populum, per quæ antea diabolicum in reprobo rege mitigavit tormentum. Ex quo præcipue traditur quam naturalis sit harmonica modulatio, quæ ita naturam ejus suavitate sui componere ac reparare valet, ut maligni quoque spiritus tormenta eam perturbare non queant. Legimus et quorumdam sanctorum animas ne quid doloris in exitu suo paterentur, ad melodiæ dulcedinem sponte hinc egressas fuisse. Unde et in *Vitis patrum* scriptum esse meminimus, quod dum quidam frater videre vellet animam peccatoris et justi

[1] Sic Cod. Vict. et *Theologia Christiana*. Male admodum Amboesius: *instructi in litteris pudice fores frangerent*. — [2] Sic Cod. Vict. *Inficiati* Amb. — [3] *Experrecti* Cod. Vict. — [4] I, *Reg.*, cap. XVI, v. 23.

quomodo abstrahatur a corpore, et non vellet Deus contristare eum in desiderio ejus, invenit hominem peregrinum jacentem in platea ægrotum, non habentem qui ei curam adhiberet. Et cum venisset hora dormitionis ejus, conspicit frater ille Michaelem et Gabrielem descendentes propter animam ejus. Et sedens unus a dextris, et alius a sinistris ejus, rogabant animum ejus ut egrederetur, et non exibat quasi nolens relinquere corpus suum. Dixit autem Gabriel ad Michaelem : « Assume jam animam istam ut exeamus. » Cui Michael respondit : « Jussi sumus a Domino ut sine dolore ejiciatur, ideoque non possumus cum vi avellere eam. » Exclamavit ergo Michael magna voce dicens : « Domine, quid vis de anima hac, quia non acquiescit nobis ut egrediatur ? » Venit autem ei vox : « Ecce mitto David cum cythara, et omnes psallentes Hierusalem, ut audiens psalmum ad vocem ipsorum egrediatur. » Cumque descendissent omnes in circuitu animæ illius cantantes hymnis, sic exsiliens anima illa sedit in manibus Michaelis, et assumpta est cum gaudio. Bene itaque Philosophi, imo Dominus per eos id forsitan ignorantes, tam ipsi animæ mundi, quam superioribus firmamenti partibus nimiam ac summam modulationis suavitatem assignant, ut quanta pace, quanta fruantur concordia, quam diligentius possent exprimerent, et quam concorditer cuncta in mundo divina disponit[1] bonitas, quam illi animam mundi, veritas Spiritum sanctum, ut dictum est, nominat. Quis etiam, si diligenter attenderit, non animadvertet[2], quid de cœlesti dixerint harmonia quæ in superioribus firmamenti partibus incessanter resonat? cum cœlestes videlicet Spiritus ex assidua divinæ majestatis visione, et summa invicem concordia ligentur, et in ejus quem conspiciunt laudes, jugi et ineffabili exsultatione illud decantent, quod juxta Esaïam Seraphim die ac nocte conclamare non cessant[3] : « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, etc. » Superiores itaque cœli vel firmamenti partes beatos hos Spiritus vel eorum mansionem intelligimus, quos etiam septem planetarum nomine, propter excellentiam claritatis ipsorum quos spiritualiter divina gratia, quæ septiformis dicitur, illuminat, non incongrue designasse videntur. Qui et bene apud Esaïam Seraphim, id est incendium, ex hac spirituali illuminatione gratiæ in amorem Dei maxime succensa nuncupantur. Superior autem eorum mansio tam dignitate quam positione dicenda videtur, a qua hi qui superbierint in hunc caliginosum et densum aerem detrusi dicuntur, qui loci quoque positione inferior, sicut inhabitatione deterior, inferni nomine non inconvenienter accipi potest. Bene et beati Spiritus illi sive superna eorum mansio firmamento comparatur, qui cæteris per superbiam corruentibus[4], hoc in suæ fidelitatis et

[1] *Disposuerit* Cod. Vict. — [2] *Animadvertat* Cod. Vict. — [3] *Isai.*, cap. VI, v. 3. — [4] Sic Cod. Vict. *Cernentibus* Amb.

humilitatis remunerationem acceperunt, ut sic in contemplatione divinæ majestatis firmarentur, ut ulterius omnino labi non queant. Unde Gregorius *in Job*, lib. XXVI[1] : « Prius, » inquit, « cœlum factum dicitur, et hoc idem postmodum firmamentum vocatur, quia natura angelica, et prius subtilis est in superioribus condita, et post, ne unquam cadere potuisset, mirabilius confirmata. » Idem *super Ezechielem Homilia :* « Creavit Deus cœlum, quod postmodum vocavit firmamentum. » Cœlum ergo fuerunt hi, qui primo bene sunt conditi, sed postmodum firmamentum appellati sunt, quia ne omnino jam caderent virtutem immutabilitatis acceperunt. Illud quoque quod ait Plato[2], animam locatam esse a Deo in medietate mundi, eamque per omnem globum teretis orbis æqualiter porrigi, pulchre designat gratiam Dei omnibus communiter oblatam, cuncta prout salubre vel æquum est, benigne in hac magna domo sua seu templo disponere. His autem illud libri *Sapientiæ* aperte concinit[3] : « Spiritus Domini replevit orbem terrarum, etc. » Atque illud Psalmistæ[4] : « Spiritu oris omnis virtus eorum. » Quod vero totum mundum unum animal Plato dicit[5], maximam concordiam universorum operum Dei demonstrat, quasi diversorum membrorum in uno corpore animalis, quibus omnibus una præest anima singulis tota præsens, et in diversis una, et eadem operans diversa. Sic et Apostolus totius Ecclesiæ concordiam unitatemque demonstrans, eam unum corpus Christi appellat[6], per quosdam nexus, et compagem fidei, et charitatis, ex diversis fidelibus conjunctum, sibi ita invicem servientibus et administrantibus, quasi diversa membra in uno corpore, ex quibus alterum alterius eget obsequio, uno omnibus spiritu præsidente, et diversa in diversis operante, sicut anima in diversis totius corporis membris. « Hæc enim, » inquit[7], « omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. » Quam similitudinem Beatus Ambrosius in prima Pauli *Epistola ad Corinthios* ad mundani quoque corporis institutionem patenter explicavit dicens[8] : « Multa membra cum invicem sui egeant, non discrepant in unitate naturæ, quamvis diversa sint; quia diversitas hæc in unum concurrit, ut corporis unitas expleatur : sicut et ea quibus mundus constat, cum sint diversa non solum officiis, sed et naturis, ad unius tamen mundi proficiunt perfectionem, et ex omnibus his nascitur temperies quædam. » Huic etiam involucro, de positione scilicet animæ in medio mundi locatæ, hoc est de divina gratia omnibus communiter oblata, ipsa etiam divina facta secundum allegoriæ ministerium, manifeste concordant : cum videlicet doctrinam suam, et veræ religionis cultum propagaturus Dominus in mundo, Hierusalem, quæ in medio est

[1] *Leg. Moral.* Lib. XXVII, in cap. XXXVIII B. Job, v. 18. — [2] *In Timæo.* — [3] *Sap.*, cap. I, v. 7. — [4] Psalm. XXXII, v. 6. — [5] *In Timæo.* — [6] *Ephes.*, cap. IV. — [7] I, *Corinth.*, cap. XII, v. 11. — [8] *Opp.*, t. II, in app., col. 152.

terræ, elegit, quam quasi caput constituit Regni sui, in qua primum ad magnificandum cultum suum ædificare sibi templum, quasi regale palatium, voluit, et ibi etiam uberrimam Spiritus sancti gratiam Apostolis infudit, per quam per eos totus spiritualiter mundus vegetaretur. Unde scriptum est[1] : « Deus autem Rex noster operatus est salutem in medio terræ. » Et rursus[2] : « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem. » Medium autem mundi, et quasi umbilicum terræ, super illum Ezechielis locum, quo scriptum est[3] : « Hæc dicit Dominus : Ista est Hierusalem in medio gentium posita, et in circuitu ejus terra ; » Hieronymus his asserit verbis[4] : « Hierusalem in medio mundi sitam, » hic idem Propheta testatur, umbilicum terræ eam esse demonstrans. Et Psalmista Domini exprimens passionem[5] : « Operatus est, » ait, « salutem in medio terræ. » Hic[6] plantata est vinea, quæ[7] « extendit palmites suos usque ad mare, » cum hic vitis vera Christus, Apostolis suis quasi palmitibus per universum orbem directis, universum mundum ubertate doctrinæ spiritualis inebriavit. De hac autem vegetatione ac vivificatione Spiritus sancti, Sanctus Salvianus Episcopus, ad Sanctum Salonium Episcopum, lib. I. *de Gubernatione Dei,* Pythagoricum testimonium inducit dicens : « Pythagoras Philosophus, quem quasi magistrum suum ipsa Philosophia suscepit, de natura ac beneficiis Dei disserens sic locutus est : « Animus « per omnes mundi partes commeans atque diffusus, ex quo omnia quæ nas- « cuntur animalia vitam capiunt. » Quomodo igitur mundum negligere Deus dicitur, quem hoc ipso satis diligit, quod ipsum se per totum mundi corpus intendit? » De Salviano autem ipso Massiliensis ecclesiæ episcopo, et de libro ejus ad Salonium episcopum, et aliis operibus ipsius, Gennadius Massiliensis presbyter *de Illustribus viris* scribens, inter illustres viros et eorum opera mentionem facit. Qui etiam post Pythagoræ testimonium, Tullium inducens, Deum ipsum quem Pythagoras animum vocat, mentem a Tullio appellari commemorat, dicens : « Tullius quoque : « Nec vero Deus ipse, inquit, qui intelligitur a nobis, alio modo « intelligi potest quam mens soluta quædam et libera et segregata ab omni congre- « gatione mortali, omnia sentiens et movens. » Alibi quoque : « Nihil est, inquit, « præstantius Deo. » « Ab eo igitur mundum regi necesse est. Nulli igitur naturæ obediens aut subjectus est : omnem igitur ipse regit naturam. » Augustinus quoque lib. XII, *de Civit. Dei*, cap. XXXII[8], de Varrone loquens, ait : « Dicit etiam idem auctor acutissimus atque doctissimus, quod hi soli ei[9] videantur animadvertisse quid esset Deus, qui crediderunt esse animam, motu ac ratione mundum gubernantem. » Mentem itaque, id est animum sive animam, Deum dixerunt, secun-

[1] Psalm. LXXIII, v. 12.—[2] *Isai.*, cap. II, v. 3.— [3] *Ezech.*, cap. v, v. 5. — [4] *Opp.*, t. III, col. 726. — [5] Psalm. LXXIII, v. 12. — [6] Sic Cod. Vict. *Hinc* pro *Hic* male legit Amb. — [7] Psalm. LXXIX, v. 12. — [8] Lib. IV, cap. XXXI, *Opp.*, t. VII, col. 111. — [9] Sic Cod. Vict. *Et* pro *ei* Amb.

dum quod totius mundi regimini quasi anima corpori præest. Unde et per sapientem quemdam adhortantem non digne Deum excolere, nisi mente scilicet a vitiis purgata et virtutibus adornata, pulchre in ipso suæ adhortationis et disciplinæ exordio dictum est[1]:

> Si Deus est animus, vobis ut carmina dicunt,
> Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.

Ac si aperte filium instruens dicat: Cum Deus sit animus, nobis hoc est vera et spiritualis vita, sicut et ipsa perhibet scriptura poetarum, velut illa Virgilii verba, quæ super hoc ipsum Macrobius inducit, sicut postmodum ostendemus, hunc præcipue, scilicet Deum, bene vivendo glorifica. Bene etiam cum animal esse Plato mundum dixerit, ipsum quoque intelligentem, hoc est rationale animal esse perhibuit, secundum hoc scilicet quod ejus anima quanto cæteris præstantior exstitit, tanto rationabilius in ipso cuncta agit atque disponit. De cujus quidem summæ rationis ordinatione cum subditur, quod hæc videlicet ipsa mundi anima causas omnium quæ proveniunt providet, divinam ei[2] omnium naturarum providentiam assignat, et divinæ plenitudinem scientiæ, ex quo etiam ipsa Deus esse innuitur, metiri ac deliberare ea quæ futura sunt ex præsentibus dicitur, quia juxta ea quæ jam sunt oportet præparari, ut eis congrua ordinatione cohærere possint atque aptari. Quod autem subditur ex reliquiis concretionis mundanæ animæ, nostras, id est mundanas animas esse confectas, tale est ac si diceret eam[3] animam mundi in potentiis ac virtutibus imitari, sed longe hoc ipso a dignitate ejus abscedere, ut videlicet quemadmodum anima illa totius mundi administrationi præest, sic singulis corporibus singulæ animæ suæ, vitam eis animalem non spiritalem præbentes. Et bene hæ quasi reliquiæ mundanæ animæ dicentur, quæ scilicet ad animalem pertinent vitam, quia hæc inferioribus ipsa relinquit animabus quæ per eam expleri dignum non est. Unde et eorum hæresis confutatur, qui Dominum Jesum non aliam animam quam sanctum Spiritum habere profitentur. Reliquias etiam mundanæ animæ non incongrue dicit ea quæ ad operationem ejus quam in nobis habet, pertinent; secundum quod in corporibus ipsa degenerare dicitur, sicut suo loco exponemus. Sicut enim reliquiæ his quibus supersunt inferiora quidem et indigniora videntur, ita hæc quæ non ad æternitatem spiritus, sed ad temporales ejus operationes attinent, posteriora dignitate censentur. Congrue etiam dicit animam mundi, non alicujus rei in mundo, sicut et animam hominis dicimus, non alicujus membri humani. Anima

[1] *Catonis Disticha*, lib. I, v. 1. — [2] Sic Cod. Vict. *Et* pro *ei* Amb. — [3] *Theologia Christiana* melius *eas*.

quippe ab animando dicta est, nec aliud proprie animari dicitur, nisi id in quo tota vis vegetationis ita consummatur, ut nil corpori illi vegetato adhærere extrinsecus necesse sit ad vegetationem quam habet in ipso conservandam. Cum itaque mundus, juxta philosophos, universa concludat, ut nil extra ipsum divinitus disponendum relinquatur, recte anima mundi sicut et anima hominis dicta est, cum universa vis animæ in eo consummetur : adeo ut nec ipsum mundum oculos vel cætera sensuum instrumenta habere oportuit, sicut et ipse perhibet Plato, cum nulla extra ipsum remaneant, ad quæ ista aliquam opportunitatem habeant.

His ex Platone breviter collectis, atque ad nostræ fidei testimonium satis, ut arbitror, diligenter expositis, consequens existimo ad sequaces ejus commeare, ut ea quæ ab ipsis quoque de anima mundi sunt dicta, nulla ratione convenienter accipi posse monstremus, nisi Spiritui sancto [1] per pulcherrimam involucri figuram assignentur. Hoc quippe loquendi genus Philosophis quoque sicut et Prophetis familiarissimum est, ut videlicet ad arcana philosophiæ cum veniunt, nil vulgaribus verbis efferant, sed comparationibus similitudinum lectorem magis alliciant. Quæ enim quasi fabulosa antea videbantur, et ab omni utilitate remota, secundum literæ superficiem gratiora sunt, cum magnis plena mysteriis postmodum reperta, magnam in se doctrinæ continent ædificationem. Ob hoc enim, teste Augustino, teguntur ne vilescant, qui secundo quidem Libro *de Doctrina christiana*, cum causas difficultatis sacræ Scripturæ aperiret, ait [2] : « Obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt, quod totum provisum esse divinitus non dubito, ad edomandam labore superbiam, et intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt. » Item : « Qui prorsus non inveniunt quod quærunt fame laborant : qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastidio sæpe marcescunt. Igitur salubriter Spiritus sanctus ita scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. » Quasi ergo in latebris Dominus quiescere gaudet, ut, quo magis se occultat, gratior sit illis quibus se manifestat, et quo magis ex difficultate scripturæ laboratur, meritum lectorum augeatur, de quo Psalmista [3] : « Posuit, » inquit, « tenebras latibulum suum, » et rursum [4] : « Tenebrosa aqua in nubibus aeris. » Quia, inquit Gregorius, obscurata est sententia in Prophetis, de quo scriptum est in lege [5] : « Accessit Moyses ad caliginem in qua erat Deus. » Et Salomon in *Paralipomenon* ait [6] : « Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine ; » idem in *Proverbiis* [7] : « Gloria est Dei celare verbum, et gloria regum investigare sermo-

[1] Sic Cod. Vict. *Spiritu sancto* Amb. — [2] Lib. II, cap. vi. — [3] Psalm. xvii, v. 12. — [4] *Ibid.* — [5] *Exod.*, cap. xx, v. 21. — [6] II, *Paral.*, cap. vi, v. 1. — [7] *Prov.*, cap. xxv, v. 2.

nem. » Qui etiam ad scripturarum obscuritatem quasi ad latebras in quibus nuntiatur Deus, perscrutandas, invitat nos in *Proverbiis* dicens[1] : « Sapiens cum advertet parabolam et interpretationem, verba sapientium et ænigmata eorum. » Quæ quidem tanto cariora sunt intellecta, quanto in his intelligendis major operæ facta est impensa. Hinc est illud Hieronymi ad Magnum Oratorem scribentis, super hoc ipsum quod in exordio *Proverbiorum* Salomon commonet ut intelligamus[2] : « Sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas et obscurum sermonem, dicta sapientum et ænigmata, » quæ proprie Dialecticorum sunt et Philosophorum. Quantum etiam semper philosophia arcana sua nudis publicare verbis dedignata sit, et maxime de anima, de diis, per fabulosa quædam involucra loqui consueverit, ille non mediocris philosophus, et magni Ciceronis expositor Macrobius, diligentissime docet. Remotis enim generibus figmentorum sive fabulosorum, quæ philosophos non decent, supposuit illud quod honestissime assumunt.

Ait namque[3], quod « quando sacrarum rerum notio sub pio velamine figmentorum, honestis et tecta rebus, et vestita nominibus enuntiatur, hoc est figmenti genus quod cautio de divinis rebus philosophantis admittit. » Idem post pauca[4]: « Sciendum est, inquit, non[5] in omnem disputationem philosophos admittere fabulosa, sed his uti solent, cum vel de anima, vel de æthereis potestatibus loquuntur. Cæterum autem cum ad summum Deum et principem omnium, qui apud Græcos τὸ ἀγαθόν, qui et πρωτὼγαθόν[6] nuncupatur, tractatus se audet attollere, vel ad mentem, quam Græci *noym*[7] appellant, originales rerum species, quæ ideæ dictæ sunt, continentem, ex summo natam et perfectam Deo : cum de his, inquam, loquuntur, summo Deo et mente, nil fabulosum penitus attingunt. Sed si quid de his assignare conantur, quæ non sermonem tantummodo, sed cogitationem quoque superant humanam, ad similitudines et exempla confugiunt. Sic Plato cum de τῷ ἀγαθῷ esset loqui animatus, dicere quid sit non ausus est, hoc solum de eo sentiens, quod sciri qualis sit ab hominibus non possit. Solum vero ei simillimum solem de visibilibus reperit, et per ejus similitudinem, viam sermoni suo attollendi se ad non comprehensibilia patefecit; ideo et nullum ejus simulacrum, cum diis aliis constitueretur, finxit antiquitas. Quia summus Deus et nata ex eo mens, sicut ultra animam[8], ita sunt supra naturam, quo nil fas est fabulosum pervenire. De diis autem, ut dixi, cæteris, et de anima, non frustra se, nec ut oblectent, ad fabulosa convertunt; sed quia sciunt inimicam esse naturæ apertam nudamque expositionem sui; quæ sicut

[1] *Prov.*, cap. I, v. 6.—[2] Epist. LXXXIII, *Opp.*, t. IV, p. 11, col. 654.—[3] In *Somn. Scip.*, lib. I, cap. II. — [4] *Ibid.* — [5] *Non* deest ap. Amboes. — [6] Sic Cod. Vict. Πρωτόπαντον Amb. Legitur in editis πρῶτον αἴτιον. — [7] Sic Cod. Vict. Νοῦν Edit. Amb. — [8] Sic Cod. Vict. *Animum* Amb.

vulgaribus hominum sensibus intellectum sui vario rerum tegmine operimentoque subtraxit, ita a prudentibus arcana sua voluit per fabulosa tractari. Sic ipsa mysteria figurarum cuniculis operiuntur, ne vel hoc adeptis nuda[1] rerum talium natura se præbeat, sed summatibus tantum viris, sapientia interprete, sui arcani consciis, contenti sint reliqui ad venerationem figuris defendentibus a vilitate secretum. » Juxta quod et Veritas ipsa de integumento parabolarum suarum Apostolis loquitur dicens[2] : « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis; ut videntes non videant, et audientes non intelligant. » Ex hac itaque Macrobii traditione clarum est quæ a philosophis de anima mundi dicuntur, per involucrum accipienda esse. Alioquin summum philosophorum Platonem summum stultorum deprehenderemus. Quid enim magis ridiculosum quam mundum totum arbitrari unum animal esse rationale, nisi per hoc integumentum sit[3] prolatum? Animal quippe esse non potest nisi sensibile sit, cum sit nota definitio, animalis substantia animata sensibilis. Quis autem ex quinque sensibus mundo inesse poterit, nisi forte tactus, qui omnibus est communis animalibus? Desunt ei quippe cæterorum sensuum instrumenta, ipso attestante Platone, ubi videlicet ostendit quare ei oculi, aut nares, aut cæteræ partes humani corporis necessariæ non fuissent. Atque est pars corporis mundi[4], qua ipse si tangatur, sentire queat magis quam arbores vel plantæ, quæ terræ radicitus affixæ, eadem anima vivificari dicuntur. Numquid ex effossione terræ potius sentiret mundus, quam arbores ex frondium avulsione vel totius corporis sui abscisione? Arbores tamen et quaslibet plantas insensibiles esse constat, ideoque ad exclusionem earum in definitione animalis post animatum ponitur sensibile. Præterea cum dicant animam mundi singulis infusam corporibus, ea animare quæ ad animandum apta reperit, quid opus erat creatione nostrarum animarum quas postea factas Plato esse commemorat? aut quid opus est animam mundi his corporibus nostris inesse quæ non animat? Quid enim evidentius quam corpora nostra ex propriis animabus humanis magis quam ex anima mundi vitam animalem habere? His quippe animabus præsentibus, statim animata sunt et iisdem absentibus inanimata, licet, ut aiunt, in eis anima mundi etiam post mortem perseveret, quæ in omnibus tota est corporibus, et in his in quibus vacat. Quid etiam est quod absentibus humanis animabus, anima mundi corpora nostra, licet eis insit, animare non sufficit, cum ipsa, testante Platone[5], cunctis invisibilibus præstantior a præstantissimo auctore facta sit? Numquid minoris efficaciæ est in nobis quam cæteræ animæ, aut cum jam corpora nostra defuncta sunt, non sunt idonea ad

[1] Sic Cod. Vict. *Nudum* Amb. — [2] Marc., cap. IV, v. 11. — [3] Sic. Cod. Vict. *Sic* pro *sit* Ed. Amb. — [4] *Theologia Christiana* melius : *aut quæ est pars.* — [5] *In Timæo.*

animandum, sicut antea erant, præsentibus humanis animabus? Potest[1] ex uno corpore innumeros vermes vivificare, cum jam ipsum corpus non valet animare? Quæ deest aptitudo defuncto corpori ne nunc quoque animetur[2], nisi tantum præsentia humanæ animæ, quæ et præsens corpus vivificat, et recedens ipsum mortificat? Quod si ad involucrum ista deflectamus, quæ de anima mundi a philosophis dicta sunt, facile est rationabiliter cuncta accipi, nec a sacræ fidei tenore exorbitare. Conferant animæ humanæ corporibus nostris animalem vitam, conferat anima mundi, quam[3], nisi fallor, Spiritum sanctum intellexerunt philosophi, ipsis animabus nostris vitam spiritualem, distributione scilicet suorum donorum, ut sicut singulæ animæ vita corporum, Spiritus autem sanctus vita animarum, quas vegetando ad profectum bonorum operum promovet. Quodam[4] itaque modo animæ nostræ corpora sancti Spiritus dicendæ sunt, quas ipse per aliquod gratiæ suæ donum quasi templum inhabitat, et virtutibus vivificat. Unde et illud est Augustini *Sermone* VI de verbis Domini[5]: « Sicut enim vita corporis anima est, sic vita animæ Deus. Sicut exspirat corpus cum animam emittit, ita anima cum Deum amittit. Deus amissus mors animæ, anima amissa mors corporis. Mors corporis necessaria, mors animæ voluntaria. » Sed et illud quod aiunt, animam totam singulis corporibus infusam omnia vivificare atque animare quæ ad vivificandum idonea reperit, nulla illorum duritia vel densitatis[6] natura impediente, pulchrum involucrum est, quia caritas Dei quam Spiritum sanctum dicimus, cordibus humanis per fidei sive rationis donum primitus infusa, quædam vivificat ad bonorum operum fructum nos[7] promovendo, ut vitam assequamur æternam, et in quibusdam ipse Spiritus vacare dicitur, pravitatis eorum duritia repugnante. Hanc autem animæ videlicet mundanæ doctrinam præcipue diligentissimus philosophorum in expositione Macrobius reliquit. Cujus quidem verba si diligenter inspiciamus, totam fidem fere nostram de Spiritu sancto in ipsis expressam inveniemus, cum hanc ipsam animam et Creatorem nominet, atque ex Deo Patre et *Noym*[8], hoc est Deo Filio astruat esse. Quam dum quandoque mentem nominat, mentem pro anima vel spirituali natura generaliter ponit. Aliter itaque Filium *Noym*[9], id est mentem dicit, aliter animam ipsam mentem appellat. Mens quippe Patris Filius dicitur, secundum quod sapientia ipsius vel ratio dicitur. Animam quoque cum mentem nominat, spiritualis eam esse naturæ, non corporeæ insinuat. Quod quidem et per semetipsum aperiens, dum quædam Virgilii verba exponeret, ait[10]: « Ut puri-

[1] Sic Cod. Vict. *Possunt* Amb. — [2] Sic Cod. Vict. *Nec item quo animetur* Amb. — [3] Sic Cod. Vict. *Quam* deest in Amb. — [4] Sic. Cod. Vict. *Quod itaque modo* Amb. — [5] Serm. LXII, Opp., t. V, p. 358. — [6] Sic *Theol. Christ.* *Diversitas* Amb. — [7] Sic Cod. Vict. *Non* Amb. — [8] Sic Cod. Vict. Νοῷ Amb. — [9] Sic. Cod. Vict. Νοῦν Amb. — [10] *In Somn. Scipionis*, lib. I, XIV.

tati ejus attestaretur, mentem nominavit. » Item[1] : « Ut illius mundanæ animæ assereret dignitatem, mentem esse testatus est. » Ac si aperte doceat ob hoc eam mentem vocari, ut sinceritas naturæ spiritualis et dignitas in ea demonstretur. Sic enim et cum Dominum Jesum mentem humanam habuisse dicimus, mentis vocabulo ipsam ejus animam nominamus. Hæc autem sunt illa quæ proposuimus Macrobii verba : « Anima ergo, inquit, creans sibi et condens corpora. Nam ideo ab anima natura incipit, quam sapientes de Deo et mente *Noym*[2] nominant, ex illo purissimo fonte, quem nascendo de originis suæ hauserat copia, corpora cœli et siderum quæ condidit, prima animavit. » Et post aliqua, cum ipse ipsius animæ vires distingueret, quas in corporibus exercet, secundum quas omnium animatorum ordinata est natura, ut alia scilicet aliis præsint, adjecit dicens : « Hunc ordinem rerum et Virgilius expressit, nam et mundo animam dedit, et ut puritati ejus attestaretur, mentem vocavit. Cœlum enim, ait, terras et maria et sidera Spiritus intus alit, id est anima : et ut illius mundanæ animæ assereret dignitatem, mentem esse testatus est : « Mens agitat molem[3]. » Necnon ut ipse ostenderet per ipsam animam constare et animalia universa quæ vivunt, addidit :

Hinc hominum pecudumque genus, etc.

Utque asseveraret eumdem esse in anima semper vigorem, sed usum ejus hebescere in animabus corporis densitate, adjecit :

.... Quantum non noxia corpora tardant. »

Hæc quidem omnia tam Virgilii quam Macrobii verba, facile est juxta propositum nostrum ad nostræ fidei tenorem accommodare, nec aliter ea exponi. Quod itaque ait usum animæ hebescere in animalibus corporis densitate, tale est Spiritus sancti gratiam suorum beneficiorum efficaciam minus habere in carnalibus, scilicet deditis voluptatibus, ut ipsam densitatem corporis carnalium illecebrarum magnitudinem intelligamus. Qui etiam ubi ait ipsam animam creare sibi corpora et condere, eam creatorem rerum, et per hoc Deum astruit esse, et creatarum rerum ordinationem et præparationem ad bona opera donorum suorum distributione, ut sibi eas dignum habitaculum efficiat. Ab anima naturam dicit incipere, quia per gratiam Spiritus sancti nascimur spiritualiter, ac sumus filii Dei magis quam servi. Sicut enim subtracta gratia hac moreremur in vitiis, ita et eadem collata nascimur in veram virtutum vitam. Quam quidem per natu-

[1] *In Somn. Scipionis*, lib. I, cap. xiv. — [2] Sic Cod. Vict. Noῳ Amb. — [3] *Æneid.*, lib. VI, v. 727 et sqq.

ram habemus, et contra naturam vitia, cum sit vitium corruptio naturæ. De Deo et mente anima nominatur, quia tam Patris et Filii idem est Spiritus, cum ab utroque procedat. Unde etiam, ut ait Augustinus XV, *de Trinitate*, cap. XIX[1] : « Quia ipse Spiritus communis est ambobus, id vocatur ipse proprie quod ambo communiter, cum videlicet tam Pater ipse quam etiam Filius Spiritus sit et Sanctus. » Cum autem de Deo vel *Noy*[2] nasci, aut creari sive fieri anima quandoque a philosophis dicitur, abusio est verborum magis quam sententiæ. Creari namque vel fieri recte[3] non dicitur nisi in his quæ cœperunt, hoc est æterna non sunt. Nasci vero, hoc est de substantia ipsa Patris existere, proprium est Filii, de quo suo loco postmodum serius disseremus. Creari tamen sive nasci seu fieri pro esse aliquo philosophi nonnunquam ponunt, ut supra meminimus. Unde et Macrobius tam *Noym*[4] ipsam a Deo quam animam a *Noy*[5] creatam dicit, hoc est ex ipso esse. In eadam quoque significatione nasci hoc loco abutimur. Hermes quoque superius cum dixerit quod Deus secundum fecit Dei Filium, ipsum ex Deo Patre esse ostendit; fontem sapientiæ purissimum ipsam *Noy*[6] appellat, hoc est sapientiam Patris, quam nihil, quantumcumque sit obscurum, latere potest. De copia hujus fontis ipsa Dei bonitas animavit prius cœli corpora ac siderum, hoc est ipsos angelos vel cœlestes spiritus, qui ante hominem conditi sunt, secundum quod scriptum est[7] : « De plenitudine ejus omnes accepimus. » Cœli ac siderum dictum est, secundum dignitatis differentiam, cum alios spiritus aliis prælatos ac superiores credamus, unde et angelos et archangelos dicimus seu Dominationes. Corpora summi Spiritus dici possunt etiam angeli, ab eo, ut dictum est, spiritualiter vivificati. Vel etiam corpora dicit, secundum quod omnem creaturam corpoream dicimus, hoc est circumscriptam. Unde Gennadius in libro *de Orthodoxa fide*, cap. X : « Nihil, inquit, incorporeum et invisibile in natura credendum est nisi Deum solum, qui ex eo incorporeus creditur, quia ubique est, et omnia complet, et ideo invisibilis omnibus creaturis, quia incorporeus est. Creatura omnis corporea, angeli et omnes cœlestes virtutes[8] corporeæ, licet non carne subsistant. Ex eo autem corporeas credimus esse intellectuales naturas, quod localiter circumscribuntur, sicut et anima humana quæ carne clauditur, et dæmones qui per substantiam angelicæ naturæ sunt corporei. » Bene autem dictum est ex ipsa Sapientia eos esse animatos, quia hæc est vita æterna, ut cognoscamus sicut et cogniti sumus, facie ad faciem Deum videntes. Haurit Spiritus de fonte illo, cum nos de divinæ Sapientiæ intelligentia imbuit, secundum quod dictum est[9] : « De meo accipiet et an-

[1] Lib. V, cap. II. *Opp.*, t. VIII, col. 839. — [2] Sic Cod. Vict. Νοῷ Amb. — [3] Sic Cod. Vict. *Necessario* Amb. — [4] Sic Cod. Vict. Νοῦν Amb. — [5] Sic Cod. Vict. Νοῷ Amb. — [6] Sic Cod. Vict. Νοῦ Amb. — [7] Joan., cap. I, v. 16. — [8] In Cod. Vict. et in Amb. *virtutes* deest male. — [9] Joan., cap. XIV, v. 14.

nuntiabit vobis. » Unde et Spiritus sapientiæ sive intellectus, sive scientiæ dictus est. Quod vero dictum est : « Mens agitat molem, » hoc est totius mundanæ fabricæ quantitatem quasi cuncta in mundo vivificet aut moveat, superius expositam Platonis sententiam prosequitur de spiritu Dei, quod scilicet cuncta optime disponit,

.... Stabilisque manens dat cuncta moveri[1].

Quam quidem agitationem animæ Salomon quoque in *Ecclesiaste* diligenter exprimens ait[2] : « Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur, illustrans universa. In circuitu pergit Spiritus, et in circulo suo revertitur. » Quis est ille circulus, nisi ambitus globosi et teretis orbis, de quo scriptum est, quia[3] « Spiritus Domini replevit orbem terrarum ? » Divinæ quippe bonitatis gratia sic omnia replet, ut nihil penitus ab operationis suæ administratione vacet, quæ sicut solem visibus nostris oriri facit seu occidere, sic et cætera quæque disponit optime. Adeo autem prædicta Virgilii verba de anima mundi veritate plena videntur, ut ea quoque quasi in auctoritatem assumere doctores sancti non abhorruerint. Unde et Hieronymus cum illum Ezechielis locum exponeret, ubi scriptum est[4] : « Introduxit in atrium interius per viam orientalem, » ait : « Si autem exterius et interius accipimus atrium, sic intelligendum, quod Deus et circumfusus sit et infusus, dicens per Prophetam[5] : « Qui tenet cœlum palma, et terram pugillo, » ut videantur omnia ab illo concludi; et rursum[6] : « Cœlum autem thronus est, terra autem scabellum pedum meorum, » ut intra omnia esse credendum sit, juxta illud Virgilianum[7] :

Principio cœlum et terram, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Idem in Epistola *Pauli ad Ephesios*, lib. II[8] : « Diversitas autem propositionum, in quibus dicitur[9] : « Unus Deus et pater omnium, qui super omnia, et per omnes, « et in omnibus, » diversam intelligentiam sapit. Super omnia enim est Deus Pater qui auctor est omnium. Per omnes Filius qui cuncta transcurrit, vaditque

[1] *Consol. Phil.*, lib. III. — [2] *Eccles.*, cap. I, v. 5. — [3] *Sap.*, cap. I, v. 7. — [4] *Ezech.*, cap. XL, v. 32. *Opp.*, t. III, col. 990. — [5] *Isai.*, cap. XL, v. 12. — [6] *Ibid.*, cap. LXVI, v. 1. — [7] *Æneid.*, lib. VI, v. 724 et seq. — [8] *Opp.*, t, III, col. 362. — [9] *Ephes.*, cap. IV, v. 6.

per omnia. In omnibus Spiritus sanctus, quia nil absque eo est. » Tale quid de creaturis et de Deo etiam Zeno cum Stoicis suspicatur, quem sequitur Virgilius[1] :

> .... Deum namque.... ire per omnes
> Terrasque tractus que maris....

Et reliqua. Et

> Principio cœlum ac terras, camposque liquentes,
> Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra
> Spiritus intus alit, etc.

Vivere quippe in Deo cuncta dicuntur, ut supra meminimus, secundum hoc quod in ipso nulla sunt mortua, hoc est inutilia, sed omniau tiliter, aut convenienter facta seu ordinata, unde scriptum est[2] : « Quod factum est in ipso vita erat, » hoc est in ipsa, antequam fierent, providentia divinæ Sapientiæ commodissime erant ordinata. Hinc rursum dicitur : « Deus cui omnia vivunt. » Et Apostolus[3] : « In quo, » inquit, « vivimus, movemur, et sumus. » Tam homines quam pecudes vivificat. Cujus dona aliqua ad vitam tam sapientissimi quam simplices atque idiotæ habent; unde et in *Ecclesiaste* dicitur[4] : « Quis novit spiritus filiorum Adam, et si ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum ? » hoc est qui sint prædestinati ad vitam, qui deputati ad mortem de sapientissimis et idiotis.

Hæc de Macrobio dicta sufficiant. Si quis autem me quasi importunum ac violentum expositorem causetur, eo quod minus propria expositione ad fidem nostram verba philosophorum detorqueam, et hoc eis imponam quod nequaquam ipsi senserunt, attendat illam Caiphæ prophetiam[5] quam Spiritus sanctus per eum protulit, longe ad alium sensum eam accommodans, quam prolator ipse senserit. Nam et sancti prophetæ, cum aliqua Spiritus sanctus per eos loquatur, non omnes sententias ad quas se habent verba sua intelligunt, sed sæpe unum tantum in eis habent, cum Spiritus ipse, qui per eos loquitur, multas ibi provideat, quatenus postmodum alias aliis expositionibus, et alias aliis inspirat. Unde Gregorius in *Registro* ad Januarium episcopum Calaguritanum[6] scribens ait[7] : « In intellectu sacræ Scripturæ respui non debet quicquid sacræ fidei non resistit. Sicut enim ex uno auro alii murenulas, alii annulos, alii dextralia ad ornamentum faciunt,

[1] *Georg.*, IV, v. 218 et seq. — [2] Joan., cap. I, v. 3. — [3] *Act. Apost.*, cap. XVII, v. 28. — [4] *Eccles.*, cap. III, v. 21. — [5] Joan., cap. II, v. 50, 51. — [6] Cod. Vict. *Caralutanum.* Leg. *Ad Domitianum metropolitanum.* — [7] *Epist.*, lib. III, ep. LXVII.

ita ex una Scripturæ sacræ sententia expositiones etiam per innumeros intellectus, quasi varia ornamenta componunt; quæ tamen omnia ad decorem cœlestis sponsæ proficiunt. » Ipse præterea Macrobius, ea quæ de anima mundi a philosophis dicta sunt, mystice interpretanda esse meminit. Quod etiam juxta literam exponi veraciter aut convenienter nullatenus queant, ut supra meminimus, ipsa nos litera ad expositionem mysticam compellit. Pluribus quoque testimoniis sanctorum didicimus Platonicam sectam catholicæ fidei plurimum concordare. Unde non sine causa maximus Plato philosophorum præ cæteris commendatur ab omnibus, non solum a peritis secularium artium, verum etiam a sanctis. De quo pater Augustinus in lib. de *Civitate Dei*[1] : « Mirantur, inquit, quidam nobis in Christi gratia sociati, cum audiunt vel legunt Platonem, eum de Deo ista sensisse quæ multum congruere veritati nostræ religionis agnoscuntur. Unde nonnulli putaverunt eum, quando perrexit in Ægyptum, Hieremiam audiisse, vel Scripturas propheticas in eadem peregrinatione legisse. Si diligenter computetur temporum ratio, quæ chronica historia continetur, Platonem indicat a tempore quo prophetavit Hieremias, centum fere annos postea natum fuisse. Qui cum octoginta et unum vixisset, ab anno mortis ejus usquequo Ptolemæus rex Ægypti Scripturas propheticas per septuaginta Hebræos qui Græcam linguam noverant, interpretandas habendas curavit, anni reperiuntur ferme novem. Quapropter in illa peregrinatione sua Plato nec Hieremiam videre potuit, tanto ante defunctum, nec easdem Scripturas legit in Græco, quæ nondum fuerant in Græcum translatæ; nisi, quia fuit acerrimi studii, sicut Ægyptiacas, ita et istas per interpretem didicit. » Adeo autem ipsa Platonis dicta verbis Domini atque prædicationi ejus consonare videntur, ut, sicut idem prædictus doctor in secundo *de Doctrina Christiana*[2] profitetur, quidam lectores et dilectores Platonis ausi sunt in tantam prorumpere insaniam, quod dicerent Domini nostri Jesu Christi sententias quas mirari et prædicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse. Hinc etiam Ptolemæus rex in Platonis dogma eadem videre, ni fallor, dictus est, quod Deum et mentem, id est Patrem et Verbum, ex Platonicis scriptis didicerat. Unde septuaginta interpretes cum ei legem transferrent, arcanum divinæ generationis prudenti, ut Judæi[3] dicunt, consilio penitus tacuerunt, ne si id quoque apud Hebræos prædicari audiret, duplicem divinitatem esse deprehenderet, quod[4] antea tantum unius Dei cultor exstiterat, nec propter Platonicum dogma ab unitate Deitatis deviaverat, licet ibi plures distingui personas audierit, unius tamen Deitatis singularitate servata. Hinc Hieronymus *Prologo Pentateuci* meminit dicens, a

[1] Lib. VIII, cap. II, *Opp.*, t. VII, col. 199. — [2] Lib. II, cap. XXVIII. *Opp.*. t III, col. 36.— [3] Sic *Theol. Christ.* Legitur in Cod. Vict. et Edit. Amb. *Ut videri dicunt*, quæ nullum sensum habent. — [4] Forsan *Qui*.

prædictis Septuaginta multa hujusmodi reticeri, ut est illud[1] : « Ex Ægypto vocavi filium meum, etc. » Ex quo liquidum est Platonicam sectam fidei sanctæ Trinitatis plurimum semper assentiri, et eam diligentius cæteris omnibus philosophis a Platone, et sequacibus ejus distingui ac describi. Unde et non immerito in ejus laudem Valerius Maximus his prorumpit verbis[2] : « Sed Platone parvulo dormiente in cunis, mel apes inseruerunt ejus labiis. Qua re audita, prodigiorum interpretes singularem eloquii suavitatem ore ejus emanaturam dixerunt. » Excellentius autem et convenientius ad interpretandum esse non dubito, si ad divinæ Deitatis gloriam hoc miraculum referatur, ut hoc ei Deus insigne præsagii conferret, qui divinitatis suæ per eum diligentius arcana revelaturus esset. Oportebat quippe, ut summæ Sophiæ, quæ Christus est, Verbum videlicet et Sapientia Dei Patris, summus philosophus ejusque sequaces plurimum attestarentur. Unde et juxta Augustinum, Apostolus Atheniensibus loquens, ut supra meminimus, cum rem magnam dixisset, et quæ a paucis posset intelligi, quod « in illo » scilicet, « vivimus, movemur, et sumus, » adjecit, « sicut et vestri quidam dixerunt[3] » Platonem quippe Atheniensem fuisse constat. Illud autem in quo non mediocriter errasse Plato et videtur et dicitur, illud, inquam, quod animam mundi factam esse dicit, hoc est initium habuisse, et quod supra Macrobius, cum de anima mundi loqueretur, asseruit Deum et *Noym*[4] citra animam esse, quasi superiores dignitate, cum constat inter Catholicos tres personas in divinitate per omnia sibi æquales et coæternas sibi esse, si diligentius attendant, a veritate non exorbitat; sicut postmodum ostendemus de processione Spiritus sancti disserentes[5]. Non enim sine causa hic philosophus præ cæteris commendatur ab omnibus tam fidelibus, ut supra meminimus, quam infidelibus. Cum itaque in omni doctrina philosophiæ Platonica secta enituerit, juvat etiam aliquorum Platonicorum testimonia inferre, quæ idem pater Augustinus in VII *Confessionum*[6] commemorat in scriptis se eorum reperisse. In quibus quidem fere tota fidei nostræ summa circa divinitatem Verbi apertissima continetur, sicut ipsa postmodum tradita est a summis scriptoribus novi Testamenti, Joanne scilicet et Paulo apostolis. Ait quippe Augustinus ibidem ad eumdem sermonem intendens : « Procurasti mihi per quemdam hominem immanissimo typho turgidum, quosdam Platonicorum libros ex Græca lingua in Latinam versos, et ibi legi non quidem istis verbis, sed hoc idem omnino multis et multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum :

[1] Ose cap. XI, v. 1. — [2] Lib. I, cap. VI. — [3] *Act Apost.*, cap. XVII, v. 28. In *Actibus Apostolorum*, ut recte animadvertit Edm. Martene (*Thes. Anecdot.*, V, p. 1192), legitur *vestrorum poetarum;* sed Abælardus *poetarum* vocem subticuit, ut dictum Apostoli posset attribuere Platoni quem Atheniensem facit, sed philosophum, non poetam.— [4] Νοῦν Amb.— [5] Sic *Theol. Christ.* Cod. Vict. et Edit. Amb. *Dissentire.* — [6] Lib. VII, cap. IX, *Opp.*, t. I, col. 138.

hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est; in ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Et quia omnis anima, quamvis testimonium perhibeat de lumine, non est tamen ipsa lumen, sed Verbum Dei, Deus, lumen est verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et quia in hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. Quia vero in sua propria venit, et sui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine ejus, non ibi legi. Item legi ibi quia Verbum Deus non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natum est. Sed quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, non ibi legi. Indagavi in literis illis, multis modis dictum, quod sit Filius in forma Patris, non rapinam arbitratus esse coæqualis Deo, quia naturaliter idipsum est. Sed quia semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo; humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit eum a mortuis, et donavit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris[1], non habent illi libri. Quod enim ante omnia tempora, et super omnia tempora incommutabiliter manet unigenitus filius tuus coæternus tibi, et quia de plenitudine ejus accipiunt animæ, ut beatæ sint, et quia participatione manentis in se sapientiæ renovantur ut sapientes sint, est ibi. Quod autem pro impiis mortuus est, non est ibi. »

At vero ne aliquis sexus inter homines sapientiæ fama cæteris præstantes fidei nostræ testimoniis desit, illa etiam famosa sibylla inducatur, quæ nec divinitatem Verbi, nec humanitatem, nec utrumque adventum, nec utrumque judicium Verbi scribendo prætermisit. Primum quidem judicium quo injuste Christus est judicatus in passione, et secundum quod juste judicaturus est mundum majestate; de qua Augustinus *contra quinque hæreses*[2] : « Audiamus quid etiam sibylla vates eorum de eodem dicat : « Alium, inquit, dedit Dominus homi-« nibus fidelibus colendum. » Item : « Ipse tuum cognosce Dominum Dei Filium « esse. » Alio loco Filium Dei, symbolum[3] appellat, id est consiliarium, vel consilium. Et propheta dicit[4] : « Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius. » De qua rursum idem pater Augustinus in VIII *de Civitate Dei*[5] : « Eo, » inquit, « tempore nonnulli sibyllam Erythræam vaticinatam ferunt, quam qui-

[1] *Phil.*, cap. II, v. 7. — [2] Cap. III, *Opp.*, t. VIII, *App.*, col. 3. — [3] Sic *Theol. Christ.* et Cod. Vict. Σύμβουλον, Edit. Amb. — [4] Isai., cap. IX, cap. 6. — [5] Lib. XVIII, v. 23. *Opp.*, t. VII.

dam magis credunt esse Cumanam, et sunt ejus xxviii versus qui, sicut eos quidam Latinis versibus est interpretatus, hoc continent:

Judicii signum, tellus sudore madescet,
Et cœlo Rex adveniet per secla futurus,
Scilicet in carne præsens ut vinceret, etc[1].

Quorum versuum quidem primæ literæ Græco junctæ id sonant: Jesus Christus filius Dei Salvator. Infert etiam Lactantius quædam de Christo vaticinia Sibyllæ[2]:

In manus, inquit, infidelium postea veniet;
Dabunt Deo alapas manibus incestis,
Et impurato ore inspuent venenatos sputos.
Dabit vero ad verbera Sanctum deorsum
Suppliciter, et colaphos accipiet. Ne quis agnoscat,
Quod verbum vel unde venit, ut inferis loquatur
Et spinea corona coronetur.
Ad cibum autem fel, ad sitim acetum dederunt.
Inhospitalitatem hanc monstrabunt mensam.
Ipsa enim insipiens gens tuum Deum non intellexisti
Ludentem mortalium mentibus, sed spinis
Coronasti, fel miscuisti.
Templi velum scindetur, et in medio die
Nox erit tribus diebus, somno suscepto,
Et tunc ab inferis regressus ad lucem veniet.
Primus resurrectionis principio ostensus.

Hoc profecto Sibyllæ vaticinium, ni fallor, maximus ille poetarum nostrorum Virgilius audierat atque intellexerat, cum in quarta *Ecloga* futurum in proximo, sub Augusto Cæsare, tempore consulatus Pollionis, mirabilem cuiusdam pueri de cœlo ad terras mittendi, qui etiam peccata mundi tolleret, et quasi seculum novum in mundo mirabiliter ordinaret, præcineret ortum, admonitus, ut ipsemet ait, Cumæi carminis vaticinio, hoc est Sibyllæ, quæ Cumæa sive Cumana dicitur. Ait quippe, sic quasi adhortans quoslibet ad congratulandum sibi, et concinendum seu conscribendum de hoc tanto puero nascituro, in comparatione cujus omnes alias materias quasi infimas et viles reputat dicens[3]:

Sicelides musæ, paulo majora canamus.
Non omnes arbusta juvant humilesque myricæ.

[1] Duo ultimi versus in Codice Victorino desunt. — [2] *Div. institut.*, lib. IV, cap. xviii. — [3] *Bucol.*, IV, v. 1 et sq.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo,
Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

Et post pauca :

Teque adeo decus hoc te Consule inibit,
Pollio, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

Item de puero :

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

Quæ apertissimam de incarnatione filii Dei continent prophetiam, ipso fortassis poeta ignorante quæ in Sibylla vel in eo Spiritus loqueretur, sicut de Caipha contigit dicente, quia[1] « expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat, » ubi et subditur : « Hoc autem a semetipso non dixit. » Facillime autem ex subsequentibus convinci potest hanc Eclogam de nullo veraciter aut convenienter accipi posse, nisi de incarnato unigenito Dei typice, more prophetico, dicantur, cum apertissime falsa et impossibilia deprehendantur esse, si ad literam exponantur, nec saltem commode in adulationem, ut quibusdam videtur, afferri, quæ statim judicio omnium tanquam incredibilia respuuntur : ut magis contra poetam commoveant ad indignationem quam benevolentiam trahant. Sed hæc diligentius alibi nobis ostendenda sive exponenda occurrent, cum de incarnatione scilicet Verbi, magis quam de divinitate ejus testimonia conferemus. Qui et postmodum in alia *Ecloga* divinam Trinitatem non mediocriter innuens, ex cujusdam ad alium persona dicit[2] :

Trina tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco, numero Deus impare gaudet.

Vota quippe hic quidem sortilegi ritus ostendens, quæ maximam vim habeant ad constringendum rebellem, minatur dicens : Tria fila ejusdem substantiæ, id est de lana, sed diversa triplici colore tibi, in effigie videlicet tua, circumdo, ad te vi-

[1] Joan., cap. XI, v. 50. — [2] *Bucol.*, VIII, v. 73 et sq.

delicet et constringendum et capiendum, quasi illud Salomonis attendens[1] : « Funiculus triplex difficile rumpitur. » Et tunc, inquit, effigiem tui sic ligatam duco ter circum altaria. Denique cur et terna licia dixerit, vel triplicem colorem, sive ternum circuitum altaris, quasi in omnibus ternarii numeri magnam vim attenderet ad celebrationem divinorum sacrorum, adiecit, quia Deus gaudet impare numero. Ac si diceret : Quia Deus hoc numero, secundum personarum Trinitatem, describi vult suam perfectionem. Quæ quidem personæ sunt ejusdem substantiæ, sed proprietatibus diversæ, unde tribus laneis filis diversorum colorum expressæ videntur.

Nunc itaque ad proposita de divinitate Verbi testimonia revertamur, et cum David et Salomone, regibus Israel, tertium adhibeamus gentium regem ad summi vaticinium regis. Quid enim apertius illo testimonio Nabuchodonosor, de filio Dei[2]? « Ecce, » inquit, « video cœlos solutos, quatuor ambulantes in medio ignis, et species quarti similis filio Dei. » Juvat autem et Didymi regis Brachmanorum inferre testimonium, ut in quatuor regum auctoritate, nostræ assertio fidei præmineat, duorum quidem Judæorum, et duorum gentilium, David scilicet et Salomonis, Nabuchodonosor et Didymi, sintque hi quatuor reges quasi quatuor rotæ nobilis quadrigæ summi Regis, per quas videlicet fides quatuor Evangelistarum de sancta Trinitate per universum deferatur mundum, et tanto regum auctoritas sit firmior, quanto potestas similior, et qui edicta populis legesque proferunt, sacræ quoque fidei testimonia tradant.

Ait itaque Didymus in prima ad Alexandrum epistola, ait, inquam, sic : « Inter cætera religionis vel fidei suæ gentis insignia, non suscipit Deus sacra sanguinea, cultum diligit incruentum, spernit funesta libamina, verbo propitiatur orantibus, quod solum ei cum homine est, suaque nimis[3] similitudine delectatur. Nam Verbum Deus est, mundum creavit, hoc regit atque alit omnia, hoc nos veneramur, hoc diligimus, ex hoc spiritum trahimus, si quidem Deus ipse spiritus atque mens est, atque ideo non terrenis divitiis nec largitate munifica, sed religiosis operibus, et gratiarum actione placatur. » Ex his liquide verbis traditur, tam Verbum ipsum Dei, quam Spiritum ab ipso fidelibus infusum esse Deo, quem rex ille non solum credebat, verumetiam alteri magno Regi scribendo prædicat. Quantæ autem religionis seu abstinentiæ populus Brachmanorum fuerit, ut illis Deus supra universas nationes fidei sacræ intelligentiam inspirare deberet, epistolæ ipsæ Didymi ad Alexandrum continent. Quibus quidem epistolis si fides exhibenda sit, nulla hominum vita quantumcunque religiosorum innocentiæ atque abstinentiæ Brachmanorum æquiparanda videtur. Unde et hæc in exemplum abstinentiæ bea-

[1] *Eccles.*, cap. IV, v. 12. — [2] *Dan.*, cap. III, v. 92. — [3] Sic Cod. Vict. *Numinis* Amb.

tus quoque Hieronymus nobis proposuit, de quibus inter cetera in secundo *Contra Jovinianum* meminit dicens[1] : « Bardesanes, vir Babylonius, in duo dogmata apud Indos gymnosophistas dividit, quorum unum appellat Brachmanas, alterum Samoneos, qui tantæ continentiæ sint, ut vel pomis arborum juxta Gangem fluvium, vel publico orizæ et farinæ alantur cibo; et cum rex ad eos venerit, adorare illos solitus sit, pacemque provinciæ suæ in illorum precibus arbitrari sitam. » Ad quos etiam divina gratia prædicationem Evangelii directam esse, ipsa ejusdem *Epistola ad Magnum Oratorem* perhibet, his verbis[2] : « Pantænus, Stoicæ sectæ philosophus, ob præcipuæ eruditionis gloriam a Demetrio, Alexandriæ episcopo, missus est Indiam, ut Christum apud Brachmanas et illius gentis philosophos prædicaret. »

Seneca quoque inter universos philosophos tam moralis doctrinæ quam vitæ gratiam adeptus, Spiritum sanctum bonorum omnium distributorem patenter profitetur, ita de ipso ad Paulum Apostolum in quarta scribens Epistola[3] : « Profiteor me bene acceptum lectionem literarum tuarum quas Galatis, Corinthiis, Achæis misisti. Spiritus enim sanctus in te supra excelsos sublimior, satis venerabiles sensus exprimit. »

Restat denique ad maximum illum Latinorum philosophorum, Boethium scilicet, descendere : qui omnes fere liberalium artium disciplinas, scribendo vel transferendo, seu etiam exponendo latine tradidit, ac diligenter sanctæ Trinitatis fidem Symmacho socero ac Patricio scribendo edisserens, de unitate quoque personæ Christi ac diversitate naturarum quæ in Christo sunt, divinæ scilicet et humanæ, ad Joannem Diaconum qui postea Papa effectus est, scribendo contra Eutychem et Nestorium, optime disputavit, fidemque nostram et suam, ne in aliquo vacillaret, tam de divinitate quam de divinitatis incarnatione tractando, inexpugnabiliter astruxit. Constat egregium senatorem Romanum quoque et consulem atque patricium, tempore prædicti Joannis Papæ floruisse a Sylvestro Papa vicesimi, et eum in illa persecutione Christianorum qua in Joannem Papam ceterosque Christianos Theodericus sæviit, una cum prædicto Symmacho occubuisse. De quo in *Gestis* Pontificum, necnon et in libro *Miraculorum* B. Benedicti scriptum est, qualiter videlicet ambos Theodericus rex Gothorum interfecerit. In *Gestis* quidem ita scriptum reperies : « Rex hæreticus Theodericus duos senatores et consules et patricios gladio interfecit, Boethium et Symmachum, quorum etiam abscondi corpora fecit et præcepit. » In libro autem *Miraculorum* prædicti sancti ita continetur : « Theodericus post Odoacrem Gothorum principatum cum regio nomine suscipiens, homo pestilens Arianæ sectæ, denique inter cetera facinora Joannem

[1] *Opp.*, t. IV, p. 11., col. 206. — [2] Epist. 83, *Opp.*, t. IV, p. 11; col. 656. — [3] Istas epistolas constat esse spurias.

Papam corporali inedia maceratum necavit: duosque senatorii ordinis viros et exconsules, Symmachum videlicet atque Boethium in carcere gladio transverberavit. » Cum itaque Dominus et per prophetas Judæis, et per præstantes philosophos seu vates gentibus catholicæ fidei tenorem annuntiaverit, inexcusabiles redduntur tam Judæi quam gentes, si cum hos in ceteris doctores habeant, in salutem animæ cujus est fundamentum fides ipsos non audiant. Et quidem multi ex gentibus, nonnulli ex Judæis in hoc quoque a doctoribus populi sui instructi, fidem sanctæ Trinitatis recognoverunt in uno corpore Ecclesiæ quasi duo parietes conjuncti. Ex gentibus quidem primo Græci, ex quibus prædicti philosophi fuerunt; post Græcos Latini, qui sicut in disciplinis secularium artium imitati sunt Græcos, ita et in vera fidei doctrina ab ipsis exempla sumpserunt, cum eos scilicet Christianam fidem suscepisse audiissent, quos ingeniorum subtilitate præditos, omnibus philosophiæ rationibus armatos esse cognoverant.

LIBER SECUNDUS.

Operis parte superiori[1], testimonia quædam tam Prophetarum, quam philosophorum collegimus, quibus sanctæ Trinitatis fidem astrueremus, ubi quidem dum philosophorum infidelium assertiones, sicut et sanctorum Patrum, quasi in auctoritatem induximus, multorum nos detractionibus corrodendos patere[2] præsensimus, atque a nonnullis nobis id improperandum, quod B. Hieronymo a multis olim legimus objectum, cum non solum ille et ethnicorum, verum etiam hæreticorum testimonia suis insereret scriptis. Unde et adversus calumnias Magni Oratoris urbis Romæ epistolam scribens, ita exorsus ait[3] : « Quid quæris quod in opusculis nostris secularium literarum interdum ponamus exempla, et candorem ecclesiæ ethnicorum sordibus polluamus? Nunquam hoc quæreres si scripturas sacras legeres, si interpretes earum revolveres. Quis enim nesciat, et in Moyse ac Prophetarum voluminibus, quædam assumpta de gentilium libris, et Salomonem philosophari, et proposuisse nonnulla, et aliqua respondisse? Unde in exordio *Proverbiorum* commonet ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas, et obscurum sermonem, dicta sapientium et ænigmata, quæ proprie sunt dialecticorum et philosophorum. Sed et Paulus Apostolus Epimenidis poetæ abusus versiculo est, scribens ad Titum[4] :

Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.

In alia quoque epistola Menandri ponit senarium[5] :

Corrumpunt mores bonos confabulationes malæ.

Et apud Athenienses in Martis curia disputans, Aratum testem vocat[6] : « Ipsius enim et genus sumus. » Pater, hoc est doctor Christiani exercitus, et orator invictus pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam arte torquet in argumentum fidei. Didicerat enim a vero David[7], extorquere de manibus hostium gladium, et Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare. Legant in *Deuteronomio*[8] mulieris captivæ radendum caput, supercilia, omnes pi-

[1] Amboes. *Superioris*.—[2] Sic Amboes. Forsan *parare*.—[3] Epist. 83, *Opp*., t. IV, p. 11, col. 654. — [4] *Tit.*, cap. I, v. 12. — [5] I Corinth., cap. XV, v. 33. — [6] *Act. Apost.*, cap. XVII, v. 28.— [7] I Reg., cap. XVII.—[8] *Deut.*, cap. XXI.

los et ungues corporis amputandos, et sic eam habendam conjugio. Quid ergo mirum, si et ego sapientiam secularem, propter eloquii venustatem, membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiva Israelitam facere cupio? Et si quidquid in ea mortuum est, idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido vel rado, et mixtus purissimo corpori vernaculos ex ea genero Domino? » Item[1] : « Cyprianus, vir eloquentiæ pollens, et Martyrio Formiano[2] narrante mordetur, cur adversus Demetrianum scribens testimoniis usus sit Prophetarum et Apostolorum, quæ ille[3] ficta et commentitia esse ducebat, et non potius philosophorum et poetarum, quorum auctoritati, ut ethnicus, contraire non poterat? » Item : « Josephus duos libros scribit contra Apionem Alexandrinum, et tanta secularium profert testimonia, ut mihi miraculum subeat, quomodo vir Hebræus, ab infantia sacris literis eruditus, cunctam Græcorum bibliothecam evolverit. » Item : « Exstant et Juliani Africani libri et Theodoreti, viri apostolicorum signorum ac virtutum; et Dionysii Alexandrini episcopi, Anatolii quoque, Pamphili, Pierii, Luciani, Malchionis, Eusebii Cæsariensis episcopi, etc., qui omnes in tantum philosophorum doctrinis atque sententiis suos referserunt libros, ut nescias quid in istis primum admirari debeas, eruditionem an sententiam literarum. » Idem ad Vigilantium presbyterum[4] : « Eadem absenti significo, quæ præsenti quoque locutus sum, nec ita Origenem legisse vel legere, aut Apollinarem, aut cæteros tractatores, quorum in quibusdam libros Ecclesia non recipit, quia operis mei et studii est multos legere, ut ex plurimis multos flores carpam, non tam[5] probaturus omnia, quam quæ bona sunt electurus. Assumo multos in manu, ut ex multis multa cognoscam, secundum quod scriptum est[6] : « Omnia legentes, quod bonum est retinentes. » Unde satis miror te voluisse Origenis mihi objicere dogmata. Origenes hæreticus quid ad me, qui illum in plerisque hæreticum non nego? Erravit de resurrectione corporis, de statu animarum, de Diaboli pœnitentia et quod his majus est, Filium et Spiritum sanctum in Commentariis Isaiæ Seraphim contestatus est. » Item : « Neque enim debemus bona ejus recipere, ut mala quoque recipere cogamur. Si ergo quæ bona sunt, transtuli, et mala quæ amputavi vel tacui, vel correxi, arguendus sum, cur non per me Latini bona ejus habeant, et ignorent mala? Si hoc crimen est, arguatur Hilarius confessor, qui Psalmorum interpretationem et Homilias in Job ex libris ejus transtulit. Sit in culpa Vercellensis Eusebius, qui omnium Psalmorum commentarios hæretici hominis vertit in nostrum eloquium, licet hæretica prættermitens. » Hoc quidem et Hie-

[1] Epist. 83, *Opp.*, t. IV, p. 11, col. 654. — [2] Sic Cod. Vict. *Formano* Amb. Alias *Firmiano*. — [3] Sic. Cod. Vict. *Illa* Amb. — [4] Epist. 36, *Opp.*, t. IV, p. 11, col. 276. — [5] Sic Cod. Vict. *Non* deest Amb. — [6] I Thess., cap. v, v. 21.

ronymus adversus eorum calumnias reddidit, qui ob id catholicos tractato. reprehendendos autumant, quod suis scriptis infidelium testimonia vel dicta inserere præsumant, quasi eis auctoritatem tribuant, qui nulla digni sunt auctoritate, et quasi maculare sacras sententias possit veritas per infideles prolata. Noverat certe ut discretissimus grana a paleis, et margaritam cæteris quandoque pretiosiorem in sterquilino deprehendere, quam in ornamento regio tanquam sapiens aurifaber valeat componere. Tenebat certissime, et dona Dei per quemcunque malum contaminari non posse, nec divina sacramenta contactu pravorum inquinari, cum aut in nomine Trinitatis infideles baptizant, aut pessimi quique divina verba prædicant, aut prophetias loquuntur, et nonnunquam miracula faciunt. Quæcunque enim bona sunt, a Deo esse necesse est, nec ea quorumlibet malitia contaminare potest. Unde nec prophetiam Balaam gentilis, neque Arioli sacra improbavit auctoritas, qua postmodum magi primitiæ gentium incitati creduntur, ut nova apparente stella novum statim regem quærerent, nec Sibyllæ vel Virgilii vaticinia spiritualis doctor Augustinus sanctorum prophetiis inserere timuit, attendens illud Apostoli[1] : « Et nemo dicere potest: Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto, » nec prophetiam Caiphæ commendare Evangelista veritus est dicens[2] : « Hos autem a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit. » Nec ipsorum dæmonum testimonia Evangelium reticuit, cum ad eorum expulsionem Domino veniente, eum Jesum Christum, seu filium Dei inclamarent ac confiterentur. Quippe cujus virtutem, sive nascentis, seu morientis, sive resurgentis vel ascendentis et miracula facientis, ipsa etiam insensibilia quodammodo sensisse, ut ei testimonium suo modo præberent, beatus perhibet Gregorius; Angelis quidem et stella statim in ortu ipsius apparentibus, in morte vero sole obscurato, petris et vela templi scissis, et monumentis sanctorum apertis resurgentium, multisque apparentium, in resurrectione terræ motu facto cum visione Angelorum, in ascensione nube eum suscipiente. Cujus quoque potentiam atque sapientiam universus mundi ornatus annuntiare non cessat ac prædicare, et suo modo laudare, et commendare, ex ipsa sui mirabili compositione ac dispositione. Unde Apostolus[3] : « Invisibilia, » inquit, « ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque virtus et divinitas, etc. » Hinc Psalmista insensibilium quoque creaturarum laudibus applaudens, omnes pariter ad laudes Dei creaturas invitat, quasi ex omnibus optime conditis laudes Dei a nobis exigat, qui pro nobis in mundo condidit universa. Unde et a summitate[4] cœli,

[1] I Corinth., cap. XII, v. 3. — [2] Joan., cap. XI, v. 51. — [3] *Rom.*, cap. I, v. 20. — [4] Sic Cod. Vict. *Solemnitate* Amb.

et sublimitate Angelorum exorsus usque ad dracones et serpentes atque omnes abyssos, divinas extendit laudes, cum dixerit[1] : « Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi. » Et iterum : « Serpentes et volucres pennatæ. » Qui nec alia reptilia prætermittit dicens[2] : « Laudabunt illum cæli et terra, mare et omnia reptilia in eis. » Legimus etiam in vita Pauli Hermitæ a beato scripta Hieronymo, Satyrum beato apparuisse Antonio, qui adventum Salvatoris protestans, ait sancto viro : « Legatione fungor mei gregis, precamur ut pro nobis communem Deum depreceris, quem in salutem mundi olim venisse cognovimus, et in universam terram exiit sonus ejus. » Cujus quidem Satyri videlicet confessionem ac testimonium de Christo longævus viator admirans, et gavisus quod etiam monstra Christum prædicarent, et vehementer indignatus super duritia et cæcitate Alexandriæ, baculo statim humum percutiens, aiebat : « Væ tibi, Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris. Quid nunc dicturi estis? Bestiæ loquuntur Christum. » Ac si aperte clamet dicens : « Conteret impudentiam vestram saltem confessio monstrorum. » Quæ quidem confessio tanto fortasse gloriam mirabilius atque potentiam Dei prædicat, quanto majori miraculo est habenda, et tanto verior ejus assertio videtur, quanto a doctrina hominum remotior est, et tota suggestioni sancti Spiritus imputanda. Unde et verba Asinæ Balaam, et voces in aere factæ, sicut de baptizato vel transfigurato Domino legimus, cum aliquid astantibus annuntiaverunt, tanto facilius ad fidem auditores commovebant, quanto mirabiliores omnibus apparebant. Quod de philosophis quoque et quibusdam gentilibus quantumvis infidelibus, seu nostræ fidei inimicis, manifesta docetur ratione. Quo enim fidei nostræ magis essent adversi, minus in laude ejus invenirentur suspecti, et probabilius in laude cujuslibet est testimonium inimici, quam amici, sicut e converso in crimine. Unde et cum Josephi Judæi testimonium de Christo vel de Sanctis ejus legimus, plurimum ad fidem in eo commovemur, et cum audimus Philonem Judæum vitam monachorum Ægypti probasse atque commendasse, plus nobis satisfacit, quam si quis nostrum eam commendaret. Ex quo utrique inter illustres viros a B. Hieronymo connumerari et ascribi meruerunt.

Quid etiam magis necessarium ad defensionem fidei nostræ, quam ut adversus omnium infidelium importunitatem ex ipsis habeamus per quod ipsos refellamus? ut si nos impetunt philosophi, per ipsos convincantur doctores sui atque philosophi, et si nos impetunt hæretici, aliquibus[3] sacræ paginæ testimoniis refellantur, atque ita juxta Apostolum[4], « omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo. » Quis etiam hæreticos longe deteriores esse gentibus et

[1] Psalm. CXLVIII, v. 7, 10. — [2] Psalm. LXVIII, v. 35. — [3] Sic Cod. Vict. *A quibus* Amb. — [4] Rom., cap. III, v. 19.

quibusdam philosophis ignoret? Juxta namque Petri Apostoli assertionem, melius esset his non nosse veritatis viam, quam post agnitam retro ire[1]. Si ergo propter infidelitatem gentilium, hi qui aliquibus eorum testimoniis vel dictis utuntur, arguendi sunt : multo amplius illi qui Origenis tot et tantis hæresibus irretiti expositiones atque sententias tam studiose ad nostram transtulerunt atque induxerunt ædificationem, cum ex infidelitate damnabiliores omnibus, ut dictum est, constet esse hæreticos. Cujus quidem innumeras ac supramodum abominandas hæreses silentio deperire non sustinuerunt, quasi et in his retractandis aliquam præviderent utilitatem, ac si ab eis designatis atque damnatis cæteri sibi facilius providerent, aut quibus eas rationibus dissolverent, si quis in eis illos illaquearet, addiscerent. Unde et B. Hieronymus epistolam ad Avitum[2] Presbyterum direxit, ut hæretica illa quæ in libris Periarchon Origenes innumera[3] posuerat, ex parte manifestaret. Quis etiam me testimoniis philosophorum inductis ratione arguat, nisi et in culpam mecum sanctos doctores in hoc ipso trahat? Quæ enim superius ex philosophis collegi testimonia, non ex eorum scriptis quorum pauca novi, imo ex libris sanctorum patrum collegi. Numquid et Apostolum arguere præsumeret, qui, ut ait B. Augustinus in VIII *de Civitate Dei*[4], Atheniensibus loquens, cum rem magnam de Deo dixisset, et quæ a paucis posset intelligi, quod « in illo » scilicet « vivimus, movemur, et sumus, » adjecit, « sicut et bene quidam poetarum vestrorum dixerunt[5], » philosophorum videlicet ipsorum, quorum studiis gloriosa illa civitas exstiterat, testimonium ad persuasionem inducens, de quibus, ut in eodem ipse Augustinus præmisit, ad Romanos scribens ait, quia « quod notum est Dei manifestum est in illis. Deus enim illis revelavit, etc.[6] » Ex quibus aperte Apostolus docet eis quoque mysterium Trinitatis fuisse revelatum. Sed hæc quidem[7] verba Apostoli nobis in sequentibus exponenda occurrunt. Nunc autem adversus tam hæreticorum quam philosophorum objectiones, pluribus de fide sanctæ Trinitatis collectis atque expositis testimoniis, superest aperire, quibus rationibus defendi possit quod testimoniis confirmatum est. Omnis quippe controversia, ut in *Rhetoricis* suis Tullius meminit, aut in scripto, aut ratione versatur, et beato attestante Augustino, in omnibus auctoritatem humanæ anteponi rationi convenit; maxime autem in his quæ ad Deum pertinent, tutius auctoritate quam humano nitimur judicio. Hinc est illud quod ait, cap. I. lib. *de Moribus Ecclesiæ contra Manichæos*[8] : « Naturæ quidem ordo ita se habet, ut, cum aliud dicimus, rationem præcedat auctoritas; nam infirma ratio videri potest, quæ cum reddita fuerit, auctoritatem postea, per quam

[1] II Petr., cap. II, v. 21. — [2] Sic Cod. Vict. *Auctum* Amb. — [3] Sic Cod. Vict. *Minima* Amb. — [4] Cap. x. *Opp.*, t. VII, col. 198. — [5] *Act. Apost.*, cap. XVII, v. 28. — [6] *Rom.*, cap. I, v. 19. — [7] Sic Cod. Vict. *Sed hic quædam verba* Amb. — [8] Lib. I, cap. I, *Opp.*, t. III, col. 688.

firmetur, non assumit.» Restat itaque nunc nobis post auctoritatum fundamentum, fulcimenta superinducere rationum, maxime ideo ne verbositas inimicorum Christi nostræ insultet simplicitati, qui cum aliquos idiotas aut minus eruditos Christianos inductionum suarum laqueis præpedierint, summæ id sibi gloriæ ascribunt. Quibus quidem non sufficit ut soli moriantur, nisi alios compellant suis erroribus, illo videlicet Judæorum more, quo eos Veritas dicit[1] « mare et aridam circuire, ut faciant proselytum unum. »

Omnium autem bonorum quasi fundamentum fidem sanctæ Trinitatis ponimus, ut ab ipsa divinæ naturæ cognitione omnium bonorum ducatur exordium. Quisquis itaque hoc fundamentum labefactare poterit, nihil fructuosum nobis de his quæ superædificanda sunt relinquit. Unde et nos primum huic tanto periculo tam auctoritatum quam rationum clipeum opponere curavimus, in eo quidem confisi, qui suos confortat, dicens[2] : « Cum steteritis ante Reges et Præsides, nolite cogitare, etc. » Cujus quidem fretus auxilio, parvulus David immensum Goliath et tumidum proprio ipsius gladio jugulavit. Et nos ergo, humanarum gladio rationum, quibus nos tam philosophi quam hæretici impetunt, in eos converso, eorum robur aciesque argumentorum suorum in Domino dissipemus, ut jam minus simplicitatem fidelium aggredi præsumant, cum de his confutati fuerint, de quibus præcipue impossibile eis videtur responderi de diversitate personarum in una et individua penitus ac simplici divina snbstantia, et de generatione Verbi seu processione Spiritus. De quo quidem nos docere veritatem non promittimus, ad quam neque nos neque mortalium aliquem sufficere credimus; sed saltem aliquid verisimile atque humanæ rationi vicinum, nec sacræ fidei contrarium proponere libet, adversus eos qui humanis rationibus fidem se impugnare gloriantur, nec nisi humanas curant rationes quas noverunt, multosque facile assentatores inveniunt, cum fere omnes animales sint homines, ac paucissimi spirituales. Sufficit autem nobis quocunque modo summorum inimicorum robur dissipare, præsertim cum alio modo non possumus, nisi has quas noverunt rationes ex ipsorum artibus afferamus. Absit enim hoc ut credamus Deum, qui malis quoque ipsis bene utitur, non bene etiam omnes artes quæ ejus dona sunt ordinare, ut hæc quoque ejus majestati deserviant, quantumcunque male his abutuntur perversi. Unde et B. Augustinus, cæteri quoque doctores ecclesiastici, seculares quoque artes, atque ipsam quoque dialecticam præcipue sacræ Scripturæ admodum necessariam perhibent. Adeo namque prædictus doctor lib. II *de Ordine*[3], dialecticam commendare ausus est, ut eam solam scientiam esse profiteri videatur, cum eam solam posse facere dicat scientes. « Disciplinam,

[1] Matth., cap. XXIII, v. 15. — [2] Matth., cap. XIX, v. 19. — [3] Cap. XIII, t. I, col. 346.

inquit, disciplinarum, quam Dialecticam vocant. Hæc docet[1] docere. Hæc docet discere. In hac seipsam[2] ratio demonstrat, atque aperit quæ sit, quid velit; scit scire; sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest. » Idem in secundo *de Doctrina Christiana*, cum inter omnes artes præcipue Dialecticam et Arithmeticam sacræ paginæ necessarias esse profiteantur, illam quidem ad dissolvendas quæstiones, hanc ad allegoriarum mysteria discutienda, quæ frequenter in naturis numerorum investigamus, tanto amplius Dialecticam extulit, quanto amplius eam necessariam assignavit, ad omnes videlicet quæstionum dubitationes terminandas. Ait autem sic[3]: « Restant ea quæ non ad corporis sensus, sed ad rationem pertinent, ubi disciplinam disputationis regunt et numeri. Sed disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum quæ in sanctis libris continentur plurimum valet. Tamen ibi cavenda est libido rixandi, et puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium. Sunt enim quidem multa quæ appellantur sophismata, sicut conclusiones rationum, et plerumque ita veras imitantes, ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus attentos decipiant. Quod genus captiosarum conclusionum Scriptura, quantum existimo, detestatur illo loco ubi dictum est[4]: « Qui sophistice loquitur, odibilis est. » Qui rursum in eodem, cum in ipsis philosophorum dictis magnam morum ædificationem, et nullam de fide et cultu unius Dei doctrinam consideraret, adjecit atque ait : « Philosophi qui vocantur si qua forte et fidei nostræ accommodata dixerunt, maxime Platonici; non solum formidanda non sunt, sed etiam ab eis tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Sicut enim Ægyptus non tantum idola habebat quæ populus Israel detestaretur, sed etiam vasa atque ornamenta de auro et argento, et vestem quam ipse populus exiens de Ægypto sibi potius, tamquam ad usum meliorem, clanculo venditavit[4] præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter accommodantibus ea quibus non bene utebantur : sic doctrinæ omnes gentilium et liberales disciplinæ usui veritatis aptiores, etiam morum quædam præcepta continent, deque ipso Deo colendo nonnulla vera apud eos inveniuntur. » Item in eodem de philosophis : « Dederunt aurum, et argentum, et vestem suam exeunti de Ægypto populo Dei, nescientes quemadmodum illa quæ dabant in Christi obsequium redderentur. » Noverat itaque iste Ecclesiasticorum maximus Doctor, a philosophia olim gentili ad veram, quæ Christus est, sophiam conversus, quæ in philosophicis de Deo legerat scriptis, et quam indignum philosophicas quoque disciplinas, quæ inter maxima dona Dei semper in terris effloruerunt, auctorem suum atque omnium non agnoscere, et ei quoque cui obtemperant omnia, non

[1] Male legit Amb. *Hoc docet*, etc. — [2] Sic Cod. Vict. *Seipsæ* Amb. — [3] Lib. II, cap. xxxi, *Opp.*, t. III, col. 38. — [4] Eccli., cap. xxxvii, v. 23. — [4] Sic Cod. Vict. *vendicavit* Amb.

deservire. At non deerat et illud quod in *Ecclesiastico* scriptum est[1] : « Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conservabit, et versutias parabolarum simul introibit. Occulta proverbiorum exquiret, et in absconditis parabolarum conversabitur. » Juxta quod et Salomon ipse, beato, ut suprà meminimus, testante Hieronymo, in ipso statim *Proverbiorum* exordio commonet, ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque parabolarum, et obscurum sermonem, dicta sapientum et ænigmata. Quæ proprie, ut ait Hieronymus, dialecticorum sunt et philosophorum, unde et a sanctis postmodum Patribus, non incongrue liberalium artium studia tamquam sacræ paginæ admodum necessaria plurimum commendantur, cum omnino poetica figmenta Christianis interdicantur, non solum quia fallacitate referta sunt, et os quod mentitur occidit animum, verum etiam quia inanium fabularum cogitationibus ad desideria turpitudinum quæ finguntur alliciunt animam, atque a sacræ lectionis studio nos abducunt. De utrisque autem in promptu sunt sanctorum testimonia nobis. Synodus Eugenii papæ tempore Ludovici : « De quibusdam, inquit, locis, ad nos refertur non magistros neque curam inveniri pro studio literarum. Idcirco universis episcopis subjectisque plebibus et aliis locis, in quibus necessitas occurrerit, omnino cura et diligentia adhibeatur, ut Magistri et Doctores constituantur, qui studia literarum liberaliumque artium habentes, dogmata doceant, quia in his maxime divina manifestantur atque declarantur mandata. » De poeticis autem figmentis, quos nonnulli libros Grammaticæ vocare consueverunt, eo quod parvuli ad eruditionem grammaticæ lectionis eos legere soliti sint, talia sanctorum sanxit auctoritas. Hieronymus *ad Damasium Papam* de filio prodigo[2] : « Dæmonum cibus est carmina Poetarum, Secularium scientia, Rhetoricorum pompa verborum. » Et post aliqua tamquam *Exodi* illud ad mentem recurreret[3] : « Per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro. » « Absit, inquit, ut de ore Christiani sonet Jupiter omnipotens, et me Hercules, me Castor, et *cætera magis omnipotentia quam numina*. At nunc etiam sacerdotes Dei, omissis Evangeliis et Prophetis, videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum verba cantare, tenere Virgilium; et id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluntatis. » Idem *super Epistolam ad Ephesios*[4] : « Educate, ait Apostolus, filios in disciplina et correctione Dei. » Legant Episcopi atque Presbyteri, qui filios suos secularibus literis erudiunt, et faciunt comœdias legere, et amorum turpia scripta cantare de ecclesiasticis quoque sumptibus eruditos, et quod in corbanam pro peccato

[1] Eccli., cap. XXXIX, v. 1 et sq. — [2] *Opp.*, t. IV, p. 1, col. 153. — [3] Exod., cap. XXIII, v. 13. — [4] Ephes., cap. VI, v. 4, *Opp.*, t. IV, p. 1, col. 396.

quilibet pauper totam substantiam effundens obtulerat, hoc in Saturnalium sportulam et Minervæ, aut in sumptus domesticos, aut in sordida scorta convertunt.» Item idem in Epistola *ad Eustochium Virginem*[1]: « Quæ communio lucis ad tenebras? Quis consensus Christi ad Belial? Quid facit cum Psalterio Horatius, cum Evangelio Maro, cum Apostolo Cicero? » Quod vero de poeticis figmentis, non de philosophicis documentis, aut liberalium artium studiis, hæc sunt dicta, aperte Isidorus *de Summo Bono* libro III, cap. XIII, insinuat dicens[2]: « Ideo prohibetur Christianis legere figmenta poetarum, quia per oblectamenta inanium fabularum excitant mentem ad incentiva libidinum. Non enim solum thura offerendo dæmonibus immolatur, sed etiam eorum dicta libentius capiendo. » Item[3]: « Cavendi sunt libri gentilium, et propter amorem sacrarum Scripturarum vitandi. Simplicioribus literis non est præponendus succus grammaticæ artis; meliores enim sunt communes literæ et simpliciores ad solam utilitatem pertinentes : illæ vero nequiores sunt quæ ingerunt mentis elationem[4]. Meliores sunt Grammatici quam hæretici. Grammaticorum doctrina potest etiam proficere ad vitam, dum fuerint in meliores usus assumpti. » Ex Concilio quarto Carthaginiensi cap. IX : « Episcopus gentilium libros non legat; hæreticorum autem pro necessitate et tempore. » Gregorius Desiderio episcopo[5]: « Pervenit ad nos fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere, quam rem ita[6] moleste suscepimus, ac sumus vehementius aspernati, ut ea quæ prius dicta fuerant in gemitum et tristitiam verteremus, quia uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt, et quam[7] grave nefandumque sit Episcopum canere quæ nec laïco religiose conveniant, ipse considera. » Unde et Plato ipse, cum civitatis novæ ordinandæ traderet institutionem, poetas a civitate esse dejiciendos decrevit, sicut in secundo de *Civitate* lib. B. Augustinus his verbis commemorat[8]: « An forte, inquit, Platoni potius danda est palma, qui cum ratione formaret, qualis esse civitas debeat, tamquam adversarios civitatis poetas censuit urbe pellendos? » Item post aliqua : « Qui scilicet Plato poetas ipsos, vel pro arbitrio mentientes, vel hominibus miseris, quasi Deorum facta pessima imitanda proponentes, omnino in civitate bene instituta vivere noluit, » ac si aperte Sanctis ipsis jam illud prædicaret[9]: « Os quod mentitur occidit animam. » Atque illud Apostoli[10]: « Fornicatio et omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet, etc. » Quid etiam de philosophicis vel de poeticis existimet musis, et quan-

[1] *Epist.* XVIII, *Opp.*, t. IV, p. 1, col. 42. II *Corinth.*, cap. VI, v. 14. — [2] Lib. III, cap. XIII, *Opp.*, t. VI, p. 296. — [3] *Ibid.*, p. 297. — [4] Male legit Amboesius *elocutionem*. — [5] *Epist.*, lib. XI, *epist.* LIV. — [6] Male legit Amboesius: *Quam tunc.* — [7] Sic Cod. Vict. *Quod* Amb. — [8] Cap. XIV, *Opp.*, t. VII, col. 41. — [9] *Sap.*, cap. I, v. 11. — [10] *Ephes.*, cap. V, v. 3.

tum indignetur aliquem alumnum suum ad meretriculas illas unquam divertere, in ipso aditu libri Boethii *de Consolatione Philosophiæ* diligenter exprimitur, ubi de ipsa ad consolandum Philosophum accedente et inspiciente musa, Philosophia ipsi assistente, ipsemet ait Philosophus[1] : « Quæ ubi poeticas musas vidit assistentes nostro thoro, fletibusque meis verba dictantes, commota paulisper ac torvis inflammata luminibus : « Quis, inquit, has scenicas meretriculas ad hunc ægrum permisit accedere, quæ dolores ejus non modo nullis remediis foverent, verum insuper dulcibus alerent venenis? Hæ sunt enim quæ infructuosis affectuum spinis uberem fructibus rationis segetem necant, hominumque mentes assuefaciunt morbo, non liberant. At si quem profanum, ut vulgo solitum, nobis blanditiæ vestræ detraherent, minus moleste ferendum putarem. Nihil quippe in eo nostræ operæ læderentur. Hunc vero Eleaticis atque Academicis studiis innutritum? Sed abite potius, o Sirenes usque in exsilium dulces, meisque eum musis curandum sanandumque relinquite. » His ille chorus increpitus, dejecit humi mœstior vultum, confessusque rubore verecundiam, limen tristis excessit. » At fortasse inquies non solum poetarum, verum etiam liberalium artium lectiones Christianis interdicendas, cum B. Hieronymus in Epistola *ad Eustochium*[2] se graviter correctum ac verberatum a Domino pro lectione philosophorum librorum asserat. At jam profecto nec grammaticam a Christiano legi convenit, sine documentis cujus nec divina potest intelligi pagina, nec scriptura aliqua; sic nec Rhetoricam, quæ omnis eloquentiæ tradit ornamenta, quibus maxime sacra Scriptura est referta, nec ejus decor nisi his diligenter assignatis elucere poterit. Quare igitur, inquies, propter Ciceronis libros prædictus doctor tam graviter flagellatus et correctus est, ut sub ostentatione sacramenti cogeretur omnino sæcularium librorum lectioni abrenuntiare? Profecto quia non pro utilitate aliqua, sed pro oblectatione eloquentiæ illius intendebat, neglecto sacræ Scripturæ studio, cujus quidem, ut ipsemet ait, incultus ei sermo horrebat. Ego autem nullius artis lectionem cuicunque religioso interdicendam arbitror, nisi forte per hoc major ejus aliqua utilitas præpediatur, sicut in cæteris literis faciendum scimus, ut videlicet minora pro majoribus aut intermittantur, vel penitus omittantur. Quippe cum nulla sit in doctrina falsitas, nulla in verbis turpitudo, nonnulla de scientia utilitas, quis hoc dicendo aut docendo culpari mereatur, nisi causa venerit supradicta, potiori videlicet bono neglecto aut dimisso? Nemo etenim scientiam aliquam malam esse dixerit, etiam illam quæ de malo est, quæ justo homini deesse non potest. Non ut malum agat, sed ut a malo præcogitato sibi provideat, quod nisi cognitum, teste Boethio, vitare non posset. Non est enim

[1] Consol. Phil., lib. I, *Initio*. — [2] *Epist.* XVIII, *Opp.*, t. IV, p. 1, col. 42.

malum scire decipere vel adulterari, sed ista committere, quia ejus rei bona est cognitio, cujus pessima est actio : et nemo peccat cognoscendo peccatum, sed committendo. Si quæ autem scientia malum esset, utique et malum esset quædam cognoscere. At jam absolvi a malitia Deus non posset, quia omnia novit. In ipso enim solo omnium est plenitudo scientiarum, cujus donum est omnis scientia. Scientia quippe est comprehensio omnium rerum quæ sunt, atque his veraciter cuncta discernit, cui ea quoque quæ non sunt quasi præsentia assistunt. Unde et enumeratis donis Spiritus ejus, ipse « Spiritus scientiæ » esse dicitur. Sicut autem mali quoque scientia bona est, ad evitandum scilicet malum necessaria, ita potestatem etiam mali bonam esse constat, ad promerendum necessariam. Si enim peccare non possemus, nihil non peccando promereremur, et ei qui liberum non habet arbitrium, nullum ex his quæ coactus agit, debetur præmium. At vero contra, ut ait Propheta[1] : « Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino. » Ex his itaque liquidum est nullam aut scientiam vel potestatem malam esse, quantumcunque mala sint exercitia eorum, cum et Deus tribuat omnem scientiam, et omnem ordinet potestatem. Qui etiam de potestate iniquissimi Pilati adversus se ait[2] : « Non haberes in me potestatem, nisi datum esset tibi desuper. » Scientias itaque approbamus, sed fallaciis abutentium resistimus. Non enim, teste Tullio, mediocriter errant, qui ex vitio hominis scientiam culpant. Sic enim cum de reprehensione argumentationum in *Rhetorica* doceret, ait inter cætera[3] : « Non ad id ad quod instituitur accommodabitur aliqua pars argumentationis, si res ex vitio hominis vituperabitur : ut si quis doctrinam ex alicujus docti vitiis reprehendat. » Nullos autem sacris literis eruditos ignorare arbitror plus in sacra doctrina spirituales viros ex ipso scientiæ studio, quam ex religionis merito profecisse, et quo quisque sanctior ante conversionem suam ampliorem sæcularium literarum scientiam habuerat[4], post conversionem suam amplius eum in sancta eruditione sua valuisse. Paulus quippe Apostolus licet non major merito quam Petrus videatur, vel confessor Augustinus quam Martinus, tanto tamen uterque altero majorem in doctrina gratiam post conversionem habuit, quanto antea majore literarum scientia pollebat. Ex quo præcipue sæcularium quoque literarum studium divina dispensatione commendari arbitror, non solum propter utilitatem quam continent, verum ne a donis ejus alienæ viderentur, si ad nullum eis commodum uteretur. Novimus tamen et ab Apostolo dictum, quia[5] « scientia inflat, » id est superbiam generat. Sed ex hoc præcipue bona esse convincitur, quia in malum

[1] *Eccles.* cap. XXXI, v. 10. — [2] Joan., cap. XIX, v. 11. — [3] De Invent., lib. I, cap. L. — [4] Sic Cod. Vict. *Ampliorem post conversionem suam* desunt apud Amb. — [5] I *Corinth.*, cap. VIII, v. 1.

superbiæ conscium sui trahit; sicut enim nonnulla sunt bona, quæ non nisi ex malo proveniunt, ita et nonnulla sunt mala quæ ex bono originem trahunt. Pœnitentia quippe sive correctionis satisfactio cum bona sint, ita malum factum comitantur, ut non nisi ab eo nasci possint. E contrario invidia sive superbia cum sint pessimæ, a bonis initium habent. Nemo quippe invidia alterius attenuatur, nisi pro bonis ejus, et nemo nisi ex bonis quæ se habere cognoscit, in superbiam extollitur. Unde et Lucifer ille qui mane oriebatur, tanto ad superbiendum pronior exstitit, quanto ceteris angelicis spiritibus per sapientiæ vel scientiæ claritatem superior fuit; nec tamen ideo sapientiam ejus vel scientiam de naturis rerum cognoscendis quam a Deo acceperat, malam dici convenit, licet ille superbiendo illa male usus sit. Sic et cum quilibet de philosophia sua vel doctrina superbit, non ipsam scientiam culpare debemus propter adjunctum vitium, sed unumquodque secundum seipsum pensari convenit, ne forte indiscrete agentes, propheticam illam maledictionem incurramus[1]: « Væ his qui dicunt bonum malum, et malum bonum, ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem. »

Hæc adversus illos dicta sufficiant qui suæ imperitiæ solatium quærentes, cum nos aliqua de philosophicis documentis exempla, vel similitudines inducere viderint, quibus planius quod volumus fiat, statim obstrepunt, quasi sacræ fidei et divinis rationibus ipsæ naturæ rerum a Deo conditarum inimicæ videantur; quarum videlicet naturarum maximam a Deo peritiam ipsi sunt philosophi consecuti, ut cum sancti doctores allegoriarum mysteria in ipsis animalium, vel quarumlibet naturis rerum investigent, juxta ipsorum philosophorum dicta, has assignent, dicentes quidem hanc hujus vel illius naturam esse rei, sicut physicæ scriptores tradiderunt. In tantum vero ipsa factura delectatur Deus, ut frequenter, ipsis rerum naturis quas creavit, se figurari magis quam verbis nostris, quæ nos confinximus aut invenimus, exprimi velit, ut magis ipsa rerum similitudine, quam verborum nostrorum gaudeat proprietate, ut ad eloquentiæ venustatem ipsis rerum naturis, juxta aliquam similitudinem, pro verbis Scriptura malit uti, quam propriæ locutionis integritatem sequi. Nemo itaque me culpare præsumat, si ad propositum nostrum ostendendum, aliquas vel ex nobis vel ex philosophis similitudines induxero, quibus facilius aperire quod desidero, possim. Scriptum quippe est: « Fas est ab hoste doceri, » et cum intelligentiæ deservimus, modis omnibus curandum est, ut quoad possumus id facile facere studeamus. Unde est illud beati consilium Augustini, in quarto *de Doctrina christiana*, ubi quidem Christianæ doctrinæ modos exsequitur ac docet[2]: « Non curante illo, inquit, qui docet, quanta eloquentia doceat, sed quanta evidentia.

[1] *Isai.*, cap. v, v. 20. — [2] Lib. IV, cap. x, *Opp.*, t. III, col. 73.

Diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, unde ait quidam, cum de genere tali elocutionis ageret, esse in eo quandam diligentiam negligentem. » Item : « Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis? cum loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos, ut intelligant, loquimur. Qui ergo docet, vitabit verba omnia quæ non docent[1]. » Item : « Insignis est indolis in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nil quærimus, nisi patere quod clausum est? » Sed incassum, inquies, laboramus, si id aperire quærimus, aut quod jam per alios est apertum, ut nostro ulterius labore opus non sit, aut omnino aperiri non potest, ut illud videlicet ineffabile Trinitatis mysterium. Et profecto nihil hoc verius. Sed si hoc aperiri non potest ab homine, quid egerunt sancti Patres, qui tot nobis de Trinitate tractatus reliquerunt? Si vero qui de ea tractaverunt, docere quod intendebant potuerunt, et quod clausum erat aperire, quid opus erat unum post alium scribere, et quod ille jam aperuerat, hunc postea reserare? Quidquid horum quislibet constituat, miror qua me fronte aliquis arguat, si ceterorum de his scribentium providentiam laudet, nisi forte in hoc nostrum jam penitus superfluere tractatum dicat, quod et illorum documenta sufficiant, et nullæ jam ulterius quibus resistendum sit pullulent hæreses, vel nullæ de nostra fide supersint dubitationes, quæ aliquibus rationibus vel ad documentum vel ad defensionem ejus egere videantur, atque utinam ita sit. At vero ut innumeram multitudinem infidelium, quæ extra Ecclesiam est, tam Judæorum scilicet quam Ethnicorum, prætercam, quis ita omnes hæreses repressas profiteri audeat, ut jam nulla apud nos fidei sint schismata, nullæ ulterius futuræ sint dissensiones? Quousque enim paleas cum granis præsens Ecclesia indifferenter continebit, nec messi Domini inimicus homo superseminare zizania cessabit? donec videlicet in fine seculi messores Angeli Dei zizania colligant in fasciculos, et in ignem arsuros mittant. Non possunt schismatici, non possunt deesse hæretici, nec inter scorpiones et serpentes tutum patebit iter, sed semper ad probationem vel excitationem fidelium habebit mater Ecclesia, sub Christi nomine, multos quos coleret Anti-Christus, pro quibus ingemiscens quotidie dicat[2] : « Ex nobis exierunt, sed ex nobis non erant, » et affectu materno per singulos annos pro eis ut redeant, immolet publicas orationum hostias. Nam « oportet, » inquit Apostolus[3], « hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant. » Quod maxime in novissimis temporibus Anti-Christi regno appropinquante, futurum exspectamus, quando, juxta dominicam et apostolicam

[1] Male legit Amb. *decent*. — [2] I Joan., c. II, v. 19. — [3] I *Corinth.*, cap. XI, v. 19.

sententiam, graviora semper imminere atque excrescere constat pericula, et refrigescente caritate, mala omnia amplius pullulare. Unde et idem Apostolus *ad Timotheum*[1] : « Hoc autem scito quod in novissimis diebus, instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, sine pace, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. » Qui et alibi[2] : « Nos, » inquit, « sumus in quos fines seculorum devenerunt. » Et Petrus in *secunda Epistola*[3] : « Hoc primum, » inquit, « scientes quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, etc. » Et Joannes[4] : « Filioli, » inquit, « novissima hora est. Et sicut audistis quia Anti-Christus venit, nunc autem Anti-Christi multi facti sunt. Unde scimus quia novissima hora est. Ex nobis enim prodierunt, sed ex nobis non erant. » Hinc et in *Epistola* Judæ scriptum est[5] : « Vos autem, carissimi, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimis temporibus venient illusores. Hi sunt qui segregant semetipsos. Et hos quidem arguite judicatos. » Ac si aperte nos hortaretur dicens : « Providete ut tales dijudicare ac rationibus convincere valeatis, « parati semper, » ut beatus Petrus meminit[6], « ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea quæ in vobis est spe et fide, ut in eo quod detrahunt de vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam conversationem in Christo. » Idem et coapostolus ejus Paulus admonens[7] : « Sermo, » inquit, « vester in gratia conditus sit sale, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere. » Quæ quidem apostolorum dicta beatus diligenter attendens Augustinus, ad Valerium Comitem in libro *de Nuptiis et Concupiscentia*, his scribit verbis[8] : « Quod licet fide robustissima irriseris, bonum est tamen ut etiam noveris defendendo adjuvare quod credimus. » Et apostolus Petrus paratos nos esse præcepit, « ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de fide et spe nostra. » Et apostolus Paulus « Sermo, » inquit, « sit gratia sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat unicuique respondere. » Item, in tractatu *de Misericordia*, nos ad ea quæ nondum capere intelligendo sufficimus adhortatur dicens : « Petite orando, quærite disputando, pulsate rogando. Ratione quippe magis hæretici sunt quam potestate coercendi, cum juxta sanctorum Patrum auctoritatem, fideles quoque quibus « omnia cooperantur in bonum, » eorum disputationibus exercitati, vigilantiores atque cautiores reddantur. » Unde Hieronymus *super Hieremiam*, lib. II[9] : « Ad tempus, inquit, valet hæresis, ut electi quique manifesti fiant, et probati sint. » Augustinus, *contra epistolam Parmeniani*[10] : « Hæretici si in Ecclesia essent,

[1] II Tim., cap. III, v. 1. — [2] I Corinth., cap. X, v. 11. — [3] II Petr., cap. III, v. 3. — [4] I Joan., cap. II, v. 18. — [5] Judæ, v. 17. — [6] II Petr., cap. III, v. 15. — [7] Coloss., cap. IV, v. 6. — [8] Lib., I, cap. II, *Opp.*, t. X, col. 281 — [9] *Opp.*, t. III, col. 580. — [10] Lib. de Vera Religione, cap. VIII, *Opp.*, t. I, col. 753.

nihilominus errarent : cum autem foris sunt, plurimum prosunt, non verum dicendo quod nesciunt, sed ad verum quærendum carnales, et ad verum accipiendum spirituales Catholicos excitando. Utamur ergo hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam adversus eorum insidias asserentes, vigilantiores et cautiores simus, etsi eos ad salutem revocare non possumus. » Isidorus, *de Summo bono*, lib. I, cap. XVI[1] : « Sancta Ecclesia exercetur sapientia, cum tentatur verbis; exercetur patientia, cum tentatur gladiis. Causa pravitatis hæreticæ doctrina est propagata Ecclesiæ; nam antea simplici tantum fide vigebat. Hæreticorum ergo occasione propagati sunt doctores in fide, et per acumen hæresium hodie creverunt magistri. » Unde et sancti doctores cum ad exercitationem, ut dictum est, fidelium, adeo necessarias esse hæreticorum disputationes vel inquisitiones attenderent, ratione potius quam potestate eos coerceri sanxerunt, et nos quasi tantæ victoriæ desiderio, ad sacræ studium eruditionis sunt potissimum adhortati. Quale est illud Hieronymi *ad Nepotianum*[2] : « Disce, inquit, quid doceas, ut possis adhortari in doctrina sacra, et contradicentes revincere, paratus semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quæ in te est spe. » Gregorius Bonifacio[3] : « Si ita, ut audieram, magnitudo vestra intentione sollicita de animæ suæ vita cogitaret, nequaquam mihi de fide sua per epistolas, sed per semetipsam posceret respondere, ut et vos de nostra ratione, et nos de vestra credulitate gauderemus. Nam nos licet in omnibus causis, in his præcipue quæ Dei sint, ratione magis constringere homines quam auctoritate festinamus. » Idem Dominico episcopo[4] : « Quanquam desideremus omnes hæreticos a catholicis sacerdotibus vigore semper rationeque compesci. » Idem, in *Pastorali*, cap. XXX[5] : « Aliter admonendi sunt hujus seculi sapientes, atque aliter hebetes. Illos plerumque rationis argumenta, istos nonnunquam melius exempla convertunt. Illis nimirum prodest ut in suis allegationibus victi[6] permaneant, istis vero aliquando sufficit ut laudabilia aliorum facta cognoscant. » Nicolaus Papa, ad consulta Bulgarorum, cap. XLI : « De eis qui Christianitatis bonum suscipere renuunt, non aliud possumus scribere vobis, nisi ut ad fidem necessariis monitis, et exhortationibus, et ratione eos potius quam vi convincatis. » Isidorus, *de Summo Bono* lib. II[7]: « Fides nequaquam vi extorquetur, sed ratione atque exemplis suadetur. A quibus autem exigitur violenter, perseverare in eis non potest, exemplo, ut ait quidam, novellæ arboris cujus si quis cacumen violenter impresserit, denuo, dum laxatur, in id quod fuerat confestim revertitur. » Hilarius *de Trinitate*, lib. XII : « Oportet eos qui Christum

[1] *Opp.*, t. VI, p. 155, 153. — [2] epist. XXXIV, *Opp.*, t. IV, p. II, col. 261. — [3] Epist. lib. IV, epist. XLIII. — [4] *Ibid.*, lib. V, epist. V. — [5] *Leg.* P. III, cap. VI. — [6] Amboesius *juncti*. — [7] *Opp.*, t. VI, p. 192.

prædicant mundo, irreligiosis mundi imperfectisque doctrinis per scientiam omnipotentiæ contraire, juxta illud Apostoli[1] : « Nostra enim arma non sunt car« nalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum rationis, destruentia et « omnem altitudinem elevatam adversus cogitationem Dei. » Fidem non nudam Apostolis atque inopem rationis reliquit. Quæ quamvis potentissima ad salutem sit, tamen nisi per doctrinam instruatur, habebit quidem inter adversa tutum diffugiendi recessum, non etiam retinebit constantem obstudendi[2] securitatem, eritque, ut infirmioribus sunt post fugam castra, non etiam ut castra habentibus adest interrita fortitudo. Constituendæ ergo sunt insolentes adversus Deum disputationes, et destruenda rationum fallacium munimenta, et elevata ad impietatem ingenia conterenda; nec carnalibus armis, sed spiritualibus; nec terrena doctrina, sed cœlesti sapientia, ut quanta rerum divinarum humanarumque discretio est, tanto ultra terrena studia ratio cœlestis excedat. » Quomodo ergo audiendi sunt qui fidem rationibus vel astruendam vel defendendam esse denegant? præsertim cum ipsi Sancti quoque de his quæ ad fidem pertinent ratiocinantes, multis exemplorum vel similitudinum rationibus rebelles arguere vel reprimere soleant? Si enim cum persuadetur aliquid ut credatur, nil est ratione discutiendum, utrum ita scilicet credi oporteat vel non : quid restat nisi ut æque tam falsa quam vera prædicantibus acquiescamus, et illam Fausti hæretici defensionem prætendamus, qua se ab impugnatione fidelium protegere, et ipsos per Prophetam ac eorum sententiam nititur confutare? Sic quippe aiebat, sicut in primo *contra Faustum* libro beatus meminit Augustinus[3], « et hæc enervis fidei confessio in Christo sine teste et argumento non credere. Nempe vos ipsi dicere soletis : Idcirco nil esse curiosius exquirendum, quia simplex sit absoluta christiana credulitas. Quomodo ergo nunc fidei simplicitatem destruitis, judiciis ac testibus eam fulciendo? » Similem B. Silvestro oppositionem a Judæis fieri in vita ejus legimus, cum videlicet eos de fide Christi rationibus coarctaret. Ita quippe scriptum est : « Joasi rabi dixit : Rationi humanæ non est committenda fides, quæ Deum hunc suadeat credi, quem tu unum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum confiteris. » Unum denique simile dictum beati Gregorii dicitur, quod hi qui suæ solatium imperitiæ quærunt, cum ea de fide interrogantur ad quæ respondere non sufficiunt, statim objiciunt illud, inquam, quod in *Homilia Evangeliorum* xx, cum de resurrectione corporum loqueretur, ait[4]: « Sciendum nobis est quod divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis; nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. » Ex qua profecto sententia, ne videlicet inutilis sit fides et expers meriti, patenter

[1] II *Corinth.*, cap. x, v. 4. — [2] Sic Amboes. — [3] Lib. XII, *Opp.*, t. VIII, col. 225. — [4] *Homil. in Evang.*, xxvi.

asserunt nil ad catholicæ fidei mysteria pertinens ratione investigandum esse, sed de omnibus auctoritati statim credendum esse, quantumcunque hæc ab humana ratione remota esse videatur. Quod quidem si recipiatur, ipsum quoque Gregorium in his quæ antea de dictis ejus collegeramus, sibimetipsi contrarium reperiemus; nec sibi tantum sed cæteris omnibus fere Doctoribus sanctis, qui nos pariter cum ipso ad rationes fidei nostræ perquirendas seu reddendas adhortantur. Alioquin, ut supra quoque meminimus, cujusque populi fides, quantamcunque astruat falsitatem, refelli non poterit, etsi in tantam devoluta sit cæcitatem ut idolum quodlibet Deum esse ac cœli ac terræ creatorem fateatur. Statim quippe qui hoc receperit, cum hinc pulsare eum cœperimus, sicut olim Martyres faciebant, cum idololatriæ cultum Gentilibus improperarent, respondere poterit, secundum nos ipsos, etiam de fide ratiocinandum non esse, nec a nobis alios impeti debere, unde nos ab aliis censemus impetendos non esse. Novimus quippe ipsum beatum Gregorium sæpius in scriptis suis eos qui de resurrectione dubitant, congruis rerum exemplis vel similitudinibus ratiocinando ipsam astruere, pro qua tamen superius dixit, fidem non habere meritum cui humana ratio præbet experimentum. Nunquam hi quos rationibus suis in fide resurrectionis ædificare volebat, has ejus rationes, secundum ipsius sententiam, refellere poterant, secundum quam scilicet astruere dicitur, nequaquam de fide humanis rationibus disserendum esse, qui nec hoc astruere dictis, ipse proprie exhibuit factis. Qui nec etiam dixit, non esse ratiocinandum de fide, nec humana ratione ipsam apud Deum habere meritum, ad quam non tam divinæ auctoritatis inducit testimonium, quam humanæ rationis cogit argumentum. Nec quia Deus id dixerat creditur, sed quia hoc sic esse convincitur, recipitur. Distinguitur itaque fides talis a fide Abrahæ, qui contra spem in spem credidit; nec naturæ possibilitatem, sed promittentis attendit veritatem. At nunquam, si fidei nostræ primordia statim meritum non habent, ideo ipsa prorsus inutilis est judicanda, quam postmodum charitas subsecuta, obtinet quod illi defuerat. Nam quam multi[1], cum his quæ prædicabantur non crederent, ipsarum exhibitione rerum et magnitudine miraculorum credere sunt compulsi! Quod de Apostolo etiam Thoma, cum de resurrectione Domini dubitaret, factum esse cognoscimus. Sic et in Pauli conversione gestum videmus, qui cum superari ratione non posset, factis ipsis constrictus, ad fidem est compulsus, et quanto gravior ipse ante conversionem fuerit, tanto postmodum fides ejus fortior exstitit. Vix enim qui loquenti[2] leviter credidit, firmus in fide permansit; nec quod levitate geritur, stabilitate firmabitur. Unde et in *Ecclesiastico* scriptum

[1] Male legit Amboesius *Numquam multi.* — [2] Amboesius *loquitur.*

est[1] : « Qui credit cito, levis est corde, et minorabitur. » Cito autem sive facile credit, qui indiscrete atque improvide his quæ dicunt prius acquiescit, quam hoc ei quod persuadetur ignota ratione, quantum valet, discutiat, an scilicet adhiberi ei fidem conveniat[2]. Quod etiam diligenter beatus pensans Hieronymus, cum sanctæ Marcellæ studium et discretionem commendaret, lib. I, *in Epistolam Pauli ad Galatas,* ita meminit[3] : « Scio equidem ardorem ejus, scio fidem, quam flammam habeat in pectore superare sexum, oblivisci homines, et divinorum voluminum tympano concrepante, rubrum hujus sæculi mare transfretare. Certe cum Romæ essem, nunquam tam festina me vidit, ut non de Scripturis aliquid interrogaret. Neque enim more Pythagorico, quidquid respondebam rectum putabat, nec sine ratione præjudicata apud eam valebat auctoritas, sed examinabat omnia, et sagaci mente universa pensabat, ut me sentirem non tam discipulam habere, quam judicem. » Nunc vero e contra plurimi solatium suæ imperitiæ quærunt, ut cum ea de fide docere nituntur, quæ ut etiam intelligi possint, disserere non sufficiunt, illum maxime fidei fervorem commendent qui ea quæ dicantur, antequam intelligat, credit, et prius his assentit ac recipit, quam quæ ipsa sint videat, et an recipienda sint agnoscat, seu pro captu suo discutiat. Maxime vero id profitentur, cum ea prædicantur quæ ad divinitatis naturam, et ad sanctæ Trinitatis pertinent discretionem, quæ penitus in hac vita non posse intelligi asseverant, sed hoc ipsum intelligi vitam dicunt æternam, juxta illud Veritatis[4] : « Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. » Et iterum[5] : « Manifestabo eis meipsum. » Sed profecto aliud est intelligere seu credere, aliud cognoscere seu manifestare. Fides quippe dicitur existimatio non apparentium, cognitio vero ipsarum rerum experientia per ipsam earum præsentiam. Quæ quidem duo B. Gregorius distinguit *Homilia* VI, lib. II, in Evangelia[6] : « Liquet, inquit, quia fides illarum rerum est argumentum quæ apparere non possunt. Quæ enim sunt apparentia, fidem non habent, sed agnitionem. » Proprie quoque de invisibilibus intellectus dicitur, secundum quod quidem intellectuales et visibiles naturæ distinguuntur. Quisquis etiam in hac vita ea quæ de Trinitate dicuntur, non posse intelligi arbitratur, profecto in illum Montani hæretici labitur errorem, quem beatus damnans Hieronymus in prologo *Commentariorum Esaiæ* ait[7] : « Neque vere, ut Montanus somniat, Prophetæ in exstasi sunt locuti, ut nescirent quid loquerentur, et quum alios erudirent, ipsi ignorarent quid dicerent. » Sed juxta Salomonem qui loquitur in Proverbiis, « Sapiens intelligit quæ loquitur de corde suo, et in labiis suis portabit scien-

[1] *Eccli.*, cap. XIX, v. 4. — [2] Hoc reprehendit Bernardus Clarævallensis abbas, quia scilicet non de fide in Deum ibi agitur, sed de mutua credulitate. — [3] Præf., *Opp.*, t. IV, p. 1, col. 221. — [4] Joan., cap. XVII, v. 3. — [5] Joan., cap. XIV, v. 21. — [6] Hom. in Evang., lib. II, hom. XXVI. — [7] *Opp.*, t. III, p. 1, col. 3.

« tiam, » et ipsi sciebant quid dicerent. » Item : « Quomodo sapienter Prophetæ, ad instar brutorum animalium, quid dicerent, ignorabant? » Hinc est et illud Origenis, Epistolam Pauli ad Romanos exponentis : « Secundum revelationem mysterii æternis temporibus taciti, etc. Sed requirendum est utrum id dicam in silentio habitum, ut omnino nullus agnoverit, neque ipsi quidem qui annuntiabant Prophetæ. Mihi quidem valde absurdum videtur, ut dicamus Prophetas ita scripisse de sacramentis divinis, ut non intellexerint quæ dicebant, cum Scriptura dicat : « Sapiens intelligit quæ de ore ejus procedunt, et in labiis portat intel« lectum. » Si vero non intellexerint quæ de ore proprio proferebant, non erant sapientes. Unde si stultum est Prophetas negare sapientes fuisse, restat ut intellexerint quæ proferebant. Paulus dicit audivisse[1] « verba quæ non licet homini « loqui, » non quod ipse ignoret quod audierit, sed quod aliis pandere quæ sibi sunt indicata, non liceret. Ita ergo potest et hoc loco dictum videri sacramentum in silentio habitum, quod scirent quidem Prophetæ, sed hominibus id est vulgo non manifestaverint, sed texerint, secundum præceptum Dei, usquequo tempus adesset, et Verbum caro fieret. Adeo quoque quæcunque prædicantur, ita dici ut intelligi possint Apostolus jubet, ut omnino a prædicatione quiescendum esse præcipiat, si in his quæ prædicanda sunt desit qui prophetare valeat, hoc est ea quæ dicuntur exponere, et eorum intelligentiam aperire. Unde ipse nos ad spiritualium donorum desiderium exhortans in prima ad Corinthios Epistola dicit[2] : « Æmulamini spiritualia, magis autem ut prophetetis, » hoc est super cætera Spiritus sancti dona, hoc maxime desiderate, ut quæ lingua proferuntur, hoc est in verbis sonant, per intelligentiam videri faciatis, et exponere possitis. Quia etenim Prophetæ « videntes » antiquitus dicebantur, hoc loco Apostolus prophetare dicit, visum intelligentiæ ministrare. » Qui etiam statim prosequens quanta sit utilitas prophetandi, et quam excellentius sit prophetare quam loqui lingua sola, id est verba exponere magis quam formare : « Qui enim loquitur lingua, inquit, non hominibus loquitur, sed Deo. » Nemo enim audit, hoc est intelligit. Quem etiam auditum Dominus requirit dicens[3] : « Qui habet aures audiendi audiat. » Item Apostolus de utilitate prophetandi, subjecit[4] : « Nam qui prophetat hominibus, loquitur ad ædificationem. » Et iterum[5] : « Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat; qui autem prophetat Ecclesiam ædificat. Volo autem vos omnes loqui linguis, magis autem prophetare. Nam major est qui prophetat, quam qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur ut Ecclesia ædificationem accipiat. Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero? » De

[1] II *Corinth.*, cap. XII, v. 4. — [2] I *Corinth.*, cap. XIV, v. 1. — [3] Matth., cap. IV, v. 15. — [4] I *Corinth.*, cap. XIV, v. 3. — [5] *Ibid.*, v. 4 et sq.

quo quidem et congruam statim similitudinem inducens ait[1] : « Quæ sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur quod canitur, aut citharizatur? Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita ergo et vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes. » Quasi inutiliter aerem solum exterius lingua verberantes, non cor interius per intelligentiam contingentes. Et rursus[2] : « Ego si nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor, barbarus, et qui loquitur mihi barbarus, sic et vos etc. Omnis qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. » Quid, quæso, virtutem vocis dicit, nisi ejus intelligentiam propter quam est reperta? Quod etiam beatus, ut supra meminimus, attendens Augustinus : « Quid prodest, inquit, locutionis integritas quam non sequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt propter quos, ut intelligant, loquimur? » Qui etiam tam verborum intelligentiam in Ecclesia necessariam dicit, ut cum ibi aliquæ benedictiones fiunt, non debeat Amen responderi, nisi ab intelligentibus, qui videlicet discernere possint an benedictionis verba sint, an maledictionis. « Quomodo, » inquit[3], « dicet Amen super tuam benedictionem, quando quæ dicas nescit? » Et rursum[4] : « Gratias ago Deo meo, quoniam omnium vestrum lingua loquor. Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam, quam decem verborum millia in lingua. » Et statim ad perfectionem intelligentiæ sacrorum verborum nos adhortans[5], « Fratres, inquit, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti. » Qui etiam eos qui quæ prædicant exponere non sufficiunt, quantæ irrisioni sint habendi, non reticet dicens[6] : « Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles, nonne dicent quod insanitis? » Unde et post aliqua de illo qui prædicat, adjecit[7] : « Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur et Deo. » Ac si aperte dicat : non præsumat loqui hominibus, qui ad exponendum quæ dicit, non sufficit; sed magis ad Deum, qui expositione non indiget, in suæ fidei confessione verba convertat, quam ad hominum doctrinam verba quæ non intelligantur, frustra proferat. Si autem eos qui prædicant, cum illa quæ dicuntur exponere non sufficiunt, cessare convenit a prædicatione, quanto magis cum nec ipsi intelligunt ea quæ proferunt, et tota eorum fides in ore potius quam in corde consistat, cum e contrario dicat Apostolus[8] : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem? » Qui enim quod dicit non intelligit, profecto

[1] I *Corinth.*, cap. XIV, v. 7 et sq. — [2] *Ibid.*, v. 11. — [3] *Ibid.* v. 16. — [4] *Ibid.* v. 18. — [5] *Ibid.*, v. 20. — [6] *Ibid.*, v. 23. — [7] *Ibid.*, v. 28. — [8] *Rom.*, cap. X, v. 10.

quod dicit ipse, nescit; et docere imprudenter præsumit quæ ipse adhuc ignorat; inter eos merito computandus, quibus Veritas improperans ait[1] : « Cæci sunt duces cæcorum. » Et Apostolus[2] : « Nescientes, inquit, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. » Adhuc quoque post evangelicam revelationem, post tot sanctorum patrum revela[3].... velamen Moysis super cor habentes, nec adhuc cum Apostolo[4], « revelata facie gloriam Domini speculantes, » hoc illi audiant qui sacræ Scripturæ magistri residentes, verba magis pueros proferre, quam intelligere docent. Nec ad salutem illius sapientis proverbium quod pueri didicerunt, eorum conterit impudentiam, legere enim et non intelligere, negligere est. Qui cum in his cæci sunt, quæ de Deo dicuntur, tanto hic eorum error est periculosior, quanto est hujus rei doctrina magis necessaria, quæ tanquam omnium bonorum fundamentum collocatur. Quod nisi diligenter fuerit inspectum, nihil securitatis afferet quod fuerit superædificatum. Quid denique magis ridiculosum quam si aliquis alium docere volens, cum requisitus fuerit de his quæ dicit utrum intelligat, neget seipsum intelligere quæ dicit, vel se nescire de quibus loquitur? Quantum cachinnum Philosophis et Græcis sapientiam quærentibus Apostoli movissent, filium Dei prædicantes, si in ipso statim prædicationis exordio sic confutari possent, ut quid eos primum prædicare ac docere oportebat, ipsi se nescire faterentur? Quod nec forte de ipsis præsumamus, quibus Veritas Spiritum sanctum promittens ait[5] : « Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. » Audiamus et quantam eis fiduciam de tanto magistro Veritas ipsa reliquerit dicens[6] : « Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. » De quo et alibi scriptum est[7] : « Et non poterant resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur. » Si qua igitur mysteria de Deo antea disseruimus, hic potius in nobis quam nos ipsi, hoc agit, et quod nobis est impossibile, ipsi est facile. In quo adeo cuncta consistunt, quæ salubriter profitemur, ut[8] « nemo possit dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. » Hoc igitur docente intelligimus, hoc suggerente disserimus quæ nos ipsi non possumus, ipsa etiam Dei et Trinitatis mysteria. Quæ diligenter beatus distinguens Hieronymus, ipsam Verbi generationem, et a nobis disseri non posse, et per nos disseri posse profitetur. Unde ipse *super Ecclesiastem*, ut jam supra meminimus, ubi scriptum est[9] : « Quis sit spiritus filiorum hominum, si ascendat sursum, et spiritus pecoris descendat deorsum in terra, » ait sic : « Adjiciendo *quis* difficultatem voluit demonstrare. Pronomen enim *quis* in Scripturis sanctis non pro impossibili, sed difficili ponitur, ut in « Genera-

[1] Matth., cap. XV, v. 14. — [2] I *Tim.*, cap. I, v. 7. — [3] Sic Cod. Vict. et Edit. Amb. Forsan *post tot sanctorum patrum exempla;* indubitanter *revelationes.* — [4] II *Corinth.*, cap. III, v. 18. — [5] Joan., cap. XIV, v. 28. — [6] Matth., cap. X, v. 20. — [7] *Act. Apost.*, cap. VI, v. 20. — [8] I *Corinth.*, cap. XII, v. 3. — [9] *Eccles.*, cap. III, v. 21.

« tionem ejus » id est Christi, « quis enarrabit? » Idem *super Matthæum* cum illud exponeret[1] : « Liber generationis Jesu Christi : » « In Isaja, inquit, legimus, « Generationem ejus quis enarrabit? » Non ergo putemus Evangelium Prophetæ esse contrarium, ut quod ille impossibile dicit effatu, hic narrare incipiat ; et ibi de generatione divinitatis, hic de incarnatione dictum est. » Et beatus Augustinus hanc ipsam Verbi generationem profitens frustra legi vel exponi, sive intelligi a multis, etiam antequam exponatur, intelligi posse asseverat. Unde ipse cum ad hanc exponendam veniens, verba illa Joannis præmisisset[2] : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, » statim exorsus ait, ut supra quoque meminimus : « Hoc animalis homo non percipit. » Quid ergo, fratres, silebimus hinc? Quare ergo legitur, si siletur, aut quare auditur, si non exponitur? Sed ut quid exponitur, si non intelligitur? Itaque quoniam rursus esse non dubito in numero nostro quosdam, a quibus non solum possit expositum capi, sed et antequam exponatur intelligi, non fraudabo eos qui possunt capere, dum timeo superfluum esse auribus eorum qui non possunt capere. Quid enim hoc mirum a fidelibus Christianis, post tot documenta, intelligi posse, quæ, revelante Deo, a gentilibus quoque reprobis, ut etiam supra dictum est, Paulus intelligi et cognosci manifeste testatur dicens[3] quia « quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis revelavit, etc. » Et rursum[4] quia « cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, etc. » Sed fortassis inquies, quid ergo profuerunt tot sanctorum Patrum de fide tractatus, si adhuc aliquæ supersint dubitationes, quibus nondum satisfactum sit? Audi illud Poetæ dictum[5] :

Est quoddam prodire tenus si non dater ultra.

Sufficiebat eis quæstiones quas audiebant, dissolvere, et sui temporis dubitationes terminare, posterisque exemplum relinquere, consimilibus, si forte acciderint, operam dare. Bene, inquies, si acciderint, et tunc arma sumenda, cum hostis imminuerit. Annuo tunc quidem esse sumenda, sed ante fabricanda ac præparanda. Quid si hostis esset semper? Numquid satis debemus nobis esse nostra obtinere quiete, et non acquisitis aliis amplificare? Atque utinam illud saltem possemus, si istud maximum assequi non possumus! Sed attende, obsecro, illud quoque poeticum[6] :

.... Nundum tibi defuit hostis.

Prætermitto Judæos et Ethnicos. Ad hæreticos venio qui quanto domesticiores,

— [1] Matth., cap. I, v. 1. — [2] Joan., cap. I, v. 1. — [3] *Rom.*, cap. I, v. 19. — [4] *Ibid.*, v. 21. — [5] Horat., *Epist.* I, lib. I, v. 32. — [6] *Pharsal.*, I, v. 23.

tanto pejores, civilibus bellis inquietare Ecclesiam non cessant. Atque ut ad nostra veniamus tempora, quibus jam aiunt adeo repressos esse ut jam nullo fidei fundamento sit opus : nullos in tantam olim insaniam prorupisse hæreticos quisquam audierit, quanta nonnulli contemporaneorum nostrorum debacchati sunt : Tanquelmus quidam laïcus nuper in Flandria, Petrus presbyter nuper in Provincia, ut ex multis aliquos in medium producamus. Quorum quidem alter, Tanquelmus scilicet, in tantam se erexerat dementiam, ut se Dei filium vocitari atque decantari, et a seducto populo, ut dicitur, templum ædificari sibi faceret. Alter vero ita fere omnem divinorum, sacrorum et ecclesiasticæ doctrinæ institutionem enervarat, ut multos rebaptizari cogeret, et venerabile Dominicæ signum crucis removendum penitus censeret, atque altaris sacramentum nullatenus celebrandum esse amplius astrueret.

Sed nec magistros divinorum librorum, qui nunc maxime circa nos pestilentiæ cathedras tenent, prætereundos arbitramur, quorum unus in Francia, alter in Burgundia, tertius in pago Andegavensi, quartus in Bituricensi, multa catholicæ fidei vel sanctis doctrinis adversa non solum tenent, verum etiam docent.

Primus quidem ille, quem diximus, sine fide Venturi multos, qui ante incarnationem ejus exstiterunt, salvandos asserit; Dominum nostrum Jesum Christum in aperto utero virginis fuisse natum, sicut et cæteros homines, nisi quod ipse solus sine virili semine sit conceptus. In ipsa quidem divinitatis natura, ac divinarum personarum distinctione, ita præsumptuosus assertor invenitur, ut quia Deus Pater generavit Filium, profiteatur Deum genuisse seipsum. Quem aperte errorem, imo hæresim B. Augustinus in primo *de Trinitate* refellit dicens[1] : « Qui putat ejus potentiæ Deum ut seipsum ipse genuerit, eo plus errat, quod non solum ita Deus non est, sed spiritualis creatura nec corporalis; nulla enim res est omnino quæ seipsam gignat. »

Alter[2] quoque totidem erroribus involutus, tres in Deo proprietates, secundum quas tres distinguuntur personæ, tres essentias diversas ab ipsis personis et ab ipsa divinitatis natura constituit, ut scilicet paternitas Dei, vel filiatio, vel processio, res quædam sint tam ab ipsis personis, quam ab ipso Deo diversæ, qui etiam Dominum Jesum in corpore, more aliorum hominum crevisse denegat, et ejus longitudinis corpus in utero matris vel in cunis exstitisse, cujus postmodum fuit in cruce. Monachos autem atque moniales, post publicum etiam suæ professionis votum, et benedictionis vel consecrationis

[1] Lib. I, cap. I, *Opp.*, t. VIII, col. 749. — [2] Quercetanus in *Notis ad Historiam calamitatum* (Vide supra t. I, pag. 51), sententiam Roscelini hic carpi putat; quam conjecturam nescio an jure reprehendat Dom. Clemens, *Histoire littéraire*, t. XII, pag. 122.

vinculum, posse matrimonium contrahere, ubi, licet sit voti transgressio, nulla tamen fiet initæ copulæ separatio : sed in ipso permanentes matrimonio, de transgressione pœnitentiam agunt.

Tertius vero prædictorum, non solum prædictarum personarum proprietates res diversas a Deo constituit, verum etiam potentiam Dei, justitiam, misericordiam, iram, et cætera hujusmodi quæ juxta humani sermonis consuetudinem in Deo significantur, res quasdam et qualitates ab ipso diversas, sicut et in nobis concedit, ut quot fere vocabula de Deo dicuntur, tot in Deo res diversas constituat.

Quartus autem in tantam prorupit insaniam, ut quia res aliter evenire possunt quam Deus providerat, Deum posse falli concedat. Hoc illi attendant qui de fide amplius minime scribendum autumant, cum mille, ut aiunt, hoc tempore hæreses pullulent, quasi ipsi omnium conscientias et fidem cognoverint.

Nunc ad propositum redeamus, qualiter videlicet in tanta divinæ substantiæ unitate, tres personæ intelligi ac disseri queant, ut quæ pronuntiant verba, non abhorreat intelligentia. Tantam quippe divinæ unitatem substantiæ ac simplicitatem seu identitatem profitemur, ut sicut a partibus ita ab accidentibus immunis omnino perseveret, nec in nullo penitus variari queat, nec in ipsa quidquam esse possit, quod ipsa non sit. Eadem itaque substantia simplex omnino atque individua quæ Pater est tam Filius quam Spiritus sanctus; eadem etiam tota est Trinitas, id est tres simul hæ personæ, non ut minus ipsa Trinitas quam singulæ personæ individua sit prædicanda, nec sit major totius Trinitatis essentia, id est trium simul personarum quam singularum, hoc est omnium simul quam cujuslibet unius earum per se. Unde Augustinus *de Trinitate*, lib. VII, cap. VII[1] : « Non quoniam Deus est Trinitas, ideo triplex putandus est, alioquin minor esset in singulis, quam in tribus pariter. » Item : « Cum dicimus tres personas, unam essentiam, neque ut genus de speciebus, neque ut species de individuis, prædicamus. Videtur posse dici, ut tres homines una natura, sed plus sunt tres homines quam unus, sed non est major essentia Pater et Filius, quam solus Pater aut solus Filius. » Item : « Non tantum unus homo, quantum tres homines simul, et plus aliud sunt duo homines quam unus homo, ac in Deo non est ita : non enim major est essentia Pater et Filius, quam solus Pater aut solus Filius, sed tres simul personæ æquales sunt singulis. » *Epistola*[2] sanctorum Augustini et Alypii ad Maximum medicum Ceminatum[3] : « Trinitas unius ejusdemque naturæ atque substantiæ : non minor in singulis quam in omnibus; sed in solo Patre, vel in solo Filio tanta est, quanta

[1] Leg., lib. VI, cap. VI, *Opp.*, t. VIII, col. 848. — [2] Male legit Amb. *Exempla*. — [3] *Epist.* CLXX, *Opp.*, t. II, col. 609.

est in Patre et in Filio simul, et tanta in Spiritu sancto, quanta in Patre et Filio. » Cum itaque non sit major essentia totius Trinitatis, quam singularum personarum, constat quoque ipsam Trinitatem, sicut singulas, individuam esse, hoc est nullas penitus in quantitate suæ essentiæ partes habere. Omne quippe quod partibus constat, ipsis partibus ex quibus suum esse contrahit, naturaliter posterius dicitur. Summa vero illa Trinitas, quæ universorum supremum principium est, qua ratione posterius aliquo dici potest? » Amplius : « Omne, inquit Plato[1], quod junctum est natura, dissolubile est. » Et B. Hilarius *in Psal.* CXXIX : « Quisquis ita valet credere, ut Deus corporalis sit, quia ad imaginem ejus homo factus, compositum Deum statuet esse. Quidquid autem compositum est, necesse est non fuerit æternum, quia compositio habet initium, quo compositum maneat. » De sinceritate autem ac puritate divinæ substantiæ, ut nulla videlicet penitus accidentia, nullas habeat formas, sicut nec partes, Boethius *de Trinitate*, lib. I, cum summam ejus unitatem asseveraret, ait : « Quocirca hoc vere unum in quo nullus numerus, nullum in eo aliud præter id quod est, neque substantivum fieri potest : forma enim est, formæ vero subesse non possunt. » Formam itaque Boethius loco hoc appellavit divinam substantiam, secundum hoc quod nullarum formarum fundamentum est. Sanctus quoque Augustinus divinæ naturæ sinceritatem astruens, lib. XI *de Civitate Dei* ait[2] : « Non propter hoc naturam illam boni simplicem dicimus, quia est Pater in ea solus, aut Filius solus, aut Spiritus sanctus : id est, aut sola est ista nominis Trinitas sine substantia personarum, sicut Sabelliani putaverunt, sed ideo simplex dicitur quia est hoc quod habet, excepto quod relative quæque persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius, et Filius Patrem, nec tamen est Pater. In quo vero ad semetipsum dicitur non ad alterum, hoc est quod habet; sicut ad semetipsum dicitur vivens, habendo vitam, et eadem vita Christus est. Propter hoc utique natura hæc dicitur simplex, quod non sit aliud habens, aliud quod habet sicut in cæteris rebus. Neque enim vas habens liquorem, nec corpus color, nec aer lux sive fervor, nec anima est sapientia. Hinc est etiam quod privari possunt rebus quas habent, et in alios habitus verti atque commutari. » Idem in VII, *Confessionum* ad Deum loquens ait[3] : « Nec cogeris invitus ad aliquid, quia voluntas tua non est major quam potentia, esset autem major si teipso tuipse major esses. » Item[4] : « Voluntas et potentia Dei Deus est. » De incommutabilitate autem atque invariabilitate divinæ substantiæ, de qua ipsemet per Prophetam

[1] In *Timæo*. — [2] Lib. XI, cap. X. *Opp.*, t. VII, col. 280. « Propter hoc itaque natura dicitur simplex cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere, vel aliud sit habens, aliud quod habet, sicut vas aliquem liquorem, aut corpus colorem, aut aer lucem sive fervorem, aut anima sapientiam. Nihil enim horum est hoc quod habet; nam neque vas liquor est, nec corpus color, etc. » — [3] Lib. VII, cap. IV. *Opp.*, t. I, col. 134. — [4] *Ibid.*, *ibid.*

loquitur, « qui est misit me ad vos. » Et alibi[1] : « Ego sum Deus et non mutor, » ipsos Philosophos consulat qui Scripturarum sacrarum documentis contentus non est. Unde Macrobius, cum juxta Plotinum quatuor virtutes Deo assignaret[2] : « Fortitudo, inquit, illi est, quod semper idem est, nec aliquando mutatur, » hoc est quod supra memoratus doctor, et maximus Latinorum philosophorum Boethius, in lib. III de *Consolatione Philosophiæ* astruit his verbis :

> O qui perpetua mundum ratione gubernas,
> Terrarum cœlique sator, que tempus ab ævo
> Ire jubes, stabilisque manens, das cuncta moveri.

Omne quippe quod variatur, sive per alterationem, et quamlibet rei mutationem motum esse constat. Quam quidem incommutabilitatem Dei, immortalitatem ipsius appellamus. Unde Augustinus *de Natura summi boni*[3] : « Vera, inquit, immortalitas, hoc est summa illa incommutabilitas quam Deus habet solus, qui mutari omnino non potest. » Idem supra[4] : « Naturæ corruptibiles jam non incommutabiles sunt, quia nil est unde factæ sunt. Omnis enim mutatio facit non esse quod erat; vere ergo ille est qui incommutabilis est. » Cum sit itaque tanta divinæ substantiæ unitas, simplicitas, puritas, atque identitas, ut in ea videlicet nulla sit partium aut accidentium seu quarumlibet formarum diversitas, nulla unquam variatio, quomodo tres personæ in ea assignari, sive intelligi queant? Cum nulla ibi sit rerum multitudo, ubi tantum est una atque individua penitus substantia, nullus ibi rerum numerus, ut vel tria vel multa dicere possimus, sed eadem penitus substantia simplex omnino atque individua sit, singulæ personæ sive omnes simul, hoc est unaquæque trium personarum, sive ipsa, ut dictum est, Trinitas. Quippe ubi nulla est multitudo rerum, imo penitus nulla multitudo, nulla pluralitas, nulla diversitas, quomodo multitudo personarum, aut ulla earum diversitas erit? Qua ratione altera persona ab altera diversa est, sive etiam ab ipsa Trinitate, cum eadem penitus, ut dictum est, trium personarum substantia sit, nec ulla abinvicem vel essentiæ diversitate vel accidentium, sive formarum proprietate disjunctæ sunt? Difficile fortasse, imo impossibile est homini hoc disserere, et ei maxime qui in omnibus quæ astruit per humanas rationes satisfacere contendit, et cum de re aliqua singulariter quidquam discutit, quod ad ejus proprietatem pertinet, aliarum id rerum multitudine nititur confirmare, cum videlicet unaquæque res proprium quiddam habeat, per quod a ceteris omnibus differt, nec facile sit dissimilitudinem in cæteris assignare.

[1] Malac., cap. III, v. 6. — [2] In *Somn. Scip.*, lib. I, cap. VIII. — [3] *Opp.*, t. VIII. — [4] *Ibid.*, cap. XIX. *Opp.*, t. VIII, col. 505.

Quanto autem excellentia divinæ naturæ a ceteris quas condidit naturis, longius abscedit, tanto minus congruas similitudines in illis reperimus, quibus satisfacere de ista valeamus. Quam etiam naturam philosophi Deum ignotum profitentes, in tantam ejus excellentiam, omnium mortalium cogitationem excedentem, veriti sunt attingere, ut nec quid ipsa sit definire ausi sint, cum summus ille, ut supra meminimus, philosophorum Plato, vix quid sit dicere ausus sit, hoc solum de eo sciens, quod sciri qualis sit ab hominibus non possit; Hermes quoque de Filio Dei « cujus, inquit, nomen non potest humano ore narrari. » Ecce ille negat ab homine hunc posse sciri, iste vero posse edisseri. Unde ipsum penitus, cum rerum omnium naturas philosophi distinguerent, prætermittentes, quem nec ore disseri, nec mente concipi profitentur, sic eum a numero rerum excluserunt, quasi eum nihil esse astruerent. Cum enim omnem rem aut substantiæ, aut alicui aliorum generalissimorum subjiciant, utique et Deum si inter res ipsas comprehenderent, aut substantiis aut quantitatibus, aut cæterorum prædicamentorum melius connumerarent, qui nil omnino esse ex ipsis convincitur. Omnes quippe res præter substantias, per se subsistere non possunt, nisi scilicet subjectis sustententur substantiis, ut albedo nulla ratione esse potest nisi in subjecto corpore, aut pietas nisi in anima, aut quælibet res novem prædicamentorum, nisi in subjectis substantiis insint. Substantiæ vero in propria natura per seipsas existere aut perseverare possunt, omnibus et aliis rebus destructis. Unde et substantiæ quasi subsistentiæ esse dictæ sunt, et cæteris rebus, quæ ei assistunt, non per se subsistunt, naturaliter priores sunt. Ex quo liquidum est Deum, qui omnium rerum est initium, et singulare principium, nullo modo in eo rerum numero contineri quæ substantiæ non sunt. Sed nec substantiæ, secundum eos, supponitur Deus, licet ipse maxime sit res per se existens, et verum et incommutabile esse ipse solus a se habeat a quo sunt omnia. De cujus quidem veritate ac simplicitate sive incommutabilitate substantiæ, Augustinus in lib. *de Trinitate* ait[1]: « Sic intelligamus Deum, si possumus quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla mutatione sui mutabilia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest invenire omnino quid sit, pie tamen caveat quantum potest, aliud de eo sentire quod non sit. Est tamen sine dubitatione substantia, vel si melius hoc appellatur essentia, quam Græci οὐσίαν vocant. » Quod autem nec juxta philosophos ipse Deus substantia sit dicendus, facile convinci potest ex ipsis scripturis omnium dialecticam

[1] Lib. V, cap. I *Opp.*, t. VIII, col. 833.

tractantium, quas nunc latinitas habet, Porphyrii scilicet, Aristotelis et Boethii. Ait quippe Porphyrius in *Isagogis*, quas ad Categorias Aristotelis perscripsit, ait, inquam, « unamquamque substantiam una specie participare, pluribus vero accidentibus et separabilibus et inseparabilibus[1]. » Aristoteles quoque in *Categoriis* proprium substantiæ assignans ait[2] : « Maxime autem proprium substantiæ videtur esse, quod cum sit unum et idem numero, contrariorum est susceptibile. » Item, idem de eodem[3] : « Quare proprium erit substantiæ quod cum sit unum et idem numero, susceptibile est contrariorum. » Cum itaque Deo ista omnia coaptari non possunt, cujus substantia nec accidentibus variari, nullis omnino formis subjacere potest; liquet nec inter substantias eum Philosophos recepisse. Ea profecto ratione qua Plato, inter nullam et aliquam substantiam ὕλην collocavit, quam omnino adhuc informem conceperit. Neque enim substantia non est Deus, si vere subsistere naturam et incommutabilem esse, in ipso attendamus. Nec rursus substantia est, si usitatam nominis substantiæ appellationem sequamur, cum videlicet accidentibus subjectus esse non possit. Unde et in illo argumento Deus non esse substantia ostenditur aperte, quo Boethius, quamvis Christianus, opinionem Philosophorum secutus, cum de philosophia tractaret, Themistium scilicet et Tullium in *Topicis* suis vestigans, probat in quinto *Topicorum* ipsorum, albedinem non esse substantiam, his verbis[4] : « Substantia est, quæ omnibus accidentibus possit esse subjectum, albedo autem nullis accidentibus subjecta est, albedo igitur substantia non est. » Ipse quoque Augustinus hanc usitatam et propriam significationem substantiæ aperte profitetur in VII *de Trinitate* libro cap. IV et V[5], his quidem verbis de Deo disputans : « Sicut enim ab eo qui est appellatur esse essentia, ita ab eo quod est subsistere, substantiam dicimus. Absurdum est autem ut substantia relative dicatur. Omnis enim res ad se ipsam subsistit; quanto magis Deus, si tamen dignum est ut dicatur subsistere ? De his enim rebus intelligitur ratione in quibus subjectis sunt, ea quæ in aliquo subjecto esse dicuntur, sicut color in corpore. » Item[6] : « Res ergo mutabiles neque simplices proprie dicuntur substantia. » Item[7] : « Nefas est autem dicere, ut subsistat et subsit bonitati suæ, atqui illa bonitas non substantia sit vel potius essentia, neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit tamquam in subjecto. Unde manifestum est Deum abusive vocari substantiam, ut nomine usitatiori intelligatur essentia, quod vere ac proprie dicitur, ita ut fortasse Deum solum dici oporteat essentiam. Est enim vere solus quia incommutabilis est, idque suum nomen Moysi enunciavit, cum ait[8] : « Ego sum qui sum, » et[9] : « Dices

[1] Cap. XVI, v. 3. — [2] Cap. V. — [3] *Ibid.* — [4] De *Diff. Top.*, lib. I, p. 861. — [5] *Opp.* t. VIII. — [6] *Ibid.*, col. 860. — [7] *Ibid.*, col. 861. — [8] *Exod.* cap. III., v. 14. — [9] *Ibid.*

« ad eos : Qui est, misit me ad vos. » Sed tamen sive essentia dicatur, quod proprie dicitur, sive substantia, quod abusive, utrumque ad se non relative dicitur. Unde hoc est Deo esse quod subsistere, et ideo si una essentia Trinitas, una etiam substantia. » De quo etiam Job loquitur[1] : « Ipse enim solus est et nemo advertere potest cogitationes ejus. » Ex his itaque liquet, nec etiam juxta sanctos proprie, nec juxta philosophos ullo modo Deum substantiam dici. Patet itaque a tractatu philosophorum, rerum omnium naturas in decem prædicamenta distribuentium, illam summam majestatem esse exclusam omnino, nec ullo modo regulas aut traditiones eorum ad illam summam atque ineffabilem celsitudinem conscendere, sed creaturarum naturis inquirendis eos esse contentos, secundum quod scriptum est[2] : « Qui de terra est, de terra loquitur, » quas nec adhuc comprehendere ac ratione discutere ad illud sufficiunt. Quod summus ille sapientum Salomon considerans ait[3] : « Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone, et alta profunditas, quis inveniet eam? » Et per semet ipsam Sapientia[4] : « Cogitationes, inquit, mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt; et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt quis investigabit? » Quod etiam omnis hæc locutio ad creaturarum status maxime accommodata sit, ex ea præcipue parte orationis apparet, sine qua nulla dicitur constare perfectio orationis, ex ea scilicet quæ verbum appellatur. Hæc quippe dictio temporis designativa, quæ incepit a mundo. Unde si hujus partis significationem attendamus, oportet[5] per eam cujusque constructionis sensum infra ambitum contineri vel coerceri temporis, hoc est ad eas res tantum temporaliter inclinari, quas demonstrare volumus, temporaliter contingere nec æternaliter subsistere. Unde cum dicimus Deum priorem esse mundo, sive existere ante tempora, quis sensus in his verbis verus esse potest de præcessione[6] Dei et successione istorum, si hæc verba ad hominum institutionem accipiamus, secundum ipsam temporis significationem, ut videlicet dicamus Deum[7] secundum tempus priorem esse mundo vel exstitisse, hoc est in tempore præterito fuisse antequam tempus esset aliquid? Oportet itaque cum ad singularem divinitatis naturam quascunque dictiones transferimus, eas in quandam singularem significationem seu etiam institutionem contrahere, atque per hoc, quod omnia etiam excedit, necessario propriam institutionem excedere. Constat quippe, juxta Boethium ac Platonem, cognatos de quibus loquuntur rebus opor-

[1] Job, cap. XXIII, v. 13. — [2] Joan., cap. III, v. 31. — [3] *Eccles.*, cap. I, v. 8.— [4] *Sap.*, cap. IX, v. 14, sqq. — [5] Sic Cod. Vict. *Oportet*, deest Amb. — [6] Sic Cod. Vict. *Processione* Amb. — [7] Sic Theol. Christ. *Ut videlicet dicamus Deum*, deest Amb.

tere esse sermones : quod recte Gregorius attendens in prologo *Moralium*, ait[1] : « Indignum vehementer existimo, ut verba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati. » Sed nec proprium et usitatum nomen Dei ad illam unicam divinitatis majestatem, quæ excogitari non valet, nedum disseri, ipsi magni philosophi noverunt accommodare, qui cum Deum in arce[2] nominant, quem animali rationi supponunt, de mundo et cœlestibus corporibus illud, ut supra meminimus, accipiunt. Quid itaque mirum, si, cum omnia ineffabiliter transcendat Deus, omnem quoque institutionis humanæ sermonem excedat? Et cum ejus excellentia omnem longe exsuperet intellectum, propter intellectus autem voces sunt institutæ, quid mirum si intellectus transcendat, qui transcendit causas? multo quippe facilius res excogitari, quam disseri valet. Quid etiam mirum si in seipso Deus philosophorum infringat regulas aut exempla, quæ in factis suis frequenter cassat? Cum videlicet aliqua nova contra naturam facit, sive supra naturam, hoc est super hoc quod prima institutio[3] rerum potest. Numquid enim illuminatione cæci, nota illa philosophorum regula infringitur qua ab Aristotele dictum est : Ab habitu quidem in privationem fit mutatio, in habitum vero a privatione impossibile est? Neque enim cæcus factus rursum videt, etc. Numquid et virginis partus omnino illi præjudicat propositioni quæ frequenter a philosophis in exemplum necessariæ consequentiæ seu argumentationis affertur : Si peperit, cum viro concubuit? Ut hinc quoque appareat quod Apostolus ait[4] : « Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? » Quod si, ut philosophos salves, ea quæ per miracula fiunt a disciplinis vel regulis illorum excipias, aut in his vocabula propriam significationem non observare dicas, ut videlicet proprie dicatur visio vel partus qui per miracula fiunt, quanto magis in ipso auctore miraculorum id concedi oporteat, ut illius excellentiæ singularitas aliquid habeat proprium, quod sicut humanas cogitationes, ita et humanarum disciplinarum transcendat traditiones? de quibus recte Apostolus admonet dicens[5] : « Videte ne quis vos decipiat per prophetiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. » Ecce enim secundum ipsius Domini documentum, et[6], ut supra meminimus, testimonium Job, eum solum proprie esse profiteri cogimur, quem penitus nihil esse constat, secundum illam secularium disciplinam doctorum, quæ omnium rerum, ut dictum est, naturas in decem prædicamenta distribuit. Attendite, fratres et verbosi amici, quantum ab invicem dissonent divinæ et humanæ traditiones, spirituales et animales philosophi, sacrarum et

[1] Cap. v. — [2] Sic Cod. Vict. et Theol. Christ. *Cum Marte* pro *in arce* male legit Amb. — [3] Sic Cod. Vict. *Instructio* Amb. — [4] I *Corinth.*, cap. I, v. 20. — [5] *Coloss.*, cap. II, v. 8. — [6] Sic Cod. Vict. *Et* deest Amb.

secularium litterarum disciplinæ; nec tanquam temerarii judices arguatis, cum talia fides verba protulerit, quorum intelligentia vestris incognita sit disciplinis. Certum quippe est, quoniam unaquæque scientia atque cujuslibet artis tractatus propriis utitur verbis, et unaquæque doctrina propriis locutionibus gaudet, et sæpe ejusdem artis tractatores verba variare delectat, quia semper in omnibus, teste Tullio[1], identitas mater est satietatis, hoc est fastidium generans, atque in tantum etiam variare, ut sæpe vocem eamdem de una significatione sic ad aliam transferant, ut si vocis identitatem magis quam sensuum diversitatem sequamur, ipsos sibi contrarios reperiamus. Quanto magis ergo illius singularis et summi boni tractatores singularia verba quædam habere oportuit, aut ad quamdam illa detorquere significationem, quibus id quod singulare est singulariter profertur, nec publicis et vulgaribus locutionibus illud ineffabile, illud incomprehensibile coercetur. De quo siquidem[2] aliqua similitudine de creaturis ad creatorem vocabula transferimus, quæ quidem vocabula homines instituerunt ad creaturas designandas quas intelligere potuerunt, cum videlicet per illa suos intellectus manifestare vellent. Cum itaque homo vocem invenerit ad manifestandos intellectus suos, Deum autem minime intelligere sufficiat, recte illud ineffabile bonum effari nomine non est ausus. Unde in Deo nullum propriam inventionem vocabulum servare videtur, sed omnia quæ de Deo dicuntur, translationibus et parabolicis ænigmatibus involuta sunt, et per similitudinem vestigantur, ex parte aliqua inductam, ut aliquid de ineffabili majestate credendo nunc magis quam intelligendo degustemus. Et quoniam minus plenarias similitudines invenimus ad illud quod singulare est inducendas, minus de eo satisfafacere possumus per similitudines. Quod diligenter beatus attendens Augustinus in libro *contra Felicianum Arianum*, de hoc ipso quærentem, ita scripsit[3]: « Felicianus. Nescio quo pacto una creditur esse substantia, cum non dicatur una esse persona, velim, quæso, exemplo mihi faciliore dicta dilucides. Augustinus. In rebus quidem incomprehensibilibus exempla non suppetunt disputanti. Tamen in quantum fieri potest, etiam in hac parte non deero. Ecce homo pater habet hominem filium, est commune utrisque quod homo est, uni tamen quod filius, alteri proprium videtur esse quod pater est.» Item[4]: « Patrem ingenitum, Filium genitum dico, eo tantum docens ingenitum Patrem, quod non processit ex altero, eo genitum Filium, quod etiam existit ex semetipso. Itaque si proprium Patri quærimus, sufficit, quia solus non habet patrem, si Filii satis est, quia non habet prolem.» Quod tamen, ut possumus, aggrediamur, maxime ut pseudodia-

[1] *De Invent.*, lib. I, cap. XLI. — [2] Amboesius *Si quid de.* — [3] *Opp.*, t. VIII, in *App.* col 40. — [4] *Ibid.*, *ibid.*

lecticorum importunitatem refellamus, quorum disciplinas et nos paululum attingimus, atque adeo in studiis eorum profecimus, ut, Domino adjuvante, ipsis in hac re per humanas rationes quas solas desiderant satisfacere nos posse, confidamus. Habet enim humanas rationes etiam conditor rationis ipse, quibus animalium hominum ora obstruere possit, qui nos per Sapientiam admonet dicens[1] : « Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi esse sapiens videatur. » De cujus etiam sapientia in ipso Sapientiæ libro, inter cæteras etiam laudes ipsius, dicitur[2] : « Scit versutias sermonum et dispositiones argumentorum. » Tunc vero probabiliores illis afferimus similitudines, si de ipsis artibus quas frequentant, eas sumere potuerimus, et ad singula quæ objiciunt, illas applicuerimus.

Quærunt autem quomodo in Deo una penitus permanente substantia vel essentia aliqua, ibi proprietatum sit diversitas, secundum quas Trinitas personarum constat. Vel quomodo potest esse, ut cum unaquæque ibi persona sit Deus, nec tamen una persona sit alia, non etiam plures dii, sicut et plures personæ sint dicendi. Aut quæ sit denique generatio Filii de Patre, vel processio Spiritus ab utroque. Quod quidem ut diligentius fiat, præmittendum est quot modis idem, et quot modis diversum accipiatur.

Tribus autem modis utrumque, et fortasse pluribus dici solet. Idem namque similitudine, idem essentialiter sine numero, idem proprietate dicimus. Idem similitudine, cum easdem res apud omnes esse, sicut et intellectus, Aristoteles asserit, et nos easdem mercedes in hac et in illa civitate reperiri dicimus. Tam numero autem quam essentialiter idem sunt, cum sit eadem essentia; tam hoc est quam illud, ut numerum in se rerum non habeant, nec res plures numero dici queant, ut in Socrate homo, et animal, vel homo et risibile. Proprietate autem seu definitione idem sunt, quæ non solum numero sunt eadem, verum etiam nec proprietatibus ullis, nec propriis discrepant similitudinibus, ut ensis et mucro, vel album et candidum. Quam quidem maximam identitatem juxta proprium et expressum esse rei Boethius attendens in primo *Topicorum*, ait[3] : « Rursum potest de eo quod est idem, fieri certamen, ut an idem sit utile quod honestum est. Sed hæc quomodo definitioni est aggreganda ? Quarum enim rerum definitio est eadem, ipsæ quidem eædem sunt. Quarum vero diversa ratio substantiæ est, diversæ etiam ipsæ sunt. » Tribus etiam modis solet diversum sumi essentialiter, scilicet numero, proprietate, seu definitione. Diversa namque essentialiter dicimus, si eadem essentia quæ est hoc, non sit illud, et si homo est, nullius essentia tanquam pars includatur, ut manus et homo. Tunc vero etiam numero sunt

[1] *Prov.*, cap. XXVI, v. 5. — [2] *Sapient.*, cap. VIII, v. 8. — [3] *De Diff. Top.*, lib. I, p. 860.

diversa, cum ita tota quantitate suæ essentiæ sunt discreta, ut in computatione sibi queant admisceri, cum videlicet dicitur unus, duo, tres, etc. Quod tunc quidem fieri potest, cum non solum hoc non est illud, verum etiam nec ipsum, nec aliud de ipso est de substantia alterius, ut hic homo et ille, et etiam in eadem manu hic digitus et ille. Proprietate vero seu definitione diversa sunt, quæ licet habeant de se prædicari, cum essentialiter idem sunt, secundum proprios tamen status, aliud est hujus proprium, et aliud illius, et singula propriis definitionibus et in sensu diversis sunt terminanda. Proprias vero definitiones eorum esse dicimus, quorum ex integro exprimunt esse, ut substantia corporea corporis, vel aptum ad ridendum risibilis, vel habens albedinem albi, quamquam differentiam proprietatis scilicet seu definitionis Boethius in libro *Divisionum* diligenter attendens, rationale et bipes, quæ idem numero contingit esse, differre tamen his verbis asserit[1] : « Quoniam vero quædam sunt quæ differunt, quæ contra se in divisionibus poni non debent, ut in animali rationale et bipes. Nullus enim dicit : animalium alia sunt rationalia, alia duos pedes habentia, idcirco quod rationale et bipes licet differant, nulla tamen a se oppositione distinguuntur, etc. » Idem in primo *Topicorum*, cum propositionem et quæstionem et conclusionem definisset, et suis singula proprietatibus distinxisset; ostendendo scilicet quod unumquodque, quantum ex vi et natura propria requireret, idem numero hæc tria esse monstraret, nihilominus tamen ea differre secundum proprietates, quas assignaverat, ostendit dicens[2] : « Idem igitur est propositio quomodo conclusio, sed differunt supradicto modo. » Quam quidem differentiam et B. Gregorius diligenter considerans lib. *Moralium* XXI, ait[3] : « Hoc inter peccatum distat et crimen, quod omne crimen peccatum est, sed non omne peccatum crimen. » Rursus Boethius in prædicto libro *Topicorum*, ut jam supra meminimus, cum illam quæstionem, utrum idem sit utile quod honestum, de definitione esse docet dicens, secundum hæc, quomodo definitioni est aggreganda[4]. Quarum enim rerum eadem definitio est, ipsæ quidem eædem sunt; quarum vero diversa substantiæ ratio est, ipsæ etiam sunt diversæ, patenter ostendit, quæcunque definitionibus propriis discrepant, etsi eadem numero illa esse contingat, ut eadem videlicet res aliqua hoc sit et illud, nihilominus tamen illa dici diversa. Quod et Porphyrius ante in *Isagogis* suis docuerat dicens[5] : « Quorum termini sunt differentes, ipsa quoque sunt differentia. » Qui etiam cum ait[6] : « Differentiarum aliæ quidem sunt secundum quas dividimus genera in species, aliæ secundum quas ea quæ diversa sunt specificantur, » hoc

[1] *Lib. Divis.*, p. 541. — [2] *De Diff. Top.*, lib. I, p. 857. — [3] Cap. XII. — [4] *De Diff. Top.*, lib. I, p. 860. — [5] *Isag.*, cap. III. — [6] *Ibid.*, § 12.

est aliæ sunt divisivæ generum, aliæ constitutivæ specierum; quomodo has ab illis alias dixit, cum omnis divisiva sit constitutiva, et e contrario, nisi secundum proprietatem dividendi et constituendi quæ diversæ sunt. Aliud quippe exigit ex eo quod est divisiva, et aliud ex eo quod est constitutiva, licet modis omnibus eadem sit numero divisiva et constitutiva differentia. Tale igitur est dicere aliam esse differentiam divisivam, et aliam constitutivam, ac si dicamus alterius proprietatis esse divisivam, alterius constitutivam, licet penitus ea sit divisiva quæ constitutiva, et e converso. Hoc autem modo facile in singulis rebus assignari potest, et unam numero atque essentialiter rem permanere, et ipsi plures inesse proprietates, secundum quas aliqua diversa sunt definitione, non numero, et eædem res diversa in sensu vocabula sortiuntur. Verbi gratia : hic homo et substantia est et corpus, et animatum et sensibile, quod est alias rationale, et mortale quod est homo. Et fortassis albus et crispus et aliis accidentibus subjectus quæ recipit, et cum ipso idem sit numero, vel essentialiter substantia, quod corpus vel animatum, etc. Nihilominus tamen hæc abinvicem proprietatibus suis diversa sunt, secundum quas scilicet ipsa diversis terminanda sit definitionibus; aliud quippe substantiæ est proprium, et aliud corporis; alius cæterorum et alius substantiæ status dicitur, alius corporis, alius cæterorum. Ad hunc igitur modum cum in singulis rebus, una permanente substantia, possint innumerabilia assignari, secundum proprietates suas ab invicem diversa, quid mirum si una permanente divina essentia, diversæ quæ in illo sint proprietates , secundum quas distingui tres personæ queant? Sicut enim in uno homine qui simul substantia est et corpus, vel cætera singula quæ prædicta sunt, et fortassis quantum ad diversos pater et filius, alia est proprietas substantiæ, alia corporis, et cæterorum, et alia est patris et filli : ita et in Deo, licet eadem essentia sit Pater et Filius et Spiritus sanctus, alia tamen est proprietas Patris secundum quod scilicet generat, alia Filii secundum quod generatur, alia Spiritus sancti secundum quod procedit. Quas quidem proprietates plenius exponemus. Si quis forte id quod de rerum identitate vel proprietatum diversitate monstramus, non satis ad rem quam proposuimus pertinere dicat, nisi etiam in aliquibus rebus una permanente essentia , plures quoquo modo personas inesse demonstremus, agnoscat nullam ex toto similitudinem, sed ex parte aliquam induci; alioquin identitas potius quam similitudo diceretur. Ut tamen et in hoc satisfacere valeamus, divina nobis ex ipsorum artibus gratia providit. Nam et Grammatici cum tres distinguunt personas, primam videlicet quæ loquitur, secundam ad quam loquitur, tertiam de qua tanquam ab utrisque diversa loquuntur, personarum, juxta earum proprietates, diversitatem intelligunt, ut eidem rei sic tres istas personas inesse fateantur, ut idem homo et prima sit persona secun-

dum quod lóquitur, et secunda secundum quod ad eum aliquis loquitur, et tertia secundum quod de ipso inter aliquas sermo est. Et prima quidem persona, cæterarum principium est quoddam et origo seu causa. Et rursum prima et secunda tertiæ, nisi enim prima sit persona, quæ scilicet loquitur, quomodo erit secunda, ad quam videlicet sermo loquentis dirigatur? aut quomodo tertia erit, de qua scilicet invicem loquuntur, nisi invicem illis loquentibus? Unde et bene quantum ad ipsum existentiæ gradum seu modos, illa prima dicitur, ex qua ceteræ habent esse, et illa secunda post primam, ex qua simul et ex prima tertia esse habet.

Quam etiam similitudinem, si quis ad divinæ Trinitatis personas inducere velit, non incongrue fortassis aptare poterit, cum videlicet ex Deo Patre tam Filius quam Spiritus sanctus, et ex Patre simul et Filio simul Spiritus sanctús habeat esse. Secundum quos etiam existentiæ modos beatus quoque Augustinus, ut jam olim meminimus supra, secundum a Patre dicit Filium, et Spiritum sanctum nominat tertium. Sicut autem juxta Grammaticos persona sub disjunctione patentius describitur hoc modo : Persona est qui loquitur, sive ad quem loquitur, vel de quo tanquam diverso loquitur, ita et divinæ personæ sub disjunctione potentius describi, hoc modo videntur. Persona est in illa summa Trinitate Deus Pater vel ejus Filius, sive amborum Spiritus sanctus. Sicut etiam ibi nemo Grammaticorum dicit primam personam esse secundam aut tertiam, cum sint earum diversæ proprietates, licet eadem res, ut diximus, quæ est prima persona, sit secunda vel tertia, ita et in Deo cum eadem essentia quæ est Pater, sit Filius et Spiritus sanctus, nemo orthodoxus dicit unam personam esse alteram. Quod si post grammaticam quasi puerilem disciplinam, ad philosophicam perfectionem conscendere juvat, ut scilicet tantum aliquam ad propositum nostrum idoneam sumamus similitudinem, nec ibi nobis divinæ gratiæ suffragium deerit, maxime cum de ipsis Apostolus philosophis loquens, asserat[1] « Illis Deus manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas. » Ubi quidem cum ait, invisibilia ipsius, id est Dei, qui etiam ipso nomine Spiritus, invisibilis natura declaratur. Et pluraliter, ut dictum est, invisibilia septiformem ejus spiritum, hoc est Spiritum sanctum intelligi arbitror, quem nonnunquam etiam pro diversitate donorum septem spiritus appellant. Sempiterna autem virtus Dei Filius intelligitur, juxta quod alibi ait idem Apostolus[2] : « Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. » Cum vero ait invisibilia ipsius vel ejus virtus, per hoc quod ipsius Patrem dixerit, ipsum expressit, cujus videlicet tam ipse Spiritus quam Filius esse dicitur. Cum autem subdit, et divinitas, subaudis similiter, intellecta conspicitur,

[1] *Rom.*, cap. I, v. 20. — [2] I *Corinth.*, cap. I, v. 24.

unitatem divinitatis in tribus illis personis assignari; sin autem intelligatur ut dicatur divinitas ipsius vel ejus, sicut Dei invisibilia ipsius vel virtus ejus, recte quoque cum dicitur divinitas ipsius, id est, ipse Deus cujus sunt illa invisibilia, et illa virtus, Deus pater intelligitur. Quomodo autem philosophi hanc personarum distinctionem in una divinitatis essentia, per similitudinem alicujus mundanæ creaturæ, et eorum quæ in ipsa sunt creatura, vestigare poterunt atque invenire? Facile credo poterit assignari in his quæ ex materia et forma, vel ad similitudinem materiæ et formæ dixerunt consistere. Verbi causa[1]: Æs quidem est inter creaturas, in quo artifex operans et imaginis regiæ formam exprimens, regium facit sigillum, quod scilicet ad sigillandas literas, cum opus fuerit, ceræ imprimatur. Est igitur in sigillo illo ipsum æs materia, ex quo factum est; figura vero ipsa imaginis regiæ, forma ejus; ipsum vero sigillum ex his duobus materiatum atque formatum dicitur, quibus videlicet sibi convenientibus ipsum est compositum atque perfectum. Nil quippe est sigillum quam æs ita formatum. Id itaque essentialiter est ipsum æs, quod est materia ærei sigilli, et sigillum ipsum cujus est materia, cum tamen in suis proprietatibus ita sint distincta, ut aliud sit proprium æris, aliud ærei sigilli, et quamvis idem sint essentialiter, sigillum tamen est æreum ex ære, non æs ex æreo sigillo, et æs est materia ærei sigilli, non sigillum æris. Nec ullo modo æs materia sui ipsius esse potest, quamvis sit materia sigilli, quod est ipsum æs; non enim æs ex ære fit, sicut sigillum ex ære est constitutum, et quamvis idem sit materia ipsa quod est materiatum, nequaquam tamen in sigillo illo materiatum est materia, vel materia est materiatum. Facto autem ex ære sigillo, jam sigillabile est, hoc est aptum ad sigillandum, etsi nondum sit actualiter sigillans. Cum autem per ipsum sigillari ceram contingit, jam in una æris substantia tria sunt proprietate diversa, æs videlicet ipsum, sigillabile et sigillans. Quæ quidem inter se sic se habent, ut ex ære sit factum sigillabile, hoc est sigillum, et ex ære simul et sigillabili contingat fieri sigillans. Et ex ære quippe quod erat primitus ad hoc productum, est ipsum æs ut sigillabile esset, deinde ut quod æs sigillabile jam erat, sigillans fieret. Sic igitur cum eadem sit essentia æris et sigillabilis et sigillantis, quæ tria proprietate diversa sunt; ita hæc tria invicem sibi sunt conjuncta, ut ex ære sigillabile, et ex ære et sigillabili simul sigillans habeat suum esse. Quæ quidem omnia si ad divinæ Trinitatis doctrinam congruis proportionibus reducantur, facile est nobis, ex ipsis philosophorum documentis, pseudo-Philosophos qui nos infestant, refellere. Sicut enim ex ære sigillum est æreum, et ex ipso quodammodo generatur, ita ex ipsa Dei patris substantia Filius habet esse, et secundum hoc ex ipso dicitur genitus. Ut enim ex suprapositis jamdudum ostendimus,

[1] Contra hanc similitudinem vide quæ scripsit S. Bernardus in Epistola ad Innocentium.

specialiter nomine Patris divina potentia declaratur, sicut nomine Filii divina sapientia significatur. Est autem divina sapientia, quædam, ut ita dicam, ipsius Dei potentia, qua videlicet ab omni sibi fallacia vel errore providere potest, et ita veraciter cum ista dijudicare et scrutando penetrare, ut in nullo decipi vel errare possit. Sapientia itaque divina potentia est illa facultas discernendi, per quam « omnia oculis ejus nuda sunt et aperta[1], » nec quidquam ignorantiæ illi possit inesse. Sicut enim sanativum aut durum ex potentiis quibusdam dici Aristoteles astruit[2], quod videlicet ipsa incommodis suis resistere valent, ita sapientia ratione quadam potentia dicitur, quia fallaciæ scilicet vel ignorantiæ resistitur, nec in aliquo per errorem mens cæcata labitur. Sic et visionem potentiam quandam, sicut e contraroi cæcitatem impotentiam nominamus. Idem quoque de scientia qualibet, quæ visio quædam mentis est, et de ignorantia dici convenit. Cum igitur sapientia quædam, ut dictum est, sit potentia : sicut enim æreum sigillum est quoddam æs, liquet profecto divinam sapientiam ex divina potentia esse suum habere, ad eam scilicet similitudimem qua sigillum æreum ex ære dicitur esse, quod est ejus materia vel species ex genere, quod quasi materia speciei dicitur esse, ut animal hominis. Sicut enim ex eo quod est æreum sigillum exigit necessario ut æs sit, et ex eo quod homo, ut animal sit, sed non e contrario ; ita divina sapientia, quæ est potentia discernendi, exigit quod sit divina potentia, non e contrario. Quippe ut æs tam ad æreum sigillum quam ad alia se habet, et animal ad hominem quam ad alia sit, et potentia divina tam ad discernendum quam ad operandum se habet : et sicut æreum sigillum de ipsa æris substantia vel essentia dicitur esse, cum esse videlicet æreum sigillum sit esse æs quoddam, et esse hominem, id est animal rationabile, sit esse animal quoddam[3], ita et divina sapientia de divinæ potentiæ dicitur esse substantia, cum videlicet esse sapientiam, id est potentiam discernendi, sit esse potentiam quamdam, quod est Filium de substantia Patris esse, vel ab ipso genitum esse. Nam et species ex genere quasi gigni vel creari philosophi dicunt, secundum hoc scilicet, quod ex ipso, ut dictum est, esse contrahunt. Boethius, in libro *Divisionum*, genus in species quasi in quasdam a se quodammodo procreationes dividi asserit[4]. Cum autem species ex genere creari seu gigni dicantur, non tamen ideo necesse est genus species suas tempore, vel per existentiam præcedere, ut videlicet ipsum prius esse contigerit quam illas. Nunquam etenim genus nisi per aliquam speciem suam esse contingit, vel ullatenus animal fuit, antequam rationale vel irrationale fuerit, et ita quædam species cum suis generibus simul

[1] *Hebr.*, cap. IV, v. 13. — [2] *Categ.*, cap. VIII, § 7. — [3] S. Bernardus in epistola ad Innocentium pontificem de Erroribus Abælardi hunc refutat locum. — [4] *Lib. Divis.*, *Opp.*, p. 639.

naturaliter existunt, ut nullatenus genus sine illis, sicut nec ipsæ sine genere esse potuerint, sicut quantitas et unitas, vel numerus et binarius. Sic et divina sapientia, licet, ut dictum est, ex divina potentia omne habeat, quod est Filium ex Patre gigni, non tamen hanc illa præcesserit, cum nullatenus sine sapientia Deus esse potuerit. Sic et innumerabilia ex aliis gigni vel esse videntur, a quibus tamen tempore nullatenus præceduntur, ut ex sole splendor aut calor, quæ ad similitudinem Trinitatis nonnulli afferre consueverunt, ut sit videlicet Filius ex Patre, sicut splendor ex sole, et rursus Spiritus ex ipso, sicut ex sole calor. Splendor quippe ad sapientiam quæ lumen[1] est animæ, recte videtur pertinere, et de ipsa Dei sapientia, quæ Filius ejus intelligitur, scriptum est ab Evangelista[2]: « Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » Et ab ipso dictum est Filio[3] : « Ego sum lux mundi. » Et Apostolus inquit[4]: « Splendor gloria ejus. » Spiritus vero sanctus, qui amor Dei dicitur, recte per calorem intelligi videtur, cum in omnibus ipsis amor quo calere pectora dicuntur, frequenter calor sive ignis appelletur. De quo et ipse Filius ait[5] : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat? » Hoc est amore potius quam timore corda terrena implere. Et Psalmista neminem absque aliquo divinæ gratiæ dono conspiciens[6] : « Non est, inquit, qui se abscondat a calore ejus. » Et hanc profecto de sole similitudinem illam esse existimo, qua in divinæ Trinitatis assignatione Platonem usum esse commemorant, ut jam supra meminimus dudum. Sed quia nec secundum Philosophos, idem[7] est ipsa solis substantia, quod est ejus splendor aut calor, sicut eadem est essentia Patris et Filii : nec calor simul de sole et splendore est, sicut Spiritus simul ex Patre et Filio, a quibus ipse procedit, magisque de substantia ejus calor esse videtur qui substantialis est ignis, ac per hoc ipse magis ad Filium qui de ipsa substantia Patris est quam ad Spiritum pertinere; minus fortasse quam volumus, hæc inducta de sole similitudo ad propositi nostri demonstrationem sufficit. Quod et quidam nostrum attendentes, cum trium personarum eamdem essentiam assignare conarentur, et sicut Filium ex Patre esse, sic Spiritum ab utrisque, de fonte, et rivo, et stagno familiariorem videntur excogitasse similitudinem. Eadem quippe aqua fontis et rivus primo fit, et postmodum stagnum, et sicut rivus ex fonte, sic stagnum ex rivo simul et fonte contrahit esse. Patrem itaque fonti, Filium rivo, Spiritum sanctum comparant stagno. Quod ad incarnationem Verbi demonstrandam, sic attendunt rivum in fistula, quasi Filium in carne humana, ac si rivum in fistula, cum dicamus Verbum incar-

[1] Sic Cod. Vict. *Tamen* pro *lumen* male legit Amb. — [2] Joan., cap. I, v. 9. — [3] Joan., cap. VIII, v. 12. — [4] *Hebr.*, cap. I, v. 3. — [5] Luc., cap. XII, v. 49. — [6] *Psalm.*, XVIII, v. 7. — [7] Sic Cod. Vict. *Id* pro *idem* male legit Amb.

natum. Cujus quidem, ni fallor, similitudinis fundamentum Anselmus Cantuariensis a beato sumpsit Augustino scribente ad Laurentium Papam de hoc ipso, et fontem et ejus rivum, quorum est eadem substantia, ac divinæ generationis exemplum, ubi eadem substantia generantis et geniti inducitur. Sed hæc quoque similitudo ad identitatem substantiæ trium personarum in hoc minus sufficere videtur, quod eadem aqua non est simul fontis, et rivi, et stagni, sed per temporis, ut dictum est, successionem; sicut est eadem simul essentia Patris et Filii et Spiritus sancti. Imo eodem tempore alia est essentialiter aqua fontis quam rivi seu stagni, unde fortassis hæc similitudo illi potius suffragatur hæresi, quæ ita per tempora proprietates personarum commiscet, ut eamdem personam dicat quando vult esse Patrem, quando vult esse Filium vel Spiritum sanctum. Quod et nos providentes, alias quasdam similitudines, tam secundum Grammaticos quam secundum Philosophos superius induximus, quas proposito nostro magis convenire credamus, sed eam præcipue quæ sumpta est de Philosophis majori ratione præditis, ac per hoc a doctrina veræ Philosophiæ quæ Christus est, minus remotis.

Superest nunc post generationem Filii, de processione Spiritus sancti disserere, in quo præcipue de ipso confidentes, quem Apostolis Dominus promittens[1], « Ille vos docebit, inquit, omnia, et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. » Tanto ampliorem gratiam ab ipso in hoc speramus, quantum id amplius ad ipsum pertinet quod disserere cupimus. Spiritus e spirando[2] quasi Spiritus dictus est, unde Veritas[3], « Spiritus, inquit, ubi vult spirat. » Et propheta conveniente metaphora Spiritum Domini distinguens, Spiritum oris ejus ipsum appellat. Ideoque ipso suo nomine procedere ex Deo Patre vel Filio potius quam gigni declaratur. Benignitas quippe ipsa quæ hoc nomine demonstratur, non est aliqua in Deo potentia sive sapientia[4], cum videlicet ipsum benignum esse non sit in aliquo esse sapientem aut potentem, sed hæc ejus bonitas magis secundum ipsum charitatis affectum sive effectum accipienda est. Charitas autem, teste Gregorio, minus quam inter duos haberi non potest. Nemo enim, inquit, ad semetipsum charitatem dicitur habere, sed dilectionem in alterum extendit, ut esse charitas possit. Procedere itaque Dei est, sese ad aliquam rem per affectum charitatis quodammodo extendere, ut eam videlicet diligat ac ei per amorem se conjungat. Cum itaque tam Filius quam Spiritus sanctus ex Patre sit, hic quidem genitus, ille procedens, differt in eo generatio ipsa a processione, quod is qui generatur, ex ipsa Patris substantia est, cum ipsa, ut dictum est, sapientia, hoc

[1] Joan., cap. XIV, v. 26. — [2] Sic Cod. Vict. *Spiritus spirando* Amb. — [3] Joan., cap. III, v. 8. — [4] Locus productus a S. Bernardo in Epist. ad Innocentium.

ipsum esse habeat, ut sit quædam potentia; ipse vero charitatis affectus magis ad benignitatem animi quam ad potentiam attineat, unde bene Filius ex Patre gigni dicitur, hoc est ex ipsa Patris substantia proprie dicitur esse. Hinc Nicæna synodus quasi exponens hanc generationem Filii ex Patre ait : « Credimus et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre unigenitum, » hoc est ex substantia Patris, « Deum ex Deo, lumen ex lumine. » Non ignoramus nonnullos Ecclesiasticorum doctorum astruere Spiritum quoque sanctum ex substantia Patris esse, hoc est ab eo sic esse, ut etiam ipse unius sit substantiæ cum Patre, proprie tamen non dicimus ex substantia Patris esse : solus Filius dicendus est. Spiritus vero, quamvis ejusdem substantiæ sit cum Patre et Filio, unde etiam Trinitas Omousios, id est unius substantiæ prædicatur, minime tamen ex substantia Patris aut Filii, si proprie loquimur, esse dicendus est, quod oportet ipsum ex Patre vel Filio gigni : sed magis ex ipsis habet procedere, quod est Deum se per charitatem ad alterum extendere : quodammodo etenim per amorem unusquisque a seipso ad alterum procedit, cum proprie, ut dictum est, nemo ad seipsum charitatem habere dicatur, aut sibi ipsi benignus esse, sed alteri. Maxime autem Deus cum nullius indigeat, erga ipsum benignitatis affectu commoveri non potest, ut sibi aliud ex benignitate impendat, sed erga creaturas tantum, quæ divinæ gratiæ beneficiis indigent, non solum ut sint, sed ut bene sint. Quodam[1] itaque modo Deus a seipso ad creaturas exire dicitur per benignitatis affectum sive effectum, cum hoc ipsum quod benignus est, aut benigne aliquid ex charitate agit, secundum affectum vel effectum quem in creaturis habeat, dicatur. Tunc vero in se per benignitatem remaneret, si sibi benignus esse posset, aliquam in se beneficentiam exercendo, et aliquod sibi beneficium impendendo. Ex Patre autem simul et Filio Spiritus procedere habet, quia bonus ipse affectus sive effectus aliud faciendi vel disponendi ex potentia ipsius et sapientia provenit; cum ideo scilicet velit Deus aliud et faciat, quia et potest illud adimplere et solerter efficere, nisi enim posset aliud, frustra illud vellet, quia efficacia careret; et nisi solerter sciret illud efficere, non haberet egregium effectum. Nonnullos autem aliud velle contingit, quod non sufficiunt adimplere, quod etiam si possunt, non ita ut oportet perficere sciunt, quorum quidem voluntatem tam impotentia ipsorum quam inscientia irrationabilem facit. Ut igitur bona Dei voluntas erga quælibet facienda vel disponenda omnino ratione prædicta demonstretur, ex Patre et Filio, sicut prædictum est, procedere Spiritus sanctus perhibetur. Sicut igitur ex ære sigillum æreum habet esse, et ex Patre et Filio Spiritus sanctus, ut exposuimus, et sicut sigillum in forma impressæ sibi imaginis con-

[1] Sic Cod. Vict. *Quo* pro *quodam* Amb.

sistit, sic solus in forma Dei esse dicitur, et figura substantiæ ejus, sive ipsa Patris imago, id est expressa ejus similitudo nuncupatur : cum ipse Filius tanta Patri cognatione, ut ita dicam, sit unitus, ut non solum ipse sit unius cum Patre substantiæ, sed insuper, ut dictum est, ex ipsa Patris substantia. Ad hanc fortassis similitudinem, æris scilicet et ærei sigilli, quasi videlicet informis et formati, Hilarius respexit, cum, ut dudum supra meminimus, Filium a Patre formatum dixit, id est eo modo esse suum habere de Patre, quo res formata ex ipsa suæ materiæ substantia dicitur esse. Non tamen ullomodo materiam vel materiatum in Deo concedimus esse, sed in creaturis tantum vel mutabilibus rebus quæ sunt accidentium susceptibiles. Sicut ergo sigillans, eo ipso quo sigillans est, in alterum quiddam mollius cui imprimitur procedit, ut videlicet ejus imaginis, quæ in ipsa ejus substantia jam erat, formam illi tribuat ; sic Spiritus sanctus donorum suorum distributione nobis infusus, imaginem Dei deletam in nobis reformat, ut juxta Apostolum, conformes efficiamur imagini Filii Dei, id est Christo : « ut sequamur vestigia ejus qui peccatum non fecit[1], » et de veteri homine in novum transeamus. Sicut autem æs et sigillum seu sigillans in suis proprietatibus diversa sunt, secundum modos existentiæ quos adinvicem habent, ita scilicet ut nullus ipsorum proprietatem alterius communicet, sic et Pater et Filius et Spiritus sanctus. Verbi gratia : Sigillum æreum ex ære est tanquam ex materia materiatum, et æs materia est ærei sigilli, et æreum sigillum materiatum ex ære, et istæ quidem æris et ærei sigilli proprietates ita intermixtæ sunt, ut neque æs sit materiatum ex ære, neque eorum sigillum materia sit æris, cum tamen eadem res sit hoc quod est materia ærei sigilli, vel materiatum ex ære, hoc est æs ipsum, et æreum sigillum. Sic et in divinis contingit personis. Secundum id quippe, quod divina sapientia, ut diximus, ex divina potentia esse habet, illa Pater hujus, et hæc Filius illius dicitur, et in Deo tantumdem est dicere Patrem, quantum si dicamus sapientiam ex Patre genitam. Si ergo dicamus ibi Filium esse Patrem, tale est ac si dicamus ipsam Dei Patris sapientiam esse genitorem ipsius sapientiæ Patris, hoc est sui ipsius, ut ipsa scilicet Dei sapientia ex seipsa sit genita, et ex seipsa habeat esse. Similiter si dicamus ibi[2] Patrem Filium, videlicet sui ipsius, tale est ac si dicamus divinam potentiam seipsam genuisse. Quamvis enim idem essentialiter sit æs, quod æreum sigillum ex ære est, non tamen ideo quia æreum sigillum ex ære est, æs ex seipso dicitur, vel quia ipsum posterius est ex ære, ideo posterius seipso dicitur. Non enim hoc pronomen quod est sui, relationem facere potest recte, nisi ubi res eadem non essentialitate tantum, sed etiam proprietate nititur. Diversa autem proprietate sunt æs et æreum sigil-

1 Petr., cap. II, v. 21. — [2] Sic Cod. Vict. *In* pro *ibi* Amb.

lum, unde non est consequens ut si æreum sigillum sit ex ære, ideo aliquid sit ex seipso. Sic et quamvis idem sit Pater quod et Filius, quia tamen, ut dictum est, proprietatibus suis adinvicem distant, nullatenus procedunt. Quod si Filius ex Patre sit genitus, vel ex Patre habeat, ut dictum est, esse, ideo concedatur Filius ex seipso genitus esse vel ex seipso habere esse. Quod diligenter beatus attendens Augustinus in primo *de Trinitatis* confirmat verbis[1] : « Qui putat ejus potentiæ Deum esse, ut seipsum genuerit, eo plus errat quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritualis creatura, nec corporalis. Nulla enim res omnino est, quæ seipsam gignat. » Sicut igitur in ære et æreo sigillo absoluta eorum nomina sibi per prædicationem conjunguntur, quando videlicet eorum eandem substantiam esse demonstramus, veluti cum dicimus, æs est æreum sigillum, vel e contrario, et similia, nec tamen eorum relativa nomina quæ proprietates eorum prædicant, secundum quas hoc ex illo habet esse, sibi conjungi possunt, sicut materia ærei sigilli, et materiatum ex ære. Nemo etenim dicit, materia ærei sigilli est materia ex ære, vel materiatum ex ære est materia ærei sigilli, sicut et in divinis contingit personis. Ipse etenim omnipotens est sapiens sive benignus et e contrario, sed non ipse Pater est Filius, scilicet sui, vel est Spiritus sanctus, cum ipse videlicet Pater non procedat ex Patre, hoc est ex seipso, vel Filio, sicut et Spiritus ex Patre procedit sive Filio; non enim quemadmodum bonus Dei affectus ex potentia ejus et sapientia, ut dictum est, procedit, ita potentia ipsa sive sapientia ex seipsis procedere possunt, quod esset Patrem vel Filium esse Spiritum sanctum.

Græci tamen ex Patre solo, non etiam Filio Spiritum sanctum procedere profitentur, eo scilicet quod Veritas in Evangelio fidem integre continente de processione Spiritus loquens, solum Patrem commemorat dicens[2] : « Spiritus qui a Patre procedit. » Qui etiam super hoc quod a Filio eum quoque procedere dicimus, nos vehementer arguunt atque reos anathematis teneri asserunt, quod in principalibus Conciliis quæ apud eos celebrata sunt, ita symbola eorum subjunctis anathematibus sancita sunt, ut nulli de fide Trinitatis aliud dicere, vel aliud prædicare, quam ibi contineatur, liceat; in quibus quidem symbolis cum in processione Spiritus de solo Patre commemoretur, quicunque, inquiunt, Filium addunt, anathema incurrunt. Addunt etiam ad exaggerationem impudentiæ, nostræ testimonium damnationis symbolum[3] fidei, quod juxta traditionem prædictorum Conciliorum, Leo tertius Romæ transcriptum in tabula argentea posteris reliquit, pro amore, ut ipsemet dicit, et cautela orthodoxæ fidei. In quo quidem

[1] Lib. I, cap. I. *Opp.*, t. VIII, col. 749. — [2] Joan., cap. XV, v. 26. — [3] Deest *symbolum* in Cod. Vict. et Ed. Amb., sed legitur in *Theol. Christ.*

symbolo ipse quoque in processione Spiritus solum commemorat Patrem, his quidem verbis : « Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificatorem ex Patre procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et conglorificandum, etc. » In quanta autem reverentia illa principalia Concilia tenenda sint beatus diligenter aperit Gregorius, qui se ea tanquam quatuor Evangelia suscipere et venerari profitetur, unde et eorum verbis, non magis quam evangelicis, vel addere aliud vel substrahere permittit, ita Constantino Episcopo Mediolanensi de uno eorum scribens[1] : « Nos auctore veritate, et teste conscientia, fatemur fidem Chalcedonensis symboli illibatam per omnia custodire, nihilque ejus definitioni addere, nihil subtrahere audere. Sed si quis contra eam ejusdem synodi fidem, sive plus minusve ad sapiendum usurpare appetit, eum, omni dilatione postposita, anathematizavimus, atque a sinu Ecclesiæ matris alienum esse decrevimus. » Sed profecto cum interdicitur, ne quis aliter doceat aut prædicet Catholicam fidem quam in prædictis continetur Conciliis, aliter dictum puto, non secundum verborum diversitatem, sed secundum fidei diversitatem. Ac si dicatur : Aliter; hoc est contrario modo, non diverso verborum sono, quia et nos Latine dicimus quod illi Græce. Sicut ergo diversum pro opposito dicitur, ita diverso modo quod est aliter pro opposito modo non incongrue sumitur. Alioquin cum unumquodque illorum Conciliorum proprium composuerit atque instituerit symbolum, sintque ipsa symbola ab invicem verbis diversa, ac fortasse quibusdam sententiis, cum unum nonnunquam contineat quod alterum non habeat, profecto anathematis reus esset, qui uno recepto, cætera symbola confitendo recitaret vel reciperet. Eadem ratione rei teneremur ex supplemento Evangelii additi, cum in Deuteronomio Moyses dicat[2] : « Quod præcipio tibi hoc tantum Domino facias, nec quidquam addas vel minuas. » Addi itaque prohibuit contrarium aliquid, non quod perfectioni deesset, suppleri. Quamvis etiam possit intelligi, ut omnino prohibeatur homo ex se ipso verbis aliquid supplere. Tunc vero homo ex se aliquid adderet, si hoc ex sensu suo, non ex inspiratione Spiritus præsumeret, de quo quidem Spiritu est scriptum[3] : « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. » Multa etiam de miraculis sanctorum, et de his quæ sancti Patres post Apostolos scripserunt, prædicamus, cum tamen Apostolus dicat ad Galatas scribens[4] : « Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizaret vobis præter id quod evangelizamus vobis, anathema sit, sicut prædixi, et nunc iterum dico, si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. » Quod autem opponunt Græci evangelicam traditionem ad integram fidei disciplinam sufficere, nec quidquam ulterius addendum esse, præter ea quæ in

[1] *Epist.*, lib. IV, epist. III. — [2] *Deut.*, cap. XII, v. 32. — [3] Matth., cap. X, v. 20. — [4] *Galat.*, cap. I, v. 8.

verbis continentur evangelicis, in se etiam ipsos sententiam proferunt. Cum autem Spiritum a solo Patre procedere, non enim Evangelium cum a Patre procedere Spiritum dicat, « solo » adjungit quod ipsi apponunt, sed tantummodo a Patre dicit, quærimus etiam et interrogamus eos cum credunt Spiritum sanctum a Patre procedere, utrum credant ipsum a solo Patre procedere, vel non. Quod si sic, et vera sit hæc fides, utique ita est quod videlicet a solo Patre ipse procedit, et quod ipsi super hoc sentiunt, salubriter doceri seu confiteri non est incongruum, quod non credi sit periculosum, præsertim cum dicat Apostolus[1]: « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. » Sin autem non a solo Patre Spiritum procedere credant, cum eum a Patre procedere non dubitant, oportet quod tam a Patre quam Filio seu ab alio ipsum procedere assentiant, et quod necesse est credi, salubre sit confiteri, sicut et cætera omnia quæ ad fidem pertinent catholicam. Nec rectæ confessioni officit, si nonnulla confessionis verba in canonicis minime reperiantur Scripturis. Ob hoc enim maxime symbola conciliorum Scripturis illis sunt superaddita, ut illa doceant vel disserant quæ ibi aperte non habentur. Quis enim Trinitatem, vel tres personas in ea sibi coæternas et coæquales, quarum unaquæque sit Deus in illis Scripturis dici meminerit, aut Pilatum Pontium appellari, aut ad inferos animam descendisse Christi, et alia quædam quæ in verbis non continentur canonicis? Multa profecto fidei necessaria post Evangelium ab Apostolis, vel apostolicis viris addita sunt, quæ ex verbis evangelicis minime comprobantur, sicut est illud de virginitate Matris Domini etiam post partum jugiter conservata, et de aliis fortasse multis.

His autem adversus Græcorum objectionem de processione Spiritus responsis, libet etiam ex ipsorum doctoribus testimonia proferre quibus a Filio quoque Spiritum sanctum procedere doceatur. Athanasius *in Symbolo fidei*, « Spiritus, inquit, sanctus, a Patre et Filio non factus, non creatus, nec genitus, sed procedens; » ubi quidem cum præmiserit Spiritum sanctum a Patre et Filio esse, atque subjunxerit « procedens, » manifeste docuit eum ab utroque procedere, sicut et esse retulerit, præsertim cum non aliter a Patre Spiritus esse habeat, quam procedendo. Didymus etiam eorum maximus doctor, in libro *de Spiritu sancto*, a Filio quoque procedere patenter profitetur dicens: « Salvator, qui et Veritas, ait[2]: « Non enim loquetur a semetipso, » loquetur, hoc est, non sine me, non sine meo et patris arbitrio; quia inseparabilis est a mea et patris voluntate, quia ex se non est, sed ex patre et a me est. Hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur a patre et a me est illi. « Ego veritatem loquor, » id est inspiro quæ loquor. Siquidem Spiritusv eritatis est, dicere, et loqui in Trinitate non secundum consuetudinem nostram accipiendum,

[1] *Rom.*, cap. x, v. 10. — [2] Joan., cap. xvi, v. 13.

sed juxta formam incorporalium naturarum et maxime Trinitatis, qua voluntatem suam ingerit in corda credentium. » Item : « Spiritus sanctus qui est Spiritus veritatis, Spiritusque sapientiæ, non potest audire, Filio loquente, quæ nescit, cum hoc ipsum sit quod profertur a Filio, id est procedens Deus de Deo, Spiritus veritatis procedens a Veritate, consolator manens de consolatore. » Quæ quidem veritas quæ sit, a qua ipse procedit, symbolum Ephesini Concilii, quod etiam Græcorum fuisse constat, manifeste his verbis determinat : « Quamvis in sua substantia sit Spiritus Filii, et intelligatur in persona proprietas, juxta id quod Spiritus est, et non Filius, non est tamen alienus ab ipso : nam Spiritus appellatur veritatis, et veritas Christus est. » Item Cyrillus Episcopus Alexandrinus *in Epist.* VIII Nestorio directa, quæ sic incipit : Reverendissimo et Domino amantissimo, etc. « Si est, inquit, in substantia Spiritus speciali, vel certe et intelligitur[1] per se secundum quod Spiritus est et non Filius, sed tamen est non alienus ab eo. Spiritus enim veritatis nominatur et profluit ab eo, sicut denique ex Deo Patre. » Joannes Chrysostomus *Homilia* XXVII[2] de expositione symboli quæ sic incipit : Universalis Ecclesia congaudet. « Iste est Spiritus procedens de Patre et Filio, qui dividit propria dona ut vult. » Idem *Homilia* XXXVIII[3], in alia expositione ejus symboli quæ sic incipit : « Super fabricam totius Ecclesiæ. Itaque credendum est Spiritum sanctum Patris esse et Filii. » Item : « Istum Spiritum sanctum dicimus Patri et Filio esse coæqualem, et procedentem de Patre et Filio. Hoc credite ne colloquia mala corrumpant mores vestros bonos. » Item : « Videte ubique sacramentum Trinitatis, ecce et in Spiritum sanctum credimus, qui Spiritus procedens de Patre et Filio charitate conjungitur. » Augustinus libro *Quæstionum ad Orosium*, cap. II : « Spiritus Dominus noster ille Christus post resurrectionem suam, ut ostenderet a se procedere Spiritum sanctum sicut a Patre, insufflans in discipulos suos ait[4] : « Accipite Spiritum sanctum. » Idem lib. IV *de Trinitate*[5] : « Nec possumus dicere, quod Spiritus sanctus a Filio non procedat ; nec enim frustra idem Spiritus et Patris et Filii et Spiritus dicitur, nec video quid aliud significare voluerit, cum sufflans ait : « Accipite Spiritum sanctum. » Neque enim flatus ille corporeus substantia Spiritus sancti fuit, sed demonstratio, et a Filio procedere Spiritum sanctum. » Item in libro *de Trinitate*[6] : « Sicut unicum Dei verbum proprie vocamus nomine sapientiæ, cum sit universaliter, et Spiritus sanctus, et Pater ipsa sapientia, ita Spiritus proprie vocatur vocabulo charitatis, cum sit et Pater et Filius universaliter charitas. » De utroque autem procedere sic docetur, quia ipse Filius ait[7] : « De Patre procedit, » et discipulis suis insufflavit

[1] *Intelligitur*, deest Amb. — [2] *Homil.* XXVI. — [3] *Homil.* XXVIII. — [4] Joan., cap. XX, v. 22. — [5] Cap. XX, *Opp.*, t. VIII, col. 829. — [6] Lib. XV, cap. XVII. *Opp.*, t. VIII, col. 989. — [7] Joan., cap. XV, v. 26. —

et ait : « Accipite Spiritum sanctum, » ut eum etiam de se procedere ostenderet, et ipsa est « virtus quæ de illo exibat et sanabat omnes, » sicut legitur in Evangelio[1]. Quippe cum Spiritus quasi spiramen a spirando dictus sit, et æque ipse tam Patris quam Filii Spiritus appelletur, quis recte abneget ab ambobus eum procedere, a quibus tanquam amborum spiritus esse habet atque spirare? Proprie tamen seu principaliter eum a Patre procedere non negamus. Unde Hieronymus definitionem Catholicæ fidei Nicænique symboli exponens ait[2] : « Credimus et in Spiritum sanctum qui de Patre procedit proprie. » Item : « Spiritum sanctum verum Deum invenimus in Scriptura, et de Patre proprie esse. » Et iterum : « De Patre et Filio et Spiritus proprie et vere procedit. » Primum igitur accipe quod de Patre est proprie Spiritus sanctus, dicente Scriptura[3] : « Verbo « Domini cœli firmati sunt, et spiritu ejus omnis virtus eorum. » Et Salvator ait[4] : « Spiritus veritatis qui a Patre procedit. » Et B. Augustinus in XV *de Trinitate*, cap. XVIII[5] : « Non frustra in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec donum Dei nisi Spiritus sanctus. Nec de quo genitum est Verbum, et de quo procedit principaliter Spiritus sanctus, nisi Deus Pater. » Idem *de Verbis Domini*, sermone IX[6] : « Et Spiritus sanctus principaliter de illo procedit de quo natus est Filius. Ideo autem addidi principaliter, quia et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi dedit non jam existenti, licet nondum habenti. Sed quidquid unigenito verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo bonum commune[7] procederet. » Ac si aperte Augustinus his verbis determinet per hoc Spiritum sanctum principaliter ex Patre, et non principaliter ex Filio, quia sic ex Patre procedit, quasi primo loco, cum eum Pater ab alio non habeat, sed a se ipso, sicut et a se ipso est, hoc est non ab alio. Filius vero cum a se non sit, sed a Patre, etiam ipsum Spiritum a Patre habet, a quo per generationem esse habet. Sed quid est quod dictum est, proprie Spiritum ex Patre procedere? Numquid proprie ibi dictum, sicut hoc loco principaliter? Et fortasse eodem modo dici videri posset, nisi quod ibi interseritur, quod et Filius ex Patre natus sit proprie, sicut et Spiritus ex Patre proprie dicitur esse. Dictum quippe ibidem est : Filius non ex semetipso natus est, sed ex Patre natus est proprie : non in tempore, sed semper : non aliunde, sed de una substantia, non de aliena, sed de sua propria. At vero si eodem modo tam in Filio quam in Spiritu sancto accipitur proprie, cum hic scilicet proprie nasci ex Patre, et ille procedere dicitur proprie ex Patre, et tale sit dicere proprie ac si diceretur principaliter, quomodo Filium ex Patre principaliter nasci dicemus, cum ex eo solo natus sit? Nisi forte

[1] Luc., cap. VI, v. 19. — [2] Expos. Fidei ad Cyrill., *Opp.*, t. V, col. 124. — [3] Psalm. XXXII, v. 6. — [4] Joan., cap. XV, v. 26. — [5] Cap. XVII, *Opp.*, t. VIII, col. 988. — [6] Serm. LXXI. *Opp.*, t. IV, col. 397. — [7] Apud Augustinum *donum commune* legitur.

cum ibidem statim additum sit, non in tempore, sed per respectum temporalis generationis ejusdem Filii ex matre, id dictum est, ut videlicet hæc principalis et prima sit, quæ est æterna, per quam ab æqualitate Patris non receditur; illa vero quasi posterior et temporalis, secundum quam minor Patre ipse Filius dicitur. Possumus etiam dicere in eo Filium ex Patre proprie natum esse sive genitum, quod naturalis sit ejus Filius, non adoptivus, sicut et statim determinatur, cum subditur non aliunde, sed ex sua substantia. Sed et secundum hoc quod juxta philosophos nata sive genita omnia dicuntur, quæ ab aliquo habent esse, proprie Filius solus ex Patre natus est, quia solus ipse nascendo ex ipsa Patris substantia est. Spiritus vero sanctus secundum hoc ex Patre solo procedere proprie dicitur, quod ab eo sic procedit, quasi a summo principio, quod videlicet ab alio non est. Inde enim aliquid procedere dicitur, unde primo venire ac moveri cœpit, sicut lacus ex fonte, non ex rivo, sed per rivum procedere dicitur, in quem scilicet rivum aqua ipsius lacus de fonte prodiens per eum transit ac pervenit in stagnum. Sic et Spiritus sanctus ex Patre proprie procedere dicitur, quasi a summa origine, quæ scilicet aliunde non sit, et ab ipso in Filium, quasi in rivum, quia et quod habet Filius ab ipso habet a quo et hoc ipsum habet quod ipse est, et per Filium ad nos tandem quasi in stagnum hujus seculi. Quippe qui omnia in sapientia facit ac disponit, in hac ipsa sapientia sua Spiritum tribuit suorum distributorem donorum, non improvide vel inconsiderate. Unde et B. Hilarius Spiritum a Patre per Filium magis quam a Patre et Filio procedere seu esse, sicut et mitti perhibet, ita et ad Deum Patrem de Spiritu sancto et Filio loquens in XII *de Trinitate* libro; « In sancto Spiritu tuo ex te profecto et per eum misso. » Item : « Ex te per eum sanctus Spiritus tuus est. » Item : « Filium tuum una tecum adorem, sanctum Spiritum tuum qui ex te per unigenitum tuum est, promerear. » Et hoc fortasse modo, si a solo Patre procedere Spiritum Græci intelligant, eo scilicet quod sic ab ipso sit, quasi a summo et non existente ab alio, nulla est sententiæ controversia, sed verborum diversitas. Certum quippe est et solam personam Patris hoc modo summam debere prædicari, et Spiritum quoque ab ipso esse sicut a Filio, qui ipsius quoque sicut et Filii Spiritus dicitur.

Quod vero nonnulli moventur, ex eo quod dicimus Filium a Patre per generationem esse, et Spiritum a Patre et a Filio per processionem, nec tamen ideo Patrem per existentiam priorem esse Filio, vel Patrem et Filium Spiritu sancto, potest ex multorum similitudine exemplorum refelli. Solis quippe substantia est et splendida et illuminabilis, id est potens illuminare aliquid, et cum sit splendor ex sole, et illuminabilitas ex sole simul et splendore, nunquam tamen ex his tribus aliquod per existentiam aliquod illorum præcesserit.

Sed et si quis illam philosophicam Platonicæ rationis considerationem altius inspiciat, quæ videlicet de Deo opifice ad similitudinem quamdam solertis opificis vel artificis agit, præmeditantis scilicet et deliberantis ea quæ facturus est, ne quid inconvenienter componat, et prius singula ratione, quam opere formantis : ad hunc quippe modum formas Plato exemplares in mente divina considerat, quas ideas appellat, et quas postmodum quasi ad exemplar quoddam summi artificis providentia operata est, videbit Spiritum sanctum ex Filio quoque sive per Filium recte procedere, cum ex ratione sapientiæ universa Dei opera administrentur, et ita quodammodo conceptus divinæ mentis in effectum per operationem prodeat. Effectus autem ad Spiritum pertinent, qui ex bonitate conditoris eveniunt, quia Spiritus ipse bonitas est. Dicamus itaque Spiritum ex Filio quoque procedere, cum ratio divinæ providentiæ ad effectum benignitatis perducitur, et quod ab æterno faciendum præviderit temporaliter quando vult facit. Hanc autem conceptionem qua scilicet conceptus mentis in effectum operando prodit, Priscianus in primo *Constructionum* diligenter aperit, dicens generales et speciales formas rerum intelligibiliter in mente divina constitisse, antequam in corpora prodirent, hoc est in effecta per operationem, quod est dicere, ante providit Deus quid et qualiter ageret, quam illud opere compleret. Ac si diceret : Nil impræmeditate sive indiscrete egit.

Macrobius quoque ipsam animam mundi, etiam quam putamus Spiritum sanctum intelligi, ex Νοῦ, hoc est Filio præcipue esse declarat, cum aperte eam a *Noy*[1] creatam sive natam, sicut et ipsam *Noym* a Deo Patre esse profitetur, ita generaliter de origine animæ exorsus[2] : « Deus qui prima causa et est et vocatur ; unus omnium quæ sunt quæque videntur esse, princeps et origo est. Hic superabundantis majestatis fœcunditate de se mentem creavit. Hæc mens quæ Νοῦς vocatur, qua Patrem inspicit, plenam similitudinem servat auctoris. Animam vero de se creat, posteriora respiciens. Rursum anima qua patrem intuetur, induitur, ac paulatim redigente respectu in fabricam corporum, in corporea ipsa degenerat. » Creari autem sive nasci hoc loco Macrobius abusive protulit, sicut et in primo libro determinavimus, cum videlicet tam mentem ipsam quam animam ipsam creatam dixit. Mentem quidem ex Deo, hoc est Filium ex Patre, et animam ex mente, hoc est Spiritum ex Filio, ubi et utramque natam esse insinuat, cum utrique patrem assignat, Deum quidem menti, et rursum mentem ipsam animæ. Creari itaque sive nasci esse ex aliquo intelligit, ut tale sit quod ait, hoc ex illo nasci sive creari, quasi simpliciter diceret hoc ex illo esse. Sufficit autem Philosopho ad ostendendam animam ipsam tam ex Patre quam ex Filio, memo-

[1] Sic Cod. Vict. Νοφ Amb. — [2] In *Somn. Scipionis*, lib. I, cap. XIV.

rasse solum hoc loco Filium, quia cum Filius ex ipso Patre sit, et Spiritus ipse, hoc est anima ipsa ex Filio esse assignatur, liquet profecto ipsam quoque ex Patre esse, secundum quod et ipse eam Philosophus a Deo et *Noy* juxta sapientes nominari supra inductus asserit. Quod vero ait mentem esse ex fœcunditate majestatis, tale est ac si diceret, sapientiam ex ipsa omnipotentia esse natam. Proprie namque majestas ac reverentia potentiæ ascribi solet. Quod vero dicit, « Mens, qua Patrem inspicit, similitudinem servat auctoris, » ita dictum puto, ac si aperte dicat Filium ipsum in omni re in qua similis est Patri, æqualem omnino illi esse. Potens quippe est sicut et Pater, et tantumdem potens, bonus est sicut et Pater, et æque bonus. Sic et in cæteris, in quibus habet similitudinem cum Patre, et æqualitatem habet, non autem in omnibus similitudinem habet cum Patre, cum ipse solus sit genitus, et ipse Pater sit genitor. Quod quidem ad distinctionem personarum attinet, secundum proprietates earum. Secundum nos etiam qui solum Filium incarnatum credimus, in hoc uno Filio minorem Patre, non æqualem dicimus. Νοῦς posteriora respiciens, animam creat, quia Spiritus sanctus, qui ex Filio est, sive quæcunque anima ab ipso conditore suo ducens exordium, hoc ipsum quod anima est, hoc est vita creatarum rerum, ex respectu quodam ipsius creatoris habet, hoc est ex beneficio divinæ sapientiæ cuncta disponentis, ut in ipso respectu Dei divinum intelligatur beneficium. Anima quippe ab animando, hoc est vivificando dicta est. Spiritus quidem sanctus, ut in primo libro distinximus, quasi anima est, hoc est animarum nostrarum, et nostræ animæ quasi quædam ejus corpora sunt, ab ipso scilicet donis suæ gratiæ vegetata. Quas rursus animalem vitam nobis certum est impertire. Patrem suum, id est *Noym*, dicit animam indui in ea suavi, qua intuetur, hoc est ratione utitur, quia ex ratione quam habet maximam similitudinem cum divina sapientia tenet, cum ratio maxime sit ascribenda sapientiæ. Paulatim anima in corpora respicit, quia ad comparationem plenitudinis illius summi boni modicum est quidquid habemus, quantacunque dona virtutum ab ipso suscepimus. Possumus etiam in eo paulatim intelligere dictum esse, quod quibusdam gradibus per intervalla temporum, a minimis[1] ad maxima Spiritus suos fideles promoveat, nec sua simul conferat dona. Degenerare dicitur anima in ipso suæ operationis effectu, ex quo anima dicta est, cum non sit hoc æternum, sed temporale quod operatur. De quo, ni fallor, illud facile est absolvi, quod Plato animam mundi incœpisse voluerit, nec coæternam Deo et menti. Cum enim Spiritum sanctum animam magis quam Spiritum appellaverit, quasi ab animando, hoc est vivificando nos donis suæ gratiæ per incrementa virtutum, non semper ille Spiritus

[1] Male omnino Amboesius *animus*.

anima fuit, idest vivificans; quia dum nondum creaturæ essent, quibus dona sua distribueret, in illas bonorum suorum distributionem non exercebat. Sicut ergo Spiritum sanctum qui in se est omnino simplex, multiplicem tamen dicimus, et septem spiritus appellamus, secundum diversitatem donorum, ita et Philosophus eumdem qui in essentia propria æternaliter subsistit, incœpisse, quantum ad effecta sua, voluit, ex quibus eum animam magis quam Spiritum appellavit. Spiritus quippe nomen est naturæ, anima vero officii, ab animando scilicet. Sicut ergo ipsos cœlestes spiritus semper quidem spiritus, sed non semper angelos esse profitemur, eo quod angelus nomen sit officii, non naturæ, et Dominum nostrum Jesum Christum, secundum humanitatem incœpisse, secundum vero divinitatem, æternum esse prædicamus : ita et Spiritum sanctum secundum substantiam essentiæ suæ æternum, secundum effecta vero incœpisse dicimus, quod est dicere effecta potius quam ipsum incœpisse. Et hunc quidem Philosophi sensum esse arbitror, sub illo animæ typo, quod eam creaturam esse, id est incœpisse perhibet, et quasi temporalem esse, non æternam. Juxta quod et Macrobius animæ ipsi tam Deum quam *Noym* proferre non abhorreret. Vocet itaque Plato Spiritum sanctum animam secundum effectum operum. Nos vero dicamus Spiritum secundum naturalem suæ bonitatis affectum, quem ita ab æterno habuerit, ut ex opere eum impleret, quando eum implendum esse providit. Dicat ille animam incœpisse secundum effecta, nos vero Spiritum in affectu suæ bonitatis æternaliter perseverare. Dicat ille animam incœpisse, nos Spiritum omnino æternum esse. Sit processio Spiritus secundum affectum æterna, quia scilicet ab æterno sic voluit. Sit processio animæ secundum effectum temporalem. Utramque Spiritus processionem, tam secundum efficaciam scilicet, quam secundum effectum a sanctis Patribus distinctam esse cognovimus. De processione quidem efficaciæ, Beda in *Homilia* Dominicæ primæ post Ascensionem, ita loquitur[1] : « Cum Spiritus gratia datur hominibus, profecto Spiritus mittitur a Patre, mittitur et a Filio : procedit a Patre, procedit et a Filio, quia et ejus missio, ipsa processio est, quia ex Patre procedit et Filio. » Ipse autem Augustinus utrumque processionis modum diligenter distinguit, cum procedere perhibet, tam secundum hoc quod datur, quam secundum hoc quod dabilis est. Unde lib. V, de *Trinitate*[2] : « Cum ad processionem Spiritus pervenisset, ait, procedit non quomodo natus, sed quomodo datus. Quod autem datum est, et ad eum qui dedit, refertur, et ad eos quibus dedit. Sed si non procedit, nisi cum datur, nec procederet utique prius quam esset cui daretur. Nam donum potest esse et antequam detur, donatum autem, nisi datum fuerit, nullo modo

[1] *Opp.*, t. VII, col. 33. — [2] *De Trinitate*, lib. V, cap. XIV. *Opp.*, t. VIII, col. 840.

dici potest. » Quid itaque mirum cum duobus modis Spiritum procedere dicamus, si secundum alterum processionis modum dicatur Spiritus a nobis, et secundum alterum vocetur anima a philosophis? Illud ergo Spiritus æternaliter, hoc temporaliter habet, unde et statim in eodem idem annectit dicens[1] : « Nec moveat quod Spiritus sanctus, cum sit coæternus Patri et Filio, dicatur tamen aliquid ex tempore, veluti hoc ipsum quod donatum, nam sempiterne Spiritus donum, temporaliter autem donatum. Nam et si Dominus non dicitur, nisi cum habere incipit servum, etiam ista appellatio relativa ex tempore est Deo. Non enim sempiterna creatura est, cui est ille Dominus. » Item[2] : « Ecce Dominum esse non sempiternum habet, ne cogamur etiam dicere creaturam sempiternam, quia ille sempiterne non dominaretur, nisi etiam ista sempiterne famularetur. » Qui etiam in eodem libro, in superiori capitulo, Spiritum etiam sanctum effectum manifeste vocat, cum ei principium assignat. Ait autem sic[3] : « Quod datum est, et ad eum qui dedit refertur, et ad eos quibus dedit. Ita Spiritus sanctus dicitur et Dei qui dedit, et nostri qui accipimus. » Unde scriptum est de Joanne, quod[4] in spiritu Heliæ veniret. Hoc et de Moyse intelligendum est, cum ait ei Dominus[5] : « Tollam de spiritu tuo, et dabo eis, » hoc est de Spiritu sancto quem tibi dedi. Si ergo et quod datur principium habet eum a quo datur, quia non aliunde accepit illud quod ab ipso procedit, fatendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus sancti, tamen non duo principia, sed unum principium. Liquet itaque Augustinum hoc loco Spiritum accepisse secundum effecta, cum dicit datum, magis quam secundum naturalem suæ bonitatis affectum vel benignitatis. Unde bene secundum effecta Pater et Filius priores Spiritu dicuntur, et quasi principium ejus, quia ex potentia, moderante sapientia, effectus gratiæ descendit, ex quo etiam Spiritus hoc loco appellatur, et prius potentiam et sapientiam esse oportet, ut postea aliquid in effectum ducatur. Tale est ergo Patrem et Filium esse principium Spiritus sancti, ac si dicamus Spiritum ex ambobus per effectum procedere, hoc est, potentia Dei moderante, ejus ratione ad actum perduci[6]. Et hoc quidem modo si quis nomen Spiritus accipiat, secundum scilicet suæ gratiæ effecta, non recte dicitur Spiritus æternus, sicut nec Dominus aut creator, quia ut diximus, non semper Spiritus secundum effecta exstitit, unde et bene Evangelista Joannes ab æternitate Dei inchoans, cum Verbum apud Deum æternaliter ostenderet dicens[7] : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Et[8] : « Omnia per ipsum facta sunt, » nullam Spiritus mentionem habuisse videtur, qua eum esse

[1] *De Trinitate*, lib. V. — [2] *Ibid.*, cap. XVI, col. 841. — [3] *Ibid.*, cap. XIV. — [4] Luc, cap. I, v. 17. — [5] *Num.* cap. XI, v. 17. — [6] *Auctum* pro *actum* legitur in Cod. Vict. et edit. Amb. *Perducti* pro *perduci*, Amb. — [7] Joan., cap. I, v. 1. — [8] *Ibid.*, v. 3.

æternum astrueret, cum de Deo et Verbo ejus loquens, Patri et Verbo solummodo æternitatem ascribit, dicens[1] : « Hoc erat in principio apud Deum. » Qui in eo fortasse quod subjunxit de effectu operum dicens : « Omnia per ipsum facta sunt, » Spiritum designasse videtur secundum effecta ipsa quæ sua Deus condidit bonitate, secundum quæ, ut diximus, æternus non est Spiritus, id est datus, sicut nec anima mundi quam Plato dicit. Nec mirum locum Evangelistæ maxime cum Platone convenire, cum totam verborum istorum sententiam in libris Platonicorum, Augustinus, ut supra meminimus, invenerit[2]. Sunt autem nonnulli qui charitatem Dei non solum ad creaturas porrigi, verum etiam ab una persona in alteram, ut videlicet amor Patris in Filium, vel Filii in Patrem Spiritus ipse sit. Quod aperte Augustinus, in XV *de Trinitate*, astruit his verbis[3] : « Denique, si in donis Dei nil majus est charitate, et nullum majus donum Dei est quam Spiritus sanctus, quid consequentius quam ipse sit charitas quæ dicitur Deus et ex Deo? Et si charitas qua Pater diligit Filium, et Patrem diligit Filius ineffabiliter, communionem amborum demonstrat, quid convenientius quam ut ille proprie dicatur charitas, qui Spiritus est communis ambobus? » Hinc est et illud Hieronymi *super septimum Psalmum* : « Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius est, sed dilectio quam habet Pater in Filio et Filius in Patre. » Quod fortassis ideo maxime dicendum videtur et tenendum, ut videlicet amor quoque Patris in Filium vel Filii in Patrem, dicatur Spiritus sanctus, et non tantum amor ad creaturas, quod fortassis aliter videretur Spiritus sanctus posse non esse, ac per hoc non necessario esse ipsam Trinitatem. Posset quippe esse ut nulla creatura unquam esset, cum nulla ex necessitate sit, ac per hoc consequens videretur, ut jam nec affectus ipsius quem videlicet erga creaturas habet, ex necessitate sit, ac per hoc Spiritus ipse ex necessitate non sit quem dicimus Dei ipsum affectum esse sive amorem. At vero si amorem Dei non solum erga creaturas, verum etiam unius personæ erga alteram accipiamus, hoc inconveniens vitamus aperte. Ac fortasse cum creaturæ ipsæ ex necessitate non sint, quia scilicet quantum ad propriam naturam non esse possunt, amor tamen Dei erga illas ita necessario habet esse, ut absque illo Deus esse non possit omnino, cum videlicet ipse ex propria natura tam hunc amorem suum quam quodlibet bonum ita habeat, ut eo carere nullatenus possit, quem nullatenus aut minus bonum quam est, aut majus bonum posse esse constat. Sed de hoc plenius tractandum postmodum reservamus, cum de divina potentia principale tractandi se obtulerit negotium. Donum tamen Patris quantum ad Filium, vel Filii quantum ad Patrem nequaquam dicendum esse

[1] Joan., cap. I, v. 2. — [2] *Confess.*, lib. VIII, cap. IX. — [3] *De Trinit.*, lib. XV, cap. XIX.

arbitror Spiritum, quia nequaquam dari ei potest, cui abesse non potest, hoc est cui necessario inest, qui necessario utriusque est Spiritus.

Non arbitror autem hoc quoque ab hac quæstione alienum esse, quomodo scilicet hanc fidem Trinitatis soli Christiani teneant, et non etiam vel Judæi vel Gentiles. Cum enim Deum esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum tale sit, ut diximus, Deum esse potentiam, ut dictum est, generantem, et sapientiam genitam, et benignitatem procedentem, cum istud nemo discretus ambigat, sive Judæus, sive Gentilis, nemini hæc fides deesse videtur, quod et nos quidem concedimus, sequentes Apostolum qui ait[1] : « Quod notum est Dei, manifestum est in illis, » ac si diceret : Quod ad divinitatem pertinet, ratione perceperunt, quia hoc de Deo ratio naturaliter unumquemque edoceat. Unde et superius cum Platonicorum sententias de Verbo Dei Augustinus præsentaret, solum quæ ad divinitatem Verbi pertinent se in eis reperisse confirmavit, et nil de incarnationis mysterio, in quo totam salutis humanæ summam consistere certum est, sine quo cætera frustra creduntur. Facile autem convinci poterit eos quoque qui nostra de fide verba abhorrent, cum videlicet audiunt Deum Patrem et Deum Filium, in sensum verborum nobis esse conjunctos. Interrogemus enim eos si sapientiam Dei credant, de qua scriptum est[2] : « Omnia in sapientia fecisti, » et statim respondebunt se credere. Inferamus deinde convenienter eos in hoc ipso Filium Dei sicut et nos credere, cum nos videlicet idem intelligamus per Verbum sive per Filium Dei, quod illi per sapientiam Dei. Quisquis autem Filium esse recipit, utique et eum cujus est Filius, esse non dubitat, hoc est Patrem. Spiritum quoque simili ratione eos credere convincemus, si eis quid in hoc nomine intelligamus exposuerimus, ipsam scilicet divinæ gratiæ bonitatem. Hinc autem facile occasionem sumi arbitror, convertendi ad fidem nostram quoslibet alienos, si hujusmodi inductionibus eos jam communem nobis sensum fidei habere convicerimus. Quam licet ore non confiteantur, sicut nos, propter ignoratam scilicet verborum nostrorum significationem; corde tamen jam tenent, sicut scriptum est[3] : « Corde creditur ad justitiam. »

[1] *Rom.*, cap. I, v. 19. — [2] *Psalm.* CIII, v. 24. — [3] *Rom.*, cap. X, v. 10.

LIBER TERTIUS.

Expeditis his quæ ad singularem Christianæ fidei professionem attinere videntur, de discretione videlicet trium personarum in una eademque penitus ac simplici divinitatis substantia, juvat in hujus summi boni perfectione contemplanda mentis aciem altius imprimere, ac diligentius singula replicando quæcunque aliquid quæstionis habere videntur, verisimilibus et honestissimis rationibus definire, ut quo amplius innotuerit hujus summi boni perfectio, majori unumquemque ad se trahat desiderio. Ac primo de unitate divinæ substantiæ, postmodum de personarum recapitulandum est Trinitate. In superioribus itaque libellis ad nostræ fidei professionis defensionem elaboratum est, hic vero ad ipsius amplificationem elaborandum.

Prima igitur sit de ratione credendi unum Deum discussio, et quod unum magis quam plures attineat credi, ubi et prima se ingerit quæstio, an humana etiam ratione divina celsitudo indagari potuerit, ac per hanc a creatura sua creator recognosci, an potius ipse Deus signo aliquo sensibili suam ei notitiam primum exhibuerit, velut in angelo vel in quocunque ei Spiritu primitus apparens, sicut de primis legitur parentibus, quibus in Paradiso locutus fuisse perhibetur. Et fortassis ita primo factum est, ut in aliqua scilicet visibili specie invisibilis creator ipse homini se revelaret. Si tamen vim ipsam rationis diligentius attendamus, cujus proprium est omnem transcendere sensum, et ea vestigare quæ sensus non valet attingere, profecto quantocunque res subtilioris est naturæ, et a sensu remotior, tanto rectius se rationis committit judicio, et magis in se rationis studium provocare debet. Unde etiam cum per insigne rationis imagini[1] Dei specialiter homo comparetur, in nihil aliud homo pronius eam figere debuerat, quam in ipsum cujus imaginem, hoc est expressiorem similitudinem, per hanc obtinebat, et in nullam fortasse rem percipiendam pronior esse credenda est, quam in eam cujus ipsa amplius adepta sit similitudinem. Facile quippe est ex similibus similia conjici, et quo quisque alteri similior, facilius ex seipso ad ejus notitiam pertingere valet, cui est ipse per naturam vicinior. Quod si et in hoc ipsa quoque sensuum experimenta necessaria videntur, ut videlicet a sensibilibus ad intelligibilia duceremur, facile etiam erat, ut omnium optimus conditor atque

[1] *Imaginis* legitur in Cod. Vict. et Edit. Amb.; *imagini* melius in *Theol. Christ.*

dispensator Deus per ea quæ tam mirabiliter et facit et ordinat, ex ipsis suis quantus sit operibus indicaret, quia et per qualitatem operum quæ videntur, absentis artificis industriam dijudicamus. Hoc quidem modo et ipse perhibet Apostolus, Deum sui notitiam reprobis quoque contulisse, juxta quod ad Romanos scribens, inexcusabilem omnem hominem esse convincit, et de contemptu sui conditoris esse arguendum, cum ejus notitiam lex ipsa naturalis quæ in ratione consistit, etiam sine scripto ex ipsa operum ejus exhibitione omnibus afferret. Ait quippe sic[1]: « Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent. Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis revelavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas; ita ut sint inexcusabiles, quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. » Et post aliqua[2] : « Propter quod inexcusabilis es, o homo, omnis qui judicas, » hoc est, qui rationis uteris judicio in bonis et malis discernendis, atque in ipsis creatoris et creaturarum discutiendis naturis. Unde et Salomon nonnullos mundi sapientes se vehementer admirari insinuat[3], quomodo scilicet mundum ratione vestigaverunt, naturamque ipsius per singulas ipsius partes disserere conati sunt, nondum creatorem ipsius animadvertentes, quem facilius ratione percipere poterant. « Si enim, inquit, ratione tantum potuerunt scire, ut possent æstimare seculum, quomodo ipsius mundi Deum et creatorem non facilius invenerunt? » Hoc et ille maximus Latinorum Philosophorum Tullius diligenter intuitus, cum non solum optime factum, verumetiam optime disponi mundum conspiceret, providentia id potius agi, quam fortuitu confirmans, tam suam in hoc, quam cæterorum rationem exposuit Philosophorum. Unde est illud in primo *Rethoricæ*[4]: « Melius, inquit, accurantur ea quæ consilio geruntur quam quæ sine consilio administrantur. Domus ea quæ ratione geritur, omnibus est instructior rebus, et apparatior quam ea quæ temere et nullo consilio administratur. Exercitus is cui est præpositus sapiens et callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is qui temeritate vel stultitia alicujus administratur. Eadem navigii ratio est. » Hoc itaque proposito et collatione similitudinum convenienter astructo, assumptionem statim aggregans syllogismi : « Nil autem, inquit, omnium rerum melius quam omnis mundus administratur. Nam et signorum, inquit, ortus et obitus definitum quemdam ordinem servant, et annuæ[5] commutationes non modo quadam ex necessitate semper eodem modo fiunt,

[1] *Rom.*, cap. I, v. 18. — [2] *Rom.*, cap. II, v. 1. — [3] *Sap.*, cap. XIII, v. 9. — [4] *Invent.*, lib. I, cap. XXXIV. — [5] Sic Cod. Vict. *Animas* male legit Amb.

verum ad utilitates quoque rerum omnium sunt accommodatæ, et diurnæ nocturnæque vicissitudines nulla in re mutatæ unquam nocuerunt, quæ signo sunt omnia non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari. Quod si melius, inquit, geruntur ea quæ consilio, quam quæ sine consilio administrantur, nil autem omnium rerum melius quam omnis mundus administratur : consilio igitur mundus administratur. » Quanta autem ratione cuncta in mundo fiant ac disponantur, maximus omnium philosophorum Plato diligenter attendens ait[1] : « Nihil fit cujus ortum non legitima causa et ratio præcedat; quæ enim quantum ad nos fortuita dicuntur atque inopinate provenientia, certis in Deo rationis legibus fixa sunt, atque optimo quæque[2] fiunt consilio. » Hoc vero quo[3] optime cuncta fiunt ac disponuntur, consilium, alii Deum, alii naturam ipsam rerum, alii mentem seu animam mundi vocare consueverunt. Omnes autem id summum bonum esse intellexerunt; quod professus est Socrates. Primus autem omnium Anaxagoras, inter universos Philosophos divinum animum omnium effectorem naturarum sensisse perhibetur, sicut in VIII *de Civitate Dei* beatus commemorat Augustinus[4]. Unde et illud est in Epistolis ejusdem *ad Macedonium* : « Non propterea veritas chara esse debet quia non latuit Anaxagoram, sed quia veritas est, etsi nullus eorum cognovisset. » Facile autem illud quoque ratione convinci poterat, mundum ipsum etiam et quæ in eo sunt a se ipso non esse, nec per se subsistere : sed ab alio quocunque longe cunctis excellentiore, cuncta optime tam fieri quam regi. Quippe quod a se ipso est, natura dignius esse constat quam quod ab alio est; et omne quod rationis atque intelligentiæ capax est, universis aliis excellentius esse invenitur. Non igitur oportet rationalem substantiam ab alio esse concedi, si ratione carentem a se esse ponamus. Nemo autem nostrum est qui se ipsum ignoret a se minime esse, sed ab alio gigni. Quomodo igitur ea quæ ratione carent, ab alio esse negabimus? Partes itaque mundi quæ naturaliter priores sunt, factas esse convenit, ac per hoc ab alio mundum exordium ducere atque factum esse. Quippe quem etiam propter hominem factum esse constat, cui singulis suis partibus deservit, longe indigniorem eo esse convenit, ac per hoc minime concedi oportet hunc non esse factum, cum ille factus sit. Multo minus etiam convenit ut suo regimine non rationalia quam rationalia[5] nitantur. Hominem autem, quamvis rationalis sit, nequaquam suo regimini sufficere constat, cum seipsum quomodo vult in hujus vitæ pelago regere non valeat. Multo igitur minus regimini proprio committi convenit quæ qua se regere possint ratione carere certum est. Id vero est mundus, sive ejus singulæ

[1] *In Timæo.* — [2] Sic Cod. Vict. *Quoque* Amb. — [3] Sic Cod. Vict. *Hæc vero quæ* Amb. — [4] *De civit. Dei,* lib. VIII, cap. II. — [5] Sic Cod. Vict. *Rationalia quam non rationalia* Amb.

particulæ. Et his quidem vel consimilibus rationibus, omnia quæ in mundo sunt conditorem sive rectorem habere manifestum arbitror, quem nos Deum dicimus.

De cujus nunc unitate superest disputare, ut magis videlicet unum conditorem ac rectorem mundo præesse conveniat quam plures, atque unum potius Deum ac dominum omnium, quam plures credi oporteat. Certum quippe est, omnia tanto majori concordia regi, quanto paucioribus cura regiminis eorum commissa est. Nihil autem melius aut majori concordia regi quam mundum constat universum, sicut supra Tulliana exposuit ratio. Uni igitur regimini subjectum est. Nihil quippe, ut dictum est, majori concordia quam mundus regitur, nec etiam res ea quælibet cui unus tantum præsidet rector. Nullo itaque modo pluribus rectoribus mundus subjacet, sed uni tantum. Tanto quippe major in omnibus custoditur concordia, quanto major tenetur identitas, et tanto amplius a concordia receditur, quanto ab unitate magis receditur. Ut ergo summa sit concordia, summa teneatur identitas, ac præcipua conservetur unitas. Nil autem cum aliquo ita ut secum idem vel unum potest, nec ita alii concordare ut sibi, cum a seipso nihil dissimile sit. Ad unum itaque cuncta spectare ac referri convenit, ut quod rerum diversitate agitur, una ratione concorditer administretur, modo quem in omnibus oportet, servato. Sed nec plures ad rerum creationem magis quam ad generale earum regimen convenire credendum est, sed ab uno naturas omnes fieri sicut et regi opportune creditur, ut tanto concordius regi valeant, quanto majori connexæ sunt concordia. Tanto autem major est earum concordia, quanto amplius ab uno eodemque penitus semper principio manant, et earum artifex a multiplicitate ac diversitate recedit. Facta autem sunt primitus, ut optime postea regerentur, et quæ fiebant ut regerentur, ad regendum utique dum fierent, præparabantur. Ut ergo optime regerentur facta, optime, dum fierent, ad regendum erant præparanda. Quomodo autem optime præpararentur dum fierent, ut facta postmodum optime regerentur, nisi summa invicem concordia, et ipsa sui creatione colligarentur, ut eo amplius concorditer atque melius regantur, quanto concordius in ipsa eorum conditione naturæ ipsorum sunt invicem colligatæ? Ad quam etiam conditionis concordiam, sicut et regiminis, unitas ipsa atque identitas maxima conditoris proficit, ut hinc quoque unum eumdemque penitus conditorem sicut et rectorem omnium esse constet, quem nos Deum dicimus, ac summum jure profitemur bonum. Qui quomodo summum diceretur, nisi cæteris omnibus præcelleret bonis? Quod vero omnibus aliis præcellit, unum profecto et unicum esse convenit, et quod in se perfectum esse conceditur, atque ad omnia quæ facienda sunt ex propria voluntate per se sufficiens, ex quo et omnipotens dicitur, com-

par[1] aliquod bonum habere non potest. Neque enim bonum esse poterit, quod superfluum sit. Superfluus autem alius vel creator esset vel rector, si unus ad omnia æque sufficiat ut plures. Sufficit autem cum sit summum ac perfectum, atque ad omnia sufficiens, ut dictum est, bonum. Nullo itaque modo plures deos esse, sive credi convenit.

Sed fortassis, inquies, quia quo melius est quodlibet bonum ejus, multiplicatio ejus melior esset, atque ita illud summum bonum quod dicitur Deus, melius fore multiplicatum quam unicum, et si ipsum extollere cupimus ac magnificare, magis ipsum multiplex quam simplex prædicandum esse. Sed ad hoc primo respondendum esse arbitror, quod juxta hanc rationem, quanto plures prædicaverimus deos, tanto amplius divinæ gloriam excellentiæ amplificabimus. Infinitos itaque prædicari oportet deos, ut infinitam ejus gloriam magnificemus, præsertim cum nulla sit ratio, qua ad certum numerum aliquem ea reduci queat. Quam juxta prædictam rationem tanto magis amplificabimus, quanto amplius numerum ejus extenderimus. Atque ita plura esse summa bona quam inferiora conveniret, imo omnino infinita esse, ut nec eorum scientia esse possit quorum nullus in natura terminus occurrerit, nec ipse etiam Deus ea per scientiam comprehenderet, quæ nullo naturæ termino comprehenduntur. Præterea si plures sunt dii, quomodo Dominum quemcunque summum bonum dicemus, cum aliud sit majus ipso, ipsa scilicet bonorum multitudo, quam quislibet unus ex ea multitudine ? Sed nec bonum dicendum esset, quod, ut jam ostendimus, superfluum esset. Denique omnis multitudo totum quidem est, et omne totum propriis partibus posterius esse naturaliter constat, atque omne quod simplicius est, tanto firmius esse necesse est, cum omne compositum natura dissolubile sit, et tanto infirmius, quanto dissolutioni magis obnoxium. Quis etiam quodlibet bonum tanto pretiosius esse deneget, quanto rarius; et eo magis gloriosum, quo magis est unicum? Unde et plerumque ea quæ minus sunt necessaria aliis, raritate tamen sui eis omnino præferuntur, ut aurum ferro, piper frumento. Commendat itaque divinæ gloriam excellentiæ ipsa quoque ejus singularitas, quæ operum quoque ipsius maxima est commendatio, tam in his faciendis, quam in eis disponendis atque regendis. Nulla proprie tanta fieri concordia vel regi possunt, quanta illa quæ unus tantum et condit et regit. Hæc quidem ad astruendam divinæ singularitatem excellentiæ pro rationibus induci satis esse arbitror, quibus et facile assentiri quemcunque bonum existimo, qui nulli invidus, omnium rerum commendationi plurimum congaudet. Magis autem honestis quam necessariis rationibus utimur, quoniam apud bonos id semper præcipuum statuitur, quod ex honestate

[1] Sic *Theol. Christ. Cum pars* male legit Amb.

amplius commendatur, et ea semper potior est ratio quæ ad honestatem amplius quam ad necessitatem vergit, præsertim cum quæ honesta sunt per se placeant, atque nos statim sua vi quadam alliciant. Quam honestum vero sit ac salubre, omnia ad unum optimum tam rectorem quam conditorem spectare, et cuncta potius ratione quam casu seu fieri, seu regi, nullus est cui proprie ratio non suggerat conscientiæ. Quæ enim sollicitudo bonorum nobis operum inesset, si quem nunc amore vel timore veneremur, Deum penitus ignoremus? Quæ spes aut malitiam refrenaret potentum, vel ad bona eos alliceret opera, si omnium justissimus ac potentissimus frustra crederetur? Ponamus itaque ut dum bonis prodesse ac placere quærimus, obstinatos cogere non possimus, cum ora eorum non necessariis obstruamus argumentis; ponamus, inquam, hoc si volunt, sed opponamus quod nolunt, summam eorum impudentiam arguentes, si hoc calumnientur quod refellere nullo modo possunt, et quod plurima tam honestate quam utilitate commendatur. Inquiramus eos, qua ratione malint eligere, Deum non esse quam esse, et cum ad neutrum cogi necessario possint, et alterum multis commendetur rationibus, alterum nullis, iniquissimam eorum confundamus impudentiam, qui id quod optimum esse non dubitent, omnibusque etiam tam rationibus quam auctoritatibus consentaneum sequi, respuant, et contrarium amplectantur. Quod si de occultis rerum naturis, ac de ipso quoque rerum cœlestium statu, quas experimentis non possunt discutere, ut certi inde valeant esse, auctoritatibus hominum credunt, cur de auctore omnium Deo eisdem non acquiescunt? Sed hæc hactenus adversus hanc primam et maximam infidelium obstinationem.

Nunc autem ab unitate divinæ substantiæ, quam quasi fundamentum subjecimus, ad discretionem trium personarum, quæ eidem insunt substantiæ, ordo est commeare, et de divina potentia seu sapientia vel benignitate, juxta quæ, ut dictum est, tres distinguuntur personæ ad perfectam et integram summi boni commendationem, superest diligenti examinatione disserere : ut quo amplius, ut supra meminimus, hujus boni perfectio cognita fuerit, magis ad amorem sui quemque alliciat, præsertim cum multæ super his fidelium quoque animos difficiles movere possint quæstiones, et tanto facilius minus eruditos ad maxima trahere scandala atque infideles juvare, quanto difficiliores ad solvendum videntur. Ac prima nobis de omnipotentia Dei consideratio sit.

Quærendum itaque primo videtur, quomodo vere dicatur omnipotens, si non possit omnia efficere, aut quomodo omnia possit, si quædam nos possumus quæ ipse non possit : possumus autem quædam, ut ambulare, loqui, sentire, quæ a natura divinitatis penitus aliena sunt, cum necessaria istorum instrumenta habere nullatenus incorporea queat substantia. Quibus quidem objectis id prædicendum arbitror, quod juxta ipsos quoque philosophos, et communis sermonis usum,

nunquam potentia cujusque rei accipitur, nisi in his quæ ad commodum vel dignitatem ipsius rei spectant. Nemo enim hoc potentiæ hominis deputat, quod ille superari facile potest, imo impotentiæ et debilitati ejus, quod minime resistere suo potest incommodo, et quidquid ad vitium hominis vergit, magisque personam improbat quam commendat, impotentiæ potius quam potentiæ adscribendum est. Unde et Aristoteles in secundo qualitatis genere[1], ubi scilicet de potentia naturali et impotentia agitur, sanativum et durum ad potentiam reducit, et ægrotativum et molle ad impotentiam, cum tamen ægrotativum dicamus, qui facile ægrotare potest, hoc est non facile valet huic passioni resistere, et molle quod leviter secari aut dissipari potest. Sanativum vero et durum e contrario ad potentiam reducit, cum tamen sanativum dicatur, quod non potest facile infirmari, et durum quod non potest leviter secari. Sicut ergo in supra positis, id est ægrotativo et molli, illa posse quæ ad incommodum vel debilitatem rei attinent, impotentiæ est potius quam potentiæ, ita et eadem non posse e contrario potentiæ est adscribendum. Alioquin e converso impotentiam diceremus potentiam, et potentiam impotentiam. Nemo itaque Deum impotentem in aliquo dicere præsumat, si non possit peccare sicut nos possumus, quia nec in nobis ipsis hoc potentiæ tribuendum est, sed infirmitati. Unde et Augustinus, libro de *Trinitate* XV : « Magna, inquit, ejus potentia est non posse mentiri. Sunt et quædam quæ in aliis rebus potentiæ deputanda sunt, in aliis reprehensibilia sunt, cum eadem sæpe aliarum rerum dignitatem commendent, aliarum vero minime; veluti si quis hominum ursum viribus superare possit, hoc magnæ hominis potentiæ ascribendum est. Unde ipse ceteris hominibus præcelleret, et commendabilior esset, quod in leone tamen et in elephante pro magno nullus haberet. Inde enim hominem potentem comparatione aliorum hominum diceremus, sed non ita leonem vel elephantem. Sic et in homine quod ambulare valet potentiæ est ascribendum, quoniam ejus necessitudini congruit, nec in aliquo ejus minuit dignitatem. In Deo vero qui sola voluntate omnia complet, hoc omnino superfluum esset, quod in nobis necessarium est, atque ideo non potentiæ, sed vitio potius tribuendum esset in eo, præsertim cum hoc in multis excellentiæ ipsius derogaret, ut ambulare videlicet posset. Ex quo etiam moveri localiter posset, et compositionem pedum admittere, et ut mobilis et dissolubilis esset ejus corporea et compacta substantia. Non absurde tamen et de his omnibus quæ efficere possumus, Deum potentem prædicamus; omnia quæ agimus ejus potentiæ tribuimus, « in quo « vivimus, movemur, et sumus[2], » et qui « omnia operatur in omnibus[3]. » Utitur enim nobis ad efficiendum quæ vult, quasi instrumentis, et id quoque facere

[1] *Categ.*, cap. VIII, § 7. — [2] *Act. Apost.*. cap. XVII, v. 28. — [3] I *Corinth.*, cap. XII, v. 6.

aliquo modo dicitur quæ nos facere facit, sicut dives aliquis turrem componere per opifices quos adhibet, et posse omnia efficere dicitur qui, sive per se, sive per subjectam creaturam omnia quæ vult et quomodo vult operatur. » Nam etsi non potest ambulare, tamen facere potest ut ambuletur, hoc est ut alius ambulet, cum ipse ad hoc sui creatione quemque aptum præparet, et in ipso etiam actu ipsum conservet et sustentet, et hunc ille actum expleat. Posse itaque Deus omnia dicitur, non quod omnes suscipere possit actiones, sed quod in omnibus quæ fieri velit, nihil ejus voluntati resistere queat. Hinc illud est quod in *Enchiridion* beatus commemorat Augustinus [1] : « Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult, potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus. » Idem in libro *de Spiritu et littera :* « Non potest facere injusta, quia est summa justitia et bonitas. Omnipotens vero est, non quod possit omnia facere, sed quia potest efficere quidquid vult, ita ut nil valeat resistere ejus voluntati, quin compleatur, vel aliquo modo impedire eam. » Joannes Chrysostomus *Homilia* XXVIII de expositione Symboli, quæ sic incipit : Super fabricam totius Ecclesiæ : « Credo in Deum Patrem omnipotentem. Omnipotens dicitur, quia posse illius non potest inveniri non posse, dicente Propheta : « Omnia quæcunque voluit fecit [2]. » Ipse est ergo omnipotentia, ut totum quod vult, possit. Unde et Apostolus : « Voluntati ejus quis resistit [3] ? » Et Psalmista : « Quæcunque voluit fecit [4]. » Sed et cum alibi dicat Apostolus : « Deus vult omnes salvos fieri, et neminem perire [5], » juxta illud quidem Prophetæ : « Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat [6]; » et per semetipsam Veritas obstinatæ et damnandæ dicat civitati : « Quoties volui congregare filios tuos, quasi gallina pullos suos [7], etc., » patet itaque divinæ voluntatis vocabulum duobus modis esse sumendum. Alioquin cum Deus omnia quæcunque voluit faciat, et omnes salvos fieri velit, cogemur utique profiteri omnes quandoque salvandos esse. Velle itaque Deus duobus modis dicitur, aut secundum scilicet providentiæ suæ ordinationem, secundum quod scilicet aliquid disponit apud se ac deliberat statuitque in sua providentia, ut sic postmodum compleat, aut secundum consilii adhortationem vel approbationem qua unumquemque ad hoc admonet, quod per gratiam suam remunerare paratus est. Et juxta priorem quidem modum, quo Deus velle aliquid [8] dicitur, hoc est ex gratia sua ordinare, atque apud se statuere ut fiant aliqua, tam nos quam Apostoli in his quæ fieri vult, nil ejus voluntati resistere posse dicimus, nec eam aliquo impediri casu, cui omnia necesse sit obedire. Secundum autem

[1] Cap. XCIV. *Opp.*, t. VI, col. 232. — [2] *Psalm.* CXIII, v. 3. — [3] *Rom.*, cap. IX, v. 19. — [4] *Psalm.* CXXXIV, v. 6. — [5] I *Tim.*, cap. II, v. 4. — [6] *Ezech.*, cap. XXXIII, v. 11. — [7] *Matth.*, cap. XXIII, v. 37. — [8] *Aliud.* Amb.

posteriorem modum, multa dicitur velle fieri quæ non fiunt, hoc est multa adhortari quæ certum est ex gratia ejus remunerari, si fierent, quæ minime fiunt. Sic quippe unicuique homini consulit de salute sua, et ad hanc eum hortatur, cum obediant pauci. Vult itaque Deus peccatorem converti, quia ei id consulit, quod esset benigne remuneraturus, quemadmodum ei gratum dicitur in quo ejus gratiam experturi essemus; sicut e contrario nolle illa dicitur quæ dissuadet, aut quæcunque punire magis debet, quam dono aliquo remunerare, et in quibus iram ipsius potius quam gratiam sentiremus, hoc est, vindictam potius quam præmium.

Quærendum arbitror utrum plura facere possit Deus vel meliora quam faciat, aut ab his etiam quæ facit, ullo modo cessare possit, nec ea unquam videlicet facere; quod sive concedamus, sive negemus, multas fortasse inconvenientium anxietates incurremus. Si enim ponamus quod plura vel pauciora facere possit, vel ab his quæ facit cessare, profecto multum summæ ejus bonitati derogabimus. Constat quippe eam non nisi bona facere posse. Si autem bona, cum possit, non faciat, et ab aliquibus quæ facienda essent se retrahat, quis eum tanquam æmulum vel iniquum non arguat? Præsertim cum nullus eum labor in faciendo aliquid gravet, cujus æque omnia voluntati sunt subjecta, secundum quod scriptum est : « Dixit, et facta sunt, mandavit, et creata sunt[1]. » Hinc est illa Platonis verissima ratio, qua scilicet probat Deum nullatenus mundum meliorem potuisse facere, quam fecerit. Sic quippe in *Timæo* suo ait : « Dicendum, inquit, cur conditor fabricatorque genituræ omne hoc instituendum putaverit. Optimus erat. Ab optimo porro invidia longe relegata est; itaque consequenter sui similia cuncta, prout cujusque natura capax beatitudinis esse potuerit, effici voluit. Quam quidem voluntatem Dei originem rerum certissimam si quis ponat, recte eum putare consentiam. Volens siquidem Deus bona omnia provenire, mali porro nullius, prout eorum quæ nascuntur natura fert, reliquit propaginem. » Et hæc quidem Platonis verba plane omnia a Deo tam bona fieri perhibere videntur, quantum fieri bona possunt; vel quantum ipse ea bona facere potest. Quam etiam rationem sancti secuti videntur, cum Deum Patrem probarent Filium tam bonum genuisse quantum potuit, ut ei æqualis esset. Unde Augustinus, libro *Quæstionum* LXXXIII, cap. LXIII[2] : « Deus, inquit, quem genuit, quoniam meliorem se generare non potuit; nil enim Deo melius, generare debuit æqualem. Si enim voluit, et non potuit, infirmus est; si potuit et noluit, invidus est. » Ad hoc et illud pertinet Nicæni concilii, quod, sicut in primo libro præfati sumus, beatus commemorat Hieronymus dicens[3] : « Absit ergo in Filio Dei aliud plus minusve aut in loco, aut in tempore, aut in potentia, aut in scientia, aut in æqualitate, aut in subjectione, cum dicitur,

[1] *Psalm.* CXLVIII, v. 5. — [2] *Qusæt.* 49. *Opp.*, t. VI, col. 19. — [3] *Expos. Fid. ad Cyrill. Opp.*, t. V, col. 125.

hoc ut Deitati ejus, non carni ascribatur. Si enim plus minusve aliud invenitur, excepto hoc quod genuit Pater Filium, et excepto quod Filius non ex semetipso natus est, sed de Patre, aut invidens aut impotens Pater, insuper etiam temporalis agnoscitur.» Hac itaque ratione qua convincitur, quod Deus Pater tam bonum genuerat filium quantum potuit, cum videlicet aliter reus esset invidiæ, clarum est omnia quæ facit, quantum potest egregia facere, nec ullum commodum, quod conferre possit, subtrahere velle. Nihil quippe est quod aut faciat aut dimittat, nisi optima et rationabili causa, licet illa nobis occulta sit. Unde et illud est Platonicum : « Omne quod gignitur, ex aliqua causa necessaria gignitur; nil enim fit cujus ortum non legitima causa et ratio præcedat. » Hinc et illud est Augustini, cum omnia in mundo fieri vel disponi divina providentia convinceret, et nihil casu, nihil fortuitu evenire, sed omnia ex divino provenire consilio. Ait quippe sic prædicto *Quæstionum* libro, cap. XXVI : « Quidquid casu fit, temere fit. Quidquid temere fit, non fit providentia. Si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non providentia universus mundus administratur[1]. » Item : « Illud bonum cujus participatione sunt bona cætera, non per aliud, sed per semetipsum bonum est, quod divinam etiam providentiam vocamus. Nihil igitur casu fit in mundo. » In tantum autem in omnibus quæ Deus facit, quod bonum est attendit, ut ipso boni pretio potius quam voluntatis suæ libito, ad singula facienda inclinari dicatur. Hinc est illud Hieronymi *super Danielem* in expositione visionis tertiæ, ubi de Deo sic Nabuchodonosor loquitur : « Juxta voluntatem enim suam fecit, tam in cœlo quam in terra, et non est qui resistat manui ejus, et dicat : Quare fecisti[2]? » Et hoc, inquit Hieronymus, loquitur, quasi homo sæculi. Non enim quod vult, hoc[3] facit, sed quod bonum est, hoc vult Deus. Nabuchodonosor sic locutus est, ut dum potentiam Dei prædicat, justitiam ejus videatur arguere, quod immerito pœnas sustinuerit. » Tale ergo est quod ait Hieronymus : « Non enim quod vult, hoc facit, sed quod bonum est, » hoc vult Deus, ac si diceret : Non ita, ut æstimat Nabuchodonosor, operatur Deus, more videlicet eorum qui in his quæ faciunt, non tam quod bonum est attendunt, quam ut suæ satisfaciant voluntati, qualiscunque ipsa sit. De qualibus scriptum est : « Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas[4]. » Sed magis velle dicendus est singula ut fiant, quia bonum esse ut fierent, vidit. Hoc autem modo unusquisque voluntatem suam sequi prohibetur. Et Christus etiam ipse non sibi placuisse dicitur, quia nihil hoc fine vel intentione agere debemus, quia id volumus, vel quia nobis in hoc placemus, id est, quia in hoc delectamur, sed potius quia id a nobis fieri bonum esse censemus. Patet itaque quidquid

[1] *Quæst.* 24. *Opp.*, t. VI, col. 6. — [2] *Dan.*, cap. IV, v. 32. — [3] Male legit Amboesius : *Quod vult non facit.* — [4] *Juvenal.*, sat. VI, v. 223.

Deus faciat ac dimittat, justam ac rationabilem causam subesse, ut sola faciat aut dimittat, quæ fieri vel dimitti oporteat atque ipsum deceat. Quod si quidquid facit, eum facere oportet, justum est ubique ut faciat quidquid facit, ac sine dubio quidquid facit facere debet. Omne quippe quod justum est fieri, injustum est dimitti, et quisquis non facit id quod ratio exigit, æque delinquit ac si id faciat, quod rationi minime concordat. Sed fortassis inquies, quod sicut justum est et bonum seu rationabile id[1] quod modo facit, ita bonum esset atque æque bonum si illud faceret, hoc dimitteret. Atqui si illud æque bonum esset quod dimisit facere quando istud elegit, nulla ratio profecto fuit cur illud dimitteret, atque istud eligeret. Fuit autem, inquies, quia cum non utrumque fieri oporteret, et æque hoc vel illud fieri bonum esset, quodcunque eorum fieret, rationabiliter factum esset. Sed juxta hanc profecto[2] rationem, æque fieri oportebat quod factum non est, sicut quod factum est, et æque bonum etiam illud fieri sicut hoc. Cum vero quod fieri bonum est, et rationabilem habet[3] causam qua faciendum sit, irrationabiliter profecto agit, qui quod a se fieri debere non ignorat, prætermittit, atque ita jam in suprapositum inconveniens relabemur. Sin autem dicas de altero quod factum non est, quia non erat bonum ut fieret, nisi ita ut alterum cessaret; profecto eadem ratione de altero quod factum est, non erit simpliciter concedendum, ut bonum esset illud fieri, cum æque concessum sit tam hoc quam illud fieri bonum esse. Fecit itaque Deus quod non erat[4] bonum fieri? Absit. Quodsi illud solum quod facit fieri ab eo bonum est, profecto illud solum quod facit, facere potest, qui nihil facere potest quod non ab eo fieri bonum est. Hac itaque ratione id solum posse facere videtur Deus quod facit, vel illud solum dimittere posse quod dimittit, cum videlicet in singulis faciendis vel dimittendis rationabilem habeat causam, cur ab ipso fiant vel dimittantur, nec ipse quidquam, qui summa ratio est, contra id quod rationi congruit, aut velle aut agere queat. Nemo quippe quod a ratione dissidet, velle vel agere rationabiliter potest. Quod diligenter beatus Hieronymus attendere visus est, cum Eustochium virginem ad observandum sanctæ virginitatis propositum adhortans ait[5]: « Virgo Israel cecidit, et non est qui suscitet eam. Audacter loquar, cum omnia possit Deus, virginem post ruinam suscitare non potest. » Quæ quidem verba Hieronymi contra calumniatores quidam defendens, inter cætera quæ de vita ejus scribebat, ait: « Sanctus Hieronymus Eustochio ad meliora studuit hortando mandare: Cum omnia possit Deus, virginem post ruinam suscitare non potest. Quod non posse Dei non velle alio modo

[1] Sic. *Theol. Christ.* Amb. *Quod justum justum est, aliud bonum seu rationabile id quod modo facit,* quæ verba nullum sensum efficiunt. — [2] Sic *Theol. Christ.* et Cod. Vict. *Sed vix habeat profero rationem*, Amb. — [3] Sic Cod. Vict. *Hanc* Amb. — [4] Sic Cod. Vict. *Noverat* pro *non erat*, Amb. — [5] *Epist.* XVIII, *Opp.*, t. IV, p. 11, col. 29.

dici poterat verbo. Per quemdam namque sapientem dicitur Deo : « Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis. Subest enim, cum volueris, tibi posse [1]. » Ergo ubi non est velle Dei, deest posse. Deus quippe immutabilis naturæ, ita immutabilis est voluntatis. Ex his itaque tam de ratione quam de scripto collatis, constat id solum posse facere Deum quod aliquando facit. At vero si ponamus id solum quod facit Deus eum facere posse, multa e contrario tam rationi quam auctoritati contraria videmur incurrere. Quis enim nesciat hunc hominem, qui damnandus est, posse salvari? Aut hunc hominem, qui bonus est, posse meliorem fieri quam unquam futurus sit, cum tamen utrumque nonnisi per Deum contingere queat? Si enim hic damnandus omnino salvari non posset, nec ea facere per quæ a Deo salvaretur; utique arguendus non esset, nec reus constituendus, quod ea non faceret quæ facere non posset. Sed nec ea bene illi præciperentur a Domino, per quæ salvaretur, cum ea nullatenus facere posset. Si autem per opera quæ faceret salvari a Deo posset, quis ambigat quin Deus eum salvare possit, qui tamen nunquam salvandus est? Quomodo enim a Deo salvari possit, nisi et Deus eum salvare possit? Quippe quid aliud est eum salvari a Deo, quam Deum salvare eum? Si ergo possibile est eum salvari a Deo, quomodo non sit possibile Deum salvare eum? Cum enim antecedens possibile est, et consequens : quia ex possibili non sequitur impossibile, cum, si constet impossibile esse, ex eo impossibile sequitur. Salvari autem a Deo hunc quis neget antecedens ad Deum salvare eum; cum videlicet, ut diximus, idem prorsus sit, hunc qui damnandus est a Deo salvari, et Deum salvare ipsum? Cum itaque possibile sit hunc, qui damnandus est, a Deo posse salvari, quis neget possibile esse et Deum salvare eum? Potest itaque facere Deus quod nequaquam facturus est; falsumque omnino esse liquet quod jam supra astruximus, Deum videlicet ea tantum facere posse quæ quandoque faciat. Alioquin nequaquam de eis quæ facit grates ei referendæ essent, cum ea quæ dimittere non potest, necessitate magis quadam propriæ naturæ compulsus, quam gratuita voluntate ad hæc facienda inductus agat. Multa etiam concurrunt testimonia, quæ manifeste Deum asserunt plura posse, quæ tamen nunquam complet opere. Unde et Veritas ipsa secundum Matthæum : « An putas, inquit, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit modo mihi plus quam XII legiones angelorum [2]? » Ex quibus profecto Domini Jesu verbis patenter innuitur, quia poterat rogare illud tunc quando non rogabat, neque conveniens rogari erat : vel quia poterat tunc ei Pater exhibere legiones illas, per quas ab inimicis liberaretur, quod tunc minime oportebat, cum ad patiendum opportune

[1] *Sapient.*, cap. XII, v. 18. — [2] *Matth.*, cap. XXVI, v. 53.

veniret, sicut antea prædictum fuerat, vel a Deo dispositum. Unde etiam consequenter annectit, dicens : « Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri[1] ? » Si ergo vel sic tunc oportebat fieri, quomodo poterat rogare tunc Filius, ut non fieret illud; vel Pater disturbare tunc ne fieret, quod tunc disturbari minime bonum esset? Imo tunc fieri oportebat, sicut et dispositum et prædictum fuerat. Ut autem in verbis Domini sententiæ veritas teneatur, nec quidquam a ratione dissonum videatur, tale est quod dicitur : « An putas, etc. » Ac si aperte diceretur : Numquid ignoras, quod, si rogarem Patrem de mea liberatione, id obtinerem absque dilatione, per tot etiam angelorum legiones, quot vos estis homines mihi tanquam discipuli adhærentes, et in defensionem meam, si possetis, parati? Summa, inquam, sententiæ est : Putas orationem meam in hoc quoque efficaciam non habere, si hoc me a Patre oporteret postulare? Juxta quam quidem expositionis sententiam nequaquam concedendum est, quod vel tunc Dominus orare poterat quod orandum non erat, vel Pater ei in hoc subvenire in quo subveniendum non esset. Conditionaliter quippe, ut exposuimus, magis quam absolute idem Domini dictum accipiendum est, non quod videlicet rogare poterat vel impetrare, sed quod impetraret si rogaret, cum scilicet ejus oratio nullatenus cassa fieri possit. Non itaque ex hoc dominico dicto cogi possumus eum aliquid posse facere quod nunquam faciat, de quo potius sentiendum videtur id solummodo eum posse facere quod ab eo fieri oportet. Nihil autem ab eo fieri oportet, quod nunquam ab eo fiet. Alioquin optime bonus non esset, si quid facere dimitteret, quod a se opportune faciendum esse præsciret. Quin etiam si mala quæ fiunt disturbare posset, et id etiam opportune facere, qui nihil importune facere potest; profecto non video quomodo consentiens peccatis non esset. Quis enim consentire malo dicendus est, nisi is per quem illud opportune disturbari potest? Cum autem, sicut et beatus meminit Augustinus, mala etiam fieri bonum sit, quæ Deus quoque optime ordinat : nequaquam ab eo ea disturbari convenit ne fiant, quæ, ipso etiam attestante, fieri necesse est, ac dicente : « Necesse est enim veniant scandala. Væ autem[2], etc. » Cum itaque scandala, quæ bonum est fieri, disturbare opportune non possit, aut omnino etiam non possit, qui nihil contra rationem potest, profecto nullatenus consentire peccatis dicendus est. Primum itaque atque opportune de Deo dictum est, quod ei subest posse cum voluerit[3], ut scilicet in singulis faciendis ita ejus potestas et voluntas sese comitentur, ut quod velit maxime[4] possit, nec possit etiam tunc facere, quando ut fiat non vult : veluti modo pluviam facere non vult, qui hoc ideo fieri non vult modo, quia id modo fieri non convenire, nec hoc tempus

[1] *Matth.*, cap. XXVI, v. 54. — [2] *Matth.*, cap. XVIII, v. 7. — [3] *Sap.*, cap. XII, v. 18. — [4] Sic Cod. Vict. *Minime* Amb.

pluviæ idoneum censet, quadam utique rationabili de causa, licet nobis occulta. Si igitur pluviam nunc facere possit aut velit, eo utique tempore id facere potest, aut etiam vult, in quo id eum facere non oportet quod ab omni dissonat ratione. Quantum igitur æstimo, cum id tantum Deus facere possit quod eum facere convenit, nec eum quidquam facere convenit quod facere prætermittat; profecto id solum eum posse facere arbitror quod quandoque facit, licet hæc nostra opinio[1] paucos aut nullos habeat assentatores, et plurimum dictis Sanctorum, et aliquantulum a ratione dissentire videatur. Hoc quippe, inquiunt, æstimare, multum derogat divinæ excellentiæ, ut videlicet id solummodo facere possit quod quandoque facit, et id solum dimittere quod dimittit: cum nos etiam ipsi, qui longe impotentiores sumus, multa etiam facere et dimittere possumus, quæ nequaquam facimus vel dimittimus. Quibus quidem respondeo, non ideo nos potentiores vel meliores æstimari debere, quia quædam facere possumus quæ ille facere non potest, ut comedere, vel ambulare, vel denique peccare; quod a potentia divinitatis penitus est remotum, et ab ejus dignitate prorsus alienum; quod denique attinet ad Deum, illa etiam posse facere quæ nunquam faciat, vel quæ hunc facere minime conveniat. Nam et quod nos quædam facere possumus, quæ facere non debemus, infirmitati potius nostræ quam dignitati ascribendum est, qui omnino meliores essemus, si ea quæ tantum facere debemus, facere possemus, nec quidquam inhoneste a nobis fieri posset. Quod tamen male faciendi vel peccandi potestatem habemus, non absque ratione hæc a Deo nobis potestas concessa est : ut scilicet comparatione nostræ infirmitatis ille gloriosior appareat, qui omnino peccare non potest; et cum a peccato cessamus, non hoc naturæ nostræ, sed ejus adjutrici gratiæ tribuamus, qui ad gloriam sui non solum bona, sed etiam mala disponit. Sunt vero qui ideo Deum æstimant ea etiam posse facere quæ non facit, quod certum sit nihil ei posse resistere, si ea etiam quæ non facit vellet facere, juxta illud : « Voluntati enim ejus quis resistit[2]? » Unde et beatus meminit Augustinus : « Omnipotens Deus non quia omnia potest, sed quia quæcunque vult potest, nec ullatenus voluntatis ejus præpediri potest effectus. » Ideoque quidquid vellet necessario fieret cum vellet, quia videlicet ejus voluntas effectu carere nullatenus posset. Sed hac profecto eorum ratione, et quasi sub quadam voluntatis ejus conditione, eum etiam posse peccare, vel aliquid inhoneste agere, dicere possemus; cum sit certum nihil etiam ei in hoc resistere posse, si et id facere vellet quod non oporteret. Præterea cum dicunt inde eum omnipotentem dici, quia quidquid vult potest, manifeste ita ejus

[1] Adversus istam opinionem vehementer scribit B. Bernardus in epistola ad summum Pontificem et ipse eam Abælardus retractat in Confessione suæ Fidei quæ infra legitur. — [2] *Rom.*, cap. IX, v. 19.

potestatem et voluntatem consociant, ut ubi deest ejus velle, desit et posse. Quod autem superius objectum est, non posse aliquem salvari a Deo, nisi et Deus salvare eum possit, præsertim cum idem sit aliquem a Deo salvari, et Deum salvare eum, non satis nos constringit. Idem quippe est et loquentem tacere, et eum qui loquitur tacere : nec tamen fortasse ita possibile est loquentem tacere, sicut possibile est eum qui loquitur tacere. Vel cum idem sit id quod est album esse nigrum, et albedinem et nigredinem eidem simul inesse : non tamen ut possibile est id quod est album esse nigrum, ita etiam possibile est albedinem et nigredinem simul eidem inesse. Quid ergo mirum, si ponamus idem esse aliquem, qui non est salvandus, a Deo salvari, et Deum salvare eum, nec tamen ideo recipiamus Deum posse salvare eum, sicut concedimus eum posse salvari a Deo? Quippe cum dicimus eum posse a Deo salvari, ad facilitatem humanæ naturæ possibilitatem reducimus, ac si videlicet diceremus naturæ hominis non hoc repgunare, ut ipse salvetur, qui in se ita mutabilis est, ut tam salvationi suæ quam damnationi consentiat, et tam hoc quam in illo modo tractabilem se Deo præbeat. Cum autem dicimus Deum illum posse salvare qui minime salvandus est, ad ipsam divinitatis naturam possibilitatem reducimus; ut videlicet naturæ Dei non repugnet quin eum salvet; quod omnino falsissimum est. Prorsus quippe naturæ divinæ repugnat id Deum facere quod ejus derogat dignitati, et quod eum facere minime convenit. Hoc quidem modo et cum vocem dicimus audibilem, id est potentem ab aliquo audiri, et aliquem posse audire vocem : et agrum posse excoli ab aliquo, et aliquem posse colere agrum, possibilitatem ad diversa referimus. Ibi quidem ad naturam vocis vel agri, hic ad naturam rei vel aptitudinem audire vocem, vel colere agrum potentis. Unde non necesse est, ut cum vox audibilis sit, hoc est apta ex se ad audiendum ab aliquo, aliquis sit jam aptus ad audiendum eam. Omnibus quippe hominibus surdis exsistentibus, vel prorsus etiam non exsistentibus, vox quælibet hujus naturæ esset, ut se audibilem homini præberet, nec quidquam in ea præparandum esset, ut ad audiendum idonea esset, quamvis homo nondum exsisteret, qui eam audire posset, vel ad eam audiendam aptus esset. Denique illud quod ex Philosophorum traditione objicitur, cum antecedens possibile sit, et consequens etiam possibile esse, ex quo possibile sequitur, nil officit, quemadmodum in præcedenti libro diximus, si regularum istarum documenta naturis creaturarum intelligimus fuisse contenta. Unde cum aliquid possibile vel impossibile dicunt quantum ad creaturarum naturas, hoc intelligunt, ut videlicet id solum possibile dicant, quod nullius creaturæ repugnat naturæ. Cum autem dicimus : Possibile est hoc vel illud Deum facere, ad naturam divinitatis potius quam creaturarum possibile sumimus. Sed et cum idem sit judicem punire istum, et istum puniri a judice, non tamen

concedi oportet, ut si justum sit judicem punire istum, justum etiam sit istum[1] puniri a judice : cum videlicet hoc nomen justum, sicut et possibile, in talibus significatione variet. Cum enim dicitur, quia justum est ut judex puniat istum, hoc institutione legis eum debere ostendimus. Sin autem dicamus istum debere puniri a judice, hoc eum meruisse dicimus ut puniatur. Sæpe itaque contingit ut secundum legis sanctionem judex debeat aliquem punire, qui tamen nequaquam pro meritis suis debeat ab eo puniri. Veluti cum aliqui falsi testes, qui tamen a judice refelli non possunt, contra innocentem aliquem surgunt, et secundum leges eum reum convincunt qui reus non est, et credi faciunt culpam quæ non est. Unde accidit ut, sicut dictum est, judex debeat eum punire, qui tamen non debet puniri a judice, et hoc agere justum sit judici quod tamen pati non est justum illi, hoc est debitum. Sicut ergo hic, quamvis idem sit judicem punire istum, et istum[2] puniri a judice, non tamen ideo, sicut justum est judicem punire istum quem juste, ut dictum est, secundum legem punit, ita etiam justum est illum puniri a judice : eadem ratione, quamvis idem sit aliquem salvari a Deo et Deum salvare eum, mirandum non est, si cum hoc possibile est, illud nequaquam possibile esse concedatur. Puto et ex his quæ dicta sunt facile refelli posse quod de providentia Dei vel ejus voluntate circa creaturas objici posse videtur, ut, cum ipse videlicet sine his quæ ab æterno in se habet, non esse potuerit, quia non convenerit : non tamen ponamus res quæ provisæ sunt, vel quas esse voluit, ideo non potuisse non esse, hoc est, ex necessitate eas contigisse. Etsi enim sine providentia fuisse non potuit, quia non oportuit, ipsamque providentiam rerum eventum consequi necesse sit, non tamen ideo res provisas concedi oportet non potuisse non esse. Etsi eum sine voluntate creandi mundum, vel sine voluntate miserandi ponamus non potuisse non esse, non ideo cogendi sumus vel mundum, vel ea quæ creata sunt, non potuisse deesse. Ibi quippe, sicut jam determinatum est, ad naturam Dei, hic ad naturam creaturarum possibile sumitur. Unde necesse non est, ut cum Deus ex propria natura vel providentiam rerum, vel bonam de eis voluntatem habere necesse sit, quia hoc ei videlicet maxime convenit; non tamen natura earum ut ipsæ sint exigit, quæ omnino non esse possunt. Quod autem novissime opponebatur, nullas scilicet grates Deo referendas esse pro eis quæ facit, cum ea nequaquam dimittere possit, et quadam necessitate id potius agat quam voluntate, omnino frivolum est. Hic enim quædam naturæ vel bonitatis ejus necessitas ab ejus voluntate non est separata, nec coactio dicenda est, qua etiam nolens id facere cogatur. Nam et cum ipsum necesse sit immortalem esse, vel immortalis dicatur, nequaquam hinc divinæ na-

[1] Sic Cod. Vict. *Justum* Amb. — [2] Ut suprà.

turæ necessitas ab ejus voluntate disjuncta est, cum et hoc ipse velit esse, quod necesse est ipsum esse, id est quod non potest non esse. Si autem ita aliquid necessario ageret, ut, vellet nollet, id facere cogeretur; tunc ei profecto nullæ hinc gratiæ deberentur. Cum vero ejus tanta sit bonitas atque optima voluntas, ut ad id faciendum non invitum eum, sed spontaneum inclinent, tanto amplius ex propria natura diligendus est, atque hinc glorificandus, quanto hæc bonitas ejus non ei per accidens, sed substantialiter atque incommutabiliter inest. Tanto quippe hinc melior exsistit, quanto in ea firmius persistit. Numquid enim alicui subvenienti nobis grates non haberemus, si tantæ is pietatis esset, ut cum nos affligi violenter videret, a subveniendo abstinere non posset, ipsa eum scilicet pietate ad hoc compellente? Quid est enim nos alicui debere grates pro susceptis beneficiis, nisi nos recognoscere eum a nobis bene meruisse, vel laudandum esse pro his quæ nobis ejus benignitas gratis exhibuit? Prædictis itaque rationibus, vel objectorum solutionibus, liquere omnibus reor, ea solummodo Deum posse facere vel dimittere, quæ quandoque facit vel dimittit, et eo modo tantum vel eo tempore quo facit, non alio. Quibusdam tamen videtur, nonnulla ipsum facere posse alio modo quam faciat, sed eum tamen semper eligere eum modum faciendi, qui convenientior sit. Quod etiam penitus a ratione dissidet, ut videlicet inconvenientiori modo possit facere quam faciat, vel inconvenientiorem modum eligere, et convenientiorem dimittere. Non enim perfecte bonus esset, nisi in omnibus perficiendis ab eo voluntatem optimam haberet : ut singula eo modo fieri vellet, quo convenientius fierent. At fortassis inquies, quod si eo tempore quo aliquid[1] facit, illud facere possit, et non videlicet in alio tempore, constat eum uno tempore posse quod alio non potest, nec semper eum æqualiter posse omnia, nec semper æqualiter omnipotentem permanere, sed modo eum quamdam habere potentiam, modo ipsam non habere. Sed si diligenter attendamus , semper æque omnipotens est, et nullo tempore habet aliquam potentiam quam semper non habeat. Sed dicis : Potuit incarnari olim, quod modo non potest, cum nullatenus id fieri modo conveniat, et sic potentiam habuit olim quam modo non habet. Ad quod respondeo : Cum dicimus : potest facere aliquo tempore quod alio facere non potest, duobus modis intelligi valet : uno quidem, ut illa determinatio temporis ad facere applicetur, alio falso, si ad posse ipsa conjungatur. Aliud quippe est dicere : possum modo id facere, id est habeo modo potentiam id faciendi quandocunque; aliud : possum id facere modo, id est facere in hoc præsenti. Nam et determinatio localis relata ad diversa diversos efficit sensus[2]. Cum enim homo, ubicunque sit, ibi gressibilis sit, id est, poten-

[1] Sic. Cod. Vict. *Aliud* Amb. — [2] *Successus* Amb.

tiam habeat ambulandi, etiam cum in aquis natat; cum tamen dicitur : potens est ambulare in aquis, si ad actum ambulandi potius quam ad potentiam hæc determinatio referatur, ut videlicet intelligamus eum habere potentiam hunc actum exercendi etiam in undis, falsum est; si autem ad potentiam ambulandi etiam inter aquas habitam, e contrario verum est. Sicut[1] autem verum est eum hac potentia non carere etiam inter aquas, licet hanc ibi potentiam exercere non possit : ita non est necesse vel Deum vel aliquem in aliquo tempore carere potentia aliquid faciendi, quamvis eo tempore exercere non possit illam potentiam. Nam et infantulus omnino adhuc debilis ad incedendum, gressibilis tamen jam est, et potentiam jam habet ambulandi quandoque, licet non adhuc in tam tenera ætate. Hac itaque ratione potentia incarnandi Deus privatus non est quam olim exercuit, licet eam exercere modo ideo non possit, quia eam minime nunc exerceri convenit. Nec quisquam unquam aliqua potentia privatus dicitur, quem certum sit, si vellet, eam exercere posse, nec ejus voluntati quemquam resistere valere. Cum autem inde omnipotens dicatur, ut supra meminimus, quia semper quidquid velit possit, semper æque omnipotens est, cum semper quidquid velit, certum sit eum complere posse, nec ejus unquam voluntatem aliquo impedimento disturbari posse. Qui etiam sicut omnia semper scit quæ aliquando vult, nec unquam aliquam scientiam amittit, vel voluntatem mutat, quam unquam habuit : ita semper omnia potest quæ aliquando potest, nec unquam aliqua sua potentia privatur. Etsi enim scivit olim me nasciturum esse[2], non tamen ideo olim aliquid scivit quod modo non sciat; sed id de nativitate mea nunc etiam scit, quod sciebat antequam fieret, licet et tunc et nunc hanc ejus scientiam diversis verbis exprimi oporteret. Quippe quod tunc futurum erat modo peractum est, ideoque verba commutata sunt ad ipsum designandum; sicut diversis temporibus loquentes eamdem diem modo per hoc adverbium *cras* designamus dum adhuc futura est, modo per *hodie* dum præsens est, modo per *heri* cum præterita est. Antequam itaque nascerer, cum sciret Deus me nasciturum esse, eo quidem tempore quo nasciturus eram : nunc quoque nihilominus id scit, scilicet eodem tempore me natum esse; sic et idem de eadem nativitate mea nunc quoque vult quod tunc voluit : ut videlicet tunc fieret, quando eam fieri ab æterno voluit et scivit. Et attende, quod, sicuti cum dicimus : Deus scit modo id factum esse, vel vult modo id factum esse, illud *modo*, ad diversa conjunctum, sensum[3] enuntiationis mutat; ita etiam, ut supra meminimus, cum dico : potest modo id facere, idem adverbium conjunctum ad diversa sensum[4] variat.

[1] Sic Cod. Vict. *Si* Amb. — [2] Hic interseruntur in edit. Amb. *Ne tamen sciat me nasciturum esse* quæ delenda esse videntur. — [3] Sic Cod. Victor. *Successum* Amb. — [4] Sic Cod. Victor. *Successum* Amb.

Potest quippe, cum dico : Deus scit modo id factum esse, *modo* illud, tam ad *scit* quam ad *factum esse* referri. Ac si videlicet ita dicatur : modo scit hoc factum esse, id est modo habet hanc scientiam quod hoc factum est, vel scit quod id modo factum est, quæ longe diversa sunt. Sic et cum dicimus de eo[1], quod scit modo, quia scit illud modo fieri quod non scit postea fieri, si tam *modo* quam *postea* ad *scit* referantur, falsum est. Ex eo profecto concedendum esset, quod illud quoque quandoque scit, quandoque etiam non scit. Si vero ad *fieri* utraque conjungantur, verum est quod dicitur : nec inde annuendum est quod aliud uno tempore sciat quod alio nesciat. Id est, cum hujusmodi adverbiis hæc verba faciunt, *vult* et *potest*, similiter cum eis sensum[2] variantia. Si enim dicatur : potest Deus id modo facere, et ad verbum, *potest*, adverbia referantur, falsissimum est : quia jam uno tempore quamdam habet potentiam, quam alio non haberet. Si vero ad *facere* utraque conjungantur, verissimum est. Et sicut non ostenduntur diversæ scientiæ cum dicitur de ipso, quia scivit olim incarnandum esse, ita et cum dicitur : olim potuit incarnari, et modo potest incarnatus esse, possibilitas ostenditur. Non enim cum dicitur per successionem temporis, Deus incarnatur, et Deus incarnatus est, diversa quæ fecerit ostendimus, sed pro eodem quod semel fecerit, ista dicuntur. Sic et cum dicitur *prius*, quia possibile est Deum incarnari, et *postmodum* dicimus, quia possibile est ipsum incarnatum esse; nec diversum factum nec diversa possibilitas monstratur, sed pro eodem quod prius erat futurum, et modo est præteritum, utrumque vere dicitur. Liquet itaque Deum, sicut nec scientia vel voluntate mutari, ita nec etiam possibilitate. Deus[3] itaque quod semel scit, semper scit, et quod semel vult, semper vult : ita et quam semel habet potentiam nunquam deponit. Denique, si more hominum dicamus eum aliud posse uno tempore quod alio non possit, propter hoc videlicet solum quod ei convenit uno tempore id facere quod non convenit alio; nulla ejus in hoc impotentia vel potentiæ diminutio est intelligenda, cum ad potentiam cujuslibet minime pertineat quod ei nullatenus convenit, ut inde commendari possit, imo e contrario, ejus derogaret dignitati.

Cum autem ad potentiam seu firmitatem divinæ naturæ ipsa ejus incommutabilitas pertineat, de ipsa nunc nobis disserendum occurrit, præcipue cum ex quibusdam quæ ipse operatur, sicut et nos ipsi, variari videatur : cum videlicet aliqua modo faciat, modo ab eisdem completis quiescat. Unde et de ipso scriptum est, quod completis operibus suis, quæ sex diebus operatus est, septimo requievit[4], hoc est ab operando cessavit. Sicut ergo nos faciendo aliud, et

[1] Sic Cod. Vict. *De eo* desunt Amb. — [2] Amb. *Successum*. — [3] Ita nobis legendum esse videtur; hic tamen in Cod. Vict. et edit. Amb. parvum spatium vacuum relictum est. — [4] *Genes.*, cap. II, v. 2.

postmodum quiescendo, physica ratio etiam alterari demonstrat : ita etiam ipse hanc alterationis mutationem videtur incurrere. Cui etiam localis motus videtur adesse, cum modo descendere aliquo, vel transire aliqua dicitur, vel egredi quoquam, sive inde regredi describatur. Unde et in Virginem tam Verbum Patris quam Spiritum sanctum descendisse salubriter tradimus, et veraciter prædicamus. In qua etiam virgine Deus homo factus adeo mutari videtur, ut aliud quam fuerit factus esse dicatur : quod ad illum substantiæ motum præcipuum, quæ a philosophis generatio dicitur, pertinere videtur. Non omnino igitur incommutabilis videtur Deus, cum ipse, ut dictum est, tam alterationis quam loci, seu etiam generationis motum suscipere videatur. Sed si diligenter attendamus, nec in his nec aliis ullam mutationis varietatem incurrit. Quippe cum dicimus eum aliquid facere, non aliquem in operando motum illi inesse intelligimus, vel aliquam in laborando passionem, sicut nobis accidere solet, sed ejus sempiternæ voluntatis novum aliquem significamus effectum. Cum ergo dicimus eum aliquid facere, dicere est juxta ejus voluntatem aliquid contingere, ut in ipso nihil novi contingat, sed novum aliquid, sicut in ejus voluntate fixum permanet, fiat. Unde bene est illud philosophicum[1],

.... Stabilisque manens dat cuncta moveri.

Qui etiam cum ab operando quiescere dicitur, consummationem operis ejus, non eum ab aliquo actionis motu cessare significamus. Nos autem modo operando, modo cessando permutari dicimur, quia in hoc, secundum quamdam agitationem membrorum, vel passionem mentis, aliter quam prius nosmetipsos habemus, et in nobismetipsis variamur. Eum vero facere aliquid non aliter intelligimus, quam eum quamdam esse causam eorum quæ fiunt : quamvis ea nulla sua agitatione faciat, ut actio proprie dici queat, cum videlicet omnis actio in motu consistat. Ipsa quippe ejus dispositio, quam in mente habuit ab æterno, ejus actio dicitur, cum ad effectum perducitur. Nec in ipsa novi aliquid accidit, cum per eam novum aliquod opus contingit, nec ex ipsa variatur Deus, quam in mente semper æqualiter habet, ita etiam post rei completionem, sicut ante, in eodem proposito dispositionis consistens, ut ita id velit completum, sicut ante voluerat complendum. Sicut ergo sol, cum ex calore ejus aliqua calefieri contingit, nulla hinc in ipso vel in calore ejus mutatio fit, quamvis res inde calefacta sit mutata : ita nec Deus, cum aliqua ejus nova fuerit dispositio[2], ideo mutari dicendus est, quamvis novi operis vel mutationis rerum quædam ipse sit causa vel auctor. Quod autem

[1] Boethius, de *Consol. Philos.*, lib. III. — [2] *Disponere* Amb.

nec loco moveri possit, qui Spiritus est, tam philosophorum quam sanctorum assertione docemur, sicut de quantitate tractantes ostendimus cum grammaticam[1] scriberemus. Id quippe solum quod locale est, localiter moveri potest, vel localiter alicubi teneri, sicut est corpus. Nihil enim locale est, vel localiter contineri potest, nisi quod sui interpositione circumstantium rerum distantiam intervalli potest facere : veluti si alicui continuo corpori stilus vel corpusculum aliquod inseratur, statim per ejus interpositionem necesse est aliquam intervalli distantiam fieri inter particulas circumstantes, quæ post adinvicem continuatæ fuerant. Si vero albedo vel aliquid incorporeum illis inesset particulis, nulla eorum continuatio ideo deperiret. Nullum igitur incorporeum localiter moveri potest, quia nec localiter alicubi esse potest. Maxime vero Deus, qui ubique per substantiam esse conceditur, non habet quo moveatur localiter, cum ubique sit essentialiter. Moveri quippe localiter, id est de loco ad locum transire non potest, nisi unum deserendo locum migret ad alium. Nullum autem deserit locum motu locali, qui semper substantiæ suæ præsentia in omnibus est locis. Cum itaque Deus in Virginem venire, aut aliquo dicitur descendere, secundum æquam suæ operationis efficaciam, non secundum localem accessionem intelligi debet. Quid est enim aliud eum in virginem descendisse ut incarnaretur, nisi eum, ut nostram assumeret infirmitatem, se humiliasse, ut hæc quidem humiliatio ejus videlicet ejus intelligatur descensus? Sic et quoties aliquo descendere vel venire dicitur Deus, non aliquis ejus localis accessus, sed aliquis novæ operationis effectus ostenditur : qui etiam cum in quosdam venire, vel a quibusdam recedere dicitur, juxta donorum suorum collationem vel subtractionem intelligitur id, non secundum localem ejus adventum vel recessum; qui ubique, ut dictum est, per præsentiam suæ substantiæ semper exsistens, non habet quo moveri localiter possit. Quod tamen ubique esse per substantiam dicitur, juxta ejus potentiam vel operationem dici arbitror, ac si videlicet diceretur ita ei cuncta loca esse præsentia, ut in eis aliquid operari nunquam cesset, nec ejus potentia sit alicubi otiosa. Nam et ipsa loca, et quidquid est in eis, nisi per ipsum conserventur, manere non possunt; et per substantiam in eis esse dicitur, ubi per propriæ virtutem substantiæ aliquid nunquam operari cessat, vel ea ipsa, ut dictum est, servando, vel aliquid in eis per seipsum ministrando. Nam etsi longas manus reges habere dicantur, eo quod potentiam suam in longinquis exerceant locis; non tamen hoc per substantiam suam facere sufficiunt quod per vicarios agunt. Sicut ergo anima in corpore per substantiam suam, magis quam per positionem localem dicitur esse, eo scilicet quod per propriæ vigorem substantiæ ipsum vivificet ac moveat,

[1] Forsan *Dialecticam.*

ac ne in putredinem dissolvatur custodiat; sicque per operationem vegetandi ac sentiendi singulis membris tota insit ut singula vegetet, et in singulis sentiat; ita Deus non solum in omnibus locis, verum etiam in rebus singulis per aliquam suæ potentiæ efficaciam semper esse dicendus est: et cum universa moveat in quibus est, nec tamen in eis ipse movetur, sicut nec anima in corpore, cum singula moveat membra, et singulis tota, ut dictum est, simul præsto sit. Denique quod objectum est Deum fuisse mutatum, cum homo factus est, ut aliud fieret quam prius esset, ac sic motum illum maximum substantiæ incurrisse, qui generatio dicitur, facile illud refelli, si sensum magis verborum quam verba pensemus. Quid est enim dicere Deum fieri hominem, nisi divinam substantiam, quæ spiritualis est, humanam, quæ corporea est, sibi unire personam in unam? Non enim quod spirituale, corporeum fieri potest; sed in illa unione personæ Christi, in quo simul divinitas Verbi, et anima et caro, tres istæ naturæ conveniunt, ita unaquæque harum trium substantiarum ibi propriam retinet naturam, ut nulla earum in aliam commutetur; ut nec divinitas, quæ humanitati conjuncta est, aut anima fiat aut caro, sicut nec anima unquam potest fieri caro, quamvis in singulis hominibus una persona sunt anima et caro. Anima quippe spiritualis quædam et simplex essentia est, caro autem humana res, corporea, et ex membris composita; ideoque nequaquam hæc illa esse potest, quæ nullas omnino partes in quantitate sui recipere potest. Quod et ipse Dominus patenter aperiens dicit[1]: « Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. » Sicut ergo anima et caro in unam adinvicem conjunctæ personam, in propriis naturis sic discretæ permanent, ut nequaquam hæc in illam commutetur, alioquin duæ res nequaquam dicerentur: ita et divinitas humanitati conjuncta, hoc est humanæ animæ simul et carni in unam personam sociata, nequaquam in ejus naturam convertitur, ut videlicet spiritualis illa substantia Dei, quæ hominem assumpsit, in illam corpoream commutetur substantiam, cum hoc penitus ipsum permaneat ipsa quod prius erat. Sic quippe assumpsit nostra, ut non dimitteret sua. Mutatio autem in aliud fieri non potest, nisi esse desinat quod prius fuerat. Prius autem spiritualis substantia erat, quæ corporis naturæ conjuncta est, et nunc quoque ut spiritualis permanet, non corporea facta est. Cum ergo, et nunc sicut ante, juxta ipsam Veritatis assertionem, spiritus sit Deus, nec unquam quod spiritus est corporeum fiat, aut partes recipiat, quomodo proprie vel Verbum dicitur fieri caro, vel Deus homo, cum Verbum ipsum nunc etiam sit spiritus, quia est Deus, sicut et ante incarnationem fuerat? Homo quippe res corporea est, et membris composita et dissolubilis. Deus vero

[1] *Luc.*, cap. XXIV, v. 39.

nec corporea res est, nec partibus constat, ut dissolvi possit. Deus igitur nec caro, nec homo esse proprie dicendus est. Alioquin et homo e contrario proprie dicendus esset Deus; unde aliquid creatum, vel quod non semper fuit concedi oporteret Deum esse, cum videlicet constet hominem creaturam esse, atque initium habere. Absit autem ut aliquam rem Deum esse ponamus, quæ non semper exstiterit, aut non semper Deus fuerit; hoc quippe est Deum novum vel recentem confiteri. A qua quidem perversitate Deus nos inhibens, ait[1] : « Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens. » Ut igitur expositum est, cum dicitur Deus fieri caro, vel Deus homo esse, sic accipiendum est, ut divina substantia humanæ sociari in personam unam intelligatur, non illa effici cui sociatur; sicut nec anima hominis caro fit cui unitur, nec in ejus naturam convertitur. Quod diligenter beatus aperiens Athanasius, cum unitatem personæ Christi in duabus consistentis naturis defenderet, ait de ipso : « Qui licet Deus sit et homo , non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem, non conversione divinitatis in carnem, sed humanitatis in Deum. Unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. » Tale est autem quod ait : Deus et homo sunt unus Christus, non duo Christi, sicut anima et caro unus sunt homo, non duo homines. Quamvis enim diversitas naturarum in Christo sit, divinæ scilicet et humanæ, sicut in uno homine anima et caro corporeæ sunt et incorporeæ naturæ; non tamen nec necesse est duos ideo Christos esse, sicut nec duos homines, aut diversitatem fieri personarum, sicut est naturarum in unam personam sibi conjunctarum, licet in suis proprietatibus ita discretarum, ut nequaquam altera substantia in alteram convertatur propter hanc unionem personæ. Quod consequenter aperit, dicens : « Unus autem, non conversione divinitatis in carnem, id est in humanitatem, sed per assumptionem humanitatis a Deo factam. » Alia quippe est substantia vel natura quæ assumpta est, quam assumens, licet non sit alia persona. Quod rursus exponens ait : Unus omnino per unionem personæ, non per confusionem substantiæ, hoc est non per commixtionem substantiarum in unam naturam, vel per conversionem alterius substantiæ in alteram. Sicut enim in uno Deo tres personæ sunt et una substantia : ita e contrario in Christo duæ sunt substantiæ, humana scilicet ac divina, sed una in duabus substantiis vel naturis persona. Unde et superius in eodem symbolo fidei idem doctor, cum diversitatem personarum in una Dei substantia demonstraret, ait : « Fides autem catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. » Tunc autem personas confunde-

[1] Psalm. LXXX, v. 10.

remus, id est invicem permisceremus[1], si hanc esse illam poneremus, sicut e contrario substantiam Dei separaremus, si in eo diversas esse substantias teneremus. Quod statim diligenter exponens subdit : « Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. » Sicut ergo in Deo una est substantia, sed diversæ personæ : ita e contrario in Christo una est persona, sed diversæ substantiæ, divina, ut dictum est, atque humana, quarum nequaquam una in alteram est mutata, sed utraque propriam naturam retinet in illa unione personæ, et ambæ in naturis suis permanent impermixtæ. Nam et in singulis[2] totis sic diversæ partes ad compositionem ipsorum conveniunt, ut tamen in suis naturis sint disjunctæ, quæ quadam aggregatione sunt conjunctæ, velut ossa et caro in humano corpore, vel ligna et lapides in unius domus compositione. Sicut ergo ossa in uno homine carni adhærentia, in naturam carnis non transeunt, nec in una domo lapides lignis aggregati propriam substantiam mutant, ut aliud fiant quam prius erant, aut caro animæ sociata aliud quam caro fit, nec prioris substantiæ naturam mutat[3]; ita nec divinitas humanitati in unam personam conjuncta aliud fit[4] quam prius erat, quamvis aliud sibi in unitate personæ conjungat. Secundum quam quidem unionem personæ, cum Deus homo factus dicitur, aut aliud quam primitus fuerit esse conceditur, non hoc ex mutatione substantiæ, sed unitate personæ intelligendum est : quia videlicet Deus hominem sibi in unam personam conjunxerit, et rem alterius naturæ in hanc unionem sibi sociaverit. Non est igitur Deus in aliud mutatus quam fuerit, licet aliud sibi, ut dictum est, in hanc unionem conjunxerit. Nam nec animæ nostræ, cum, resumptis corporibus, eis in unam personam sociabuntur, ideo aliud quam erant efficientur, quamvis ipsum corpus rursum animando vivificetur, et de inanimato ad animationem promoveatur : ut ex hoc corpus ipsum potius per animam quam ipsa propter corpus mutari dicendum sit. Corpus quippe ex ipsa, non ipsa ex corpore in quemdam proficit statum, ab ipso calorem et motum suscipiens, cum ipsa in se ipsum persistat immobilis. Multo minus autem Deus homini unitus, aliud ob hoc fieri dicendus est, cui nihil conferre creatura potest. Unde ab omni mutabilitate Deum penitus immunem profitemur esse. Hæc inpræsentiarum de divina potentia, vel quæ ad eam pertinent, dicta sufficere arbitror.

Nunc de sapientia ipsius prosequamur. Hanc alii Verbum, alii Rationem, seu Mentem dixerunt, quasi videlicet vim quamdam discretionis ad omnia integre cognoscenda, ut in nullo ejus dispositio possit errare, nihil eam penitus possit

[1] Sic Cod. Vict.; *Permiserimus* Amb. — [2] Sic Cod. Vict. *In* deest Amb. — [3] Sic Cod. Vict. *Mutat* deest et spatium vacuum relictum est in edit. Amb. — [4] *Sit* pro *fit* Amb.

latere. Unde et Dei Filius, Dei virtus, et Dei sapientia dicitur, hoc est, ea vis divinæ potentiæ, qua cuncta sapit, hoc est veraciter discernit, ut in nullo, ut dictum est, errare possit, nec quidquam ejus obsistere queat cognitioni. Hæc quidem ejus notitia sive scientia æque futura, sicut præsentia vel præterita comprehendit; et æque de his sicut de illis certa semper existit, et quæ adhuc naturæ incognita sive fortuita dicuntur, ei jam penitus certa sunt ac determinata. Nihil quippe nisi ex divinæ dispositionis ordinatione contingere potest. Sicut ergo Deus quod de futuro prærordinat ignorare non potest, ita nec eorum eventum potest non præscire. Quæ igitur casu, quantum ad nostram certitudinem, fieri dicuntur, et non ex libero provenire arbitrio, quantum ad ipsum nec casu nec sine libero contingunt arbitrio. Cum enim casum philosophi describentes dicunt : Casus est inopinatus rei eventus, ex confluentibus causis propter aliud incœptis proveniens, inopinatum quantum ad nos vel creaturarum naturam intelligunt, non quantum ad divinæ providentiæ dispositionem. Tale quippe est ac si diceretur : Quod casu evenit, ita contingit, ut ex nulla institutione naturæ prænoscere possemus quod futurum esset. Nam et si eclipses solis vel lunæ præter opinionem nostram sæpius accidant, naturaliter tamen hæc, non fortuitu fiunt ; et in rerum præfixum est institutione, unde hæc scire possemus. At vero cum quis agrum fodiens propter agriculturam, thesaurum invenit, et hæc inventio fortuita dicitur. Hanc quippe ex diversis causis, propter aliud incœptis, contingere constat, et ita, ut diximus, inopinate. Ex hoc enim quod thesaurus ibi reconditus fuit, et quod ille agrum fodiebat, contingit thesaurum inveniri. Ad hanc inventionem hæ duæ causæ convenerunt, licet propter aliud incœptæ. Neque enim qui thesaurum ibi recondidit, hac intentione posuit, ut ille eum inveniret; nec ille hac intentione fodiebat, ut thesaurum quæreret, sed ut agrum coleret. Utræque itaque causæ, ex quibus illa inventio contingit, ad aliud spectabant; ideoque casu potius ipsa quam ex libero arbitrio provenit. In libero quippe arbitrio, ejus rei quæ inde contingit, intentio præcedit; veluti si deliberem ire ad Ecclesiam et ita exsequar, ex libertate arbitrii mei id quod intendebam perficio; ideoque id non tam casu quam ratione fieri dicendum est. Neutrum tamen horum naturaliter contingit, sed utrumque pariter ex aliqua nostra voluntate, non ex aliqua institutione naturæ ad hoc nos compellente, ut magis hoc voluntarium quam necessarium dicatur. Liberum autem arbitrium definientes philosophi dixerunt, liberum de voluntate judicium. Arbitrium quippe est ipsa deliberatio sive dijudicatio animi, qua se aliquid facere vel dimittere quilibet proponit. Quæ tunc quidem dijudicatio libera est, cum ad hoc quod proposuerit exsequendum, nulla vi naturæ compellitur, sed æque in sua potestate habet tam illud facere quam dimittere. Ubi ergo ratio animi non est, per quam aliud deliberari possit et dijudicari, an facien-

dum sibi sit vel dimittendum, licet æque utrumque in nostra sit potestate, liberum nequaquam est arbitrium. Etsi enim bruta animalia quædam per voluntatem suam facere possunt vel dimittere; quia tamen judicio rationis carent, liberum non habent arbitrium. Si quis etiam tale quid velit ac disponit facere, quod in ejus non sit potestate, vel quod sine dispositione ipsius æque fieret, in hoc liberum arbitrium non habet. Verbi gratia, sæpe talia nos facere proponimus, quæ decepti nos posse implere confidimus, et nonnunquam nitimur vel desideramus ut ea fiant, quæ non minus fierent absque nostro proposito. Veluti si qui diutinis pœnis mori cogantur, et morte ipsa cruciatus finire desiderent, et ad hoc nitantur, nequaquam, cum id accidit, ex libero suo arbitrio assequuntur; quod videlicet non minus contingeret eis etiam nihil inde præmeditantibus. Et hæc quidem liberi arbitrii definitio nullatenus in Deum cadit, sed in eos tantum qui voluntatem mutare, et in contraria possunt deflectere; ut videlicet in eorum sit potestate id quod eligitur tam dimittere quam facere. Denique et nonnulli liberum ad hoc reduxerunt arbitrium, ut his tantum ipsi concedant quæ et bene facere et male possunt. Quorum opinionem beatus quoque Hieronymus secutus *Homilia* illa de filio prodigo, inter cætera sic ait: « Solus Deus est in quo peccatum non cadit; cætera, cum sint liberi arbitrii, in utrumque possunt suam deflectere voluntatem. » At vero qui diligentius liberum arbitrium inspexerit, nulli benefacienti hoc deesse dixerit; maxime autem Deo, et his omnibus qui tanta beatitudine sunt corroborati, ut jam in peccatum labi non queant. Quo enim quisque a peccato remotior est, et ad bonum pronior, tanto in eligendo bonum liberius habet judicium, quanto ab illa ultima servitute peccati, de qua scriptum est[1]: « Qui facit peccatum, servus est peccati, » longius absistit. Generaliter itaque ac verissime liberum arbitrium dicitur, cum quilibet quod ex ratione decreverit, voluntarie ac sine coactione adimplere valebit. Quæ quidem libertas arbitrii tam Deo quam hominibus æque indubitanter inest, quicunque tunc voluntatis facultate privati non sunt, atque his præcipue, ut diximus, qui jam omnino non possunt peccare. Quamvis enim peccare nequeant, aut a bono quod faciunt minime se retrahere queant, quia non oportet, non ideo tamen id alicujus coactionis necessitate agunt, quod utique, si non vellent, nequaquam facere cogerentur. Quod et diligenter beatus attendens Augustinus, lib. XXII, *de Civitate Dei*, his astruit verbis[2]: « Sicut prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit non posse mori; ita primum liberum arbitrium posse non peccare, novissimum non peccare posse. » Item: « Certe Deus ipse numquid, quoniam peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est? etc. » Quidquid itaque gerimus, sive

[1] Joan., cap. VIII, v. 34. — [2] Cap. XXX, *Opp.*, t. VII, col. 701.

fortuitu, sive præmeditate, quia id, optime Deo disponente et providente cur fieri oporteat, agimus, ex libero ejus, si non ex nostro, procedit arbitrio : et quamvis ea casu facimus, nihil tamen, quantum ad ipsum, casu fit, cujus providentia cuncta præcedit, et ex ejus dispositione quidquid agimus contingit. Unde et præfatus Doctor *Quæstionum* LXXXIII cap. xxvi, ita meminit[1] : « Quidquid casu fit, temere fit. Si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non providentia universus mundus administratur. » Item[2] : « Illud bonum cujus participatione sunt bona cætera, non propter aliud, sed per semetipsum bonum est. Quod divinam etiam providentiam vocamus. Nihil igitur casu fit in mundo. » Ac si aperte dicat : Nihil fit quod non ex aliqua providentia saltem divina proveniat, nec tamen ideo penitus eos errare ducimus, qui casu plurima fieri profiteantur, quantum ad nostram, ut dictum est, incertitudinem. Qui etiam, juxta Philosophos, cum ea naturæ incognita dicunt quæ casu proveniunt, hoc est nullam rei naturam ad hoc præcognoscendum sufficere, ut inde certa queant esse; nullatenus hic divinæ majestatis, sed creaturarum tantum naturam attendunt. Qui etiam cum ea quæ per miracula fiunt, impossibilia dicunt, vel contra naturam fieri profitentur, ut virginem parere, vel cæcum ulterius videre, profecto ad usitatum naturæ cursum, vel ad primordiales rerum causas respiciunt, non ad excellentiam divinæ potentiæ, quam videlicet constat ex propria natura quidquid decrevit posse, et præter solitum ipsas rerum naturas quocunque modo voluerit permutare. Quæ si nunc quoque hominem ex limo terræ formaret, vel feminam de costa viri produceret, sicut in primis actum est parentibus : nemo utique esset qui contra naturam vel præter naturam id fieri non censeret, eo, ut dictum est, quod primordialium causarum institutio ad hoc minime sufficere posset, nisi Deus præter solitum, propria voluntate, vim quamdam rebus impertiret, ut hoc inde fieri posset, qua videlicet voluntate et ex nihilo cuncta potuit creare. Ex quo liquidum est, ut jam non semel meminimus, philosophorum tractatus, per quos maxime rerum naturæ vestigantur, ita creaturarum naturis, et earum usu quotidiano contentos esse, ut summam illam divinæ potentiæ naturam, quæ universis imperat naturis, et cujus voluntati obtemperare proprie naturam dicendum est, vix aut nunquam attingere audeant, sed omnes eorum regulas infra eam, aut extra eam penitus consistere. Unde cum aliquid possibile vel impossibile, id est naturæ consentire vel repugnare dicunt, juxta solam creaturarum facultatem, non divinæ potentiæ virtutem, hoc metiuntur. Ex quo apparet quam verum sit quod supra meminimus, in illa videlicet philosophorum regula, cujus possibile est antecedens, et consequens, eos ad creaturarum tantum

[1] *Quæst.* xxiv, *Opp.*, t. VI, col. 6. — [2] *Ibid.*, *ibid.*

nomen accommodare. Quod et fortassis ad sequentia prænotari necessarium fuit, ubi videlicet, juxta illam veterem, ut ait philosophia, querelam, videntur omnia secundum divinæ providentiæ incommutabilitatem ex necessitate contingere.

De quo et nunc nobis superest disserere, cum hoc maxime ad divinam constet sapientiam pertinere. Hæc quippe prospiciendo futura, providentia dicitur sive præscientia. Ipsum enim Dei prospicere providere est, sive præscire futura, hoc est, omnia quæ futura sunt cognoscere antequam fiant, et ita ut de præsentibus vel præteritis, de his quoque ipsum jam certum existere, sicut dudum superius ratione adhibita confirmavimus. Sed si diligenter ipsos quoque philosophos revolvamus, præcipue vero Aristotelem, adeo in rationibus argumentorum discretum, ut inde Peripateticorum, id est dialecticorum princeps dici mereretur, inveniemus apud eos, qualiter pseudo-philosophos refellere possimus, et eorum non rationes, sed sophismata dissolvere, quibus de providentia Dei adeo simplicium fidem perturbare solent, ut non solum bona, verum etiam mala necessario provenire astruant, nec ullatenus a nobis peccata posse vitari, sed necessario unumquemque quod deliquerit committere, cum et hoc videlicet a Deo constet provisum esse, cujus providentiam constat nullo modo falli posse. Horum igitur musciculam disrumpentes, telam illam fortissimam inspiciamus, quam in primo *Peryarmenias*[1] Aristoteles orditur, ut eam contradictionis proprietatem corroboret, etiam in propositionibus de futuro, quam generaliter de omnibus præmiserat, dicens videlicet quod omnium affirmationum et negationum alteram esse veram necesse sit, sicut et alteram falsam. Verbi gratia, navale bellum est cras futurum, et non est futurum cras : affirmatio et negatio sunt dividentes. Unde et alteram earum esse veram, et alteram earum rursus necesse est esse falsam, cum videlicet nec ambæ simul esse veræ, nec ambæ queant simul esse falsæ, nec ulla sit propositio, quam non veram vel falsam necesse sit esse. Unde hanc vel illam necesse est esse veram : hoc est necesse est esse bellum tale cras fieri vel non fieri[2]. Quæ quidem verba diversos sensus habentia Aristoteles diligenter determinare nos docens, ut videlicet supra dictam contradictionis proprietatem conservare ubique ac defendere possimus, diligenter tandem de prædicatione necessarii tam simplici et absoluta quam determinata, nos instruit. Dicit itaque quia necesse est navale bellum cras esse futurum vel non esse futurum. Non tamen ideo vel navale bellum cras esse futurum necesse est, vel non cras esse necesse. Hæc quippe propositio : Necesse est navale bellum cras futurum esse, vel non esse cras futurum, duos habet sensus; unum

[1] Sic Cod. Vict., Περὶ Ἑρμηνείας Amb. — [2] *Vel non fieri* desunt in edit Amb.

quidem in quo hypothetica disjuncta est falsa, ac si ita diceremus, necessarii nomen bis ponentes : Necesse est navale bellum cras esse futurum, vel necesse est non esse cras futurum : alium vero in quo categorica est vera, habens disjunctum subjectum, et quasi disjunctam in subjecto positam, et necessarii nomen semel positum in prædicato. Ac si videlicet ita dicamus : Navale bellum cras esse futurum, vel non esse futurum, hoc videlicet totum necesse est, hoc est, necesse est ut ipsum cras fiat vel non fiat. Et hoc quidem modo necessarii nomen semel positum et absolute prædicatum veram reddit enuntiationem ; et generaliter ad quaslibet affirmationes et negationes earum prædicatio ipsius veraciter applicatur : ut videlicet de singulis dicamus, quia hanc vel illam esse veram est necesse, quod Aristoteles intellexit cum proprietatem assignaret contradictionis. Non tamen ideo alteri earum necessarii prædicationem absolute possumus applicare, ut veraciter dicamus quia vel hanc necesse est esse veram, vel illam necesse est esse falsam. Ideo autem absolute addimus, quia determinatam necessarii prædicationem omnibus hujusmodi veris propositionibus applicari ipse ibidem edocet, dicens : « Igitur esse quid est, quando est, necesse est : et non esse quod non est, quando non est, necesse est. » Sed non ideo simpliciter dicit quia necesse sit. Non enim sic determinata necessarii prædicatio simpliciter infert, ut quia videlicet necesse est esse dum est, ideo concedi oporteat ut et simpliciter dicatur quia necesse est esse, hoc est, omnino inevitabile quin sit[1]. Ex quo quidem tanti philosophi tanto documento et tam rationabili, illud supra memoratum, quod de divina providentia objici solet, facile refelli potest. Constat, inquiunt, divinam providentiam falli non posse, et omnia quæ eveniunt, ita [ut] eveniunt ab eo esse provisa ; ergo ita ut eveniunt singula evenire necesse est, cum videlicet sicut ab eo provisa sunt, ea evenire necesse sit : non enim fieri potest ut ipse aliqua provideat, et non ita, ut ipse providit, eveniant. Cum ergo singula provideat evenire ita ut eveniunt, profecto ita ipsa evenire necesse est. Verbi gratia, providit ab æterno, id est præscivit, hunc qui damnandus est, facere per quæ damnetur. Igitur cum ita præviderit fieri, necesse est, inquiunt, ita fieri. Et nos quidem, quam diximus Aristotelis sententiam sequentes, concedimus de singulis, quia necesse est ita evenire, cum ipse ita evenire providerit; non tamen ideo simpliciter concedere cogimur, quia necesse est ita evenire, cum videlicet, ut dictum est, simplex necessarii prædicatio nequaquam consequatur determinata. Sicut enim, quod est, necesse est esse quando est, vel, quod fit, necesse est fieri quando fit; nec tamen

[1] Hactenus Codex Victorinus et editio Amboesiana. Cætera quæ sequuntur e codice Oxoniensi Coll. Baliol. nunc primum eruta, lucem vident.

ideo simpliciter necesse est fieri vel esse; ita et unumquodque fieri a Deo provisum, necesse est fieri, cum ab ipso fieri provisum sit, nec tamen ideo fieri necesse est. Quod si quis objiciat de proprietate contradictionis supraposita, quia vel fieri vel non fieri necesse est, et requirat quod horum sit necesse, vel ita tanquam ex hypothetica disjuncta velit arguere : sed non est necesse non fieri; ergo necesse est fieri; et de hoc credo nos documentum philosophi diligenter aperuisse, et hoc ad defensionem jam omnino sufficere. Non enim, ut dictum est, disjunctam hypotheticam ibi Aristoteles intellexit, quæ, ut dictum est, falsa esset; ideoque non cogimur ut hoc vel illud membrum eligamus, vel quasi uno disjuncte membro reprobato, alterum concludatur. Non enim, ut dictum est, disjuncta hypothetica est intelligenda, sed categorica disjunctum habet subjectum; neque ergo fieri hoc quod provisum est, neque non fieri necesse est, licet fieri vel non fieri, hoc totum scilicet, sit necesse. Ad hunc etiam modum cum dicitur necesse est diem vel noctem esse, duo distinguendi sunt sensus. Sæpe autem hujus modi conjunctiones tam copulativæ quam disjunctivæ, nisi diligens adhibeatur determinatio, in falsam nos opinionem facile impellent, in his etiam propositionibus quæ necessarii [nomen?] non habent. Cum enim dicimus : Omne animal est sanum, vel omne animal est ægrum, multum refert utrum illud *vel* propositiones jungat, et hypotheticam disjunctam faciat, ac si ita diceretur : Omne animal est sanum, vel omne animal est ægrum, an dictionibus in prædicato positis applicetur, et categoricam universalem reddat veram habentem disjunctum prædicatum. Sed sicut dicimus, copulativa conjunctione apposita : Omne rationale et mortale est homo, potest conjunctio *vel* propositionibus applicari, et falsam enuntiationem reddere, ac si videlicet ita dicatur : Omne rationale et omne mortale, et rursum terminis tantum in subjecto positis sociata, veram efficere, tanquam si dicatur : Omne rationale et ipsum mortale, hoc est, omne rationale quod simul et mortale est, est homo. Sic etiam cum dicimus quod hæc propositio : Homo est rationalis vel irrationalis, dicit hominem esse rationalem vel irrationalem; vel hæc propositio : Homo est rationalis et irrationalis, dicit hominem esse rationalem et irrationalem, ex utraque duo sensus haberi possunt, alter quidem verus et alter falsus. Si enim hoc verbum, *dicit*, bis repetitum intelligatur, ac si videlicet dicatur : Hæc propositio aut hoc dicit aut illud dicit, vel : Hæc propositio et hoc dicit et illud dicit, manifeste falsum est. Si autem semel verbum positum sumatur, e contrario verum est. Diligenter itaque attendendum est in hujusmodi enuntiationibus, ubi conjunctiones diversis applicatæ sensum variant, ut determinatione apposita, cavillationem sophismatis evitemus, sicut et supra distinximus, tam in his propositionibus ubi necessarii nomen ponitur quam cæteris. Si quis autem pro ea propositione quæ

dicit : « Quod Deus providit necesse est evenire, cum ipse providerit, » dicat simpliciter absque conjunctione vel determinatione : « Quod Deus providit, necesse est evenire; » vel etiam : « Quidquid Deus providit, necesse est evenire ; » atque hinc tam hoc quam illud quod evenit probet quia necesse est evenire, veluti si de hoc qui scribit, vel de illo qui adulteratur, dicamus simpliciter, quia necesse est hunc scribere, vel illum adulterari, nullatenus procedit. Non enim si recipiamus quia prædestinatum omnem necesse est salvari, ideo de singulis prædestinatis concedere cogimur, ut tam hunc hominem quam illum dicamus quia necesse est salvari. Sublato quippe nomine prædestinatorum, in quo est vis necessitatis, sicut in apposita determinatione, non ita recipimus, quia hunc vel illum necesse est salvari. Hinc in quodam sensu recipimus quod prædestinatum necesse est salvari; hoc est, eum qui talis est, cum sit prædestinatus, salvari necesse est. Ita, etsi recipiamus quia quod providit Deus, necesse est evenire, hoc scilicet subintelligentes, cum id ipse providerit; nequaquam ideo simpliciter recipere debemus, quia hunc scribere, vel illum adulterari necesse sit, hoc est, inevitabile, cum videlicet utrumque cessare vel non evenire possit, et omne peccatum magis voluntarium quam necessarium sit, et ex libero procedens arbitrio, non ex aliqua coactione naturæ, vel divinæ Providentiæ compulsione. Non enim Providentia, hoc est præscientia Dei, necessitatem rebus infert, magis quam nostra præscientia sive scientia. Sicut enim necesse est hoc evenire cum Deus providerit, ita etiam necesse est istud contingere, cum ego præscierim, vel ipsum esse, cum ego sciam vel videam illud esse. Verbi gratia, video istum scribere, et necesse est eum scribere, cum videam eum scribere, nec tamen visus meus ulla necessitate eum ad scribendum compellit, vel eum quem ambulare video ad ambulandum. Quod diligenter Boethius attendens, atque hoc ex persona philosophiæ dissolvens, V *de Consolatione* libro, his scripsit verbis. Boethius : « Si cuncta prospicit Deus, neque falli ullo modo potest, evenire necesse est quod prævideril. Tum illa : Vetus, inquit, hæc est de Providentia querela. » Item : « Respondebo idem futurum cum ad divinam rationem refertur, necessarium; cum vero in sua natura perpenditur, liberum prorsus atque absolutum videri. Duæ sunt etenim necessitates, simplex una; veluti quod necesse est omnes homines esse mortales; altera conditionis, ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est; quod enim quisque novit, id esse aliter ac notum est nequit. Sed hæc conditio minime secum illam simplicem trahit; hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adjectio. Nulla enim necessitas cogit incedere gradientem, quamvis eum tum cum graditur incedere necessarium sit. Eodem modo, si quid providentia præsens videt, id esse necesse est, tametsi nullam naturæ habeat necessitatem. Atqui Deus ea futura quæ ex

arbitrii libertate proveniunt, præsentia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata divinum, necessaria fiunt per conditionem divinæ notionis, per se vero considerata, ab absoluta naturæ suæ libertate non desinunt. » Ex his philosophiæ verbis, tam videlicet de absoluta quam determinata necessitate, liquidum est quod supra distinximus; singula videlicet quæ eveniunt necessario evenire, si ad divinam referantur Providentiam, hoc est, necessario evenire, cum Deus ita evenire providerit; sed non ideo simpliciter debere dici quod necessarium sit ea evenire. Ubi etiam, cum ad nostram quoque notitiam philosophia rediens dixit: « Quod si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est; quod enim quisque novit, id esse aliter ac notum est nequit, » patenter ostendit nequaquam divinam Providentiam necessitatem eventibus rerum inferre magis quam nostram notitiam, nec ibi magis quam hic ex determinata necessitate sequi absolutam. Quamvis enim hunc qui ambulat necesse sit ambulare, cum sciam vel videam eum ambulare, nec tamen ideo mea scientia vel visus necessitatem ambulandi inferat ei, ut simpliciter dici queat, quia necesse est eum ambulare, hoc est, nullatenus natura ejus permittit ut non ambulet; ita et cum recipimus de quolibet, quia necesse est ipsum evenire, cum Deus providerit vel sciat illud evenire, non ideo cogimur absolute recipere, quod necesse sit evenire. Nam etsi ad notitiam divinam respiciamus, sic illud evenire videbimus secundum eam, ut posset etiam non evenire. Ita quippe ipse illud providit et scivit eventurum esse, ut sciret etiam secundum mutabilitatem naturæ rerum, posse nunquam evenire; unde etiam juxta divinam Providentiam sic eveniunt singula, ut possint tamen nunquam evenire, quia nulla eorum natura ad hoc ut eveniant ipsa compellit, sed æque ipsa evenire et non evenire permittit; alioquin immutabilia essent quæcunque immutabilis Deus creasset, et sui similia cuncta fecisset. Quod vero simpliciter concessum est, quia quod providit Deus, necesse est evenire, sicut et eum qui prædestinatus est, necesse est salvari, si diligenter sensum attendamus, determinata est necessitas magis quam absoluta. Tale quippe est, ut supra meminimus: « Quod providit Deus, necesse est evenire, » vel: « Prædestinatum necesse est salvari, » ac si diceretur quia illud necesse est cum sit provisum, vel, istum salvari cum sit prædestinatus; alioquin omnino falsum est, nisi videlicet ita intelligatur.

Quærendum denique videtur, utrum res possint aliter evenire quam Deus providit. Quod quidem si ut verum ponamus, videtur necessario consequi quod Deus falli possit, juxta illam regulam : Cujus possibile est antecedens, et consequens. Verum quippe est, inquiunt, quod si res evenit aliter quam Deus providit, Deus fallitur; quare si possibile est rem aliter evenire quam Deus providit, possibile est Deum falli. Ad quod quidem respondemus quod hæc propositio, Possibile est rem evenire aliter quam Deus providit, habet duos sensus : unum

quidem verum, si istud « aliter quam Deus providit, » referamus ad *possibile;* alium falsum, si ad *evenire* conjungamus. Si enim dicamus quia rem evenire aliter quam Deus providit, hoc totum est possibile, falsum est; sicut et rem evenire aliter quam evenit, hoc totum falsum est. Si vero ita dicamus, quod illud quod evenit est possibile aliter quam Deus providit vel quam evenit, hoc est, alio modo quam Deus habuit in sua providentia, vel quam evenerit, profecto verum est, sed nil ad supradictam regulam, cum videlicet *possibile* non referatur ad totum antecedens præmissæ consequentiæ illius : Si res evenit aliter quam Deus providit, Deus fallitur. Sin autem toti applicetur antecedenti *possibile*, ut supramemorata regula servetur, falsum est, ut diximus, quod possibile sit hoc totum, quod res evenit aliter quam evenit. Unde cum hoc nullatenus probari possit, nequaquam recipere cogimur quod possibile sit Deum falli. Sunt et qui objiciant quod licet possibile sit res aliter evenire quam Deus providit, tamen certum est, inquiunt, quia non evenient aliter, sed omnia ita sicut ipse providit, nec ullo casu disturbabuntur quin ita eveniant. Cum ergo, aiunt, eum qui salvandus est providit esse salvandum, vel id quod futurum est providerit esse futurum, cur aliqua fiunt a nobis ut ita eveniant, quæ constat nullatenus impediri vel disturbari posse, ut dictum est? Sed profecto id recte objicerent, si possent dicere Deum hæc ita providisse ut, quidquid faceremus, ita tamen ut provisum est evenirent. Verbi gratia, si ita providisset aliquem salvandum, ut, sive bene ageret, sive male, tamen salvaretur, frustra ille revera operaretur per quæ salvari intenderit. At vero cum Deus non solum eum salvari, verum etiam per quæ salvaretur providerit, tam salvatio ipsius quam opera in divina fuerunt providentia, ac per hoc necesse est ut, juxta hanc Dei providentiam, opera quoque præcedant per quæ salvemur. Sicut autem quidquid providit Deus, constat evenire, nec ullatenus disturbari, ac per hoc frustra quoslibet niti in aliquid ne eveniat, quod in divina præfixum est providentia; ita e contrario frustra quilibet nituntur ut aliquid eveniat quod Deus non providit, et non solum illi, verum etiam isti agere irrationabiliter videntur, falsa existimatione decepti. Quod enim quis ea de causa vel intentione facit, ut aliud inde eveniat, si illud inde non est eventurum, nequaquam provide fit, sed magis indiscrete, cum illud propter hoc nequaquam geri conveniat, et recta intentio non sit quam deceptio mentis comitatur, in his etiam quæ pia devotione fiunt. Verbi gratia, est aliquis qui pauperibus providens quædam præparat, ut eis inde necessaria ministret; sed aliquo casu præventus, perdit illa, nec ejus devotio quem intendebat effectum consequitur. Numquid hic ejus apparatus propter alimoniam pauperum factus, rationabilis est dicendus, et non magis pro nullo est habendus, cum videlicet pro eo fieret pro quo non oportebat ipsum fieri, ut magis superfluus quam necessarius debeat appellari? Quamvis

enim apud Deum qui voluntatem pro opere facti reputat, talis devotio non privetur præmio, hujus tamen apparatus actio superflua penitus videtur, nec simplex est oculus intentionis ut clare videret, qui errorem incurrit deceptionis, et in eo frustratus est quod deliberavit, credens scilicet hoc esse faciendum ut illud sequeretur, quo facto nequaquam est illud consecutum, opera pariter et impensa pereunte. Sed quid in his moror quæ ignorantia invincibilis excusat, cum multa etiam contra rationem scienter agere pietatis affectus cogat? Ecce enim, ut ad bonitatem Dei a potentia ejus et sapientia transeamus, constat, ut prædiximus, ita optime ab ipso fieri vel disponi omnia quo melius non possunt, et tamen multa frequenter eveniunt supra quibus graviter dolemus, tanquam divinæ voluntati nostra voluntate contrarii. Unde et Apostolus, non solum ad congaudendum, verum etiam ad compatiendum aliis nos plurimum admonet[1], « gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. » Hinc et illæ sunt Rachelis lacrymæ, de quibus scriptum est[2] : « Rachel plorans filios suos noluit consolari. » Dolet Ecclesia pro compassione de morte martyrum et quibuscunque afflictionibus sanctorum, cum tamen « omnia illis in bonum cooperari, » sicut Apostolus ait[3], non dubitet. Videt martyres interfici, et de miseria sic ad beatitudinem transire, nec tam de beatitudine ipsorum gaudet quam de afflictione dolet; cum e contrario, sicut de beato scriptum est Martino, sentiret magis esse gaudendum, si rationem vis doloris administraret, unde et Veritas[4] : « Si diligeretis me, » inquit, « gauderetis utique, quia vado ad Patrem. » Est et filius senilem patrem tanta dilectione amplectens, ut cum eum naturali morte dissolvi conspiciat, et hoc in ipsa dispositione naturæ fixum esse non dubitet ut moriatur, ejus tamen præsentiam amittere totis visceribus dolet; quod quamvis pie geratur, constat tamen omnibus irrationabiliter hoc geri, quia et morienti non proficit, et lugentem inaniter affligit. Quis denique nesciat non omnes salvandos esse pro quibus oramus, aut etiam orare præcipimur, nec omnes ad beatitudinem pervenire quos illuc pervenire volumus, ex ea videlicet charitate qua unumquemque, sicut nos, diligere jubemur? Numquid, si hæc nostra oratio vel voluntas non est rationabilis, præceptio divina, qua id agimus, non est approbanda? Si enim frustra oramus ut salventur qui salvandi non sunt, aut frustra eos salvari volumus, quos nec justum est aut bonum salvari, sed divinæ dispensationi contrarium, quomodo id bene præcipitur, ut faciamus pro illis salvandis, quod superflue, ut dictum est, fit a nobis? Aut cum illos in sua malitia permanentes salvari, ut dictum est, nec justum nec bonum sit, imo damnari, quomodo id bene rogamus ut fiat, quod fieri non est bonum, aut id fieri velle debemus quod fieri non convenit? Aut quomodo divinæ

[1] *Rom.*, cap. XII, v. 15. — [2] Matth., cap. II, v. 18. — [3] *Rom.*, cap. VIII, v. 28. — [4] Joan., cap. XIV, v. 28.

congruit bonitati ut nos velle vel poscere aliquid præcipiat, quod a rectissima ordinatione sejunctum est, quod nequaquam decreverit esse faciendum? Nec id utique sine causa. Non enim in his tantum quæ fiunt, sed in his etiam quæ fieri non permittit, causa ei rationabilis non deest; sed tam hæc quam illa cur fieri vel non fieri conveniat, nobis ignorantibus, pensat, qui mala etiam ita bene ordinat ut etiam bonum sit mala esse, et quidquid evenit, bonum sit evenire; unde et mirabile videtur cur aliqua ex his quæ eveniunt ei displicere dicuntur; aut quomodo peccare prohibeat, cum ipsa quoque peccata bonum sit esse, tanquam aliqua nolit esse, quæ tamen bonum est esse, atque adeo bonum, ut nonnulla etiam maxima peccata ita evenire approbet et dicat[1]: « Necesse est enim ut veniant scandala; verumtamen væ illi per quem scandalum venit. » Quid est autem : « Væ illi, » nisi eum ob hoc damnari, quod tamen per eum fieri oportebat? Ad quod eum faciendum ipse quoque Dominus elegerat? Unde et ait[2] : « Numquid ego duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est? » Ille profecto quem, ut ait Augustinus, ad effundendum sanguinem suum elegerat, ut tanto ejus malo in tanta hominum salute uteretur. Quomodo autem eum ad hoc faciendum elegerit, nisi hoc eum facere convenerit? Ut videlicet per ejus traditionem Christus a Judæis occideretur, et sic nos redimeret morte sua. Si enim bonum erat nos redimi morte Christi, quomodo non bonum fuit eum mori vel occidi pro nostra redemptione? Quomodo autem bonum fuit eum propter hoc occidi, nisi et bonum fuerit ab aliquibus eum occidi, vel aliquos eum occidere, ut hoc videlicet inde contingeret? Si autem bonum fuit, nonne et nobis optandum fuit id fieri quod et fieri oportebat, et nostræ salvationi maxime congruebat? Quomodo autem mors Christi nobis optanda fuit, vel passio ejus desideranda, si ea sine peccato committi non potuit, cum innocens interficeretur ab impiis, nisi etiam bonum fuerit tam innocentem ab impiis occidi? Denique, quomodo etiam ipse voluerit, sicut scriptum est[3] : « Oblatus est quia ipse voluit; » et[4]: « Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam, » nisi et hoc in eum fieri bonum esset? Quod tamen nequaquam sine peccato perpetrari constat; ut sic quoque in eum peccari bonum esset, quamvis ipsum peccatum nullatenus esse bonum potest.

(Explicit juxta exemplar.)

[1] Matth., cap. 18, v. 7. — [2] Joan., cap. VI, v. 71. — [3] *Isai.*, cap. LIII, v. 7. — [4] Joan., cap. X, v. 18.

EPISTOLA

AD EPISCOPUM PARISIENSEM.

* In Epistola sequenti Abælardus Roscelinum carpit, apertissime denotatum, dum invidiosius mentio injicitur de dialectica illius doctrina, de erroribus ejusdem theologicis, et de damnatione in concilio Suessionensi. Quum vero et scriptor operis et Parisiensis episcopus ad quem directa est Epistola, tantum litteris P et C in pluribus codicibus designati sint, dubitari potest an Andreas Quercetanus merito illam Abælardo tribuerit. Etenim non ante annum circiter 1120 edita est Introductio Theologiæ, quæ huic disceptationi, si qua fuit, præbuit occasionem; Roscelinus vero, ut plerisque placet, non ultra annum 1108 vixit. His quidem inducti sunt argumentis Bulæus, Mabillon, Pagi, Dubois etiamque D. Rivet[1], ut hanc epistolam, anonymi cujusdam theologi opus, conjicerent scriptam fuisse, circiter annum 1097, ad Wilhelmum qui tunc Parisiacam sedem episcopus obtinebat. Attamen, quamvis magna sit in talibus viris auctoritas, Andreæ Quercetani sententia nobis potior videtur. Roscelinum enim ante annum 1108 obiisse non constat; potest autem diutius vixisse quam arbitrantur, et ætate jam vergente, ex eo quem sibi elegisset recessu, primus denuntiasse periculosas Abælardi novitates; illum vero suspicari licet improvisa ista aggressione provocatum, Roscellini, ad meliora reducis, priscos errores in memoriam hominum revocasse; neque ab illa ratione proprias opiniones tuendi oppugnando alienas abhorret Abælardus, vir non ita mansuetus. Præterea, quod controversiam omnem dirimit, Epistola ad Episcopum G. nomen habet Abælardi in Codice Parisiensi 2923, in quo sic inscriptum est : « *Petri Abælardi Epistola. G. Dei gratia Parisiacæ sedis episcopo unaque venerando ejus Ecclesiæ clero P. debitæ reverentiæ subjectionem.* » Nomen autem scriptoris ubi cognitum est, necdum ambigi potest de nomine episcopi ad quem spectat epistola, Gilberti scilicet qui sedis Parisiacæ episcopus erat, quum primum Abælardi opus theologicum in lucem editum est.

EPISTOLA

PETRI ABÆLARDI AD G. PARISIENSEM EPISCOPUM.

G. Dei gratia Parisiacæ sedis episcopo, unaque venerabili ejusdem Ecclesiæ Clero P. debitæ reverentiæ subjectionem sempiternam.

Relatum est nobis a quibusdam discipulorum nostrorum supervenientibus, quod elatus[2] ille et semper inflatus Catholicæ fidei hostis antiquus, cujus hæresis detestabilis tres Deos confiteri, imo et prædicare Suessionensi Concilio a Patribus

[1] *Histoire littéraire de la France*, t. VIII, p. 464, et t. XII, p 111. — [2] Sic. Cod. Parisiensis, 2923. *Electus* Amb., qui dat in margine *Erectus*.

convicta est, atque insuper exilio punita, multas in me contumelias et minas evomuerit, viso opusculo quodam nostro de fide sanctæ Trinitatis, maxime adversus hæresim præfatam, qua ipse infamis est, conscripto. Nuntiatum insuper nobis est a quodam discipulo nostro, cui inde locutus est, quod vos tunc absentem exspectaret, ut vobis in illo opusculo quasdam hæreses me inseruisse monstraret : et vos quoque contra me, sicut et omnes quos nititur, commoveret. Quod si ita est, ut in hoc quoque nunc ille persistat, precamur vos athletas Domini, et fidei sacræ defensores, ut statuto loco et tempore convenienti me et illum convocetis, et coram Catholicis et discretis viris, quos vobiscum provideatis, quæ ille adversum me absentem mussitet audiantur, et debitæ correctioni subjaceant, vel ille de tanti criminis impositione, vel ego de tanta scribendi præsumptione. Interea autem Deo gratias refero quod summum Dei inimicum et fidei labefactorem, in fide contrarium si perfero, et pro fide qua stamus, dimicare compellor; et quod numero bonorum hominum jam esse videor ex ejus infestatione, quem solis bonis semper constat esse infestum, cujus tam vita quam disciplina omnibus est manifesta. Hic contra egregium illum præconem Christi Robertum Arbrosello contumacem ausus est Epistolam confingere, et contra illum magnificum Ecclesiæ Doctorem Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum adeo per contumelias exarsit, ut ad regis Anglici imperium ab Anglia turpiter impudens ejus contumacia sit ejecta, et vix tum cum vita evaserit. Vult eum infamiæ habere participem, ut per infamiam bonorum suam consoletur infamiam, nec nisi bonum odit, qui bonus esse non sustinet : qui ob intemperantiam arrogantiæ suæ, ab utroque regno, in quo conversatus est, tam Anglorum scilicet quam Francorum, cum summo dedecore expulsus est, et in ipsa cujus pudore canonicus dicitur, beati Martini ecclesia, non nunquam, ut aiunt, a canonicis verberatus, morem solitum servaverit. Nomine designare quis iste sit supervacaneum duxi, quem singularis infamia infidelitatis et vitæ ejus singulariter notabilem facit. Hic sicut pseudo-Dialecticus ita et Pseudo-Christianus, cum in dialectica sua nullam rem, sed solam vocem[1] partes habere astruat[2], ita divinam paginam impudenter pervertit, ut eo loco quo Dominus partem piscis assi comedisse, partem hujus vocis quæ est piscis assi, non partem rei intelligere cogatur. Quid igitur mirum[3], si is qui in cœlum os ponere consuevit, in terris insaniat; et qui Dominum persequitur, membris ejus deroget, et nemini parcat qui nec sibi parcere potest? Valete.

[1] Sic. Cod. Reg. *Sed solam vocem* desunt in edit. Amb. — [2] Sic. Cod. Reg. *Æstimat.* Amb. — [3] Sic. Cod. Reg. *Ne quid igitur mireris.* Amb.

MAGISTRI

PETRI ABÆLARDI

COMMENTARIORUM SUPER S. PAULI EPISTOLAM AD ROMANOS

LIBRI V.

Hoc commentario de epistola D. Pauli ad Romanos orditur series operum, quæ in Senonensi concilio condemnata sunt. In sancti Gildasii monasterio scriptus fortasse fuit; sed eo tantum tempore prorsus editus est in lucem, quo Abælardus, postquam apud Britannos abbas diu siluisset, in Galliam reversus, totam Europam rursus scriptis dictisque conturbavit. Primo aspectu videtur auctor sacrum textum fideliter sequi ac servare, et verborum significationem tantum interpretari; mox vero ardore quodam et temeritate ingenii abreptus, ab ista discedit injucunda sed innocua ratione, ut in varias audacius exsultet quæstiones de Lege Naturali, de Peccato, de Prædestinatione, etc., utcumque ea tractandi offertur occasio. Inter omnes quas exponit opiniones, maxime videtur notanda hæc incarnationis interpretatio : Verbum carnem suscepisse et passum esse, non ut hominem a peccato et servitute diaboli redimeret, sed tantum ut verbis instrueret et exemplis, talique divinæ gratiæ accensa beneficio, nil jam tolerare propter ipsum nostra reformidaret caritas. Ista autem opinio a D. Bernardo acerrime exagitata, quum Christianæ fidei sinceritatem corrumperet, fuit cum nonnullis aliis in concilio Senonensi condemnata.

Commentarius de D. Paulo a Franc. Amboesio editus est e codice Montis sancti Michaelis, cujus ne vestigia quidem potuimus reperire.

Vid. Epistolam ad Innocentium Pontificem de erroribus Abælardi.

PROLOGUS.

Omnis Scriptura divina, more orationis rhetoricæ, aut docere intendit, aut movere. Docet quippe, dum quæ fieri vel vitari oportet insinuat. Movet autem, dum sacris admonitionibus suis voluntatem nostram vel dissuadendo retrahit a malis, vel persuadendo applicat bonis : ut jam videlicet implere velimus quæ implenda esse didicimus, vel vitare contraria. Juxta hanc itaque rationem, tam veteris quam novi Testamenti tripartita est doctrina. In veteri nempe Testamento lex quæ in quinque libris Moysis continetur, præcepta Domini primum docet. Deinde, prophetæ vel historiæ cum cæteris scripturis, ad ea quæ jam præcepta erant, opere complenda adhortantur, et affectus hominum ad obediendum præceptis commovent. Cum enim prophetæ vel sancti Patres populum sentirent præceptis minus obedire divinis, admonitiones adhibebant, ut per promissiones vel comminationes eos ad obediendum traherent. Exempla quoque ex historiis necessarium erat adjungi, in quibus tam remuneratio obedientium quam pœna transgressorum ante oculos ponerentur. Hic autem sunt veteres illi panni, qui ad extrahendum Jeremiam de lacu funibus circumligati sunt[1] : exempla videlicet antiquorum Patrum, quæ sacris admonitionibus adhibentur ad extrahendum peccatorem de profundo vitiorum.

Similiter et novi tripartita est disciplina Testamenti, ubi quidem Evangelium pro lege est, quod veræ justitiæ ac perfectæ formam docet. Deinde Epistolæ cum Apocalypsi loco prophetarum ponuntur, quæ ad obediendum Evangelio cohortantur. Actus vero apostolorum et pleræque narrationes evangelicæ sacras historias continent. Ex his itaque liquet, quod cum sit intentio Evangelii docere, hanc intentionem Epistolæ vel Actus apostolorum tenent, ut ad obediendum Evangelio nos moveant, vel in his quæ Evangelium docet nos confirment. Nemo itaque post Evangelium, quod perfectæ est doctrinæ, quasi superfluas Epistolas calumnietur, cum has ad admonitiones potius quam ad doctrinam scriptas esse meminerimus, quamvis nonnulla in eis salubria documenta sive consilia contineantur, quæ Evangelium non habet. Unde ad Corinthios scribens ait[2]: « Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, etc. » Nec non etiam circumcisionem vel ceteras legis carnales observantias cessare jam

[1] Jerem., cap. XXXVIII, v. 11. — [2] I *Corinth.*, cap. VII, v. 12.

debere docet : quod nondum in Evangelio revelatum erat. Qui etiam ad Timotheum scribens, multa de episcopali vel sacerdotali seu levitica dignitate docet, quæ Evangelium non expresserat. Perfectam tamen Evangelii dicimus doctrinam traditam esse, quantum ad veræ justitiæ formam et ad animarum salutem sufficiebat, non ad Ecclesiæ decorem vel ipsius salutis amplificationem. Sunt quippe de bonis civitatis quædam ad incolumitatem ejus pertinentia, quædam ad amplificationem, sicut et in fine secundi libri *Rhetoricæ* Tullius meminit[1]. Quæ vero ad incolumitatem pertinent, ea sunt sine quibus incolumis ac salva consistere civitas non potest, ut ager, silvæ, et cætera hujusmodi quæ valde civitati sunt necessaria. Alia vero non sunt ita necessaria, sed magis egregia : cum videlicet ultra quam necesse est quædam obtinet, quæ eam cæteris civitatibus digniorem efficiunt aut tutiorem reddunt ; sicut ædificia pulchra, thesaurorum copia, dominatio multa, et similia. Sufficere autem saluti fortasse poterant ea quæ Evangelium de fide et spe et charitate seu sacramentis tradiderat, etiamsi Apostolica non addantur instituta, neque aliquæ sanctorum Patrum disciplinæ vel dispensationes, ut sunt canones, vel decreta, regulæ monachorum, et plurima sanctorum scripta sacris admonitionibus plena. Neque enim aliqua, his prætermissis, imputanda esset transgressio, si nulla de eis fieret præceptio. Voluit tamen Dominus et ab apostolis et a sanctis Patribus quædam superaddi præcepta vel dispensationes, quibus adornetur vel amplificetur Ecclesia, vel ut civitas sua, vel ipsa civium suorum tutius muniatur incolumitas ; sicut in singulis promptum est assignare. Unde Dominus nonnulla discipulis suis vel posteris præcipienda vel disponenda reservavit, ut quibus in miraculis quoque majora facere quam sibi ipse permisit, nonnullam etiam eis præceptorum auctoritatem reservaret, quibus eos amplius exaltaret, et Ecclesiæ suæ tanto eos efficeret amplius gratos, quanto eos ipsa sibi magis esse cognosceret necessarios. Cum itaque, ut dictum est, Evangeliorum intentio sit, ea quæ sunt saluti necessaria nos docere ; hanc intentionem Epistolæ tenent, ut ad obediendum Evangelicæ doctrinæ nos moveant, vel nonnulla etiam ad amplificandam et tutius muniendam salutem tradant. Et hæc quidem est omnium Epistolarum generalis intentio. In singulis vero proprias intentiones requiri convenit, seu materias aut tractandi modos, sicut in hac ipsa Epistola, cujus quidem intentio est Romanos ex Judæis et Gentilibus conversos superba contentione se alterutri præponentibus[2], ad veram humilitatem et fraternam concordiam revocare. Id vero duobus modis efficit : tam divinæ scilicet gratiæ dona amplificando, quam operum nostrorum merita extenuando, ut nemo jam de operibus gloriari in se præsumat, sed totum divinæ tribuat gratiæ quid-

[1] Cic., *de Invent.*, II, LVI. — [2] *Se alterutrum præponentes* Amb.

quid valet, a qua quidem recognoscat se accepisse quidquid boni habet. In his itaque duobus, tam operibus scilicet nostris quam divina gratia, totius materiæ summa consistit. Modus vero tractandi, in attenuationem est nostrorum operum, sicut dictum est, et exaggerationem gratiæ : ut jam nemo de operibus gloriari præsumat, sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Gloriabantur autem Gentiles, quod tam cito Evangelio acquieverint, sicut scriptum est[1] : « Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu obedivit mihi, » et minime antea deliquissent in his quæ egerant, qui nulla adhuc lege Dominum cognoverant. Judæi vero de corporalibus legis observantiis maxime intumescebant. Ad conterendam itaque utrorumque superbiam, alternis invectionibus modo hos, modo illos, et nonnunquam utrosque simul aggreditur, ut et gentes inexcusabiles in suis fuisse peccatis ostendat, quæ si legem scriptam non acceperant, naturalem habebant qua et Deum cognoscere, et mala a bonis possent discernere; et Judæos non ex operibus legis justificari, ut æstimant, posse; sed utrosque sola Dei vocantis gratia misericordiam, qua justificentur, assecutos. Quæritur autem de Romanis istis, quibus hæc Epistola dirigitur, quorum prædicatione antea conversi fuerint. *Ecclesiastica* quidem *Historia*, et Hieronymus sive Gregorius Turonensis, per Petrum apostolum eos jam conversos fuisse tradunt. Haymo vero e contra sentit, dicens eos non a Petro primum de fide fuisse instructos, vel ab aliquibus duodecim apostolorum : sed ab aliis quibusdam Judæis fidelibus a Hierosolymis Romam venientibus. Ait autem *Ecclesiastica Historia*, libro secundo, cap. decimo quarto : « Claudii temporibus, clementia divinæ providentiæ Petrum ad urbem Romam deducit. Iste adveniens primus in urbem Romam Evangelii sui clavibus januam regni cœlestis aperuit. » Igitur cum Romanæ urbi clarum verbi Dei lumen fuisset exortum, Simonis tenebræ cum suo auctore restinctæ sunt. Hieronymus quoque super hanc Epistolam, ubi scriptum est[2] : « Ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritalis, » ait sic : « Romanos prædicatione Petri fidem tenentes confirmare se velle Paulus dicit. Non quo minus accepissent a Petro, sed ut, duobus apostolis attestantibus atque docentibus, eorum corroboraretur fides. » Gregorius etiam Turonensis, *Historiarum* lib. I, cap. xxv, ita meminit : « Petrus apostolus, sub Imperatore Claudio, Romam aggreditur, ibique prædicans in multis virtutibus manifestissime Christum esse Dei Filium comprobavit. Ab illis diebus enim Christiani apud civitatem Romanam esse cœperunt. » At vero Haymo in procemio expositionis præsentis Epistolæ ita loquitur : « A Corintho scripsit Apostolus Romanis hanc Epistolam; quos non ipse Petrus, non quilibet duodecim discipulorum primum instruxit, sed quidam Judæorum credentium, qui ab Hieroso-

[1] *Psalm.* xvii, v. 45. — [2] *Rom.*, cap. i, v. 11.

lymis Romam venientes, ubi princeps orbis residebat, cui erant ipsi subjecti, fidem quam apud Hierosolymam didicerant Romanis evangelizaverunt. » Notandum vero quia, si diligenter attendamus quæ dicta sunt, nulla erit superiorum doctorum et Haymonis contrarietas. Si enim integre supra memoratum capitulum *Ecclesiasticæ Historiæ* percurramus, inveniemus Petrum primum ex omnibus apostolis, non ex omnibus doctoribus, Romanis prædicasse. Hieronymus quoque cum dicit Romanos a Petro, per prædicationem ejus, fidem accepisse, sive tenere, nihil obest, cum per discipulos Petri, a Hierosolyma venientes, non per ipsum Petrum id fieri potuerit. Haymo vero negat per ipsam Petri personam id factum esse; unde et cum Petrus ab eo nominatur, additur « ipse. » Præterea non dicit Haymo, quod eos Petrus non instruxit, sed quod non primum id fecerit. Quod vero ait prædictus Gregorius Petrum Romæ prædicasse sub Claudio, non addidit primum eum prædicasse, sed multis miraculorum virtutibus manifeste Christum esse Dei Filium comprobasse. Quod autem tunc addidit, ex tunc Christianos esse Romæ cœpisse, potest intelligi, eos tunc per Petrum manifestos fuisse, qui prius occulti esse potuerunt. Hæc autem Epistola, quamvis primum scripta fuisse non credatur, prima tamen a sanctis Patribus ordinata est, quia contra primum vitium et cæterorum radicem, quod est superbia, dirigitur; sicut scriptum est[1] : « Initium omnis peccati superbia ; » vel etiam quia ad primæ sedis Ecclesiam destinatur. De hoc autem ita Haymo meminit : « Epistola autem ista non illum ordinem tenet in corpore Epistolarum, quo est conscripta : sed causa dignitatis Romanorum, qui tunc temporis universis gentibus imperabant, primatum obtinuit. Hoc autem factum est, non ab Apostolo, sed potius ab illo qui omnes ejus Epistolas sub uno corpore curavit colligere. » Item idem : « Interpretantur autem Romani sublimes, sive tonantes : quia illo tempore quo Apostolus hanc Epistolam eis misit, cunctis gentibus principabantur, et intonabant præcepta. » Creditur autem Apostolus præsentem Epistolam Romam misisse a Corintho per Phœben, ministram Ecclesiæ Cenchris, qui est locus vicinus Corintho, imo portus ipsius Corinthi, sicut Origenes super hanc Epistolam meminit. De qua quidem Phœbe ipse Apostolus in fine Epistolæ ait sic[2] : « Commendo vobis Phœben, sororem nostram, etc. » Quem quidem locum Hieronymus exponens ait : « Hic monstrat Apostolus non accipiendam personam esse viri vel feminæ, quando Romanis per mulierem, ut fertur, litteras mittit, etc. »

[1] Eccli., cap. x, v. 15. — [2] *Rom.*, cap. xvi, v. 1.

LIBER PRIMUS.

Paulus, more scribentium epistolas, salutationem præmittit, qui ad veram eos salutem adhortatur. Quam quidem salutationem cum quibusdam quæ annectit, quasi loco procemii præscribit, ubi eos videlicet attentos aut dociles seu benevolos breviter efficiat. Attentos quidem facit tam a persona sua, quam a persona Christi eum mittentis, quam etiam ab ipsa re, hoc est evangelica doctrina, ad quam observandam eos adhortatur. A persona quidem sua, dum eam commendat tanquam in apostolatum segregatam, et ad prædicandum Evangelium a Deo vocatam. Commendat autem et Domini Jesu Christi personam, quem et Filium Dei nominat, et eum esse asserit, qui Patribus promissus erat tanquam humani generis redemptor, et qui ex Spiritu sancto conceptus sit, et mortuorum suscitator magnificus exstiterit. Sed nec Evangelii commendationem præterit, dum ipsum per Scripturas sanctas Prophetarum Dei promissum esse commemorat. Docilitas vero in hoc ipso notatur, quod per hoc quod sibi dicit injunctum evangelicæ prædicationis officium, de his quæ ad Evangelii doctrinam pertinent se scripturum esse insinuat. Qui etiam cum se servum Christi, et se eorum servum esse confitetur, tam ex humilitate sua, quam ex amore quem illi in Christum habebant, necnon et ex his quæ subjungit de amore quem habet in eos, quod videlicet per conversionem eorum maxime gratias Deo agat, et ad eos venire desideret, ut eos amplius instruat aut confirmet, sibi ipsi benevolos reddit. Nunc litterarum[1] insistamus. Notandum vero quia juxta expositionem Rufini in hanc epistolam, quæ quidem expositio translatio expositionis Origenis creditur, iste apostolus antea etiam quam converteretur, binomius erat; ut tam videlicet Paulus quam Saulus antea vocaretur; sicut scriptum est, inquit, in Actibus apostolorum[2]: « Saulus qui et Paulus. » Juxta Hieronymum et Augustinum seu cæteros, ipse sibi Apostolus nomen mutavit a Paulo proconsule, quem per miraculum primum convertit, ut in *Actibus apostolorum* scriptum est, assumens hoc nomen, ut nunc Paulus sicut ante Saulus vocaretur, ut post ejus conversionem sicut novam vitam vel novum prædicationis assumpsit officium, ita et novum sortiretur vocabulum; sicut et de apostolo Petro Dominus fecit, a quo ipse post conversionem Petrus est vocatus, qui antea Simon vocabatur. Unde et Romana

[1] Hic aliquid deesse videtur. — [2] *Act. Apost.*, cap. XIII, v. 9.

Ecclesia jam in consuetudinem duxit, ut quos in cathedram beati Petri sublimat, nomina eis mutet. Saulus autem quasi a Saule antea dictus erat, qui de eadem tribu, id est de Benjamin erat, et in persecutione fidelium Saulem imitabatur, qui David et suos persequebatur, sicut iste Christum atque membra ejus. Cui ab ipso dictum[1] : « Saule, Saule, quid me persequeris ? » Teste autem Hieronymo[2], sicut Jacob in nostram linguam translatum Jacobus dicitur, et Joseph Josephus, ita et Saul nunc Saulus dicitur, tanquam sit trissyllabum nomen, cum tamen per diphthongon proferre ipsum bissyllabum soleamus. Videtur etiam quasi diminutivum esse a Saul Saulus, sicut a Julo Julius. Sicut autem Saul primo humilis, postea superbus factus est; ita hic e contrario primo superbus et maximus Ecclesiæ persecutor, nunc Paulus, id est per humilitatem jam modicus sive quietus appellatur. Nam juxta Augustinum, Paulus Latine modicus sonat. Unde et dicimus, « Paululum exspecta, » id est modicum. Quantum vero humilis ipse fuerit, audi ab ipso : « Ego enim sum, » inquit[3], « minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus. » Juxta Ambrosium vero, ex Saulo Paulum se dicit, hoc est immutatum, et quia Saulus inquietudo seu tentatio interpretatur, hic cum ad fidem Christi accessit, Paulum se dicit, id est quasi jam quietum, cum prius tentationes æmulatione legis Dei servis inferret. Quantum vero jam quietus et patiens exstiterit, et ne quem scandalisaret semper studuerit, ipse quoque docet, qui ne quem gravaret, manibus laborabat, non ut cæteri apostoli de Evangelio victitans. A Hieronymo autem, in libro Hebraicorum nominum, Paulus mirabilis, sive electus, interpretari dicitur. Quem et Dominus ipse vas electionis vocavit, et tam vita quam doctrina inter apostolos mirabilem fecit. Quem quidem tam virginem esse, quam martyrem constat, ut quæ in magnis apostolis, Petro scilicet et Joanne, divisa sunt merita, in isto reperiantur conjuncta; et præ cæteris tam prædicationis quam virtutis gratias assecutum, per quem fere universus conversus est mundus, atque ipse quoque apostolorum princeps de perniciosa simulatione necessario correctus, ut in eo quoque mirabiliter illa Veritatis impleretur sententia[4] : « Erunt novissimi primi, et primi novissimi. » In cujus etiam typo Benjamin fratrum suorum extremum, et a patre vehementer dilectum fuisse non ambigimus. De hoc autem præclaro Christi signifero et tuba Domini vehemente ipse humiliter qui ab eo correctus fuerat Petrus, in excellentiæ ejus laudem prorumpens[5] : « Sicut et carissimus, » inquit, « frater noster Paulus secundum sibi datam sapientiam scripsit vobis, sicut in omnibus epistolis, loquens de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti

[1] *Act. Apost.*, cap. IX, v. 4. — [2] In Epist. Joannis tract., VIII, n° 2. *Opp.*, t. III, col. 2558. — [3] I *Corinth.*, cap. XV, v. 9. — [4] Matth., cap. XIX, v. 30. — [5] II Petr., cap. III, v. 15.

et instabiles depravant, sicut et cæteras scripturas, ad suam ipsorum damnationem. » Quam quidem difficultatem, ex nimia subtilitate rationum procedentem, et professi et veriti sunt doctores sancti. Unde et Ambrosius in epistola quadam quæ sic incipit : « Etsi sciam quod nihil difficilius sit, quam de Apostoli lectione disserere, cum ipse Origenes longe minor sit in novo quam in veteri Testamento, etc. » Augustinus, *Retractationum* lib. I[1] : « Epistolæ ad Romanos expositionem inchoaveram; sed hujus operis, si perficeretur, plures libri essent futuri. Quorum unum solum in sola disputatione salutationis absolvi; sed deinde cessavi, ipsius magnitudine ac labore deterritus. » Et beatus Hieronymus *ad Pammachium* : « Paulum, » inquit, « apostolum quotiescumque lego, videor non mihi verba audire, sed tonitrua. » Idem *ad Paulinum* : « Paulus novissimus in ordine, primus in meritis est, quia plus omnibus laboravit. » Idem *ad Eustochium* : « De virginibus, » inquit Apostolus, « præceptum Domini non habeo. Quod et ipse ut esset virgo non fuit imperii, sed propriæ voluntatis. Neque enim audiendi sunt, inquit, qui eum uxorem habuisse confingunt, cum suadens perpetuam castitatem intulerit : « Volo autem omnes esse sicut meipsum. » Quantus autem et apud philosophos habitus sit, qui ejus vel prædicationem audierunt, vel scripta viderunt, insignis ille tam eloquentia quam moribus Seneca in epistolis, quas ad eum dirigit, his verbis protestatus est : « Libello tuo lecto, de plurimis ad quosdam litteris, quas ad aliquam civitatem seu caput provinciæ direxisti, mira exhortatione vitam mortalem contemnentes usquequaque refecti sumus. Quos sensus non puto ex te dictos, sed per te : certe aliquando et ex te, et per te. Tanta etenim majestas earum rerum est, tantaque generositate clarent, ut vix confecturas puto ætates hominum quibus illustrari perficique possint. » Meminit et Hieronymus hujus laudis Senecæ erga Paulum in libro *de Illustribus viris*, cap. II, ita scribens : « Lucius Annæus Seneca Cordubensis, Pothini Stoici discipulus, et patruus Lucani poetæ, continentissimæ vitæ fuit : quem non ponerem in catalogo Sanctorum, nisi me epistolæ illæ provocarent, quæ leguntur apostoli Pauli ad Senecam, aut Senecæ ad Paulum. In quibus, cum esset Neronis magister, et illius temporis potentissimus, optare se dicit esse ejus loci apud suos, cujus sit Paulus apud christianos. » Quod et si propheticæ auctoritatis laudem philosophico adjungas præconio, invenies hujus Apostoli excellentiam supra cæteros tam apud patriarchas quam prophetas insigne aliquid laudis specialiter adeptam esse. Hic quippe, sicut ipse ait, de tribu Benjamin exordium ducens, ille est, in typo cujus tam patriarcha Jacob quam prophetarum et regum maximus David, exsultantes præcinerunt. Jacob quidem sic ait[2] : « Benjamin lupus rapax, mane ra-

[1] Cap. XXV, *Opp.*, t. I, col. 75. — [2] Genes., cap. XLIX, v. 27.

piens prædam, vespere dividet escas. » Sive juxta aliam translationem : « Vespere spolia distribuet. » David vero futuræ Ecclesiæ princeps in spiritu prævidens, et quasi hunc cæteris anteponens : « Ibi, » inquit, « Benjamin adolescentulus in mentis excessu[1]. » Ille quippe Benjamin, filius Jacob, qui hujus typum gerebat de semine suo futuri, inter fratres ordine extremus, primus apud Patrem per gratiam erat, a quo ipse in senio susceptus potissimum diligebatur. Sic et Paulus inter apostolos ordine vocationis et conversionis ultimus, meritis, ut dictum est, apud Deum primus. Benjamin quoque nascens matrem parientem peremit, quæ præ dolore partus moriens, Benoni, id est, filium doloris appellavit; pater vero, nomine commutato, eum Benjamin, id est, filium dexteræ, appellavit[2]. Paulus quippe in Christo jam renascens, matrem suam Judæam, quæ eum in doctrina legis genuerat et educaverat, quasi peremisse dicitur, cum ipse præcipue carnalium observationum præcepta, in quibus ipsi vivebant, evacuaverit, et totam eorum gloriam ad nihilum redegerit, quasi de utero matris exiens, et a scholis Synagogæ per conversionem recedens, juxta quod ipsemet ait[3] : « Qui me segregavit ex utero matris meæ, et vivificavit per gratiam suam. » Unde et bene mater eum Benoni, id est filium doloris sui vocavit, quia quo plus errorem ejus Paulus infestavit, amplius eam dolere fecit : et quo præ sapientiæ suæ excellentia gratior ei exstiterat, amplius eam contristavit amissus. Bene autem Pater nomen commutare voluit, ut potius eum filium dexteræ, id est prosperitatis seu fortitudinis appellaret, quam doloris; quia hic, ut diximus, interitus Synagogæ, qui per Paulum factus est, in prosperitatem potius fidelium, et communem Ecclesiæ exultationem, quam in dolorem reputandus. Qui etiam quanta fortitudine animi viguit, innumeræ in eum persecutiones indicant. Quod vero dicitur mane rapere prædam, et vespere escas dividere, significat eum primitus persecutorem Ecclesiæ fuisse, et postea spiritalis verbi refectionem doctrina suæ prædicationis administrasse. Quod vero juxta aliam translationem dicitur distribuere spolia, significat eum, posteaquam conversus est, multas animas diabolo eripuisse, et quasi spolia, fugato hoste, hos retinuisse, quos postea per eclesiastica officia et quæcunque fidelium ministeria ordinavit. Hieronymus vero in prologo libri *Hebraicarum quæstionum in Genesim*, asserit secundum Hebræos, quod altare in quo immolabantur hostiæ, et victimarum sanguis ad basem illius fundebatur, in parte tribus Benjamin erat. Quo quidem convenienter iste Christiani sanguinis effusor intelligitur, de quo scriptum est : « Spirans minarum et cædis in discipulos Domini, etc.[4] » ut Christi membra tanquam lupus oves laniaret in terris. Iste est Benjamin adolescentulus, quasi inter apostolos ipse extremus, mente et ra-

[1] *Psalm.* LXVII, v. 28. — [2] *Genes.* cap. XXXV, v. 18. — [3] *Galat.*, cap. I, v. 15. — [4] *Act. Apost.*, cap. IX, v. 1.

tione cæteris præcellens : utpote qui raptus est ad tertium cœlum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. A quo etiam ipse primus apostolorum a perniciosa simulatione correctus est, et universa Ecclesia spiritaliter instructa, ut inter universa sanctorum scripta ejus Epistolæ privilegium tam utilitate quam subtilitate adeptæ sint. Quarum nunc istam quæ ad Romanos dirigitur, exponendam suscepimus; quæ omnium eruditissimorum judicio, tam litteræ difficultate quam rationum subtilitate implicita est.

« Servus. » Cum dicat apostolis Dominus[1] : « Jam non dicam vos servos, sed amicos, » quare nunc Apostolus se servum appellavit? At vero, ut prætermittamus distinguere duo genera servorum, id est subjectorum, quorum videlicet alios timor pœnæ subjectos tenet; de quibus dicitur quia[2] « servus non manet in domo in æternum; » et iterum illud[3] : « Cum feceritis omnia quæcunque præcepta fuerint vobis, dicite : Servi inutiles sumus; » alios quoque amor obedientes facit, quibus quidem dicitur[4] : « Euge, serve bone et fidelis, etc.; » facile est, prædictæ quæstioni etiam hoc modo respondere, quod alio modo dicitur servus simpliciter, alio modo servus dicitur Christi, sive servus bonus. Ibi enim quasi coactio quædam ex servili timore non voluntaria subjectio monstratur, hic per amorem filialem obedientia designatur. Nec fortasse necesse est ex nomine servi simpliciter prolato, coactam semper et non voluntariam subjectionem signari, nisi forte per adjunctum aliquod amicalis subjectio removeatur, veluti cum dicitur[5] : « Jam non dicam vos servos, sed amicos. » Cum enim subditur, « sed amicos, » quasi adversando ad illud quod est, « servos, » intelliguntur non præmissi servi illi qui tantum sunt servi, non etiam amici. Alio modo generaliter servi dicuntur omnes illi tam boni vel mali, quibus talenta sua Dominus commisit. Servi itaque generaliter dicuntur, sive eos qui præsunt diligant sive non, dummodo eis ita subjecti sint, ut in eorum penitus potestate tam res eorum quam ipsi permaneant; ut nec seipsos nec aliquid ii qui servi dicuntur possideant proprium. Hoc itaque modo se hoc loco Apostolus servum Christi nominat : cui se penitus ita subjecerat, ut nihil suo relinqueret arbitrio, sed totum se Christi subderet voluntati, dicens illud ei per omnia[6] : « Fiat voluntas tua. » Quis etiam culpet, quod cum Dominus per gratiam nolit jam apostolos appellare servos, ipsi tamen per humilitatem se servos profiteantur? Non enim ait : « Jam non dicetis vos servos, sed amicos; » sed, « jam non dicam vos servos, sed amicos. » Bene autem Apostolus, cum ad obediendum alios invitet, se primitus obedientem profitetur : ut non solum verbo, verum etiam magis exem-

[1] Joan., cap. xv, v. 15. — [2] Joan., cap. viii, v. 35. — [3] Luc., cap. xvii, v. 10. — [4] Matth., cap. xxv, v. 23. — [5] Joan., cap. xv, v. 15. — [6] Matth., cap. vi, v. 10.

plo auditores commoveat, sectatus quidem eum, de quo scriptum est[1] : « Quæ cœpit Jesus facere et docere. » Prius videlicet facere, et postea docere. Cum vero præmiserit nomen Christi, quod est commune omnium tam in regem quam sacerdotem inunctorum, secundum quod scriptum est[2] : « Nolite tangere Christos meos ; » subjecit proprium nomen ejus, quod est Jesus, ut hunc videlicet Christum a cæteris tam singularitate personæ, quam dignitate distingueret. Solus quippe proprie Jesus dicitur, qui solus vere et in perpetuum salvare potest. Cum itaque dicitur Christus, id est unctus, quoniam tam reges quam sacerdotes inungebantur, ostendit eum a Domino tam in regem quam in sacerdotem nobis esse constitutum, per quæ duo nos salvet; quod sonat Jesus. Sacerdos quippe nobis exstitit, seipsum pro nobis in ara crucis immolando. Rex vero pro fortitudine et potentia dictus est : qua potest sibi subjicere omnia, et tanquam fortior fortem alligare diabolum, utpote ille cui Pater omnia dedit in manu.

« Vocatus Apostolus. » Hoc est vocatus a Deo et electus in apostolatum, non a seipso veniens ad prædicandum : alioquin fur esset et latro, juxta illud Veritatis : « Omnes quotquot venerunt fures sunt et latrones[3]. » « Venerunt, » inquit Hieronymus, « non qui missi sunt. » Unde et bene Apostolus missus sive legatus interpretatur. Attende etiam humilitatis suæ commendationem, cum dixerit « vocatus » potius quam electus. Vocatio quippe clamor vocis est ad longe positos, ut accedant vel audiant. Tanto autem iste remotior erat a Deo, quanto immanior erat Ecclesiæ persecutor. Diligenter itaque ait non electus, vel assumptus, sed « vocatus » quasi a longe a Domino tractus ad Evangelium illius prædicandum.

« Segregatus in Evangelio[4] Dei. » Id est, seorsum et per se, non cum aliis apostolis electus, non a Christo adhuc in terra consistenti mortali, sed jam in cœlestibus ad dexteram Patris constituto, et tam per resurrectionem quam assensionem glorificato. Unde et ad Galatas scribens, ut suam commendaret electionem adversus eos qui calumniabantur cum cæteris apostolis non esse connumerandum, quod non fuerit a Domino Jesu Christo in terra cum cæteris electus, ait[5] : « Paulus Apostolus, non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis : » ac si diceret : Paulus Apostolus non per hominem, id est, mortalem, sed per Christum jam resurrectione glorificatum, et nihil jam mortalis naturæ vel corruptibilis habentem. Dicitur etiam segregatus in prædicatione Evangelii, dum cæteris adhuc apostolis circa prædicationem Judæorum occupatis, iste specialiter ad gentes tanquam

[1] *Act. Apost.*, cap. I, v. 1. — [2] I *Paralip.*, cap. XVI, v. 22. — [3] Joan, cap. X, v. 8. — [4] Leg. *Evangelium.* — [5] *Galat.*, cap. I, v. 1.

eorum proprius Apostolus destinatus est. Unde et doctor gentium specialiter ipse dictus est. Hinc est illud in *Actibus Apostolorum*, dicente Spiritu sancto[1] : « Segregate mihi Barnabam et Paulum in opus ministerii ad quod assumpsi eos. » Evangelium bona annuntiatio dicitur, eo videlicet quod Evangelica prædicatio enuntiet completum quod antea erat promissum.

« Quod ante promiserat. » Commendatio est Evangelii quod olim a Deo nobis promissum dicit. « Per Prophetas suos. » Nemo enim rem vilem, ut ait Ambrosius, magnis præconibus nuntiat. Per Hieremiam Dominus dicit[2]: « Ecce dies veniunt, et consummabo Testamentum novum, etc. » Suos dicit prophetas ad differentiam falsorum sive reproborum, sicut Balaam vel qui per spiritum malignum nonnunquam futura prædicunt. Propheta quippe est qui futura prædicendo revelat. Unde et propheta quasi a prophetando, id est, prædicendo dicitur. « In scripturis. » Ut non solum verbis hoc prophetæ annuntiarent, verum etiam scripturis confirmarent. « Sanctis. » Hoc est ad sanctitatis doctrinam et religionis formam conscriptis, et Spiritu sancto dictante compositis. « De filio suo. » Id est proprio et substantiali, non adoptivo. « Qui factus est ei ex semine David secundum carnem. » Id est humanam naturam, qui secundum divinam solummodo est genitus. « Ei. » Scilicet Deo Patri, id est, ad honorem ipsius qui semper in Filio glorificatus est et honoratus : cum ipse dicat Filius Dei propriam gloriam se non quærere, sed ejus qui misit eum. « Ex semine David. » Id est, ex Maria, quæ fuit ex stirpe David, cum tam Abraham quam David promissio de Christo facta sit; ut videlicet de eorum semine per matrem suam nasceretur. Hic tamen solum commemorat David, qui graviter nonnunquam deliquit, non Abraham qui maxime justus apparuit : ut videlicet divinæ gratiæ, non meritis hominum totum hujus incarnationis tribuatur mysterium. Sufficit etiam nominare David, tacito Abraham, cum per David qui de genere Abrahæ est, Christum de genere Abrahæ esse doceat.

« Qui prædestinatus est. » Hoc est, divina gratia præparatus, pro qua et matri ejus dictum est[3] : « Ave, gratia plena. » Prædestinatio quippe dicitur divinæ gratiæ præparatio. Prædestinatus est, inquam « Filius Dei in virtute. » Hoc est, ut esset virtus et fortitudo omnium ei cohærentium per fidem. « Secundum Spiritum sanctificationis. » Ad duo præmissa duo alia subnectit, quasi singula singulis reddens. Ad illud quidem quod primo dixit « qui factus est ei ex semine David secundum carnem, » istud subjungit, « secundum Spiritum sanctificationis, » hoc est per operationem divinæ gratiæ, quæ Spiritus sanctus dicitur,

[1] *Act. Apost.*, cap. XIII, v. 2. — [2] Jerem., cap. XXXI, v. 31 : « Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum. » — [3] Luc., cap. I, v. 28.

mundantem prius et sanctificantem a peccato matrem ejus, ut de semine peccatoris David sacrosanctam carnem assumeret. Ad illud vero aliud quod secundo promiserat : « Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, » istud annectit : « Ex resurrectione mortuorum Jesu Christi. » Ac si diceret : Ex tunc factum est ut esset virtus seu fortitudo omnium per fidem ei cohærentium, ex quo ejus resurrectio completa est, testificata per resurrectionem mortuorum eodem die factam, de quibus scriptum est quia[1] « venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis. » Tunc enim omnis infidelitatis dubitatio abscessit, quæ de passione quoque discipulis acciderat, quorum quidam jam desperati dicebant[2] : « Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel. » Mortuos Jesu Christi dicit, id est, ad honorem ipsius, qui ad hoc mortui fuerant, ut eum resurrectionis suæ testimonio glorificarent. Possumus et resurrectionem spiritalem animæ a virtute ejus accipere, de qua Simeon ait quia[3] « positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum. » Solus quippe est Christus qui a morte animæ liberare potest, Agnus videlicet Dei qui tollit peccata mundi. Notandum vero quod, ut ait beatus Augustinus in *Enchiridion*, cum dicatur Christus natus ex Spiritu sancto et Maria, non tamen ideo Filius Spiritus sancti dicitur sicut Mariæ, cum videlicet non sit natus aut conceptus ex substantia Spiritus sancti, sicut ex substantia Mariæ, sed potius per operationem Spiritus, id est, divinæ gratiæ excellens ejus conceptio sive nativitas facta est, et ideo ex illo quoque natus, hoc est conceptus per illum dicitur. Non enim omne quod ex aliquo nascitur filius ejus dicitur, ut capilli ex capite, vel pediculi ex nobis nascentes. Ex aqua quoque et spiritu denuo renascentes, nequaquam filii aquæ dicimur. Solent et filii dici eorum, a quibus non nascuntur, ut filii adoptivi, filii diaboli, filii gehennæ, vel filii per doctrinam. Si quis tamen Christum secundum hominem Filium Dei aut Spiritus sancti dicat, eo quidem modo quo cæteros fideles per filialem ei amorem subjectos, non absurdum arbitror. Non tamen ideo plures habent patres propter Deum, scilicet Patrem et Spiritum sanctum; cum præsertim nec cæteri electi plures patres in Deo habeant propter personarum diversitatem. Neque enim ibi plures patres dicendum est, sicut nec plures Deos aut Dominos, cum nulla sit ibi rerum diversitas, aut nominum differentia. Si vero quæratur utrum homo ille in Christo a Verbo assumptus, sit adoptivus Dei Filius, sicut cæteri electi, cum hoc bonum quoque per gratiam habeat, non puto concedendum. Qui enim adoptantur et sic filii efficiuntur, utique prius erant non eo modo filii quo facti sunt. At vero homo ille a Verbo assumptus, omnino sine peccato et natus et conceptus, statim ex quo exstitit, Filius Dei per gratiam fuit. Nos vero alii qui cum peccato nascimur, et

[1] Matth., cap. XXVII, v. 53. — [2] Luc., cap. XXIV, v. 21. — [3] Luc., cap. II, v. 34.

filii iræ dicimur, renati baptismo per adoptionem esse incipimus quod non prius eramus. Ille itaque licet per gratiam secundum humanitatem filius dicatur, non tamen per adoptionem hoc accepit, qui hoc ex quo fuit, habuit. Unde Hilarius de *Trinitate*, lib. XII : « Et nos quidem Filii Dei, sed per facturam filii; fuimus enim aliquando filii iracundiæ, sed Filii Dei per adoptionem effecti, et dici id meremur potius quam nascimur. Et quia omne quod fit, antequam fiat non fuit, nos cum filii non fuissemus, ad id quod sumus efficimur. Ante enim filii non eramus, sed postquam meruimus, hoc sumus. Sumus autem non nati, sed facti; neque generati, sed acquisiti. Acquisivit enim sibi Deus populum, et per hoc genuit. Genuisse autem Dominum filios nunquam cum proprietatis significatione cognoscimus. »

« Per quem accepimus gratiam et apostolatum. » Commendata Christi persona, adnectit commendationem suæ, sive officii sui, cum se a tanto auctore mitti perhibet ad prædicandum, ut saltem ex auctoritate mittentis suscipi ejus prædicatio debeat. « Gratiam et apostolatum, » hoc est, prædicandi officium, gratis, non ex meritis suis, ei collatum; vel primo gratiam in conversione ipsius et remissione peccatorum, seu collocatione virtutum, vel miraculorum aut quorumlibet donorum, et postea apostolatum, dum ad prædicandum missus est. Possent Romani Apostolo dicere : Et si ad apostolatum vocatus es, non tamen super gentes; vel super gentes aliquas, non tamen super nos. Ideo subdit, « in omnibus gentibus. » Hoc est, ut omnibus ubicumque prædicaret gentilium nationibus. Gentes sive nationes dicuntur, quasi tales quales genitæ vel natæ, hoc est sine disciplina legis, quasi pecudes viventes. Pagani autem a pago dicti sunt, id est, nulla seu quacunque mansione extra civitatem, ut sint pagani, quasi rustici et non urbani, qui nondum legibus civitatis ad recte aut honeste vivendum instructi sunt. Est quippe civitas conventus hominum, æquo jure viventium. Qui ergo a civitate Dei penitus alieni erant, nullis adhuc divinis legibus instructi, merito pagani erant appellati, qui nunc se Saracenos magis quam Agarenos vocari volunt, quasi a Sara libera magis quam ab Agar ancilla nuncupari se gloriantes. « Ad obediendum fidei. » Hoc est, ad ea opera implenda quæ ante crediderit implenda. Primo quippe sciri oportet quæ facienda sunt quam opere compleantur. « Pro nomine ejus. » Id est Dei sive Christi, ut videlicet ipse cognoscatur, et sic ametur, secundum quod ipse Christus de se et Patre loquitur, « ut cognoscant te solum et quem misisti Jesum Christum. » Quælibet res nomine suo significari et cognosci habet, ideoque nomen hic pro notitia ponitur. Cognosci autem vere tantum bonum non potest, nisi et statim diligatur. « In quibus estis et vos. » Id est, in quarum gentium vocatione et vos Romani jam estis. « Vocati Jesu Christi. » Hoc est, ex glorioso ejus nomine Christiani appellati.

« Omnibus qui sunt Romæ. » Hucusque littera tota præmissa hujus salutationis suspensiva est, quasi dicatur repetitis omnibus præmissis : Paulus servus, etc. mandat, subaudi hoc, omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis, hoc, inquam, mandat, « Gratia sit vobis et pax, etc. Dilectis Dei. » Ac si diceret : Non dico simpliciter omnibus qui sunt Romæ, tam fidelibus scilicet quam infidelibus, tam electis quam reprobis : sed his tantum qui per conversionem suam jam amicitiam cum Deo inierunt, subjecti jam ei more Christianorum, id est, ex amore potius quam timore ; quibus quidem dictum illud convenit : « Jam non dicam vos servos. » Et iterum : « Vos autem dixi amicos. » Vel « dilectis Dei, » id est, a Deo, qui eos prior dilexit, ut præveniente gratia ejus, non meritis eorum ipsos eligeret. « Vocatis sanctis. » Hoc est, vocatis per inspirationem internam, seu prædicationis gratia, ad hoc ut sancti sint. Cum dicit eos vocatos a Deo esse, potius quam eos Dominum invocasse, gratiam Dei exaggerat, quæ nonnunquam invitis vel non petentibus beneficia præstat.

Sed cum hæc salutatio ad omnes illos pertineat, ad quos Epistola dirigitur, quomodo dicit « dilectis Dei vel vocatis sanctis, » cum maxime ad eos vel propter eos corrigendos Epistola sit directa, qui superba contentione, ut dictum est, se ad alterutrum præponere volebant? quippe qui superbe agunt, quomodo dilecti Dei dicuntur? Nunquid propter eorum benevolentiam captandam mentiri aut falsum scribere aliquid Apostolum oportuerit? Sed profecto ad omnes quidem hæc salutatio pertinet, licet non omnes adhuc sint dilecti Dei : ut cum videlicet eos tantum salutet qui sunt dilecti Dei, eos tantum salutatione sua dignos judicet, aliosque ad imitationem ipsorum invitet, ut et ipsi scilicet dilecti Dei esse nitantur. Convenienter etiam, etsi nonnulli ibi essent Dei dilecti, dicere eos dilectos Dei potuit, juxta eorum opinionem quidem qui hoc de se profitebantur, sicut etiam nonnulli ironice quandoque loquuntur. Non enim mendacium, beato attestante Augustino[1], dicitur, nisi falsa significatio cum voluntate decipiendi. Hic vero Apostolus non decipere, sed admonere intendit. « Gratia vobis et pax. » Gratiam dicit donum gratuitum, id est, non ex meritis præcedentibus collatum. Gratia et pax, id est, donum pacis, qua ipsi qui contendunt superbe, invicem et cum ipso Deo reconcilientur. Qui enim proximum quem videt non diligit, Dominum quem non videt quomodo potest diligere? « A Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. » Donum Dei, quod gratiam dicit, Spiritus sanctus dicitur. Unde et cum septiformem spiritum dicimus, vel septem Spiritus Dei nominamus, septem divinæ gratiæ dona demonstramus. Recte ergo donum Dei quod Spiritus sanctus dicitur, a Patre et Filio simul dari postulat, a quibus simul procedere

[1] *Contra mendacium*, cap. XII. *Opp.*, t. VI, col. 779.

Spiritus ipse habet. Sic construe : A Deo Patre et Domino Jesu Christo, Deo Patre nostro dico, tam Domini scilicet Jesu Christi Patre quam nostri. Hinc et ipse Filius Deum Patrem tam suum quam nostrum appellat dicens[1] : « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum. » Illius quidem per naturam, nostri vero per adoptionem. Ex quo maxime gratiam Dei erga nos commendat, per quam fratres efficimur et cohæredes Domini Jesu Christi. Filii qui dicimur per amorem, et magis quam per timorem subjicimur. Dominum Jesum dicit, quia ei assidua et perpetua debetur obedientia, sicut Domino a servis, juxta quod superius et se servum dixit.

« Primum quidem. » Ne præmissa Epistolæ salutatio magis ex occasione et consuetudine scribendi Epistolas quam ex affectu caritatis prolata videretur, quanta eos charitate amplectatur annectit, dicens se primum, id est maxime, pro conversione et fide Romanorum, Deo gratias agere, cum pro omnibus tamen conversis id faciendum sit. Oportebat etiam gratiam, quam in eos Apostolus habebat, prius eum ostendere; ut cum eos graviter postmodum reprehenderet, ex amore id factum intelligerent, et libentius ejus correctionem vel admonitionem susciperent. Quasi ergo blandiendo, more solertis oratoris, prius eos allicit, ut ad audiendum attentiores ac benevolos eos magis reddat. Gratias alicui agere, est pro beneficio ab eo gratis collato eum laudare, benedicere, glorificare. « Deo meo per Jesum Christum. » Hoc est qui mihi propitius factus est, sicut et cæteris peccatoribus per Filium suum redemptorem ac mediatorem nostrum. Vel « gratias ago » per Jesum Christum, quia id factum esse de conversione Romanorum per Christum recognosco, non per nostram virtutem sive cæterorum hominum. Qui etiam in laudem Dei me idoneum ex me esse non recognosco, sed ex gratia Filii ejus cui deservio : de hoc, inquam, gratias ago. « Quia fides vestra annuntiatur. » Hoc est, divulgatur ad laudem Dei, et ad exemplum conversionis aliorum in toto mundo, id est, ubicunque terrarum vel in maxima parte earum. Quo vero magis notus erat Romanus populus quasi caput totius mundi, magis ubique innotescebant quæ apud Romanos fiebant; et quo superiores erant, magis exemplo sui cæteros ad conversionem invitabant. Unde Quintilianus *de Cæco :* « Quo, inquit, ad altiorem quisque honoris gradum extenditur, magis in exemplum spectantibus patet. » Item : « Hæc conditio superiorum est, ut quidquid faciunt, præcipere videantur. » Ex his quidem et consimilibus Apostoli verbis, quibus dicit se gratias Deo agere per Jesum Christum, Ecclesia, ni fallor, in consuetudinem duxit, ut in celebrationibus Missarum cum Deo Patri gratiæ referuntur, vel in ipsis orationum petitionibus semper adjungatur : « Per Dominum nostrum Jesum Chri-

[1] Joan., cap. xx, v. 17.

stum, » vel simile aliquid : ac si omne quod agimus recognoscamus Deo Patri minime placiturum, nisi per ipsum mediatorem qui nos ei reconciliavit, neque nos ab eo aliquod bonum adeptos nisi per eumdem qui nobis ipsum pacificavit. « Testis enim. » Ostendit quasi a causa, quod pro gratia eis collata maxime Deo gratias agat; quia eos tanto affectu complectitur, ut in suis semper orationibus eorum memor sit, id est, quotiescunque pro se orat, oret etiam ut ad eos pervenire valeat, ut in ipsis quoque aliquem habeat fructum. Unde, inquit, mihi testis est Deus, cui ipsam orationem facio, et qui decipi non potest, et qui solus intentionem discutere potest. Non dicit simpliciter, « sine intermissione, » sed « sine intermissione in orationibus meis, » ut videlicet nulla ejus oratio sine memoria eorum fiat. « Cui servio in spiritu meo. » Hoc est, interiori homine, ex toto videlicet cordis affectu, sicut amicus, non ad oculum, sicut servus qui flagellari timet. « In Evangelio filii ejus. » Hoc est, in prædicatione Evangelii, quod Dominus Jesus ipse nobis tradidit atque docuit. « Obsecrans etiam si quomodo, » sive per tranquillitatem, sive per tribulationem, sive terra, sive mari, ad vos corpore etiam perveniam. Prosperum iter dicit secundum Dei voluntatem, non suam, qui quælibet sanctorum pericula cooperatur eis in bonum, et melius eis providet quam ipsi sibi providere queant; cum in omnibus decantat quisque religiosus : « Fiat voluntas tua, » non scilicet mea.

« Desidero enim. » Causa est cur oret venire ad eos, ut videlicet sua prædicatione aliquod spirituale donum eis impendat, confirmando eos suis adhortationibus in ipsa doctrina quam acceperant. Quod videlicet confirmare eos dicit esse, seipsum simul consolari in eis sicut et ipsi consolarentur in eo ; hoc est, dicit hoc commune fore solatium tam sibi qui instrueret, quam illis qui instruerentur. Illis quidem, quia confirmarentur per ejus rationes, si in aliquibus dubitarent ac titubarent; ei vero qui illis confirmatis, securior esset de perseverantia eorum. Hoc est illud commune solatium, quod in ipso *Hypotheticorum syllogismorum* exordio inter docentes et discentes Boethius commemorat, dicens : « Cum in omnibus philosophiæ disciplinis ediscendis atque tractandis summum in vita solatium positum esse existimem, etc. » « Spiritalis gratiæ, » id est, alicujus spiritalis, non corporalis doni gratis ab Apostolo impensi, non spe temporalis lucri. « Per eam fidem. » Quam jam habetis mecum communem, id est, ad confirmandos vos in ea fide, quæ jam vobis prædicata est, non in alia nova. « Quæ est invicem, » id est, quam inter nos habemus communem, vel quæ omnium communis est fidelium. Unde et Catholica dicitur, id est universalis, non privata aut particularis, sicut hæreticorum, quæ in aliquo esse potest terrarum angulo, non ubique dilatatur. Cum subdit, « Vestram atque meam, » ostendit fidem suam, quæ omnium est fidelium, tam ipsorum Romanorum quam Apostoli esse. Potest

etiam dici tunc esse fides invicem, quando ipsos fideles vicaria caritate ad invicem constringit. Hæc est enim vera illa fides, quæ, sicut ipsemet dicit, per dilectionem operatur.

« Nolo autem. » Ne parvum videatur desiderium Apostoli veniendi ad eos nisi id facere jam aggressus esset, dicit se jam id sæpius ipso paratu aggressum esse, sed adhuc permissus non est id complere, occulta Dei dispensatione ita disponente. « Venire, inquam, ad vos, » propter hoc « ut aliquem fructum, » id est, aliquam utilitatem « in vobis conferam. » Fructus quippe arboris non serenti, sed accipienti utilis est, et Apostolo bonæ voluntatis desiderium sufficit si effectus desit, nec quidquam de merito illius minuitur, si impeditur effectus. « Græcis ac barbaris. » Ac si diceret : Et hoc quidem oportet me velle quia secundum prædicationis officium mihi injunctum, omnibus gentibus debitor a Deo constitutus sum. Præter Græcos omnes cæteras gentes barbaras vocat, tam a cultu unius Dei quam a lege Dei penitus alienas. Apud Græcos vero jam unius Dei fides per philosophos innotuerat. Lex per septuaginta interpretes translata nota erat. « Sapientibus et insipientibus, » id est, tam fidelibus jam per Christum et Dei sapientiam illuminatis, sicut vos estis, quam infidelibus. Illis quidem ut eos confirmem, istis vero ut ipsos convertam. « Ita quod in me est. » Debitor sum, inquam, et voluntarius in solvendo quæ debeo : et hoc est, ita debitor sum, quod in me promptum est evangelizare vobis, id est, quantum in me est, jam pronus sum et voluntarius in solvendo quod debeo ex injuncto mihi officio, ad prædicandum scilicet vobis, sicut et cæteris gentibus prædicavi. Licet enim jam conversi essent ad fidem, in multis tamen adhuc eis prædicatione vel exhortatione opus erat. Potest etiam quantum ad cæteros Romanos id accipi, qui nondum conversi fuerant. Unde et generaliter dicit : « Vobis qui Romæ estis, » non : Qui conversi estis. « Non enim. » Ideo promptum est in me, quia non erubesco prædicare Evangelium, licet in eo quædam erubescentia digna videantur, quæ videlicet juxta infirmitatem assumptæ humanitatis de Domino Jesu prædicantur. Aliter : Non erubesco Evangelium, id est prædicationem Evangelii ; id est, confutari non possum, sicut illi qui rationibus reddendis deficiunt. « Virtus enim. » Ac si diceret : Ideo in me promptum est evangelizare, vel non erubesco Evangelium propter infirmitatem assumptæ humanitatis, quia Evangelium omni credenti et suscipienti illud, est virtus Dei, id est collata a Deo nobis ad salvandum nos tanquam virtus, per quam quisque proficit. Evangelium, id est bonum nuntium, per excellentiam novum Testamentum dicitur, non solum, ut superius insinuavimus, quia completum docet quod in veteri Testamento erat promissum, verum etiam quia ejus perfecta penitus et veræ prorsus justitiæ sufficiens doctrina est ; cum lex vetus, ut ipse Apostolus ait, ad perfectionem nihil adduxerit, opera magis quam

intentionem corrigens. « Judæo primum. » Tempore, et postmodum Græco. Primum enim apostoli ex Judæis conversi sunt, per quos inde ad Græcos prædicatio Evangelii descendit, tandem ad Latinos. Unde etiam illud quod dictum est primum, respectu Romanorum sive cæterarum gentium, ad Judæos simul et Græcos referri potest. Vel « primum, » id est, maxime dicamus, quod in tempore apostoli Pauli de aliis populis conversi jam essent.

« Justitia enim Dei. » Vere in salutem, quia ibi totius salutis doctrina continetur, ubi videlicet justitia Dei, id est, justa ejus remuneratio sive in electis ad gloriam, sive in impiis ad pœnam liquide et perfecte continetur et traditur. Et hoc « in eo, » scilicet Evangelio revelatur, id est, in ejus prædicatione docetur justitia Dei, id est justa ejus in quibuscunque remuneratio, tam electis, ut dictum est, quam reprobis. Revelatur, inquam, ex fide in fidem, id est, ex fide pœnarum dirigente nos in fidem præmiorum. Consequens est enim quasi a contrariis, ut dum noverimus quod pœnam apud Deum mereantur, subintelligamus et quod præmium assequantur, quia necesse est eum qui mala oderit bona diligere, sicut scriptum est[1]: « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. » Maxime autem hæc in Evangelio revelari et distingui arbitror, ubi Dominus cuncta quæ fiunt secundum radicem intentionis examinat, dicens[2]: « Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si oculus tuus fuerit tenebrosus, totum corpus tuum tenebrosum erit. » Et hoc quidem est examen veræ justitiæ, ubi cuncta quæ fiunt, secundum intentionem pensantur magis quam secundum operum qualitatem. Quæ quidem opera Judæi magis quam intentionem attendebant, cum nunc Christiani, naturali suscitata justitia, non tam attendant quæ fiunt quam quo animo fiant. Habemus etiam ibi in Evangelio manifeste utramque retributionem, ubi dicitur a Domino[3]: « Ite maledicti, et venite benedicti. » Juxta quod alibi ait[4]: « Eadem quippe mensura, etc. » Cum dicitur ex fide puniendorum, in fidem glorificandorum, ordinem diei judicii tenemus, ubi impiis punitis, coronabuntur electi.

« Sicut scriptum est. » In Habacuc scilicet, Propheta. « Justus ex fide vivit, » id est, secundum revelationem factam de his videlicet quæ credenda sunt, tam de pœnis impiorum quam de præmiis justorum, quilibet electus in sua perseverat justitia, dum hæc videlicet cavet quæ punienda credit, et contraria quæ placitura Deo credit appetit. Ut animi terrorem superbis incutiat Romanis, illam partem hic divinæ justitiæ prosequitur, qua punit eos, dicens: « Revelatur ira. » Quod dixit justitiam Dei revelari ibi ex fide, scilicet injustorum, ut diximus,

[1] *Psalm.* XLIV, v. 8. — [2] Matth., cap. VI, v. 22; Luc., cap. II, v. 34. — [3] Matth., cap. XXV, v. 41. — [4] Luc., cap. VI, v. 38.

puniendorum; nunc manifeste determinat dicens, quia ibi, id est, in Evangelio manifestatur ira Dei, id est justa ejus vindicta super iniquos. « Dei de cœlo. » Dicit ad differentiam falsorum deorum, sive vicariorum Dei in Ecclesia, quibus dicitur[1]: « Ego dixi, dii estis. « Vel revelatur de cœlo, id est, ex ruina superbientium angelorum de cœlo facta, ab æterna scilicet beatitudine irrecuperabiliter alienatorum. Si enim tam pretiosas creaturas tam cito pœna irrecuperabili damnare sustinuit, quid de hominibus sperandum est tot peccatis eum offendentibus? Aliter de vindicta illa prævaricationis Angelicæ patenter ostenditur, unde ad damnandum irascatur, de perversa scilicet voluntate prius quam de opere. Non enim diabolus hoc quod superbiendo voluit, dicens apud se: « Ponam sedem meam, etc., » opere complevit. Unde nequaquam eum effectus operis, qui subsecutus est, sed voluntas damnavit. Sic et Simon Magus donum miraculorum concupiscendo, quod non obtinuit, non ex opere, sed ex infidelitate, quod venalem scilicet Spiritum sanctum credidit, damnatus est, sicut et ei Petrus ait[2]: « Quia existimasti, » etc. « Impietatem. » Quantum ad majorem transgressionem Judæorum, qui lege etiam scripta instructi erant. « Et in justitiam. » Quantum ad transgressionem Gentilium, qui sola naturali lege utebantur. « Super omnem impietatem, » id est, ad puniendum omnem, etc. Et bene super esse dicitur, quasi prævalere in illis qui se ab eo tanquam superiori defendere nullatenus valent. « Veritatem Dei in injustitia detinent. » Hoc quod de vero Deo sentiunt fructificare non permittunt, injusta desideria sua sectantes, et voluntatem suam divinæ voluntati præponentes.

« Quia quod notum est Dei. » Nota quoniam Apostolus in hac Epistola, sicut supra meminimus, ad reprimendam tam Judæorum quam Gentilium superbe contendentium elationem, alternatim in utrosque, modo in Gentiles, modo in utrosque simul invehitur. In utrosque autem pariter jam quamdam præmisit invectionem, cum ait: « Super omnem impietatem et injustitiam, » ostendens Dominum ad ultionem præparatum. Nunc maxime ac specialiter in Gentiles invehitur, qui juxta rationes suas minus reprehensibiles videbantur, ac pene omnino excusabiles, quod vero Deo non servierant, quem sine lege scripta, ut aiebant, cognoscere non valebant. Quam quidem excusationem manifeste retundit, etiam sine scripto, a Gentibus, per naturalem legem, Dominum antea notum fuisse, ipso eis de seipso per rationem quam dederat, hoc est, legem naturalem, ac per visibilia sua opera notitiam conferente. Et hoc est quod ait: « Quod notum est. » Tanquam diceret: Dixi eos detinere quod de Deo vero sentiunt, et bene dixi quod sentiunt, quia « quod notum est Dei, » id est, de natura

[1] *Psalm.*, LXXXI, v. 6. — [2] *Act. Apost.*, cap. VIII, v. 20.

divinitatis modo revelatum est mundo per legem scriptam, etiam sine scripto per naturalem rationem manifestum ante fuerat. « In illis, » id est, non tantum illis, verum etiam per illos aliis. Unde et multa de Trinitate testimonia aperta in philosophorum libris reperiuntur, qui Gentium magistri erant : quæ etiam sancti Patres in nostræ fidei commendationem adversum Gentilium impugnationem diligenter collegerunt. Quorum pleraque et nos etiam in *Theologiæ* nostræ opusculo contulimus. « Deus enim illis revelavit. » Saltem per effecta suorum operum. Et hoc est quod subdit : « Invisibilia enim, etc. » Totum hic mysterium Trinitatis distinguit, ut non solum unitatem Dei, verum et Trinitatem ex ipsis operibus perpendere possent : quemadmodum ex qualitate operis cujuslibet, qualis et cujus solertiæ fuerit artifex ejus conjicimus. Et attende diligenter dictum quod notum est Dei illis revelatum fuisse, hoc est eos credidisse ea quæ nunc credimus de his quæ ad divinitatem quidem pertinent potius quam ad divinæ Incarnationis mysterium. Mysterium quippe Incarnationis ex visibilibus Dei operibus nequaquam concipi humana poterat ratione, sicut potentia Dei, et sapientia ejus, et benignitas ex his quæ videbant liquide percipiebantur. In quibus quidem tribus totam Trinitatis distinctionem consistere credo. Id quippe Deus Pater sonare mihi videtur quod sonat divina potentia divinam generans sapientiam, id est Filium, et Deus quidem Filius tantumdem quantum divina sapientia ex Deo Patre genita, et Deus Spiritus sanctus quantum amor Dei sive benignitas ex Deo Patre procedens et Filio. Continuatio, « Deus illis revelavit. » Quia per rationem, quam Deus eis contulit, ex visibilibus ipsius operibus divina ejus Trinitas innotuit, et per effecta sua ipse artifex sui notitiam eis impertivit. Et hoc est quod ait, « Invisibilia enim ipsius, » id est Dei, quod est dicere multiplex ejus seu septiformis Spiritus, qui etiam septem spiritus nonnunquam dicitur, sicut septiformis gratiæ dona, ipse, inquam, septiformis Spiritus Dei conspicitur intellectus, id est, perpenditur non oculis corporis, sed intelligentia rationis.

« A creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur. » Id est intelligitur per effecta mundanorum operum, quæ tam optime fieri voluit ac disponi. « Sempiterna ejus. » Hic sapientiam ejus, id est Dei intelligimus, quæ est, ut diximus, Filius Dei : de quo alibi idem Apostolus dicit[1] : « Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. » Quam quidem sapientiam Evangelista Verbum, id est mentis conceptum, philosophus mentem nominat, quam ex Deo natam affirmat. Virtus quidem Dei sapientia ejus dicitur, secundum id quod in sapientia omnia optime facit ac disponit. Debile quippe atque invalidum opus est, quod solerter factum non est. Divinitas vero hoc loco pro majestate

[1] I *Corinth.*, cap. I, v. 24.

divinæ potentiæ accipitur, quæ specialiter ex nomine Patris, sicut reor, innuitur. Deus quippe, teste Isidoro, θεός, id est timor interpretatur, et potestas quælibet timor est subjectorum. Unde merito nomine Dei sive divinitatis, id est deitatis, divina specialiter exprimitur potentia. Quod diligenter Maximus Episcopus in *Expositione Symboli*, quod dicitur Apostolorum, quæ legitur in V Quadragesimæ Dominica his verbis insinuat: « Credis, inquit, in Deum Patrem omnipotentem. In Deo natura innascibilis, in Patre ingeniti veritas, in omnipotente plenitudo virtutis, ostenditur. Est namque per ingenitam divinitatem omnipotens, et per omnipotentiam Pater. » De his autem in primo *Theologiæ* nostræ prout potuimus satis diligenter disseruimus. Apparet itaque maxime ex ipsa mundanæ fabricæ universitate tam mirabiliter facta, tam decenter ornata, quantæ potentiæ, quantæ sapientiæ, quantæ bonitatis ejus artifex sit, qui tantum et tale opus de nihilo facere potuit et voluit, et tam solerter et rationabiliter cuncta temperavit, ut in singulis nihil plus aut minus quam oportuerit actum sit. Unde et Plato ipse, cum de genitura mundi ageret, in tantum divinæ potentiæ et sapientiæ bonitatem extulit, ut astrueret Deum nullatenus potuisse mundum meliorem facere quam fecerit. Non solum autem philosophi Gentium ex ipsa mundi compositione vel ornatu mirabili mirabilem ejus artificem perceperunt, verum et ex optima ejus dispositione optimam divinæ gubernationis providentiam rationibus congruis assignarunt. Quorum unus Tullius in primo *Rhetoricæ* suæ[1], mundum ipsum providentia, non fortuitu regi valida ratione monstravit ; cum videlicet ea quæ consilio ac providentia reguntur, melius procedere atque administrari proponeret quam alia, ac statim nihil melius et ordinatius administrari vel disponi, quam mundum ipsum assumeret, atque hoc quoque illico manifesta ratione convinceret, ostendens scilicet quam utiliter et rationabiliter ea quæ in mundo sunt in sua ordinatione perseverent. Possumus et quod ait Apostolus, « Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, etc., » non solum ita exponere, quod ex compositione et ex ornatu mundi potuerit per humanam rationem ipsa artificis potentia, sapientia atque bonitas percipi, secundum quæ, ut diximus, tres in Deo personæ distinguuntur : verum et dicere eousque per similitudinem corporalium rerum humanam rationem conscendisse, ut ipsam Dei unitatem atque in eo personarum Trinitatem, et quomodo ipsæ personæ invicem se habeant, congruis similitudinum exemplis assignare valeret, ponendo videlicet ante oculos aliquam mundi creaturam, sicut æream substantiam[2], et attendendo aliquid quod fiat in ipsa ærea substantia, ut imaginem æream, quæ nostra operatione ex ipso ære facta est : ita quidem ut ipsum æs et ærea

[1] *Invent.* I, XXXIV. — [2] S. Bernardus hanc similitudinem refellit.

statua, quæ in ære ipso vel ex ære facta est, eadem res sint essentialiter sive numero, sed tamen proprietatibus suis diversa sint, cum videlicet aliud sit proprium æris, aliud æreæ statuæ. Et quamvis idem sint essentialiter æs et ærea statua, ærea tamen statua ex ære est, non æs ex ærea statua. Sic et in divina Trinitate cum sit eadem substantia trium personarum, id est Patris, et Filii, et Spiritus sancti, diversæ tamen sunt in suis proprietatibus personæ; cum sit aliud proprium Patris, aliud Filii, aliud Spiritus sancti. Et quamvis sit unaquæque persona idem essentialiter cum cæteris, Filius tamen ex Patre, tanquam ærea imago ex ære, non Pater ex Filio, sicut nec ipsum æs est ex ærea imagine ; et Spiritus sanctus a duabus aliis habet esse personis, non illæ ab eo. Sed et de his quidem, quantum oportuit, in II *Theologiæ* nostræ nos tractasse arbitramur. Nunc ad litteram revertamur.

« A creatura mundi per ea quæ facta sunt in ea, » id est, per aliquam creaturam mundi, sicuti per ipsum æs, et per illa quæ in ipso ære facta sunt, sicut est imago ærea vel aliquid simile. Cætera in expositione non mutantur. « Ita ut sint inexcusabiles, » id est, jam non possint se Gentiles per ignorantiam excusare, de notitia scilicet unius Dei, quamvis legem scriptam non habuerint. Et unde sint inexcusabiles exponit : « Quia cum cognovissent Dominum, » per humanam scilicet rationem, quæ lex naturalis dicitur, « non sicut Deum glorificaverunt, » id est, debitum reverentiæ cultum ei per humilitatem non exhibuerunt, « nec gratias egerunt, » recognoscentes scilicet ex dono gratiæ ejus esse hanc notitiam de ipso habitam quam præ cæteris habebant, et ob hoc eum laudantes. « Sed evanuerunt in cogitationibus suis. » More videlicet fumi, qui quo altius conscendit, magis deficit atque annulatur. Sic et isti quo magis ex arrogantia intumescebant propter scientiam quam adepti erant, suo studio vel ingenio, non divinæ gratiæ eam ascribentes, magis excæcari meruerunt, et in errorem amplius devolvi. Et hoc est quod exponens subdit : « Et obscuratum est insipiens cor eorum. » Insipiens fuit, quod sibi, non Deo proprium ipsius donum tribuerunt : et ex se, non ab ipso hoc se habere crediderunt. Unde merito est cor obscuratum, et ipsa in eis naturalis ratio obtenebrata. Vere obscuratum, « Quia stulti facti sunt, » et illa nobili cognitione privati. « Dicentes se esse sapientes, » id est, jactantes se esse potius sapientes ex seipsis, quam sapientes esse factos a Domino. Et in quantam stultitiam, imo insaniam proruperint, tam per infidelitatis errorem quam per ignorantiam vitæ, subjungit dicens : « Et mutaverunt gloriam, » id est honorem et sacrificia quæ debuissent vero Deo exhibere, qui videlicet corrumpi aut mutari in aliquo non potest, exhibuerunt falso homini, id est imaginariæ similitudini hominis corruptibilis et mortalis, idololatræ scilicet facti ; et non solum in similitudinem hominis, verum etiam quorumlibet irrationalium animalium,

tam « volucrum » scilicet quam « quadrupedum et serpentium. » Fortasse autem credebant quosdam spiritus, quos deos vocabant, præesse hominibus; quosdam cæteris animantibus. Et ideo eos colebant in formis eorum, quibus præesse videbantur. Haymo : « Assyrii simulacrum Beli, patris Nini Regis, pro deo colebant, et Babylonii ipsum quem vocant Bel, Sidonii Baal, Indi Belzebuth, et Philistæi Zebet. Romani colebant anserem, et Ægyptii accipitrem. » Item : « Ægypti colebant Apim, hoc est vaccam albam, Babylonii draconem, et Ægyptii crocodilum, qui est serpens aquaticus natans in aqua ut piscis, pascens in terra ut bos. » « Propter quod, » videlicet quia a Domino desipuerunt, ut falsa animalia, id est animalium simulacra pro Deo ederent ; « tradidit illos Deus, » id est permisit abire post immunda desideria sua, ut quod turpiter mente conceperant, turpius etiam opere complerent. « Ut afficiant, » id est affligant, et in quamdam contrariam naturam cogant, et dedecorent corpora sua contumeliosis immunditiis sodomiticis peccati in semetipsis commissi, ut seipsos mutuo polluant.

« Qui commutaverunt, » submissio sive repetitio causæ, quare id videlicet permiserit de illis Deus, quia in eum, inquit, maxime deliquerunt. « Commutantes veritatem Dei in mendacium, » id est, sub nomine et honore veri Dei colentes falsos deos : « et servierunt creaturæ, » id est, dæmoniacis spiritibus, quos inhabitare simulacra credebant. « Qui est benedictus, » id est qui glorificatur, hoc est laudabilis apparet ex universis suis creaturis per omnes temporum successiones. « Secula, » quasi a sequendo dictæ sunt ipsæ temporum successiones. « Amen, » id est verum est. Modo enim confirmandi, modo optandi adverbium est hoc. « Propterea tradidit. » Quia videlicet interim excellentiæ divinæ derogaverunt; non sufficit semel hoc dicere, ut magis deterreat auditorem a talibus. Passiones ignominiosas dicit pollutiones non naturalis libidinis. Pati merito dicitur quælibet substantia, et quasi quamdam sustinere violentiam, quoties contra naturam aliquid in ea agitur. Quæ vero sint hujusmodi turpitudines statim annectit, tam feminis quam viris eas assignando, ad majorem vindictam Dei probandam. Feminæ eorum dicuntur, quas ipsi pessimi exempli doctrina quasi suas in hoc fecerant. « Qui est contra naturam, » et ideo magis abusio dicendus est quam usus. Contra naturam, hoc est contra naturæ institutionem, quæ genitalia feminarum usui virorum præparavit, et e converso ; non ut feminæ feminis cohabitarent. « Exarserunt, » id est contra legem naturæ accensi sunt in suis desideriis, vel naturæ voluptatibus. « Et mercedem, » id est retributionem debitam sui erroris, hoc est excæcationis atque idololatriæ. « Recipientes in semetipsis, » mutuo scilicet se invicem polluentes in corpore, sicut animo corrupti erant infidelitate. « Et sicut non probaverunt » hoc est laudaverunt atque elegerunt, « Domi-

num, » quem cognoverant, « habere in notitia, » hoc est retinere in memoria ei cohærendo, « tradidit illos in reprobum sensum, » hoc est, ita penitus excæcari permisit, ut omnino consentiant, « ut faciant, » id est opere impleant « ea quæ non conveniunt, » non solum quæ mala sunt apud Deum, sed quæ nulli hominum disciplinæ concordant, aut aliqua ratione excusari etiam apud impios valeant. Illos dico « repletos omni immunditia, » hoc est, non omnibus simul tantum peccatis, sed singulis repletos ; ita scilicet ut unaquæque iniquitas in eis plena et perfecta reperiatur. Unde statim enumerando subdividit iniquitatis partes, quibus eos repleri ostendit.

« Malitia. » Per quam student aliis damnum inferre. « Fornicatio. » Quæ est omnis illicitus concubitus, extra uxorem videlicet. « Avaritia, » id est immoderato terrenorum desiderio. « Nequitia. » Qua et alios corrumpere gaudent, quibus non sufficit ut soli moriantur. « Invidia. » De bonis alterius dolendo. « Homicidiis. » Tam opere si possunt, quam voluntate. « Contentione. » Aperte veritati contradicendo. « Dolo, » id est simulatione, quando scilicet occulte aliud agitur, et aliud simulatur. « Malignitate. » In ipsos, et benefactores suos. « Susurrones, » id est latenter, cum aperte non valent, detrahentes, et cum audent etiam in aperto. « Detractores. » Et per hoc non solum hominibus quibus detrahunt, vel nocere volunt, verum etiam « Deo odibiles, contumeliosos, » inferendo conviria. « Superbos. » Appetendo esse super æquales. « Elatos. » Appetendo æquari superioribus. « Inventores malorum, » id est cogitantes novum aliquod peccandi genus in quo delectarentur. « Parentibus non obedientes. » Et in hoc inhumani, et feris ipsis indomitiores. « Insipientes. » Jam ex consuetudine mali discretionem boni non habentes. « Incompositos, » quantum ad exteriorem habitum, qui male ordinatæ mentis nuntius. « Sine affectione, » scilicet naturalis benignitatis in proximos sui generis. « Sine misericordia, » id est compassione alienarum miseriarum. « Sine fœdere, » id est mutuo caritatis vinculo in aliquos, vel alicujus pacti observatione. Qui etiam in tantam devoluti sunt excæcationem, ut non per pœnitentiam redire sciant, non jam intelligentes, id est non attendentes vel curantes. « Quoniam qui talia agunt digni sunt morte, » videlicet æterna, cum id agant, quamvis justitiam Dei primitus cognovissent, id est, ejus debitam vindictam de singulis peccatis. « Sed et qui consentiunt. » Consentire hic dicit non resistere aliquem peccato alterius, cum possit et debeat. Multorum enim fortasse Deus resistere peccatis posset, disturbando scilicet, ne fierent, nec tamen debet, culpis nostris exigentibus, vel ipsis peccatis in melius utendo : ideoque consentire peccatis nullo modo dicendus est. Notandum vero non de omnibus philosophis vel naturali lege utentibus hanc excæcationem vel malitiam prædictam esse intelligendam, cum plerique illorum tam fide quam moribus Deo acce-

tabiles exstiterint, veluti Job gentilis, et nonnulli fortasse philosophorum gentium, qui continentissimæ vitæ fuerunt ante ipsum Domini adventum. De qualibus beatus Hieronymus *super Matthæum* commemorans ait : « Ex eo quod malus servus ausus est dicere[1] : « Metis ubi non seminasti, et congregas ubi non « sparsisti, » intelligimus etiam, gentium philosophorum bonam vitam recipere Dominum, et aliter habere eos qui juste, aliter eos qui injuste agunt, ad comparationem ejus qui naturali legi serviat, condemnari eos qui scriptam legem negligunt. » Metere itaque Dominum ubi non seminaverit, juxta Hieronymum, intelligimus eos etiam qui per naturalem legem bene agunt ad vitam colligere : in quibus scilicet nullum prædicationis verbum seminatum est. Sed quia fortassis inter philosophos pauci tales exstiterunt, quasi generaliter sine aliquorum exceptione hoc de eis supra dictum est, ut sapientes minus de sua sapientia præsumant, quæ magis inflare quam ædificare solet ; ipso alibi attestante Apostolo[2] : « Scientia inflat, charitas ædificat. » Sufficiebat enim etiam hoc loco Apostolus ad reprimendam superbam Romanorum gentilium contentionem, et humilitatem conservandam, ostendere per aliquos philosophorum gentilibus notitiam sive fidem Dei innotuisse, et eosdem ipsos fidei magistros graviter deliquisse, ut usque et ad idololatriam eorum cæcitas duceretur, et cum summo idololatriæ errore ad summam etiam ignominiam vitæ devolverentur, ut supra memoravit. Quæ omnia pœnam esse peccati superbiæ docet, ut secundum intentionem præsentis Epistolæ, quæ tota etiam contra superbiæ pestem scripta est, a superbia in ipso statim Epistolæ exordio dehortetur. Pœna præcedentis peccati sequens peccatum dicitur, justa ejus remuneratio ad pœnam, cum ex præcedenti peccato quod corrigere negligit, promeretur aliquis in aliud peccatum devolvi ; ut juxta illud *Apocalypsis*[3] : « Qui in sordibus est, sordescat adhuc. »

Tres in hoc loco quæstiones occurrunt. Quarum quidem una est, quid sit quod idololatriam faciat, cum nos etiam Christiani nonnulla in cultu Dei vel angelorum aut sanctorum hominum sculptilia sive picturas habeamus. Alia vero quæstio est, cur dicitur Deus aliquem pro præcedentibus peccatis in alia peccata tradere, atque hoc ex justitia agere, cum scilicet ille qui traditur hoc meruit. Utrum Deus quoque auctor vel causa peccati sit, cum subtrahendo gratiam suam, eum compellere ad peccandum videatur, qui ea subtracta a peccato sibi minime possit cavere ; quemadmodum si quis ei qui est inter fluctus in navi, navim subtrahat quacunque de causa, et eum ibi dimittat, eum profecto non compellit. Tertia autem est quæstio, quomodo justum sit impio Dominum subtrahere gratiam suam, qua subtracta ille deterior fiat et amplius peccet, nisi etiam justum sit illum

[1] Matth., cap. xxv, v. 24. — [2] I *Corinth*, cap. viii, v. 1. — [3] *Apoc.*, cap. xxii, v. 11.

deteriorem fieri et amplius peccare; hoc est amplius creatorem suum offendere atque contemnere. Quis hoc autem, quod iniquissimum est, justum esse dicat; cum videlicet potius resipiscere peccator debeat quam augere peccata ? Quippe si justum esset eum amplius peccare, quomodo reus statueretur, aut etiam peccare diceretur id faciendo, quod utique eum facere justum esset ? Sed harum quidem trium propositarum quæstionum solutiones *Theologiæ* nostræ examini reservamus.

« Propter quod. » A singulari invectione in gentiles ad generalem transit, ac si ita dicat : Quandoquidem hi se excusare non possunt per ignorantiam Dei a peccato, id est, a contemptu Creatoris, quibus lex scripta non data est, ergo nullus, et hoc est : « Ergo inexcusabilis es, homo omnis qui judicas. » Omnis, inquam, qui judicas, id est, judicium rationis et discretionem boni habes et mali. Ab hoc quippe contemptu parvuli qui nondum discretionem habent liberi sunt. « In quo enim vere inexcusabiles. » Quia etiam proprio tuo judicio condemnandus, cum in aliis reprehendas eadem quæ facis, aut similia. Hoc autem maxime spectat ad superbam Romanorum contentionem, qua se alterutrum præponere volebant, et seipsos singuli defendentes, alios criminosos judicabant. « In quo enim judicas, id est, de eodem peccato de quo judicas, » id est, reprehendis alterum et censes damnandum, te ipsum condemnas, id est, ea operando damnabilem facis vel asseris, et in teipsum proprio judicio sententiam profers, et quare vel quomodo supponit dicens : « Eadem vero agis quæ judicas, » id est, quæ in aliis reprehendis, scilicet mala opera quæ contra propriam conscientiam committis. Et dixit quæ judicas reprehendendo, sed bene judicas hæc arguendo quæ Deus ipse judicat puniendo; et hoc est : « Scimus enim, etc., » vel ita : Dixi, te ipsum condemnas, id est, damnabilem facis ea operando. Et verum est quidem. Scimus enim nos, divina gratia illuminati, quoniam judicium Dei, quod est secundum veritatem ipsam rei, non falli potest. « Est in eos, » id est, contra illos, « qui talia agunt. » Ad ipsos scilicet puniendos atque damnandos. Et cum ita sit, quod videlicet Deus tales damnet, « Existimas tu qui judicas, » id est arguis vel accusas « eos qui talia agunt, et facis ea. » Existimas, inquam, quia tu effugies judicium Dei, id est justam ejus de talibus vindictam, et numquid etiam ignoras, quia tanto damnabilior es, quanto majori patientia Deus te exspectat, et exspectando diu ad pœnitentiam ejus invitat benignitas, et hanc ejus benignitatem patientiæ in contemptum ejus convertis, et tanto minus eum vereris, quanto amplius sustinet offensas tuas, nec statim punit. Et hoc est quod ait : « An ignoras. » Numquid contemnis divitias bonitatis ejus, id est Dei, hoc est divitem et copiosam ejus animi dulcedinem : bonitatis dico, patientiæ et longanimitatis, id est longæ ejus patientiæ. « Ignorans quoniam benignitas Dei, » id est hæc bonitatis ejus exhi-

bitio, qua exspectat te. « Adducit, » quantum in ipsa est, id est, invitat, adhortatur ad pœnitentiam peccatorum tuorum potius quam ad contemptum exspectantis. « Sed tu secundum duritiem tuam et cor impœnitens, thesaurizas tibi, » id est studiose tanquam pretiosas divitias accumulas tibi, « iram, » id est vindictam exercendam in te, « in die, » id est in tempore iræ et revelationis, id est vindictæ Dei in te revelandæ, et ut ira illa potius justitiæ quam crudelitatis intelligatur, et deliberationis magis quam præsumptionis, addit : « Justi judicis, » id est iræ dico, id est vindictæ provenientis ex judicio justæ deliberationis Dei, qui injuste agere non potest. Quam vero justum sit divinum judicium supponit dicens : « Qui reddet unicuique, » quod videlicet meruerit, « secundum opera, » id est qualitatem operum, quæ magis in intentione quam in actione consistit. Secundum qualitatem operum est qualitas retributionis, quia qualia sunt opera, talis et retributio, pro bono scilicet bonum, pro malo malum; cum apud Deum voluntas ipsa pro opere facti reputetur. Unde et ipse probator cordis et renum in abscondito videre dicitur. Opus hoc loco pro affectu operis ponit, ab effectu videlicet ad causam vocabulo translato. Alioquin non ostenderetur æquum esse judicium Dei, cum opera indifferentia sint in se, scilicet nec bona, nec mala, sive remuneratione digna videantur, nisi secundum radicem intentionis, quæ est arbor bonum vel malum proferens fructum. Tale est ergo quod ait : « Secundum opera ejus, » ac si diceret : Secundum voluntatem eorum quæ fieri vel non fieri appetunt. Alioquin superbia diaboli, vel cupiditas Simonis, quæ non obtinuerunt operis effectum, ad hoc judicium pertinere non viderentur. Parvuli autem qui intra annos discretionis morientes, judicium habere non videntur, ad hujus judicii revelationem non pertinent, qua videlicet dicitur : « Reddet unicuique secundum opera ejus, » id est tribuet ei quod meruerit. Diligenter itaque expressit Apostolus quid sit accipiendum judicium Dei, cum ait revelationem judicii. Non enim verbis, sed exhibitione operis quisque ibi judicabitur, id est, manifestabitur an præmio vel pœna dignus fuerit. Cujus quidem dum viveret, occultus etiam sanctis exitus habebatur, unde videlicet prædestinatus esset ad vitam vel non. Hoc autem judicium, id est hæc revelatio seu discussio divini examinis, et singulariter quotidie fit in exitu singulorum morientium, et generaliter in fine sæculi facienda est. Ubi quidem omnes omnibus revelabuntur, quales videlicet antea fuerint, an præmio scilicet an pœna digni. In illa vero generali discussione bini in electis et reprobis ordines esse dicuntur. Quidam enim electorum, id est prædestinatorum, ibi judicabunt tantum et non judicabuntur. Sic et reproborum duo erunt ordines, cum alii eorum judicandi sint tantum, alii minime judicandi sint. Quicunque enim electi purgati ante diem judicii non invenientur, judicandi, id est reve-

landi ibi erunt : de qualibus alibi ait [1] : « Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. » Qui vero perfectæ vitæ inventi fuerunt, vel ante ipsum judicium purgati, non erunt ibi judicandi, id est revelandi ; sed potius cum ipso Christo pariter judicabunt. Cujus quidem majestatis et gloriæ participes ita fulgebunt, ut statim ex ipsis appareat sicut ex ipso Christo, quam bene egerint, qui eis adhæserunt, quam male qui eos contempserunt. Et ita ipsi quoque tanquam judices cum Christo residebunt, securi penitus de se, et alios judicantes ; hoc est, ut dictum est, revelantes an bene cum eis an in eos male egerint, ut præmio ex hoc vel pœna digni sint. Reprobi vero, qui in infidelitate sua moriuntur, jam in ipso exitu suo judicati sunt, id est revelati, nec ulterius generaliter revelandi sunt, juxta illud Veritatis [2] : « Qui non credit, jam judicatus est. » Ii vero qui fidem habentes dubiam, in occulto gesserunt vitam, propter quod eorum incertus est exitus, ibi judicandi sunt, id est revelandi.

« His quidem qui secundum. » Quomodo secundum qualitatem operis, sit qualitas retributionis ostendit, ut videlicet pro bono bonum reddatur, et e contrario. Et hoc est his dicere, « qui secundum patientiam boni operis, » subaudi sunt, ut videlicet ostendat bene agentibus tribulationes non deesse, per quas purgantur aut proficiunt. « Gloriam et honorem, » id est gloriosum honorem, cum nostra videlicet humanitas ad celsitudinem angelorum pervenerit, et nos pariter hæredes Dei et cohæredes Christi cum ipso regnabimus. Et ne ista gloria ad animam tantum referatur, addit etiam de glorificatis corporibus quæ incorruptibilia erunt, dicens : « Et incorruptionem, » videlicet corporum, his inquam, « quærentibus vitam, » non transitoriam, sicut vidimus, sed æternam sicut Christiani ; ut ostendat merito id eos obtinere ad quod toto desiderio anhelaverunt, nec sua spe esse fraudatos, sicut de quolibet scriptum est justo [3] : « Vitam petiit a te, et tribuisti ei. » Et item [4] : « Desiderium animæ ejus tribuisti ei. » « His autem quæ ex contentione, » sunt subaudis, id est, qui scienter divinæ repugnant voluntati ; Quod statim exponit dicens, « qui non acquiescunt veritati quam norunt, » ut videlicet operentur secundum quod operandum esse veraciter credunt ; « sed magis credunt, » id est acquiescunt vel assentiuntur « iniquitati, » ut malum quod animo concipiunt opere compleant id est adimplere studeant, reddetur subaudis, « ira et indignatio, » quam videlicet meruerunt, id est vindicta Dei sine eorum patientia. Electi vero, si qua in ipsis quandoque puniuntur, ut videlicet purgentur, patienter sustinent, nec inde irascuntur, sed potius gaudent, atque grates referunt : attendentes quod scriptum est [5] : « Castigans castigavit me Do-

[1] I *Corinth.*, cap. III, v. 15. — [2] Joan., cap. III, v. 18. — [3] *Psalm.* XX, v. 5. — [4] Ibid., v. 3. — [5] *Psalm.* CXVII, v. 18.

minus, et morti non tradidit me. » Et rursum [1] : « Quos diligit Deus corrigit; flagellat autem omnem filium quem recipit. » Unde Hieronymus *ad Castrucium* [2], « Magna ira est quando peccantibus non irascitur Deus. »

« Tribulatio et angustia. » Ostendit ex quibus prædicta ira et indignatio proveniat. Tribulatio enim angustia est, ubi is qui torquetur omni spe evadendi destitutus est, ut nec spes ei ad remedium aliquod sit relicta, sed ipsa quoque desperatione torqueatur. Et quia dixerat « his » indefinite, addit generaliter id fieri. « In omnem animam hominis operantis malum. » Tam Judæi scilicet quam Gentilis, id est tam scripta quam naturali lege instructi. « Operantis, » inquit, non operati, id est perseverantis in malitia, non desistentis. Qui etiam inter ipsa tormenta nec malam voluntatem deponent, cum diabolo confirmati, volentes adhuc si liceret eadem agere, atque ideo perpetua erit merito pœna, quia perpetua in animo perseverabit culpa. Unde, et beato attestante Hieronymo, merito Dominus in die judicii dicturus est [3] : « Discedite a me qui operamini iniquitatem, » id est, qui non solum operati estis, sed adhuc in ipsis cordibus vestris operamini. Ubi, ut supra diximus, apud Deum voluntas pro opere facti computatur, bene dicit in animam, non in corpus hominis, vindictam fieri, quia solius animæ est, non corporis, dolere sive sentire, et contristari vel delectari, irasci vel gaudere. Et si diligenter consideremus sola ipsa quæ velle potest, apud Deum voluntatis remuneratorem vel præmium vel pœnam ex bona vel mala voluntate promeretur ; et sola proprie dicenda est peccare, sicut et virtutes habere, et sola beata effici ex visione divinæ majestatis, quæ oculis tantum mentis, non corporis, conspicitur. Quod autem quinque animæ sensus corporei dicuntur, cum sola tantum anima sentiat; vel quod quædam peccata carnalia, quædam spiritalia vocentur, cum sola tantum anima peccet, quæ sola rationem habet et velle potest : non ita est accipiendum, ut corpus ipsum vel sentiat, vel peccet, sed quia per ipsum vel sensus exercentur vel voluntates implentur, ut ingluvies gula, libido genitalibus. Sola itaque anima ex bona vel mala voluntate præmium vel pœnam apud Deum meretur et obtinet, et sola beatitudinis vel miseriæ particeps esse potest; licet ex corpore resumpto pœna ejus vel gloria augeatur. Unde duplicem contritionem impiorum, et geminam stolam sanctorum, tam secundum animam scilicet quam secundum corpus dicimus. Gaudebit amplius bona anima et creatorem magis glorificabit, cum corpus ipsum, quod hic tam infirmum et passibile gessit, viderit ibi ita aptatum, quod ulterius dissolvi non possit, nec ipsa ex contactu ejus aliquam contrahere læsionem. Et hæc ipsa corporis humani reparatio, corporis glorificatio vel beatitudo dicitur. Sic et pœna corporis dici potest, quam

[1] *Hebr.*, cap. xii, v. 6. — [2] *Epist.* c, Opp., t. IV, col. 802. — [3] Matth., cap. xxv, v. 41.

anima ipsa per corporea sustinebit membra. Nec tamen cum ex corporibus geminetur animarum gloria vel pœna, ideo geminam istam gloriam vel pœnam simplici angelorum vel dæmonum gloriæ vel pœnæ præferimus, qui corporeæ non sunt naturæ. Quod vero, ut dictum est, sola anima doleat vel sentiat, ipsi quoque asserunt sancti. Unde Augustinus *de Civitate Dei*, lib. XX, c. II[1] : « Si consideremus diligentius, dolor qui dicitur corporis magis ad animam pertinet. Animæ est enim dolere, non corporis, etiam quando ei dolendi causa exsistit a corpore, cum in eo loco dolet, ubi læditur corpus. » Idem *super Genesim*[2] : « Sentire non est corporis, sed animæ per corpus. » Item : « Neque enim corpus sentit, sed anima per corpus. » Idem *ad Dioscorum* in ea Epistola[3] : « Tu me innumerabilium quæstionum... Non igitur accipit animus a corpore vel summum bonum vel partem aliquam summi boni. Hoc qui non vident, cæcati sunt dulcedine carnalium voluptatum, quam ex indigentia sanitatis venire non intuentur. Sanitas autem perfecta corporis illa extrema totius hominis immortalitas erit. Tam potenti enim natura Deus fecit animam, ut ex ejus plenissima beatitudine, quæ in fine temporum sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam quæ est corpus, non beatitudo quæ fruentis et intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis et incorruptionis vigor. »

« Judæi primum et Græci. » Judæum vocat omnem scripta lege edoctum, Græcum omnem, gentilium more philosophorum qui Græci fuerunt, ratione præditum, id est naturali lege optime instructum ; quorum quo major est discretio, major est transgressio. Et ideo ait : « Judæi et Græci primum, » id est maxime ; « operantis malum, » id est delinquentis, comparatione scilicet aliorum hominum quasi brutorum. « Gloria autem et honor. » Repetit justorum remunerationem quam præmisit, ut ad eam sæpius memoratam nos accendat amplius. Pacem quidem dicit, non solum quietem ab infestatione exteriorum inimicorum, verum etiam concordiam illam spiritus et carnis, ut in nullo ulterius caro spiritui reluctetur, omnibus prorsus finitis carnalium suggestionum molestiis. « Judæo primum et Græco bonum, » scilicet « operanti. » Quo enim isti amplius summum bonum Dominum vel scripto vel ratione cognoverant, amplius ejus voluntati sobrie vivendo inhærebant. « Primum » itaque et hoc loco pro « maxime » supraponit. « Non est enim. » Dixit generaliter « omni » atque indifferenter[4], nullam faciens differentiam retributionis ex dignitate personarum. Et merito, quia non est personarum acceptio apud Deum, hoc est, nunquam divinum judicium minus aliquem ibi punit vel magis glorificat pro aliqua dignitate vel excellentia, quam

[1] Leg., lib. XXI, cap. III, *Opp.*, t. VII. — [2] Lib. III, cap. IV, *Opp.*, t. III. — [3] Epist. CXVIII, *Opp.*, t. II. — [4] Amboesius *Differenter*.

hic habere videbatur; sed æque omnibus secundum merita reddit, tam habentibus quam non habentibus legem, tam iis qui se esse de genere Israel gloriantur, quam cæteris. Et quod secundum merita tantum reddat ostendit, cum secundum quantitatem transgressionum sit quantitas pœnarum. Unde similiter de præmiis subintelligendum constat. Sicut itaque major est transgressio ejus, qui legem quoque scriptam accepit, quam illius qui sola naturali est instructus: ita majorem ejus esse pœnam ostendit, et alterius minorem, dicens: « Qui peccaverunt sine lege, » scilicet scripta, sicut Gentiles, id est non eam habentes qua instruerentur, peribunt quidem, id est damnabuntur, sed sine lege peribunt, id est nullam ex transgressione legis scriptæ pœnam incurrent, sed ex transgressione naturalis legis tantum. « Et quicunque in lege peccaverunt, » id est per transgressionem quoque scriptæ legis, sicut Judæi, « per legem judicabuntur, » hoc est convinci aperte rei poterunt per professionem legis susceptæ quam non servaverunt. Sed cum major sit istorum transgressio qui legis quoque scriptæ transgressores sunt, quam legis naturalis, quare ibi dixit « peribunt, » hic dixit « judicabuntur? » Cum videlicet ea quæ judicio reservantur peccata non tantum videantur quantum illa quæ judicium non exspectant, sed statim damnant, et perire reum cogunt, absque ullo scilicet judicii examine. Sed profecto ut diximus, « judicari » dixit, pro aperte convinci; ut tanto majus peccatum appareat, quanto apertius convinci potest, ex transgressione scilicet scriptæ legis, quæ aperte a Deo coram omnibus est tradita, et miraculis confirmata. Quæ enim publico judicio damnantur, aperte arguuntur, nec post sententiam judicii approbatam, defensorem inveniunt.

« Non enim auditores. » Incipit invectio in Judæos. Dixit: « Per legem judicabuntur, » tanquam rei scilicet, quia licet legem audiant, non ideo justi sunt, nisi opera faciant quæ lex videlicet præcipit. Et hoc est: « Non enim auditores. » Hoc est, non quia sunt auditores legis, justi sunt apud Deum, id est divino judicio, quamvis humano, « sed factores, » id est, quia faciunt quæ lex præcipit. At vero cum alibi dicat neminem justificari ex operibus legis, quomodo nunc dicit factores legis justificari, nisi hoc loco factores dicat, qui amore Dei ad faciendum spontanei sunt, secundum quod bona voluntas pro opere facti reputatur, ut diximus? Non enim exteriori opere Deo placemus, sed potius ex voluntate. Hic igitur de voluntate, ibi de exteriori opere loquitur. Possumus et hic naturalem legem accipere, qua sola utuntur Gentiles. De quibus vero ait et in sequentibus, illud de lege scripta operum intellige, ut videlicet ita intelligatur, quod non illi tantum qui audiunt verba legis naturalis justi sunt, sed qui opere complent. Verba autem legis naturalis illa sunt, quæ Dei et proximi caritatem commendant, sicuti ista: « Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. » Et: « Quod vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. »

« Cum enim gentes. » Et vere non in auditu scriptæ legis, sed in opere ejus, ut dictum est, vis justificationis consistit. Quod apparet ex Gentilibus, qui quamvis legem scriptam non habeant quam audire possint, cum tamen faciunt ea opera quæ lex præcipit, æque ut Judæi salvantur. Et hoc est : « Cum enim Gentiles, » id est Gentiles qui legem scilicet scriptam non habent, « naturaliter faciunt, » id est naturali lege instructi, hoc est cognitione Dei ac discretione rationis, quam naturaliter, hoc est, ex sua creatione habent, non ex scripta alicujus doctrina: ipsi, dico, non habentes hujusmodi legem, id est scriptam exterius, sicut habent Judæi, « ipsi sibi sunt lex, » hoc est eamdem remunerationem assequuntur per seipsos sine lege scripta, quam illi per obedientiam scriptæ legis. Quippe qui exhibent exterius in opere voluntatem bonam quam habent in mente, hoc est, « opus legis scriptum in cordibus. » Cum dicit « scriptum » perseverantiam bonæ voluntatis innuit. Ut enim beatus ait Gregorius, quod loquimur transit, quod scribimus permanet. Qui itaque legis auditores sunt, quasi legem loquuntur quam in membranis scriptam, non in cordibus tenent affixam, sicut e contrario isti faciunt, « bonum eis testimonium reddente conscientia ipsorum, » hoc est securos eos faciente de justitia operum suorum bona ipsorum conscientia atque recta intentione, quæ illis, non aliis cognita est. Secundum quam quidem intentionem Deus opera pensat. « Et inter se invicem. » Diversa littera hic legi solet. Modo enim genitivi plurales ponuntur hoc modo, « cogitationum et accusantium, » aut etiam defendentium; modo ablativi sic, « cogitationibus accusantibus, etc. » Unde Augustinus, *de Civitate Dei*, lib. XX : « In cogitationibus enim, » sicut scriptum est, « impii interrogatio erit. Et Apostolus, « Cogitationibus, » inquit, « accusantibus, » vel etiam excusantibus, « in die qua « judicabit Deus occulta hominum, etc. » Idem *in Psalmum* CXVIII : « Omnia opera vel bona vel mala a cogitatione procedunt. In cogitatione quisque innocens, in cogitatione reus est. Propter quod scriptum est « Cogitatio sancta servabit te. » Et alibi : « In cogitationibus impii interrogatio erit. » Et Apostolus : « Cogitationibus, » inquit, « accusantibus aut etiam excusantibus, etc. » Idem *in Psalmum* V[1] : « Decidant a cogitationibus suis, » dictum est; decidant accusantibus se cogitationibus suis, conscientia sua, sicut Apostolus dicit, « Cogitationum accusantium seu defendentium, etc. » Puto autem hanc litteræ variationem maxime ex consuetudine Græcæ linguæ contigisse; cum videlicet Græci ablativo carentes, genitivo pro ablativo utuntur. Unde factum est, ut secundum diversas translationes ex Græco in Latinum, modo genitivus retentus est in Latino sicut erat in Græco, modo

[1] Locus mancus, sic restituendus : « Decidant ergo a cogitationibus suis, dictum est; decidant accusantibus se cogitationibus suis, testimonium perhibente conscientia sua, sicut Apostolus dicit: « Et cogitationum accusantium seu defendentium, in revelatione justi judicii Dei. » Opp., t. IV, c. 19.

prout sententia requirebat, in ablativum apud nos sit commutatus. Quamvis enim hæc Epistola, quæ ad Romanos dirigitur, primo Latine scripta intelligatur, etsi in Græcia apud Corinthum scripta fuerit; credimus tamen diversos postea ejus translatores vel expositores exstitisse, qui Græcos, ut dictum est, imitarentur, cum illam fortassis scripturam Latinam ad manum non haberent, et ideo ad exemplaria Græca recurrerent. Nunc igitur utramque litteram exponamus. Cum itaque præmissum sit, « testimonium reddente illis conscientia, » addit, « et conscientia cogitationum, etc. » Ac si diceret, et tali conscientia quæ non erret in discretione operum, ea scilicet discutiens secundum ipsas animi cogitationes, hoc est intentiones. Quæ quidem cogitationes habent accusare vel defendere apud Deum potius quam exteriora opera. Et hoc est conscientia, dico, cogitationum, id est, quæ ipsas cogitationes magis attendit quam opera. Et quare eas maxime penset, annectit, quæ accusant vel excusant apud Deum. Cogitationum, dico, inter se invicem scilicet habitarum, ut de ipsis videlicet existimaret agendum sicut de aliis; juxta illam videlicet suprapositam naturalis legis regulam : « Quod tibi fieri non vis, alii ne feceris. » Et : « Quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. » « In die. » Hoc est in tempore. « Quo judicabit Deus. » Per filium suum, id est Jesum Christum, secundum quod scriptum est : « Pater omne judicium dedit filio[1]. » « Occulta hominum, » id est intentiones potius quam exteriora opera. « Secundum Evangelium meum, » id est, sicut ego prædico asserere videlicet Deum potius intentionem, quam operum remunerationem. Si vero sit ablativus absolutus hoc modo : « Et inter se invicem cogitationibus accusantibus, etc., » continuabitur ad præmissum alium ablativum sic : « Dixi, conscientia ipsorum reddente illis testimonium, et cogitationibus suis quas habent inter se invicem, » id est, per quas sese ita ut alios pensant, ut dictum est; ipsis, inquam, suis cogitationibus, id est propriis intentionibus, subaudis reddentibus illis testimonium. Et est quasi expositio ejus quod præmissum est, « conscientia, » scilicet, « ipsorum, » ac si diceret, « cogitationibus eorum, etc. » Et quare testimonium reddatur eis, id est securos eos faciant cogitationes suæ apud Deum subdit, quia videlicet solæ, ut dictum est, cogitationes apud Deum habent accusare vel defendere. Et hoc est quod supponit, « Accusantibus aut etiam defendentibus, etc. » Quæritur autem quomodo post datum circumcisionis mandatum[2] : « Omnis anima cui caro præputii circumcisa non fuerit, etc., » Gentiles incircumcisi salvabantur, sicut Job et fortasse plerique alii, de qualibus dictum est : « Cum enim gentes, etc. » Sed si diligenter attendamus verba ipsa Scripturæ, atque ipsum circumcisionis exordium, quæ primo Abrahæ est

[1] Joan., cap. v, v. 22. — [2] *Genes.*, cap. XVII, v. 14.

injuncta, videbimus præceptum circumcisionis non fuisse generale, sed ad Abraham tantum et semen illius pertinere, id est Isaac, dicente Domino ad Abraham[1], « quia in Isaac vocabitur tibi semen, » non in Ismael videlicet. Unde et cum circumcisionem Dominus Abrahæ præciperet ait[2]: « Hoc erit pactum inter me et te, et semen tuum post te. » Origenes quoque super hanc Epistolam in sequentibus aperte convincit ex ipsis aliis Scripturæ verbis, soli populo Israel et vernaculis eorum vel emptis pecunia, circumcisionis signum fuisse præceptum. Exposito namque illo versiculo[3] : « Si igitur præputium justitias legis custodiat, etc. » diligenter circumcisionis mandatum atque rationem discutiens ait : « Non importunum videtur circumcisionis generalem discutere rationem. Dixit Dominus ad Abraham : « Tu autem testamentum meum servabis, et omne semen tuum post « te in generationes suas. Et hoc est testamentum inter me et vos, et inter me et « inter medium seminis tui post te. Circumcidetur omne masculinum vestrum, « et puer in octava die. Circumcidetur in vobis omnis masculus in generationibus « vestris, vernaculus et pecunia emptus. » Discutiamus utrum mandatum et eos qui ex gentibus crediderant constringat. Nunquam fecit proselyti, id est advenæ mentionem, sed vernaculum servum, vel pretio mercatum circumcidi jubet, non liberum. Perscrutemur ergo *Levitici* legem[4] : « Loquere, » inquit, « filiis Israel, « et dices ad eos : Mulier si pepererit masculum, octava die circumcidet, etc. » Intuere et hoc quemadmodum de lege circumcisionis tantum ad filios Israel Moyses loqui jubeatur, et alienigenarum nulla sit mentio, cum in quibusdam mandatis non solum filiis Israel, sed et proselytis et advenis loquatur. Necessario utique observanda distinctio est, quia sicut ibi dicitur, « loquere ad Aaron, » et alibi, « ad filios Aaron, » et alibi « ad Levitas, » certum est non subjacere reliquos his legibus; et quod filiis jubetur, nec alienigenæ memoria ulla fit, non est putandum commune esse mandatum, ubi appellationis habetur exceptio. Sic ergo non alius quisquam circumcisionis lege constringitur, nisi ex Abraham originem trahens, vel vernaculus eorum, vel pretio emptus. Vis autem videre, quia sicubi vult etiam alienigenas una eademque lege connecti, significanter ostendat? Audi quid scriptum sit[5] : « Homo ex filiis Israel et advenis, quicunque manduca« verit omnem sanguinem, animam illam disperdam, quia anima omnis carnis « sanguis illius est, et ego dedi vobis ut ex ipso super altare propitiaretur pro « animabus vestris, quia sanguis pro anima expiabit. » Vides ergo hanc legem, quæ et advenis data est, observari a nobis qui ex gentibus credimus. Ergo legem de observatione sanguinis communem cum filiis Israel et Gentium suscipit

[1] *Genes.*, cap. XXI, v. 12 — [2] *Genes.*, cap. XVII, v. 7. — [3] *Rom.*, cap. II, v. 26. — [4] *Levit.*, cap. XII, v. 2. — [5] *Levit.*, cap. XVII, v. 10 e sq.

Ecclesia. Hæc namque ita intelligens in lege scripta, tunc beatum illud Apostolorum concilium decernebat decreta, Gentibus scribens ut abstinerent se a sanguine et suffocato. Verum requires fortasse, si etiam de suffocato communis filiis Israel cum advenis data sit lex? Audi[1] : « Homo, inquit, ex filiis Israel et ex « advenis qui sunt in vobis, quicunque venatus fuerit feram aut avem quæ man- « ducatur, effundat sanguinem ejus et cooperiat terram, quia anima omnis carnis « sanguis ipsius est. » Verum quia inter illa quæ de *Levitico* superius protulimus, etiam hoc refertur[2] : « Homo ex filiis Israel vel ex advenis qui sunt in eis quicun- « que fecerit holocaustum aut sacrificium, et ad ostium tabernaculi non addixerit « facere illud Domino, exterminabitur de populo suo. » Et per hoc etiam videtur Ecclesia ex Gentibus holocaustis obnoxia fieri. Non ut faciat jubet, sed si forte fecerit, quomodo facere debeat docet. Certum est enim, quod dum Hierosolymis templum constaret, et religio tradita patribus vigeret, plurimi etiam Gentium veniebant ad templum adorare et offerre sacrificia. Sed hoc quoniam in loco uno tantummodo fieri præceptum est, de quo etiam etiam hic mandat ut ad ostium tabernaculi jugulanda victima deducatur, tamdiu potuit legitime fieri, quamdiu status loci permansit incolumis. Denique et Salvator ad decem leprosos, quos mundaverat, inquit[3] : « Ite, ostendite vos Sacerdotibus, et offerte pro « vobis hostias sicut præcipit Moyses. » Nunc vero quomodo exposcitur ab advenis, quod exhibere ne propriis quidem cultoribus licet? Hæc dicta sunt a nobis, ut ostenderemus præcipue de circumcisionis præcepto, quod non aliis quam his qui ex Abraham genus ducant, vernaculisque eorum vel pretio emptis, esset injunctum; liberos esse ab hujusmodi legibus eos qui per Christum Deo ex gentibus credunt. » Item : « Recuperent ergo prius statutum templum, etc. »

« Si autem cognominaris Judæus. » Gentiles, qui a genere sanctorum Patrum hæreditate remoti, o Judæe, tibi videntur, cum dicat Dominus Abrahæ, « quia in Isaac vocabitur tibi semen, » et insuper lege scripta non sunt instructi, et ita bene operantur; sed in te contra est. Quod cum incompositione quadam et improperii indignatione proferens exaggerat, dicens : « Si tu cognominaris Judæus, » hoc est, non ille Judæus exsistens, imitatione scilicet fidelium Patrum, sed solo nomine cognominaris, a Juda scilicet Patriarcha, seu a Juda Machabæo sic vocaris, etc. Origenes : « Non « diceris, » sed « cognominaris; » docet in sequentibus, quia vere Judæus ille sit, qui in occulto circumcisus est; qui autem in manifesto, ut videatur ab hominibus, non est vere, sed cognominatur Judæus. Et in *Apocalypsi*[4] : « Qui dicunt se Judæos esse, et non sunt. » Qui vere Judæus

[1] *Levit.*, cap. XVII, v. 13. — [2] *Ibid.*, v. 8 : « Homo de domo Israel et de advenis qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum sive victimam, et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit eam ut offeratur Domino, interibit de populo suo. » — [3] Luc., cap. XVII, v. 14. — [4] *Apoc.*, cap. III, v. 9.

est ab illo Juda vocabulum trahit, de quo scriptum est[1] : « Juda, te laudabunt fratres tui, etc., » quæ in Salvatore prophetata sunt. Augustinus in *Psalmum* LXXV[2] : « Judæi maxime a Juda Patriarcha appellati sunt. Nam primo de alia tribu datus est rex Saul et reprobatus, tanquam malus. Rex primus de tribu Juda David, et ex illo de tribu Juda semper reges habuerunt. Unde Judæi dicti sunt, et cœperunt reges alienigenæ ab Herode. Itaque veniente Domino, eversum est regnum Judæorum, et sublatum est ex Judæis, quia noluerunt cognoscere verum Regem. Jam videte si Judæi sint appellandi. Ipsi voce sua abdicaverunt se ab isto nomine, ut Judæi non sint digni appellari, nisi tantum carne. Sæviebant in Christum, id est genus Juda : sæviebant in semen David. Dicebant[3] : « Non habemus Regem nisi Cæsarem. » O Judæi, si non habetis Regem nisi Cæsarem, defecit jam princeps ex Juda; venit cui repromissum est. Illi ergo verius dicuntur Judæi qui Christiani facti sunt ex Judæis. Judæa vera, Christi Ecclesia est. Credimus in illum qui venit ex tribu Juda per Mariam. » Haymo : « Si autem tu Judæus cognominaris, subaudis a Juda Patriarcha, etc. » Ambrosius : « Judæo primum et Græco. Judæi ex tempore Judæ Machabæi dici cœperunt, qui in causa cladis restitit sacrilegis, et fiducia Dei collegit populum, et defendit genus suum. » Notandum vero quia hoc loco Ambrosius non dicit Judæos dici a Juda Machabæo, sed a tempore ejus sic dici, præsertim cum a cæteris libris veteris Testamenti non inveniantur sic appellati, sicut in libris Machabæorum. Qui etiamsi a Juda Machabæo sic essent appellati, videntur et a Juda Patriarcha sic nominari, cum ipse quoque Judas Machabæus ab illo Juda sic esset appellatus.

« Et requiescis in lege, » ut non fatigeris erroribus inquirendo quæ facienda sint tibi, et totum in ea studium habes occupatum, ut non ipsum ad alias protendas[4], ad scripta scilicet poetarum et philosophorum, « et gloriaris in Deo, » jactando scilicet te gloriosum de cognitione Dei et lege tibi ab ipso data, ex qua videlicet lege nosti voluntatem ejus, quod videlicet ei fieri placeat. « Et probas, » id est discernis non solum utilia ab inutilibus, verum etiam utiliora ab utilibus. « Confidis, » ut videlicet possis ostendere aliis viam justitiæ in mandatis Dei. Cæcos sive in tenebris exsistentes, sive insipientes et infantes ideo intelligit, et similiter ducem, et lumen, et eruditorem, et magistrum pro eodem accipit : ut sit quædam verborum insultatio ad confusionem eorum, non diversa significatio. Unde autem se ducem esse cæcorum confidat, id est sufficientem ad alios docendos, supponit : Te dico « habentem » ex lege « formam scientiæ et veritatis, » id est veram scientiam quæ instruere alios et informare potest ad bene agendum. Tu ergo talis ac tantus secundum judicium tuum, qui alios doces, id est corrigis, etc.

[1] *Genes.*, cap. XLIX, v. 8. — [2] *Opp.*, t. IV, col. 792, 793. — [3] Joan., cap. XIX, v. 15. — [4] Sic locus restitui posse videtur quem Amboesius male omnino legerat : *Ut non ipsas alias petendas.*

In quo autem se debeat corrigere supponit dicens. « Qui prædicas. » Ex verbis scilicet legis, etc. « Qui abominaris idola, » id est simulacrorum formas propter significatum, cum non evitas sacrilegium propter ipsum, quia in seipsum malum est. Sacrilegium dicitur violatio rei sacræ, scilicet eorum maxime quæ ad cultum Dei pertinent, veluti templum, et quæ ad ipsum spectant. Templum vero Dei sive materiale et figurativum, sive spirituale et verum Judæi violarunt, in ipso manufacto templo negotiationem exercendo, propter quam a Domino inde sunt expulsi; vel ipsum Dominum crucifigendo, qui de templo corporis sui loquens, ait[1]: « Solvite templum hoc, etc. » « Dominum inhonoras, » id est facis despicabilem aliis quantum in te est. Colorem in hoc loco rhetoricum facit, qui repetitio dicitur, habens in diversis clausulis orationis idem principium, sicut est, « qui, » quod quinquies est repetitum[2].

« Nomen enim, etc. » Cum superius singulariter dixerit, « si autem tu, » nunc vero pluraliter dicat « per vos, » plane insinuat generalem Judæi personam se introduxisse, quasi generaliter rebellem redarguens populum, de quo se esse gloriabantur isti conversi Judæi, qui Romæ erant. In quo quidem populo alios dicit reos furti esse, exstitisse, vel adhuc esse : alios adulterii, etc. Continuatio. Bene dico « inhonoras, » tu videlicet popule Judæorum, quia per vos blasphematur inter gentes, id est infideles, nomen Dei, et notitia ejus quam vos habere gloriamini. Ut enim Tullius meminit, sæpe ex vitio hominis culpari scientia solet, quasi scientia illa male operari doceat. « Sicut scriptum est. » In propheta Ezechiele his verbis[3], « nomen sanctum meum quod polluisti in Gentibus, » id est contemptui vel irrisioni haberi fecistis, et cum in se pretiosissimum esset vilificastis[4].

« Circumcisio quidem, etc. » Superius abstulit gloriationem legis datæ, per hoc quod non faciunt quæ lex præcipit, et ideo magis a lege arguuntur quam justificentur. Nunc vero per hoc ipsum quod legi non obtemperant, aufert gloriam circumcisionis. Quia sicut legis latio nil prodest suscipientibus, nisi eam servent; ita circumcisio, nisi legi obtemperent : ut videlicet cætera præcepta impleant sicut præceptum circumcisionis. Quippe qui in unum offenderit, ut alius dicit apostolus[5], reus est omnium, id est transgressor est seu contemptor totius legis, universa scilicet Dei præcepta continentis. Cum enim lex omnia simul, non unum tantum præcipiat, quisquis unum transgreditur, legem non servat, ac sic per uniuscujusque præcepti transgressionem legis violatæ reus efficitur. Nihil ergo circumcisio carnalis ad salutem prodest, si lex in cæteris violetur ; sicut et baptismus, cujus locum, beato attestante Gregorio[6], circumcisio tenebat, si in

[1] Joan., cap. II, v. 19. — [2] Amb. *Sicut est, qui, quod, quantum est repetitum.* — [3] Ezech., cap. XXXVI, v. 22. — [4] Amb. *Vivificastis.* — [5] Jac., cap. II, v. 10. — [6] *Mor.*, lib. IV, cap. III.

cæteris transgressores permaneamus, non salvat. Cum autem circumcisio in hoc tempore jam nullius sit momenti, juxta illud ipsius Apostoli *ad Galatas* scribentis[1] : « Si autem circumcidamini, Christus vobis nil proderit, » id est nihil jam utilitatis vobis ex illo signo conferet, apparet hoc loco Apostolum ad statum priorem legis spectare, in quo utilis erat circumcisio. De quo quidem statu legis quamvis jam præterito et quantum ad carnales observantias defuncto, ibi nunc etiam Judæi conversi gloriabantur. Si vero Apostolus ad suum nunc tempus respiciens dicat : « Circumcisio quidem prodest si legem observes, » tale est ac si dicat : Circumcisio nunc prodest, si sit spiritualis, potius quam carnalis, quæ Gentili æque sicut et Judæo communis est. Custodia igitur legis spiritualem circumcisionem facit, id est separationem a vitiis, quæ per carnalem circumcisionem figuratur. Tale est ergo si legem custodias, ac si diceret : Si sit spiritualis circumcisio cordis potius quam corporis, quia superfluum est signum ubi deest per negligentiam signatum.

« Si autem prævaricator, » id est transgressor, etc. « Præputium » vocatur illa particula genitalis membri, quam de summitate illius præcidebant circumcidentes. Et dicitur præputium, quasi amputando, id est præscindendo, quamvis putare modo pro incidere non sit in usu, sicut amputare. Dicitur tamen in *Canticis*[2] : « Tempus putationis advenit, » id est amputationis. Quemadmodum autem circumcisio carnis circumcisionem cordis, id est separationem a carnalibus vitiis significat, ita præputium retentum immunditiam carnalium desideriorum demonstrat. Unde Judæi et Gentiles, qui præputium habebant, non præputiatos, id est immundos, verum ipsum præputium, id est ipsam immunditiam vocabant. « Circumcisio tua, etc. » In sola videlicet carne tua, inquam, quam approbas, quam facis, non Deus. « Præputium facta est tibi, » id est, quodammodo immunditia, quoniam magis reus convinceris post susceptum circumcisionis sacramentum et professionem observandæ legis, si eam non observes, quam si hoc non fecisses. « Si ergo. » Quasi a contrariis infert, quandoquidem tua circumcisio, id est carnalis, præputium fit tibi, id est, magis te inquinat et damnat si legem non observes. Igitur præputium Gentilis, si ipse lege naturali quod scriptum est impleat, « reputabitur ei a Domino in circumcisionem, » id est ipsi corporale præputium habentes æstimabuntur divino judicio ejusdem esse meriti, cujus sunt et spiritualiter circumcisi. Non enim hic repetit « circumcisionem tuam, » ut carnalem intelligat, sicut superius posuit : sed simpliciter dicit « circumcisionem, » ut spiritualem insinuet a Deo factam. Qui etiam cum dicit « præputium illius, » sicut superius « circumcisionem tuam, » carnaliter intelligit præputium, corporis scilicet

[1] Galat., cap. v, v. 2. — [2] *Cantic.*, cap. II, v. 12.

particulam, non cordis immunditiam. Alioquin non diceret « reputabitur præputium in circumcisionem. » Si præputium, id est ipsa præputiata Gentilitas, quam vos scilicet Judæi quasi ad ignominiam præputium vocatis, « custodiat legis justitias » potius quam figuras, id est impleat moralia caritatis præcepta, quæ unumquemque justificant, nonne præputium illius, id est ipsa Gentilitas proprium habens præputium, carnale videlicet cum quo ipsa nascitur, reputabitur a Deo digna præmio vere et spiritualiter, ut dictum est, circumcisorum, et ipsum præputium legem consummans, id est adimplens? Plenitudo enim legis, ut postea dicitur, est dilectio. Quod videlicet consummare legem, est ei ex natura, id est ex instructione legis naturalis illa, quæ duo dicimus, continentis præcepta caritatis : Quod tibi non vis, etc., « judicabit te, » id est, reum manifeste convincet, qui lege etiam scripta instructus, de qua gloriaris, bene agere negligis. Te dico, Judæe, « qui prævaricator es legis, » id est transgressor per litteram occidentem, id est litteralem sensum, carnale signum in quibus confidis, significantibus maxime, non significatis adhærens, id est figuris potius quam rebus ipsis, et similitudini potius quam veritati.

« Non enim qui. » Bene dico præputium per bonorum operum exhibitionem reputari in circumcisionem, et bene dico circumcisionem per mala opera transire in præputium. Nam illi carnaliter circumcisi etsi in manifesto dicantur Judæi, non tamen vere, id est corde sunt Judæi, sed potius illi supradicti Gentiles, quanquam nullo modo reputarentur Judæi vel circumcisi. Manifesti Judæi dicuntur, qui solo nomine et natione Judæ Judæi nuncupantur, foris Dominum voce confitentes, et mente ab eo recedentes. De quibus dicitur[1] : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. » « Sed qui in abscondito Judæus est. » Confitentes Deum in corde ubi Deus videt, et qui Deo servire satagunt, non ad hominum aspectum. « Neque quæ in manifesto est circumcisio, » id est quæ manufacta est, « in carne, » id est in carnis ablatione, non est circumcisio, id est non vera vitiorum damnatio et concupiscentiæ destructio, sed vera circumcisio est illa quæ est cordis, id est per quam ab animo vitia et concupiscentiæ amputantur. Circumcisio, dico, in spiritu, non littera, id est, juxta spiritualem et mysticum, non litteralem sensum facta. « Cujus, » scilicet Judæi vel circumcisionis spiritualis, « laus est ex Deo » quia Deus eam approbat, non homines, id est carnales, qui videlicet legem carnaliter tantum, non spiritualiter intelligunt, et opera magis quam animum pensant, videntes in facie, non in corde.

« Quid ergo amplius, etc. » Oppositionem quam possent Judæi facere contra prædictam rationem objicit sibi Apostolus, ut eam solvat. Dicerent enim Judæi :

[1] Matth., cap. xv, v. 8.

Tu dixisti circumcisionem transire in præputium, et præputium transire in circumcisionem. Ergo quid amplius Judæo quam Gentili est? Quæ majora beneficia contulit Judæis quam Gentilibus, qui dicebantur canes et immundi? Aut quæ utilitas circumcisionis, id est circumcisorum? Hoc quidem quasi expositio præcedentis subditur. Poterant quippe cum ait, « Judæo soli, » intelligi illi qui ad tribum Judæ pertinent, a quo dicti sunt Judæi. Et quod dicitur, « quid amplius, » poterat tam ad bonum quam ad malum se habere, et fortasse magis ad malum, cum Judæos in proximo maxime vituperasset. Est autem consuetudo Apostoli, sicut per præputium Gentes, ita per circumcisionem Judæos accipere. « Multum » videlicet amplius utilitatis Judæo quam Gentili olim a Domino collatum est. « Per omnem modum, » id est, modis omnibus, lege scilicet eos instruendo, et miraculis innumeris, et beneficiis confirmando, et ad amorem suum provocando. « Sed hoc primum, » id est, maximum illud fuit inter bona Dei, quod legem eis dedit; ut non solum naturali sicut Gentiles, verum insuper scripta lege instruerentur. Et hoc est quod ait « primum » id est, maximum fuit illud beneficium, quod sunt illis « credita, » id est commissa, « eloquia Dei in lege et Prophetis. » Quod quidem donum et eos erudire, et in perpetuum retinere potest. Nota tamen quod non ait commissa, sed credita; quasi ad tempus eis sit hæc doctrina accommodata; quæque ad nos per spiritualem et rectam ejus intelligentiam transitura erat, et in carnalibus ejus observantiis, in quibus maxime confidebant Judæi, cessatura. Quasi et creditor eloquiorum suorum Deus dicitur, pro quibus ab his quibus ea credit, quasi pretium obedientiam requirat. Verba Dei eloquia dicit, quasi extra alia locutionum genera per excellentiam, « propter eorum, » id est, obedientiæ fructum et salutiferam doctrinam.

« Quid enim. » Qua causa, diceret aliquis de eloquiis divinis datis illi populo, tamen propter incredulitatem ejus bona ipsi promissa Deus non compleverit, sive de reparatione humani generis per Filium suum, sive de quibuscunque promissionibus? Quod quidem duobus modis refellit Apostolus ostendendo non omnes in populo fuisse incredulos, ut penitus illi populo promissa negarentur, nec Deum, quia verax est, promissiones suas posse cessare. Sic lege: Bene dixi maximum illud esse de eloquiis divinis, per quæ sibi alliceret populum suum. Nam quid impedit propositum divinum? « Si quidam illorum non crediderunt, » illis eloquiis, hoc est his quæ ibi promittebantur vel prædicebantur, « nunquid incredulitas illorum, » qui videlicet non crediderunt, « fidem Dei, » id est, per quam Deo crediderunt, « evacuavit, » ut videlicet non evenerit quod ipse Moyses, Josue et cæteri fideles crediderunt? « Absit, » ut scilicet eorum fides sit evacuata, id est, frustrata in his promissis ibi prædictis quæ crediderunt. « Est autem

Deus. » Dixi : Absit, nec inconsiderate, sed provide, cum sit « Deus verax, » id est, stabilis seu immobilis in his quæ promittit aut prædicit.

« Omnis autem homo mendax, » id est, mutabilis in suo proposito, ut videlicet facile ejus consilium aut voluntas mutari queat. Forte quæritur si homo in Christo unitus divinitati mentiri aut peccare potuerit, quamvis in eo quod præmissum est, « est autem Deus verax, » et statim subjunctum est, « omnis autem homo mendax, » Deus homo exclusus videatur; ut de puro homine tantum accipi debeat quod dictum est, « omnis homo mendax, » non de homine qui Deus est. Nemo autem ambigere debet hominem illum Deo unitum, postquam ei unitus est, aut dum ei unitus est, nullatenus peccare posse : sicut eum qui prædestinatus est, postquam prædestinatus, vel cum prædestinatus sit, damnari non posse. At vero si simpliciter dicitur hominem illum, qui unitus est, nullo modo peccare posse, potest quilibet ambigere. Si enim penitus peccare non potest, aut male facere, quod meritum habet, cavendo peccatum quod nullo modo potest committere, aut quomodo etiam cavere id dicitur quod nullatenus incurrere potest? Unde Boethius *contra Eutychen et Nestorium* de homine quem Deus assumpsit : « Quando, inquit, fieri potest, ut talem assumpserit hominem, qualis Adam fuit ante peccatum, cum in Adam potuerit esse peccandi voluntas atque affectio? » Scriptum præterea est in laude justi [1] : « Qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit, iste in excelsis habitabit, etc. » Et hoc quidem ad liberum hominis arbitrium pertinet, ut in ejus sit potestate agere bene et male. Quod si Christus non habuit, libero videtur privatus arbitrio, et necessitate potius quam voluntate peccatum cavere, et ex natura potius quam ex gratia id habere. Quippe quod per gratiam cujus collatum est, ex dono ei potius quam ex naturæ suæ proprietate venit, non tam naturale quam gratuitum est dicendum, quod ex dono alterius potius quam ex nobis habemus. Quis etiam neget hominem illum ex anima et carne, qui Deo unitus est, in unam videlicet personam, etiam sine illa unione, sicut cæteros homines, in sua natura consistere posse? Alioquin minoris valitudinis esse videretur, si per se ipse subsistere non posset sicut cæteri homines; et magis accidentis quam substantiæ naturam habere. Quod si per se etiam exsistere posset, cur non et peccare sic posset ut cæteri? Videtur itaque nobis ut in hac quoque, sicut in cæteris rebus, vires propositionum diligenter attendamus, quando videlicet cum determinatione possibile aut necesse ponitur, et quando simpliciter prædicatur, id est, sine apposita determinatione. Verum quippe est, si simpliciter dicatur quod eum qui prædestinatus est, et qui salvandus est, possibile est damnari, cum omnino possibile

[1] *Eccli.*, cap. XXXI, v. 10.

sit eum fuisse non prædestinatum, nec salvandum : non tamen cum determinatione verum est dicere, quod eum possibile est damnari, cum sit prædestinatus, vel cum sit salvandus. Sic et eum, qui curtatus est, possibile est habere duos pedes, cum sit omnis homo bipes, et eum qui cæcus est possibile est videre ; non tamen possibile est postquam curtatus est, vel postquam cæcus. Alioquin possibile esset regressionem de privatione ad habitum fieri, quod penitus falsum est. Sic et fortasse non est absurdum nos concedere simpliciter, quod cum hominem, qui Deo unitus est, possibile sit peccare, non tamen postquam unitus vel dum unitus est. Christum vero, id est, Deum simul et hominem modis omnibus impossibile est peccare, cum videlicet ipsum Christi nomen Dei et hominis exprimat unionem. Ac sic quod dictum est, « omnis homo mendax, » modis omnibus vera videtur esse enuntiatio.

« Sicut scriptum est, ut justificeris. » Probat per auctoritatem Psalmi, quam verax sit Deus in promissis suis complendis, et stabilis in suo proposito. Promiserat quippe Dominus ad David, quod de semine ejus Christus nasceretur. Quæ quidem promissio post adulterium David cassanda omnino videbatur, et omnino incongruum videbatur, ut ulterius de semine tam peccatoris hominis Filius Dei carnem susciperet, et ita Deum qui hoc ei promiserat, mendacem fieri oporteret. Quod nequaquam posse contingere, idem qui tam graviter deliquerat attendens aiebat[1] : « Tibi soli peccavi, id est, ad honorem tui tantum, qui etiam iniquitatem bene ordinas, et ad gloriam tuam omnia convertis. « Et malum coram te feci, » id est te sciente, quem nihil latet : ut per hoc appareat quam justus sis, qui videlicet cum scias me promeruisse, ut non mihi promissa custodias ; tamen quia justus es et verax, non potes promissionem tuam frustrare. Si enim peccatum hoc Deum lateret, non videretur causa quare promissionem non impleret. Nunc autem cum sciat peccatum committi, et peccantem meruisse contrarium, servat tamen immobilem suæ veritatis constantiam, adimplendo scilicet promissa. « Ut justificeris in sermonibus tuis, » id est ut exsequendo sermones tuos, de promissionibus quas mihi fecisti, justificeris, id est justus et verax appareas. « Et vincas » scilicet humanum judicium, « cum judicaris » ab hominibus, id est argueris mendacii, tanquam qui non possis ulterius propter delicta mea tuam promissionem adimplere.

« Si autem. » Oppositionem ad præmissa ipse inducit Apostolus, quasi diceret : Dictum est Deum justificari, id est justum et veracem maxime apparere ex peccatis ; cum illam scilicet promissionem illius impedire nequeant, immo etiam ipsa ad gloriam suam convertat. Sed si peccata mea ita, ut dictum est, in præ-

[1] *Psalm.* L, v. 6.

misso exemplo de David, « Justitiam Dei commendant, » id est ad laudem et gloriam veritatis ejus proficiunt : « Quid dicemus, » id est poterimus respondere objectioni sequenti, quæ ait, « Nunquid iniquus est Deus qui infert iram ? » id est vindictam propter peccata, quæ ejus, ut dictum est, justitiam commendant, id est, eum maxime laudabilem ostendunt de incommutabili suæ veritatis proposito. Et quoniam non ex persona hoc sua Apostolus objicit, quasi non ei videretur ut in hoc ageret inique, addit, « Secundum hominem dico, » id est secundum animalem, qui non sapit ea quæ Dei sunt; non secundum spiritualem, qui dijudicat omnia, tam in divinis quam in humanis æquum rationis judicium tenet, et ideo, « Absit » ut hoc scilicet recipiamus, Deum inique agere, puniendo peccata, quæ etiam ad ejus proficiunt gloriam; ut quamvis peccata non sint bona, bonum tamen sit esse peccata. Unde est illud Augustini in *Enchiridio* : « Non fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. Non dubitandum est Deum facere bene, et sinendo fieri quæcunque fiunt male. Non enim hoc nisi justo judicio sinit. Et profecto bonum est omne quod justum. » Item : « Nam nisi esset hoc bonum ut essent mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono. » « Alioquin, » id est, si aliter esset quam dicimus, hoc est, si inique faceret Deus, inferendo vindictam pro peccatis; quomodo mundum, id est universos, tam bonos scilicet quam malos judicaret, eis videlicet pro meritis vel gloriam vel pœnam retribuendo?

« Si enim veritas. » Ad suprapositam objectionem iterum redit, quasi eam commendans, quod scilicet bene iniquus videtur Deus puniendo peccata, si ipsam justitiam ejus commendant, quia nec jam pro peccatis reputari debent, sed pro bonis quæ ejus veritatem commendant. Et hoc est, « si enim veritas Dei abundavit in gloriam ejus ex meo mendacio, » id est, immobilitas suæ veritatis laudabilior efficitur ex mutabilitate et inconstantia meæ professionis, qui licet ei mentiar, ipse tamen mihi mentiri non potest. « Qui dijudicor. » Adhuc dum videlicet id quod facio ad ejus gloriam proficit, tanquam peccator, id est, qua ratione ea quæ facio pro peccatis reputanda sunt. « Et cur non potius faciamus mala ut veniant bona, » id est peccemus, ut ex nostris peccatis glorificetur Deus ? « Sicut blasphemamur » a quibusdam, et « sicut aiunt nos dicere, » me scilicet et cæteros spirituales, qui dicimus etiam mala tam bene ordinari, ut ad gloriam Dei proficiant. Unde et ipse etiam prædictus Doctor in XI, *de Civitate Dei*[1], cum de bonitate et malitia diaboli loqueretur, ait : « Deus, sicut naturarum bonarum optimus creator est, ita malarum voluntatum justissimus ordinator. » Item ibidem de diabolo : « Deus cum eum conderet, futuræ malignitatis non erat ignarus, et

[1] Cap. XVII et XVIII, *Opp.*, t. VII, col. 458 et 459.

prævidebat quæ bona de malis ejus esset ipse facturus. » Item post aliqua : « Neque enim Deus ullum, non dico angelorum, sed vel hominum creasset, quem malum esse futurum præscisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum usibus commendaret[1]. « Idem in *Enchiridio*[2] : « Neque enim Deus omnipotens cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis ; nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret et de malo. »

« Quorum, » scilicet nos blasphemantium, id est, non tam pro existimatione sua quam propter nos blasphemandos id dicentium. Adeo namque mala quoque a Deo bene ordinari datum est, ut hoc etiam gentilis ille philosophus Plato manifeste professus sit, dicens : « Nihil enim fit, cujus ortum non legitima causa et ratio præcedat. »

« Quid ergo. » Dixi talium nos blasphemantium justam esse damnationem, ex quo nos maxime commendasse videmur, quasi tales simus ex nostris meritis, in quibus nihil sit blasphemandum. « Quid ergo, » id est, num quid potest dici quia præcellimus tales juste damnandos, id est, ex propriis meritis et nostra virtute digniores sumus illis ? « Nequaquam » sed potius ex Deo quam ex nobis est, si quid boni habemus, sicut et in sequentibus ait. Quia non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei, quia ejus misericordia sufficiens est ad salutem potius quam nostra valitudo, quoniam ex nobis omnes simul culpabiles sumus, sicut superius ostendimus tam de Judæis quam ex Gentibus omnes inexcusabiles esse. Et hoc est, « Causati enim sumus, » id est, quasi in causam accusando traximus tam Judæos quam Græcos, quos sapientiores esse convenit. « Omnes sub peccato esse, » id est, et reos esse et pœnæ debitos, tanquam transgressores. Et hoc quidem ad generalem revertitur invectionem, colligens ex scripturis testimonia, quibus omnes pariter reos et inexcusabiles convincat.

« Sicut scriptum est. » In Psalmo videlicet cxv[3] : « Quia non est justus quisquam, etc. » Psalmus hic ubi testimonia hæc apud nos continentur, quasi generalem invectionem facit in omnes qui tempus suæ visitationis non cognoscentes, quasi pro abominatione habuerunt Dominum pro humana redemptione incarnari et pati. Unde et alibi idem Apostolus[4] : « Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. » Ait itaque Psalmus : « Dixit insipiens, » id est animalis homo, qui non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, de arcano videlicet illo nostræ reparationis mysterio, cum infirmitatem assumpti hominis inspiceret : « Non est Deus, » dixit hic quidem non verbis negando tantummodo, sicut Petrus eum negando, sed et corde, quia etsi credidit, hoc est, paucissimi et quasi nulli sunt qui justi sunt, id est, unicuique

[1] Aliter *Commodaret*. — [2] Cap. xi, *Opp.*, t. VI, col. 349. — [3] *Psalm.* cxv, v. 11. — [4] I *Corinth.*, cap. i, v. 23.

reddentes quæ sua sunt. Absit enim, ut credamus Ecclesiam a primo electo usque ad novissimum in aliquibus saltem fidelibus non perseveraturam, quæ et ante legem multos et post legem plures, sicut et ipsum qui hunc Psalmum composuit, et sub gratia colligit multos. Unde et in ipso adventu Domini jam ex maxima parte in Israel facta cæcitate, nonnullos legimus superesse, velut Simeonem, Annam, atque ipsam Domini matrem cum sponso suo Joseph, et patrem et matrem Joannis Baptistæ cum ipso. Sæpe autem cum dicitur « omnis, » vel « nullus, » non generaliter, sed ad maximam partem dicitur. Veluti si dicatur de civitate, in qua pauci sunt boni, omnes mali sunt qui in ea habitant : vel, nulli boni sunt in ea. Hinc est illud Hieronymi *ad Damasum papam* de filio prodigo : « Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt. » Nunquid Angeli Throni? Omnia ergo intelligit Propheta eloquia divina, secundum illud quod sæpe exposuimus, omnia non ad totum esse referendum, sed ad partem maximam : ut[1], « Omnes declinaverunt ; » et[2], « Omnes qui ante me venerunt fuerunt fures et latrones. » Et[3], « Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem. » Et[4], « Omnes quæ sua quærunt, non quæ Jesu Christi. » Quare autem non sit justus quisquam, supponit. « Quia non est intelligens Dominum aut requirens ipsum. » Non est intelligens Dominum, id est, non curat ejus promissis vel minis attendere, quia animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, sed est sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Et quia non est intelligens Dominum, nescit requirere eum per pœnitentiam, quem amisit per negligentiam. Quam quidem negligentiam annectit, dicens, « Omnes declinaverunt. » Hoc est studium suum, relicto Deo, converterunt ad sæculum, ut pro temporalibus contemnerent æterna, atque ita omnes pariter, tam Judæi scilicet quam Gentes, « inutiles sibi facti sunt. » Nemo quippe tam iniquus est, ut omnino inutilis fiat : cum ipsis etiam malis Deus, ut dictum est, optime utatur, sicut nequitia Judæ sive diaboli. In uno quippe et eodem facto, et Deus Pater, et Filius, et Judas cooperati sunt. Quia Pater Filium, et Filius seipsum, et Judas tradidit Dominum. Traditio illa, quam et Judas operatus est, communem omnium redemptionem est operata. Per prædicationem quidem Petri apostoli aliqui conversi sunt et salvati. Judæ vero nequitiam in salutem omnium Dominus convertit. Ad majorem utilitatem nobis malo istius quam illius bono divina usa est gratia. Diaboli quoque nequitiam quis dubitet a Deo semper bene ordinari, cum et ipse nihil nisi Deo permittente faciat, vel puniendo reos, vel probando justos, vel quidlibet agendo? Unde et potestas illius non nisi justa esse potest, sicut voluntas illius non nisi injusta : qui a Domino potestatem, a se vero habet voluntatem. Non est enim

[1] *Psalm.* XIII, v. 3. — [2] Joan., cap. X, v. 8. — [3] I *Corinth.*, cap. IX, v. 22. — [4] *Philipp.*, cap. II, v. 21.

potestas, ipso attestante postea Apostolo, nisi a Deo. Unde et Veritas iniquo Præsidi ait [1] : « Non haberes in me potestatem, nisi datum tibi esset desuper. » Qui itaque male agunt, sibi potius inutiles quam omnino inutiles intelligendi sunt; cum in ordine rerum nihil inutiliter aut superflue agi divina, ut ostendimus, dipositio permittat. Quomodo autem declinaverunt omnes, aut a quo declinaverunt? a bono scilicet opere supponit, dicens : « Non est qui faciat bonum, » qui bene operetur, et quod debet impleat. Quamvis enim bona videatur traditio Domini, quæ a Juda facta est, et simul ut dictum est a Patre sive a Filio, non tamen id Judas bene fecit, quod perversa intentione, id est, ex cupiditate pecuniæ commisit. Omnia quippe opera ex intentione pensanda esse Dominus docuit, dicens [2] : « Si oculus tuus simplex fuerit, etc. » Alioquin Judæ quoque opus, in quo tam Pater quam Filius misericorditer sunt operati, bonum dicendum esset. « Non est usque ad unum. » Repetitio est præmissi illius, videlicet quod dictum est, « non est qui faciat bonum, » ut determinatio subderetur, ne generaliter dictum putaretur. Tale est itaque ac si diceret : Non est qui faciat bonum, inquam, usquequo veniat credendo et per amorem se copulando ei qui vere unus est, et immutabilis per naturam, et singularis per eminentiam, id est Deo sive Christo, qui est unus Dei et hominum mediator, per cujus fidem in sequentibus salvari nos astruet sine operibus legis. Potest etiam ita intelligi. « Non est qui faciat bonum usque ad unum, » ac si diceret : Vix est qui faciat bonum, id est fere nullus est qui faciat. Fere enim nullus est, nec unus tantum superest. « Sepulcrum patens. » Tres isti sequentes versiculi, qui in nostro Psalterio habentur, in Hebræo, teste Origene sive Hieronymo, minime ita continue leguntur. Unde Origenes super hanc Epistolam : « In nonnullis, inquit, exemplaribus Latinorum, ea quæ subsequuntur in tertio decimo psalmo consequenter inveniuntur; in Græcis autem pene omnibus non amplius in tertio decimo psalmo scriptum est quam usque ad illum versiculum ubi scriptum est : « Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. » Sed et quod dixit Apostolus : « Sicut scriptum est : « Quia non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum, » non eisdem sermonibus in Psalmo, sed alii permutantur, alii assumuntur, alii relinquuntur. Et quod dixit : « Non est justus quisquam, » puto quod ex eo sumpserit : « Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. » Quod vero dicit : « Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, » in quinto Psalmo reperies [3]. « Venenum aspidum, sub labiis eorum, » ex quodam Psalmo [4] assumptum puto, immutatis sermonibus [5]. « Quorum os maledictione et amaritudine plenum est [6], » ex nono Psalmo vide-

[1] Joan., cap. XIX, v. 11. — [2] Matth., cap. VII, v. 22. — [3] *Psalm.* V, v. 11. — [4] *Psalm.* CXXXIX, v. 4. — [5] Locum in editione Amboesiana prorsus mutilum ex ipso Origenis textu restituimus. — [6] *Psalm.* XIII, v. 3.

tur acceptum. « Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, » vel in Isaia invenies[1], vel in Proverbiis[2]. « Sed contritio et infelicitas in viis eorum, et viam « pacis non agnoverunt, » non quidem ad integrum recordor, ubi scriptum sit, suspicor tamen in uno Prophetarum inveniri posse. In Psalmis autem scriptum est[3]: « Non est timor Dei ante oculos eorum. » Hæc autem testimonia videtur congregasse ut ostenderet, quia quod causatur Judæos et Græcos omnes sub peccato esse, non tam sua quam Scripturæ sententia pronuntiat, omnes sub peccato esse quos, vel naturali vel scripta lege, ne peccent constat edoctos. » Hieronymus in Præfatione libri XVI in Isaiam *ad Eustochium* : « Quæstiunculam detulisti, quod octo versus qui leguntur in ecclesiis, et in Hebraico non habentur, tertii decimi Psalmi, Apostolus usurparet, « Sepulcrum patens, etc. » Animadverti hoc testimonium de Psalmis et Isaia esse contextum. Nam duo primi versus, « Sepulcrum patens est, etc, » quinti psalmi sunt. Illud autem quod sequitur, « Venenum aspidum sub labiis eorum, » centesimi tricesimi noni psalmi. Rursum quod dicitur : « Quorum os maledictione et amaritudine plenum, » de nono psalmo scriptum est. Tres autem versiculi qui sequuntur, « Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt, » in Isaia reperiuntur. Ultimus versus, id est octavus, « Non est timor Dei ante oculos eorum, » in tricesimi Psalmi quinti principio est. » Item : « Denique omnes Græciæ tractatores qui nobis eruditionis suæ in Psalmos commentarios reliquerunt, hos versiculos annotant atque prætereunt, liquido confitentes in Hebraico nec haberi, nec esse in Septuaginta Interpretibus, sed in editione vulgata quæ Græce κοινή dicitur, et in toto orbe diversa est[4]. » Nunc autem litteram persequamur. Dictum est : « Omnes declinaverunt, et non est qui faciat bonum, » et non solum declinaverunt, verum etiam ut alios faciant declinare, et plurimum noceant, nituntur, quasi eis non sufficiat ut soli damnentur, sed quasi ad defensionem sui sociam quærant multitudinem. Guttur quoniam formandæ vel proferendæ vocis instrumentum est, sermonem significat, qui per guttur emittitur. Sermo itaque eorum ad malum persuadens, quasi sepulcrum patens est, ex concepta mente nequitia, quasi ex fœtore inclusi cadaveris alios corrumpens atque astantium nares offendens, id est, naturalem eorum discretionem perturbans, ac vitians. « Linguis suis. » Quasi expositio est præmissi parabolice dicti, cum dicit eos in dolo loqui, id est, contra conscientiam suam ea commendare ad quæ persuadent, vel vituperare a quibus dehortantur.

« Venenum aspidum. » Quod et ipse Moyses[5] insanabile dicit, ac per hoc præ

[1] Isai., cap. LIX, v. 7. — [2] *Prov.*, cap. I, v. 16. — [3] *Psalm.*, cap. XIII, v. 3. — [4] Hieronymi Opp. t. III, p. 415. — [5] *Deuteron.*, cap. XXXII, v. 33.

cæteris pœnis testatur esse mortiferum, criminalia peccata significat, quæ quasi venenum suis persuasionibus infligunt aliis. Hæc autem videlicet peccata, ad quæ persuadent, sub labiis eorum esse dicuntur, id est callidis eorum sermonibus ita occultari, ut animadverti ab audientibus non possint. Possumus et per venenum aspidum insanabile, illud in Spiritum sanctum irremissibile peccatum accipere, quando quis videlicet per invidiam vel cupiditatem aliquam opera illorum, quæ a Deo fieri non dubitat, diabolo tribuit: sicut nonnulli Judæorum faciebant, qui ut populum a Christo averterent, opera ejus tanquam diabolica vituperabant : quæ tamen Spiritu Dei, id est, divina gratia fieri non dubitabant, et ideo in Spiritum Dei, id est, divinæ gratiæ donum peccare dicebantur, cum scienter diabolo tribuerent, unde glorificare Deum deberent, contra propriam mentientes conscientiam. Quod quidem peccatum etsi per pœnitentiam deleri posset, ita tamen divino sancitum judicio, ut nullus in hoc lapsus resipiscendo redeat, atque ideo irremissibile dicitur. Hoc autem peccatum sub labiis eorum latebat, non in labiis apparebat; quia dum sic contra propriam conscientiam delinquerent, aliud in corde habebant quam ore proferebant. « Quorum os, » id est tam sibi ipsis quam acquiescentibus, maledictionem acquirit a Domino, et amaritudinem illam, videlicet de qua per Prophetam dicitur[1] : « Vox diei illius amara, tribulabitur ibi fortis. » Tale est « maledictione et amaritudine, » ac si diceretur amara illa maledictione, qua dicetur reprobis in damnationem eorum[2] : « Ite, maledicti, in ignem æternum. » Est quidem alia maledictio quasi dulcis et paterna, quando aliquibus anathematis maledictionem inferimus ad correctionem potius quam ad damnationem.

« Veloces eorum pedes, » id est, affectus habent pronos ad homicidia, etsi opere non permittantur implere. Pes enim, quo incedimus, affectum, id est voluntatem significat, quo ad operationem perducimur. « Contritio et infelicitas, » id est infelix contritio est, « in viis eorum, » id est in operibus, per quæ ad mortem præparantur æternam, alios etiam secum conterentes, ac per exempla etiam corrumpentes, ut sint quasi pulvis dissoluti quem projicit ventus a facie terræ, id est, diabolica tentatio, quæ huc et illuc impellit et dejicit a stabilitate terræ viventium. « Et viam pacis, » id est, omnino in viis suis damnatione conterentur, quia viam Dei non cognoverunt, id est Christum, per quem tanquam mediatorem Dei et hominum Deo pacificati et reconciliati sumus, qui est pax nostra, ut idem ait Apostolus, et facit utrumque unum. Qui et de semetipso ait[3] : « Ego sum via, ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur. » Hanc quidem viam non cognoverunt, id est Christum, qui pro infirmitate carnis eum contempserunt, aut

[1] Sophon., cap. I, v. 14. — [2] Matth., cap. XXV, v. 41. — [3] Joan., cap. X, v. 9.

purum hominem crediderunt, ac per hoc tanquam Dominum eum reveriti non sunt, nec Joanni crediderunt, de eo quidem comminanti et dicenti[1] : « Jam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis enim arbor quæ non facit fructum, etc. » Hoc est quod supponit : « Non est timor Dei, » id est, oculis carnalibus suis, quibus infirmitatem ejus percipiebant, actum est, ut eum tanquam Deum non metuerent, cum sola ejus infirmitas humanitatis, non majestas appareret divinitatis.

[1] Matth., cap. III, v. 10; Luc., cap. III, v. 9.

LIBER SECUNDUS.

« Scimus autem. » Redit Apostolus ad invectionem Judæorum, ut sicut abstulit eis gloriationem de circumcisione, auferat et de lege vel quibuscumque carnalibus observantiis, ne forte maxime legem in eo commendasse videretur, quod dixerat « primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. » Legis ergo gloriationem per hoc primum aufert, quod eos per legem magis argui quam justificari convincit. Continuatio : Induxit testimonia ex lege, id est veteri Testamento, per quæ omnes reos esse, tam Judæos scilicet quam Gentiles, astrueret. Sed scimus Judæos maxime his argui, quibus quidem solum, non de solis, lex loquitur, cum eis solis data fuerit atque imposita. Et hoc est quod ait : « Scimus autem, etc., » ac si diceret : Quamvis præmissa testimonia contra Gentiles quoque ex lege collegerimus, tamen scimus legem non eis fuisse locutam, quibus data non fuerat, licet de eis. « Sed his tantum qui in lege sunt, » id est, professioni susceptæ legis tenentur astricti. Notandum legis nomine quandoque proprie quinque tantum libros Moysis comprehendi, quandoque etiam totum vetus Testamentum, sicut in hoc loco. Unde Augustinus *de Trinitate*, libro XV[1] : « Legis nomine aliquando omnia veteris Testamenti eloquia, aliquando autem proprie lex dicitur, quæ per Moysem data est. » « Ut ita omne os obruatur, » id est, compescatur et conticeat a sua gloriatione, et non aperiatur nisi in glorificationem Dei, cum scilicet intellexerimus illius quoque peculiaris populi Dei maximam gloriam, quam ex lege habebant, tanquam per ejus opera se justificari arbitrantes, nullam esse reputandam. « Et ita subditus, » id est, humiliet se Deo, nihil de sua gloriatione præsumens, quæ eis etiam, qui magni apud Deum videbantur, ablata est. « Quia ex operibus legis, » id est corporalibus ejus observantiis, quæ maxime populus ille attendebat, veluti circumcisionem, sacrificia, observationem sabati et cæterorum hujusmodi figuralium præceptorum. « Non justificabitur coram illo, » id est, apud Deum, « omnis caro, » id est omnis ea carnaliter tantum, non spiritualiter adimplens, licet coram hominibus, id est humano judicio, quod de exterioribus et visibilibus judicat, justi tales reputentur.

« Per legem enim. » Ad duo præmissa duo refert. Ad illud quo ait, « ut omne

[1] Cap. XVIII, *Opp.*, t. VIII, col. 988.

os obstruatur, et subditus, etc., » istud subjungit : « Per legem enim. » Ad illud vero aliud : « Quia ex operibus, etc., » istud supponit : « Nunc autem sive, etc. » Sic continuat. Quare per legem compesci a sua gloriatione homines debeant, quia per eam inexcusabiles a peccatis suis maxime redduntur, quæ per eam cognoverunt potius quam amiserunt, immo etiam auxerunt, et in sequentibus dicturus est[1] : « Ut fiat supra modum peccans peccatum. » « Nunc autem. » Dixi ex operibus propriis legis scriptæ, id est figurativis illis præceptis quæ lex naturalis ignorat, neminem justificari apud Deum; sed nunc, id est, in tempore gratiæ, justitia Dei, id est quam Deus approbat et per quam apud Deum justificamur, id est caritas, est manifesta, per Evangelicam scilicet doctrinam, « sine lege, » id est carnalibus illis et propriis observantiis legis, illa tamen, dico, « justitia testificata a lege et prophetis, » qui eam quoque præcipiunt. Unde vero hæc justitia pendeat, statim annectit dicens : « Justitia autem Dei. » Fidem Christi dicit quam de ipso habemus; eum, sive ei vel in eum credendo. Unde et cum adjecit, « qui credunt, » non addidit horum aliquem, ut æque ad omnia se haberet. Ex fide, quam de Christo habemus, caritas in nobis est propagata, quia per hoc quod tenemus Deum in Christo nostram naturam sibi unisse, et in ipsa patiendo, summam illam caritatem nobis exhibuisse, de qua ipse ait[2] : « Majorem hac dilectionem nemo habet, etc., » tam ipsi quam proximo propter ipsum insolubili amoris nexu cohæremus. Unde et in sequentibus scriptum est : « Quis ergo nos separabit a caritate Dei? tribulatio, etc. » Et rursum : « Certus sum enim quia neque mors, etc. » Justitia, dico, habita supra omnes fideles, id est in superiori eorum parte, id est in anima, ubi tantum dilectio esse potest, non exhibitione operum exteriorum.

« Non est enim. » Bene dixi super omnes pariter, tam Gentiles scilicet, quam Judæos, quia nulla est eorum differentia ex hac justitia Dei per fidem Christi, sicut olim erat ex operibus legis. Quia sicut omnes peccaverunt, ita indifferenter justificati sunt per hanc summam gratiam a Deo nobis exhibitam. Et hoc est quod ait : « Omnes enim peccaverunt et egent gratia Dei, » id est opus habent, quasi ex debito, Dominum glorificare. « Justificati gratis, » id est, quia justificati sunt, non prævenientibus meritis eorum, sed per gratiam ipsius, id est Dei, qui prior dilexit nos. Quæ vero sit illa gratia, id est gratuitum et spirituale ipsius donum, supponit dicens : « Per redemptionem nostram factam per Christum, quem proposuit nobis Deus Pater propitiatorem, » id est reconciliatorem. « In sanguine suo, » id est, per mortem suam, et quia non omnibus, sed solis credentibus hæc propitiatio proponitur a Deo, id est constituitur, addit : « Per fidem, »

[1] *Rom.*, cap. VII, v. 13. — [2] Joan., cap. XV, v. 13.

quia eos solos hæc reconciliatio contingit, qui eam crediderunt et exspectaverunt. « Ad ostensionem suæ justitiæ, » id est caritatis, quæ nos, ut dictum est, apud eum justificat, id est, ad exhibendam nobis suam dilectionem, vel ad insinuandum nobis quantum eum diligere debeamus, qui proprio Filio suo non pepercit pro nobis. « Propter remissionem, » id est, ut per hanc justitiam, id est caritatem, remissionem peccatorum assequamur, et sicut per semetipsam Veritas de beata peccatrice ait : « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. » Remissionem dico habitam, vel præcedentium, inquam, delictorum, « in sustentatione Dei, » id est propter patientiam Dei, qui non statim punit reos et perdit peccatores, sed diu exspectat ut redeant per pœnitentiam, et cessent a peccato, et sic indulgentiam consequantur. « Ad ostensionem. » Primo dixerat simpliciter ad ostensionem justitiæ suæ, nunc vero addit : « In hoc tempore gratiæ, » id est amoris potius quam timoris. Cum itaque ait justitiæ ejus, id est suæ, in hoc tempore scilicet gratiæ, aperte insinuat quam justitiam primo intellexerit, id est caritatem quæ hominibus nostri temporis, id est temporis gratiæ, tanquam propria convenit. Potest et quod dicitur « in sustentatione Dei, » ad consequens referri, id est, ad hoc quod subjungitur, « ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore, » ut sit videlicet sensus, Dominum ad hoc sustinuisse vel distulisse in præcedenti tempore, ut manifestaret justitiam suam quam diximus, id est caritatem, in hoc tempore. « Ut sit ipse justus » voluntate, « et justificans » operatione, id est, ut et velit implere per Christum quod promiserat, de redemptione scilicet vel justificatione nostra, et sicut voluerit, opere adimpleat. « Eum qui ex fide est Jesu Christi, » id est qui credit eum Jesum, id est salvatorem, per hoc quod Christus est, id est Deus et homo.

Quæstio. Maxima hoc loco quæstio se ingerit, quæ sit ista videlicet nostra redemptio per mortem Christi, aut quomodo nos in ejus sanguine justificari Apostolus dicat, qui majori supplicio digni videmur, quia id commisimus iniqui servi, propter quod innocens Dominus occisus sit. Primo itaque videtur quærendum qua necessitate Deus hominem assumpserit, ut nos secundum carnem moriendo redimeret, vel a quo nos redemerit qui nos vel justitia vel potestate captos tenet : et qua justitia nos ab ejus potestate liberaverit, qui præcepta dederit, quæ ille suscipere vellet ut nos dimitteret. Et quidem[1] dicitur, quod a potestate diaboli nos redemerit, qui per transgressionem primi hominis, qui se ei sponte obediendo subjecerat, jure quodam omnem quoque ejus potestatem possidebat, ac semper possideret, nisi liberator veniret. Sed cum solos electos liberaverit, quando eos diabolus possidebat sive in hoc sæculo, sive in futuro, magis quam

[1] Amboesius *Quod.*

modo? Numquid et pauperem illum, qui in sinu Abrahæ requiescebat, sicut divitem damnatum diabolus cruciabat, licet minus eum torqueret, aut et in ipsum Abraham dominium habebat, cæterosque electos? Quando in eum malignus ille tortor dominium haberet, qui portatus ab angelis in sinum Abrahæ commemoratur, de quo etiam ipse Abraham testatur dicens[1]: « Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris? » Et insuper chaos magnum firmatum esse asserit inter electos et reprobos, ut nequaquam hi ad illos transire possint, nedum diabolus omnibus nequior ibi dominium habeat, ubi nullus iniquus locum vel et transitum habet. Quod etiam jus in possidendo hominem diabolus habere poterat, nisi forte quia eum, Domino permittente aut etiam tradente, ad torquendum ipsum susceperat? Numquid enim si aliquis servus Dominum suum deserere vellet, et alterius potestati se subdere, et sic agere liceret, ut non jure, si vellet, eum Dominus requireret, atque reduceret? Quis etiam dubitet quod si servus alicujus domini persuasionibus suis conservum suum seducat, et ab obedientia proprii domini declinare faciat; quanto amplius apud dominum suum reus constituatur seductor quam seductus, et quam injustum sit, ut is qui alium seduxerit, aliquod inde privilegium vel potestatem in eum quem seduxit habere meruerit, qui, etiamsi prius in eum jus haberet, ex hac ipsa seductionis suæ nequitia jus illud amittere meruerit? Scriptum quippe est: « Privilegium meretur amittere, qui commissa sibi potestate abutitur. » Quod alter alteri ex his conservis præponendus esset, et potestatem in eum accepturus, nequaquam oporteret nequiorem præesse qui nullam penitus habet privilegii rationem: sed magis rationi consentaneum esset, ut is qui seductus est, in eum qui sibi seducendo nocuit, districtionem exerceret vindictæ. Præterea diabolus immortalitatem quam homini ex transgressione promisit, dare non potuit; ut per hoc jure aliquo retinere posset. His itaque rationibus convinci videtur quod diabolus in hominem quem seduxit nullum jus seducendo acquisierit, nisi forte, ut diximus, quantum ad permissionem Domini pertinebat, qui eum illi quasi carcerario vel tortori suo ad puniendum tradiderat. Nec enim ille nisi in Dominum suum peccaverat, cujus obedientiam deseruerat. Si ergo Dominus suus ei dimittere peccatum vellet, sicut et Mariæ Virgini factum est, et multis etiam ante passionem suam Christus fecit, ut dictum est de Maria Magdalene, et quemadmodum scriptum est ad paralyticum Domino dicente[2]: « Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua: » si ita, inquam, sine passione homini transgressori ignoscere Dominus vellet, et dicere tortori suo: Nolo ut amplius eum punias: quid juste torquere posset tortor, qui nil, ut ostensum est, juris in torquendo acceperat, nisi ex ipsa Domini permis-

[1] Luc., cap. XVI, v. 25. — [2] Matth., cap. IX, v. 2.

sione? Si ergo Dominus hoc permittere cessaret, nullum tortori jus superesset, cui quidem conquerenti vel murmuranti adversus Dominum statim responderi a Domino conveniret [1] : « An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum ? » Non fecit Dominus injuriam diabolo, cum de massa peccatrice carnem mundam et hominem ab omni peccato immunem susceperit. Qui quidem homo non hoc meritis obtinuit, ut sine peccato conciperetur, nasceretur et perseveraret, sed per gratiam suscipientis eum Domini. Numquid eadem gratia si cæteris hominibus peccata dimittere vellet, liberare eos a pœnis potuisset ? Peccatis quippe dimissis, propter quæ in pœnis erant, nulla superesse ratio videtur, ut propter ipsa amplius punirentur. Qui ergo tantam exhibuit homini gratiam, ut eum sibi uniret in personam : non posset minorem impendere, dimittendo scilicet ei peccata ? Quæ itaque necessitas, aut quæ ratio, vel quid opus fuit, cum sola visione sua divina miseratio liberare hominem a diabolo potuisset : quid, inquam, opus fuit propter redemptionem nostram Filium Dei, carne suscepta, tot et tantas inedias, opprobria, flagella, sputa, denique ipsam crucis asperrimam et ignominiosam mortem sustinere, ut etiam cum iniquis patibulum sustinuerit ? Quomodo etiam nos justificari vel reconciliari Deo per mortem Filii sui dicit Apostolus, qui tanto amplius adversus hominem irasci debuit, quanto amplius homines in crucifigendo Filium suum deliquerunt, quam in transgrediendo primum ejus in paradiso præceptum unius pomi gustu ? Quo enim amplius multiplicata sunt per homines peccata, irasci Deum hominibus amplius justum fuerat. Quod si tantum fuerat illud Adæ peccatum, ut expiari non posset, nisi per mortem Christi, quam expiationem habebit ipsum homicidium quod in Christum commissum est, tot et tanta scelera in ipsum vel in suos commissa ? Numquid mors innocentis Filii in tantum Deo Patri placuit, ut per ipsam reconciliaretur nobis, qui peccando commisimus, propter quod innocens Dominus est occisus ? Nec nisi hoc maximum fieret peccatum, illud multo levius potuit ignoscere, nec nisi multiplicatis malis tantum bonum facere ? In quo etiam justiores facti sumus per mortem Filii Dei, quam ante eramus, ut a pœnis jam liberari debeamus ? Cui etiam pretium sanguinis datum est, ut redimeremur, nisi ei in cujus potestate eramus, id est ipsius, ut dictum est, Dei qui nos tortori suo commiserat ? Neque enim tortores, sed domini eorum captivorum componunt aut suscipiunt. Quomodo etiam pretio hos captivos dimisit, si ipse prius hoc pretium exegerit aut instituerit, ut captivos dimitteret ? Quam vero crudele et iniquum videtur, ut sanguinem innocentis in pretium aliquod quis requisierit, aut ullo modo ei placuerit innocentem interfici, nedum Deus tam acceptam Filii sui mortem habuerit, ut per ipsam universo

[1] Matth., cap. xx, v. 15.

reconciliatus sit mundo ? Hæc et his similia non mediocrem movere quæstionem nobis videntur, de redemptione scilicet vel justificatione nostra per mortem Domini nostri Jesu Christi.

Solutio. Nobis autem videtur quod in hoc justificati sumus in sanguine Christi, et Deo reconciliati, quod per hanc singularem gratiam nobis exhibitam, quod Filius suus nostram susceperit naturam, et in ipso nos tam verbo quam exemplo instituendo usque ad mortem perstitit, nos sibi amplius per amorem astrinxit : ut tanto divinæ gratiæ accensi beneficio, nil jam tolerare propter ipsum vera reformidet caritas. Quod quidem beneficium antiquos Patres etiam hoc per fidem exspectantes, in summum amorem Dei tanquam homines temporis gratiæ, non dubitamus accendisse, cum scriptum sit[1] : « Et qui præibant, et qui sequebantur, clamabant dicentes : Hosanna filio David, etc. » Justior quoque, id est, amplius Dominum diligens quisque fit post passionem Christi quam ante, quia amplius in amorem accendit completum beneficium quam speratum. Redemptio itaque nostra est illa summa in nobis per passionem Christi dilectio, quæ nos non solum a servitute peccati liberat, sed veram nobis filiorum Dei libertatem acquirit; ut amore ejus potius quam timore cuncta impleamus, qui nobis tantam exhibuit gratiam, qua major inveniri, ipso attestante, non potest[2] : « Majorem hac, inquit, dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis. » De hoc quidem amore Dominus alibi ait[3] : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat ? » Ad hanc itaque veram caritatis libertatem in hominibus propagandam se venisse testatur. Quod diligenter attendens Apostolus in sequentibus ait[4] : « Quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ut quid enim Christus, etc. » Iterum[5] : « Commendat autem suam caritatem Deus in nobis. Quoniam cum adhuc, etc. » Quæ quidem plenius suo loco exponemus. Nunc autem succincte, quantum ad expositionis brevitatem pertinet, de modo nostræ redemptionis quod videtur nobis sufficiat. Si qua vero desunt perfectioni, *Theologiæ* nostræ tractatui reservamus. « Ubi est. » Dixi sine lege justitiam manifestari nunc per fidem Christi super omnes pariter qui credunt. Igitur, o Judæe, ubi est amplius gloriatio tua, illa scilicet singularis, quam habebas de lege et corporalibus ejus observantiis ? Nam exclusa est, id est, ablata tibi et annullata. « Per quam legem ? » Scilicet est exclusa per legem « factorum, » id est aliquorum exteriorum operum ? « Non, sed per legem fidei, » ut dictum est, Jesu Christi, id est caritatem ex fide nostræ salvationis per Christum venientem.

[1] Marc., cap. XI, v. 9. — [2] Joan., cap. XV, v. 13. — [3] Luc., cap. XII, v. 49. — [4] *Rom.*, cap. V, v. 5. — [5] *Rom.*, cap. V, v. 8.

Nam et antequam aliquis baptizetur, si jam credit et diligit, sicut Abraham de quo scriptum est[1] : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam, » et fortasse Cornelius nondum baptizatus, cujus eleemosynæ susceptæ sunt a Deo, et de præteritis peccatis vere pœnitet, sicut publicanus qui de templo descendit justificatus : eum justum dicere non dubito, seu justitiam habere, qui unicuique reddit quod suum est. Unde et ex utero sanctificatos Jeremiam et Joannem dicimus, ubi specialiter illuminati Dominum jam cognoscebant, et diligebant ; quamvis eis adhuc necessarium esset suscipere circumcisionem, quæ tunc locum obtinebat baptismi. Quare ergo, inquies, istos tales postea circumcidi vel baptizari oportuit, qui jam antea erant, ex fide scilicet et caritate quam habebant, et quos, si tunc morerentur, salvari necesse esset? Nemo quippe juste mori potest, vel habens caritatem, qui damnatur. Rursus nemo, sine baptismo vel martyrio, post datam de baptismo sententiam, salvari potest. Mori tamen poterat, cum caritatem habebat, ante baptismum vel martyrium, eo quidem tempore quo, inquies, si moreretur, et salvari eum necesse esset et damnari. Nos autem dicimus omnem qui Dominum sincere et pure propter ipsum jam diligit, prædestinatum ad vitam, nec unquam præveniendum morte, donec ei vel per prædicationem vel per Spiritum sanctum Dominus revelet quidquid ei de sacramentis fuerit necessarium, et insuper facultatem hoc percipiendi tribuerit. Quod vero opponitur, eum qui ante baptismum jam justus erat, credendo atque diligendo Deum, in eo tempore etiam esse, in quo si moreretur, et salvari eum et damnari oporteret, hoc opponi potest de quolibet criminaliter peccante, qui ad vitam prædestinatus est, sicuti de David adulterante. Sicut enim illum, qui justus erat, salvari oporteret, sic justum qui prædestinatus est, sicut non baptizatum, damnari necesse esset, sic istum adulterantem. Fuit itaque et David in quodam tempore, in quo si moreretur, et damnari eum et salvari oportebat. Sed rursus, si in illo tempore fuit, in quo non posset mori bene, et in nullo in quo non male posset mori, quamdiu habuit liberum voluntatis arbitrium : non tamen omnino in aliquo fuit, in quo necesse esset eum et bene et male mori. Immo in nullo tempore necesse fuit aliquem bene mori, vel in nullo aliquem male mori, sed in singulis temporibus, in quibus potest aliquis bene mori, potest in eisdem male mori. In nullo tamen conjunctim verum est dicere, eum posse mori simul bene et male. Sic et de illo qui caritatem habet ante baptismum, et per hoc justus est, concedimus quod in nullo tempore fuerit, in quo necesse esset eum salvari et damnari simul, si moreretur. Posset quippe is qui caritatem habet ante baptismum, sine caritate tunc esse, et

[1] *Rom.*, cap. IV, v. 3.

sic mori et damnari tantum. Posset et mori baptizatus in eo tempore in quo nondum est baptizatus, et sic salvari. Quod si dicas conjunctim eum posse simul et habentem caritatem et non baptizatum, non recipio magis quam si diceres aliquem posse mori adulterantem[1] et prædestinatum. Sic vero eum qui prædestinatus est bene agere oportet, ut salvetur : sicut eum, qui jam justus est, credendo et diligendo, baptizari propter fixam Domini sententiam de baptismo, vel propter ipsam justitiæ perseverantiam. Si enim is qui caritatem, antequam baptizari, habet, priusquam baptizetur vitam finiret, nequaquam in ipsa caritate perseveraret, ut de æterna beatitudine penitus desperaret, et se statim in ipso exitu esse in perpetuo damnandum præsentiret. Sicut autem ante baptismum aliquem ex fide, id est electione justum jam dicimus, cui tamen in baptismate nondum sunt peccata dimissa, id est, pœna eorum penitus condonata : sic et post baptismum parvulos et qui nullius discretionis sunt, quamvis remissionem perceperint peccatorum, nondum tamen justos dicimus, quamvis mundi sint apud Deum, qui nondum aut caritatis aut justitiæ capaces esse possunt, nec aliqua merita habere. Qui tamen si in hac imbecillitate moriantur, cum incipiunt de corpore exire, et vident sibi per misericordiam Dei gloriam præparatam, simul cum discretione caritas Dei in eis nascitur. Ne quis itaque Judæorum nobis, immo Apostolo posset opponere, nos quoque per legem factorum, id est exteriorum operum, sicuti baptismi justificari : sufficiat nos hoc de nostra justificatione, immo omnium, quæ in caritate consistit interposuisse, et antequam sacramenta suscipiantur sive nostra sive illorum. Quod et Propheta considerans ait : « In quacunque hora peccator ingemuerit, salvus erit. »

« Arbitramur enim. » Nos scilicet, quos Dominus præposuit, id est, censemus vel testificamur. Unde, ut ait Haymo, arbitros dicimus judices sive testes. « Hominem omnem. » Scilicet tam Judæum quam Gentilem. « Per fidem » tanquam scilicet ei necessariam, quia sine fide impossibile est Deo placere. Per fidem dico, « Sine operibus legis » illis videlicet exterioribus et corporalibus observantiis. « An Judæorum. » Arbitramur, et bene, quia etiam Gentes gratiam Dei assequuntur per fidem, quæ tamen legis opera non servant, sicuti Job Gentilis olim, et nunc etiam Gentiles conversi. Et hoc est quod ostendit dicens, « An Judæorum tantum est Deus » per gratiam? « Quoniam quidem. » Ac si diceret, utrorumque est per gratiam, quia utrosque justificat per fidem, quæ ad caritatem, ut diximus, perducit. « Circumcisionem, » id est Judæos. « Præputium, » id est Gentiles. Quod dicit, « ex fide in fidem, » diversitas est locutionis, non sententiæ. Unde Augustinus in libro *de Spiritu et littera :* « Non ad diffe-

[1] Male Amb. *Adultum.*

rentiam dictum est, tanquam sit ex fide aliud per fidem, sed ad varietatem locutionis.» «Legem ergo.» Quoniam quidem per fidem sine operibus legis dicimus homines posse salvari, ergo legem destruimus per fidem, id est per commendationem fidei eam irritam monstramus. «Absit:» immo «legem statuimus.» Id est volumus ut lex per omnia compleatur. Ille enim veraciter etiam figuralia nunc implet præcepta, qui illud facit vel credit, quod nunc tantum illa habent figurare, non efficere; non tam sonum vocis, quam sensum et intentionem attendens jubentis. Denique, ut ipse ait Apostolus[1], «plenitudo legis est dilectio,» de qua etiam, commemoratis ejus præceptis, Dominus ait diviti[2]: «Hoc fac, et vives.»

«Quid ergo.» Quoniam quidem exteriora illa opera legis justitiam non habent conferre, quid ergo justitiæ vel utilitatis «dicemus invenisse Abraham secundum carnem?» Id est, per illas carnales observantias, veluti circumcisionis vel sacrificiorum, ac si diceret, nihil. Cum dicit «patrem nostrum,» id est quem imitari debemus, quasi filii ejus per doctrinam: quæstionem suam agitat, quasi et nos eam in istis sequi debeamus. «Si enim.» Et vere non est per illa exteriora justitiam assecutus, divino judicio, quia per illa nullum apud Dominum pretium habet, et hoc est: «Si justificatus est ex operibus:» id est si exteriora, quæ justitiæ hominibus videbantur, exercuit, «habet quidem gloriam, sed non apud Deum.» Id est apud homines, qui de visibilibus judicant, magnus per hoc habetur: non apud Dominum, qui cordis inspectator est et renum probator, et in abscondito videt. «Quid enim.» Et bene dico, non ex operibus Abraham justificari apud Deum, sed ex fide, quia sic habemus ex testimonio Scripturæ. Et hoc est, «Quod enim dicit Scriptura.» Hoc est, attendimus quod scriptum est in *Genesi*, hoc videlicet quod sequitur.

«Credidit Abraham Deo.» Id est promissionibus divinis, sive exeundo de terra sua, ut multiplicaretur in aliena, sive de promissione filii sui, et quæcunque ei promisit, quantumcunque incredibilia vel magna videntur. Hæc autem est vera illa fides, quæ per dilectionem operatur. Cum itaque dicit, «credidit Deo,» tale est: Credendo exsecutus est libenter jussa Domini. «Et reputatum est hoc ei a Domino ad justitiam.» Id est ad obedientiam fidei quæ eum apud Dominum justum constituit: non circumcisio, vel cæteræ corporales observantiæ, quæ in lege postea scriptæ sunt. «Ei autem.» Ac si diceret: Non sine causa dico quod Abraham, si ex operibus justificaretur, haberet gloriam, id est, maximam laudem inter homines, sed non apud Deum: sed propter hoc dico, quod ei «qui operatur, imputatur» ab hominibus. «Merces secundum debitum,» hoc est, suæ acquisitionis et propriæ virtutis id dicitur esse, non ex aliena

[1] *Rom.*, cap. XIII, v. 10. — [2] Luc., cap. X, v. 28.

gratia conferri, cum apud Dominum sola amantis fides ad justitiam sufficiat. Et hoc est, quod sequitur : « Ei vero qui non operatur » legalia videlicet opera, sed per fidem ei vere cohæret, qui justificat impium, et hoc est, « Credenti in eum qui justificat impium, » deputatur ab eo scilicet, qui justificat impium, id est, a Deo. « Fides autem ad justitiam» id est, remunerat eum pro hac fide tanquam justum. Hic aperte Apostolus determinavit, cum ait, « credenti in eum, » qualem fidem intelligit. Aliud est enim credere Deum, ut videlicet ipse sit : aliud est Deo, id est, promissis vel verbis ejus, quod vera sint : aliud in Deum. Tale quippe est credere in Deum, ut ait Augustinus super Joannem, amare, credendo diligere, credendo tendere ut membrum ejus efficiatur. Credunt itaque dæmones quoque et reprobi Deum, credunt Deo, sed non in Deum; quia non diligunt, nec diligendo se ei incorporant, id est Ecclesiæ, quæ ejus corpus est, per devotionem aggregant. Quomodo autem deputatur supponit, « Secundum propositum gratiæ Dei. » Secundum hoc quod in proposito divinæ bonitatis consistit, quæ magis animum quam opera remunerat. Alioquin multi, qui facultatem operandi non habent, cum tamen habent voluntatem, reprobarentur.

« Sicut et David dicit, » id est, exponit nobis, « beatitudinem hominis cui Deus accepto, » id est per suam misericordiam suscepto, cum[1] ipse surgere per se ad Deum non valeret, « fert justitiam, » quia ipse cui affertur sumere per se non poterat. Fert, inquam, « sine operibus legis, » scilicet legalibus. Quod enim ait, « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, etc., » generaliter dicitur : Quicunque sint, sive Judæi sive Gentiles, remittitur iniquitas, quando pœna ejus condonatur per gratiam, quæ exigi poterat per justitiam : ac per hoc jam ipsam gratiam quasi fundamentum Scriptura constituit, ut quidquid deinceps superædificetur, præeunti gratiæ deputetur. Remissis autem iniquitatibus, qualiter ad perfectionem divina gratia hominem perducat prosequitur, cum deinde addit peccata tegi, ac denique nec imputari. Remittuntur quidem peccata per pœnitentiæ gemitum, de quo dicitur : « Quacunque hora peccator ingemuerit. » Quia priusquam ei vere displicet iniquitas, et omnis mala ejus voluntas abscedit : jam ita est Deo peccator reconciliatus, ut a gehennæ pœnis sit liberatus, nec unquam gehennam incurrat, si in hoc gemitu moreretur, paratus ad omnem quam posset satisfactionem. Tunc autem tecta sunt peccata, quando in hoc seculo satisfactio sequitur. Quæ quidem satisfactio et purgatorias exstinguit seculi alterius pœnas, cum prius pœnitentia pœnas deleverit damnatorias et gehennales. Tunc ergo tecta sunt ante oculos Judicis peccata, quando nec pro eis nihil videt quod puniat.

[1] Male Amb. *Misericordiam susceptionis ipse surgere.*

« Beatus vir. » Eum primum plurali numero beatum enuntiat, et virum nominat dicens, « Beatus vir, etc. » Nisi quia divinæ gratiæ beneficia usque et ad singularem illum hominem ostendit, qui in unam Christi personam Deo unitus est. Cujus etiam beatitudinem eodem Propheta describente, in ipso statim capite libri scriptum est : « Beatus vir qui non abiit. » Vir quippe a viribus dictus est ideo quia ille qui nihil debilitatis ex corruptione peccati traxit, qui fortior fortem alligavit, et arma diripuit, quasi vir singulariter per excellentiam dicitur. Alii vero cooperatione ipsius quasi effeminati et molles omnes exsistunt, terrenis voluptatibus subjacentes. Huic autem omnino si sit immunis a peccato, nullum Dominus imputavit peccatum, quia nulla eum pœna pro peccato dignum judicavit aliquo vel originali vel proprio, qui nec in peccato conceptus fuerit, nec peccatum aliquod commiserit. Possumus etiam tunc beatitudinem nominata hominum salvatorum vel salvandorum genera intelligere. Unum quidem genus est parvulorum baptismo vel martyrio sanctificatorum, et quorumlibet vere pœnitentium, quibus in hac vita satisfactionem pœnitentiæ non licet explere. Aliud vero genus est, quasi per condignam satisfactionem peccata corrigere. Tertium vero genus in unius salvatoris singularitate, ut expositum est, permanet. Cum itaque ait : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, » solam intelligit remissionem, quam scilicet nulla hic satisfactio sequitur. Parvuli autem, juxta Psalmistam, in iniquitatibus concepti sunt : illis, in quibus concepti et nati iniquitates remittuntur, dum originalis peccati damnationem pro eis, ut diximus, non incurrunt. Cæteri enim, sicut supra meminimus, per satisfactionem bonorum operum peccata corrigunt præterita. Et hoc quidem ipsa constructionis proprietas exigere videtur, ut cum hæc dicuntur, « quorum et quorum, » non eosdem intelligamus, sed diversos. Alius enim sensus, si semel proferatur « quorum, » hoc modo : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates et tecta sunt peccata. » Alius si repetitum bis dicatur, sicut præsens habet littera. Semel quippe dictum eosdem, duplicatum diversos insinuat.

Quæstio de gratia Dei et meritis hominum hoc loco se ingerit, quæ sint apud Deum videlicet merita nostra, cum omnia bona ejus tantum gratiæ tribuenda sint, qui in nobis operatur, eodem attestante Apostolo, et velle et perficere pro bona voluntate. Unde et alibi ait[1] : « Quid autem habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? » Quærendum est in quo merita nostra consistant, in voluntate scilicet tantum, an etiam in operatione, id est, quid ad gloriam sine pœna, Deus in nobis remuneret, et utrum virtus ad beatitudinem sufficiat, et si in operatione non prorumpat, et utrum opus exte-

[1] I *Corinth.*, cap. IV, v. 7.

rius quod bonam vel malam voluntatem sequitur, meritum augeat, et cum omnis virtus sit animi, et in ipso fundata consistat, utrum omne peccatum similiter animi sit, et quid inter vitium animi et peccatum differat, et quot modis peccatum dicatur. Sed quia hoc maxime ad ethicam pertinet considerationem, et diutius in his dirimendis immorandum esset, quam brevitas expositionis postulat, nostræ id ethicæ discussioni reservemus[1].

« Beatitudo ergo. » Quando quidem ostensum est quot modis beatitudo dicatur sive habeatur, illud etiam videamus a quibus habeatur, id est, a circumcisis tantum, an etiam a præputiatis. Et hoc est, quod quærendo ait : Ergo hæc beatitudo, quam videlicet in Deum assequimur si non operibus etiam legis credendo, « manet in circumcisione tantum, » id est in circumcisis, an etiam in præputiatis? Quæ vero sit hæc beatitudo, quam videlicet in Deum assequimur, determinat, dicens eam esse quam Abraham consecutus est, cum ex fide fuit justificatus. Et hoc est quod subdit : « Dicimus enim, » id est, ex supposito convincimus testimonio, « quia Abrahæ fides, » qua, ut expositum est, in Deum credidit, « reputata est ei apud Deum ad justitiam, » id est Deus eum justum esse reputavit, et remuneratione justorum dignum judicavit. Dixi : Reputata est; ergo quæramus in ipso Abraham « quomodo, » id est quando sit ei reputata fides ejus ad justitiam, utrum videlicet antequam circumcideretur, vel post, ut per eum videlicet, et de cæteris hominibus judicare possimus, utrum videlicet, soli circumcisi hanc beatitudinem justitiæ assequantur, an non. Et hoc est quod ait : « Quomodo, » scilicet requirendo et statim solvendo. « In circumcisione, » id est, priusquam circumcisus fuit. « In præputio, » id est, antequam circumcideretur, dum adhuc videlicet præputium retineret. « Et signum accepit. » Forte quæreret aliquis quare superflue circumcisionem acceperit Abraham, cum ante justificatus fuerit, nihilque in ea justificationis acceperit. Et ideo hanc quæstionem præveniens ait, non ad justificationem aliquam eum hoc signum exterius suscepisse, sed ad sanctificationem et ostensionem justitiæ, quam jam habebat in mente dum adhuc in præputio esset. Et hoc est quod dicitur : « signum accepit, etc., » id est circumcisionem accepit pro signo, et cujus rei signo statim supponit : « Signaculum, » id est pro signaculo id est signo, « Justitiæ fidei, » quæ est etiam in præputio, id est, in præputiatis nihilominus quam in circumcisis, ut videlicet tali signo justitiam potius designaret quam adipisceretur. Justitia fidei dicitur, quæ est in mente, ad differentiam illius quam solent homines justitiam appellare, quam scilicet exterius exercent in vindicta malorum, vel in beneficiis aliquibus exigendis. Unde scriptum est[2] : « Attendite ne

[1] Vide infra opus cui titulus *Ethica seu Scito teipsum*, lib. I, cap. I et sqq. — [2] Matth. cap. VI, v. 1.

justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis. » Possumus etiam ita variare signum et signaculum, ut circumcisio ipsa alterius rei signum sit, alterius vero signaculum : signum quidem sit carnalium Abrahæ filiorum, et signaculum spiritualium; cum ipse tam Judæorum secundum carnem, quam Gentilium per fidem, pater sit constitutus. Et quippe, juxta Haymonem, signaculum quasi sigillum quod alicui rei imprimitur ut lateat, atque ideo bene referendum videtur ad spirituales filios Abrahæ ex Gentibus futuros, qui nondum apparebant. Circumcisio itaque, quæ in ipso incœpit, et in carnali ejus posteritate est reservata, tam signum quam signaculum fuit, quia et per eam distinguebantur a cæteris populis filii Abrahæ carnales, et præsignabantur futuri ex Gentibus filii ejus spirituales, qui videlicet per fidem imitarentur. Unde et bene Ismael, quem secundum carnem, non secundum virtutem miraculi genuit, circumcisus legitur[1], per quod videlicet carnalium Abrahæ filiorum circumcisio signaretur exterior per quam, ut dictum est, carnalis Israel cognosceretur. Isaac vero qui postea natus est, Gentilis populi postea vocati spiritualem a vitiis circumcisionem exprimit, quam et proselyti figurabant. Recte itaque Apostolus signum et signaculum distinguens quantum ad Judæos carnales Abrahæ filios, et Gentiles filios ejusdem etiam spirituales, dixit primitus signum circumcisionis, id est signum carnalis Israel, per quod videlicet populus ille a cæteris distinguebatur, et post modum signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, id est sacramentum spiritualis circumcisionis, quam solam habent fideles ex Gentibus collecti. Potest etiam signaculum quasi expressum signum intelligi, juxta quod in laude apostatæ angeli dicitur[2] : « Tu signaculum similitudinis, etc. » Per hoc quippe circumcisionis signum maxime justus ac spiritualis homo exprimitur, qui voluptatibus carnis propter Deum renuntiat, et a se illas amputat, quæ maxime in renibus dominantur et per genitalia exercentur. Potest et signaculum quasi diminutivum accipi a signo, id est primum signum justitiæ Abrahæ. Non enim erat magnum illam cuticulam ad imperium Dei amputare, ad comparationem eorum quæ postea spirituales Abrahæ filii tam Martyres quam reliqui Sancti pro Christo sustinuerunt. Potest et sic distingui signum et signaculum, ut quod signum magnum est in carne tam bonis videlicet quam malis commune, parvum est signum justitiæ, quia pauci sunt qui Abrahæ ita per justitiam cohæreant, sicut per carnem. Signum itaque est secundum carnem, sed signaculum, id est, parvum signum secundum justitiam, quia in multis Abrahæ posteris secundum carnem est dilatatum, sed in paucis secundum justitiam contractum. Unde bene dicit signum circumcisionis,

[1] *Genes.*, cap. XVII, v. 26. — [2] Ezech., cap. XXVIII, v. 12.

scilicet exterioris, quæ omnibus æque convenit, et signaculum justitiæ quæ paucorum est.

Nunc vero pauca de virtute et sacramento circumcisionis discutienda sunt, quid videlicet ipsa conferret aut figuraret, et quare potius in membro genitali et virili, non femineo instituta sit, et in octava die jussa fieri in infantibus. In adultis quippe nullum erat circumcidendi determinatum tempus, nisi quando ad Judaismum converterentur. Constat autem hoc idem apud antiquos circumcisionem valuisse, quod nunc apud nos baptismus efficit. Unde ait Augustinus *de Nuptiis et concupiscentia*, lib. I [1] : « Ex quo enim instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiæ fidei, ad significationem purgationis valebat et in parvulis veteris originalis peccati, sicut et baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo est institutus. » Gregorius in *Moralibus*, lib. IV [2] : « Quod valet apud nos aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe descenderant mysterium circumcisionis. » Ex his itaque liquet cirumcisionem apud antiquos eamdem vim obtinuisse in remissione peccatorum, quam habet modo baptismus : et tamen qui modo baptizati statim moriuntur, regnum cœlorum statim ingrediuntur : quod tunc non fiebat, quia scilicet hostia nondum erat soluta, in effusione videlicet sanguinis Christi, sicut nec illi qui baptismo Christi baptizati, fortassis ante passionem ejus mortui sunt, januæ cœlestis aditum adhuc habere poterant. Non enim nisi per mare rubrum transitum habuerunt Israelitæ ad terram promissionis, hoc est baptismus qui per mare designatur, non potest sine rubore, id est sanguinis Christi effusione, quemquam ad veram promissionis terram, id est cœlestem Jerusalem transmittere. Quemadmodum vero baptismo Christi hostia postmodum adjuncta regnum cœlorum contulit, ita eadem circumcisione præcedentium subsecuta idem eisdem præstitit. Est autem circumcisio carnis signum interioris animæ circumcisionis, sicut ablutio exterior baptismi signum interioris animæ mundationis per peccatorum remissionem. Maxime autem in genitali membro, quo per carnalem concupiscentiam culpæ originalis peccatum una cum prole propagatur, hoc sacramentum fieri oportuit ; ut illo merito membro plecteretur peccatum quod per ipsum ad posteros transmittitur. Mulier vero cui dictum est [3] : « In dolore paries filios, » non hujusmodi pœna afficienda fuit, cui ad pœnam satis esse debuit in genitali suo, per quod similiter peccatum transfunditur, partus gravissimus dolor, quem in eo sustinet : cui, ni fallor, sexui sacrificium pro eo oblatum ad indulgentiam sufficit, atque ad originalis peccati remedium. Videtur insuper nobis ob hoc præ-

[1] Lib. II, cap. XI, *Opp.*, t. X, col. 653. — [2] *Mor.*, lib. IV, cap. III. — [3] *Genes.*, cap. III, v. 16.

cipue genitale viri potius quam mulieris circumcidendum fuisse, ut in hoc significaretur omnibus in populo illo, qui per illud membrum gignerentur, hujus sacramenti remedium esse necessarium, per quod ipsi a veteris hominis expiarentur contagione. Quod non ita est de muliere, cum Dominus Jesus ex muliere absque omni peccato natus fuerit. Potest etiam viri circumcisio beatum eumdem virum spiritualiter designare, qui solus sine concupiscentia conceptus, carnem puram et penitus absque præputio immunditiæ suscepit. In cujus quidem typo femur Abrahæ, quod primo circumcisum est, servus ejus in sacramento suscepit[1], quasi in eum jurans qui ex semine illo nasciturus ei primo fuerat promissus, id est in Christum. Circumcisioni vero infantium certa dies, id est octava recte præfixa est, ut in hoc videlicet præfiguraret illius octavæ claritatem et beatitudinem quæ sanctis promissa est, illis solis deberi qui innocenter more parvulorum vixerunt, nec purificationis sacramentum ad hoc sufficere, nisi innocentia custodiatur vitæ. Ad quod nos Dominus adhortans, constituto in medio parvulo, ait[2] : « Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvulus iste, etc. » Octava dies, qua circumciditur parvulus, futuram Sanctorum claritatem in die resurrectionis significat, quando videlicet resumptæ carnis veritas permanebit, sive supererit de[3] corruptela peccati, quæ erit vera circumcisio, in exspoliatione scilicet veteris hominis cum actibus suis, cum jam videlicet carnalis concupiscentiæ stimulis manentibus, angelice nobis vivendum fuerit : ubi, inquit Veritas[4] : « Neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei. » Quia vero totum præsentis vitæ tempus per septem dies peragitur, recte illa vitæ futuræ perpetua claritas per octavam intelligitur. Unde et Psalmos, qui intitulantur pro octava, ad diem resurrectionis certum est pertinere.

Quæritur autem de infantibus ante octavam diem morientibus, utrum damnentur, cum eos videlicet nondum, juxta præceptum Domini, circumcidi liceat, nec pro eis legamus sacrificia esse offerenda ante diem maternæ purificationis, id est, a nativitate masculi quadragesimum. At vero cum scriptum sit[5] : « Omnis anima cujus caro præputii non fuerit circumcisa, peribit de populo suo; » et rursus, si præcepto Domini ante octavam diem a circumcisione parvi inhibeantur, videtur crudelis divina sententia in damnationem talium, qui et his circumcisionem necessariam instituit, et circumcidi, quando possent, non permittit. Neque autem a Salvatore quidquam præcipi vel institui oportuit quod saluti obsisteret, nec enervari debuit remedium quod pluribus proficere posset, ut pote fides parentum, sive sacrificiorum ritus, quibus antea parvulos sive adultos

[1] *Genes.*, cap. XXIV, v. 9. — [2] Matth , cap. XVIII, v. 3. — [3] Amb. *Superaddita corruptela peccati.* — [4] Marc., cap. XII, v. 25. — [5] *Genes.*, cap. XVII, v. 14.

mundari constat, juxta illud Gregorii quod novissime adjecimus. Sed hoc quidem objectioni in nostri quoque sacramenti institutionem, id est baptismi redundare videtur, cum videlicet propter aquæ tantum absentiam deesse nonnullis baptismum contingat, quem in aqua solummodo Dominus constituit, nec tamen eos cum vel ipsi ad hoc nitantur, vel alii propter eos, salvandos esse definimus absque baptismo, nisi interveniat martyrium. Providentiæ itaque divinæ omnem ejus dispositionem committentes, qui solus novit quare hunc elegerit, illum vero reprobaverit, auctoritatem Scripturæ quam ipse dedit immobilem teneamus; ut videlicet tempore circumcisionis nullos de semine Abrahæ sine illa mortuos temere asseramus salvari, nisi forte pro Domino interfecti sint, sicut de Innocentibus creditur. Attende autem quod dictum est, « de semine Abrahæ, » cum nonnulli fideles, etiam post institutionem circumcisionis, ante adventum Christi incircumcisi morientes, lege naturali nihilominus quam circumcisi salvati sunt, sicut Job et nonnulli fortasse alii gentium naturali lege contenti, et sacrificiorum ritu quæ Job quoque pro filiis obtulisse legitur [1], ab originali peccato seu propriis expiati, sicut Abel vel Noe ante legem vel circumcisionis institutionem : de qualibus supra Apostolus meminit, dicens [2] : « Cum enim gentes quæ legem non habent, etc. » Unde et Isidorus *De summo bono*, lib. I, cap. xv : « Christi, inquit, adventum non tantum plebis Judææ sancti prophetantes exspectaverunt, sed fuisse etiam in nationibus plerosque sanctos viros prophetiæ donum habentes, quibus per Spiritum sanctum Christus revelabatur, et a quibus exspectabatur, sicut Job, Balaam, qui Christi utique prædicaverunt adventum. » Licet autem Job ex Abraham quoque et Isaac per Esau descendisse credatur, non tamen in semine Abrahæ vel Isaac quisquam est computandus, qui ex Patriarcharum filiis in cultu Dei minime remanentibus sit procreatus. Unde et Dominus Abrahæ leniens molestiam ejus, de expellenda scilicet Agar ancilla et Ismaele filio suo ad imperium Saræ [3] : « Non tibi, inquit, videatur asperum super puero et super ancilla tua. Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed et filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. » Hoc etiam Apostolus in inferioribus præsentis Epistolæ prosecutus et quasi spiritualiter exponens ait [4] : « Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii, « sed in Isaac vocabitur tibi semen, » id est, non qui filii carnis, hi filii sunt Dei, sed qui filii promissionis sunt æstimantur in semine. » Itaque juxta historiæ veritatem, neque Job neque alii multi, licet de genere sint Abrahæ, tamen semen Abrahæ vocandi non sunt, quia de infidelibus, ut dictum est, nati sunt. Patres tamen talium, licet infideles fuerint, ut pote

[1] Job, cap. I, v. 5. — [2] *Rom.*, cap. II, v. 14. — [3] *Genes.*, cap. XXI, v. 12. — [4] *Rom.*, cap. IX, v. 6.

Ismael sive Esau, semen Abrahæ sunt, quia non de infidelibus geniti, juxta quod Dominus Abrahæ supradixit de Ismael, « quia semen tuum est. » Et tamen nullum semen Abrahæ vocandum erat sicut in Isaac. Aliud est itaque Isaac sive Ismael vocari semen Abrahæ. Tale quippe est : « In Isaac vocabitur tibi semen, » ac si diceret, in posteris Isaac, tam videlicet carne quam fide ei conjunctis, non aliquibus intervenientibus patribus in posteris Isaac tam videlicet carne quam fide a cultu Dei recedentibus. Hoc enim credo significari, cum Dominus circumcisionis pactum cum Abraham et semine ejus iniens præmissis istis : « Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis, » mox adjunxit, « fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus et Deus seminis tui post te. » Tale quippe est « in generationibus suis fœdere sempiterno ut sim Deus tuus, etc., » ac si diceret : In posteris tuis mihi continue per obedientiam fœderatis, nec a cultu meo per interpositionem infidelium patrum disjunctis. Hoc autem modo neque Job neque cæteri Gentiles ab Ismael vel Esau descendentes, in semine Abrahæ sunt æstimandi, nec ad eos quidquam vel circumcisio vel cætera legis figuralia præcepta pertinent; cum hæc solummodo Abrahæ et semini ejus, ut supra determinavimus, injuncta sint. Scriptum quippe est de circumcisione, Domino sic eam Abrahæ primo præcipiente[1] : « Statuam pactum meum inter me et te, et semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus et seminis tui post te. Daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum. Et tu ergo custodies pactum meum et semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos et semen tuum post te : Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris : tam vernaculus quam emptitius circumcidetur, et quicunque non fuerit de stirpe vestra : eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. » Et post aliqua : « Super Ismael quoque exaudivi te, et multiplicabo eum valde. Pactum vero meum statuam ad Isaac quem pariet tibi Sara. » Augustinus, *dc Nuptiis et concupiseentia*, libro I[2] : « De circumcidendis Deus sic manifestavit infantibus : « Masculus qui non circumcidetur præputii sui carne octavo die, disperiet anima « ejus de genere suo, quia testamentum meum dissipavit. » Dicat iste si potest quomodo puer ille octo dierum testamentum dissipavit, quantum ad ipsum

[1] *Genes.*, cap. XVII, v. 7 et sqq. — [2] Leg. lib. II, cap. XI; *Opp.*, t. X, col. 312.

proprie attinet, innocens infans. Tunc ergo dissipavit testamentum Dei, nec hoc de imperata circumcisione, sed illud de ligni prohibitione, quando per unum hominem peccatum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines transiit, in quo omnes peccaverunt. » Ecce, beato exponente Augustino, quomodo unusquisque in primis parentibus testamentum sive pactum Domini, id est primam ejus a Domino legem datam in Paradiso transgressus sit, ut saltem originalis peccati vinculo teneatur, et parvulus cum de Abraham cæterisque fidelibus natus sit parentibus, de populo suo, id est a sorte et beatitudine fidelium patrum suorum sit excludendus, nisi ei, ut dictum est, circumcisionis remedio subventum fuerit. Quod vero in præcepto circumcisionis additum est, « tam vernaculus quam emptitius circumcidetur, et quicunque non fuerit de stirpe vestra, » ita est intelligendum, ut de vernaculis vel emptitiis eorum, sive fuerint Hebræi, id est, de stirpe sua, sive non, hoc præcipiat Dominus, non de aliis nationibus. Tale ergo, « Tam vernaculus quam emptitius circumcidetur, et quicunque non fuerit, etc., » ac si diceret, de vernaculis et emptitiis etiam omnes illi qui non fuerint de stirpe vestra. Non est igitur circumcisionis generale præceptum, sicut est baptismi, sicut Evangelii, sed populo tantum Israel ea est tradita, non Gentilibus. Quod diligenter Origenes in posterioribus ostendit, distinguens ex ipsis litteræ testimoniis, quæ præcepta legis sint generalia, tam ad Judæos scilicet quam ad Gentiles pertinentia, quæ non. Unde etiam constat nec traditionem legis esse generalem. Quod ipse quoque Moyses diligenter distinguens, in *Deuteronomio* ait[1] : « Et nunc Israel audi præcepta et judicia quæ ego doceam te, ut faciens ea vivas, et ingrediens possideas terram quam Dominus daturus est vobis. » Item : « Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cærimonias, justaque judicia, et universam legem quam ego proponam hodie ante oculos vestros ? » Et iterum : « Docebis eam filios tuos ac nepotes. » Et post aliqua : « Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram. » Et Psalmista[2] : « Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. » Apostolus quoque patenter legem non omnibus loqui, vel datam esse supra professus est, dicens[3] : « Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur. »

His autem a nobis de circumcisione prælibatis, licet succincte antiquorum dicta ad eam pertinentia non præterire. Origenes super hanc Epistolam Pauli, verbis superius citatis : « Si igitur præputium, etc. Dixit Deus ad Abraham : « Tu autem « testamentum meum servabis, et omne semen tuum post te in generationes suas.

[1] *Deut.*, cap. IV, v. 1, 8, 9; cap. VII, v. 6. — [2] *Psalm.* CXLVII, v. 19. — [3] *Rom.*, cap. IV, v. 19.

« Et hoc est testamentum inter vos et me, et inter me et inter medium seminis « tui post te. Circumcidetur omne masculinum vestrum, et puer octava die. Cir- « cumcidetur in vobis omnis masculinus in generationibus vestris, vernaculus et « pecunia emptus. » Discutiamus utrum mandatum etiam eos, qui ex Gentibus crediderunt, constringat. Nunquam fecit proselyti mentionem, id est, advenæ, sed vernaculum servum vel pretio mercatum circumcidi jubet, non liberum. Perscrutemur etiam *Levitici* legem [1]. « Loquere, » inquit, « filiis Israel, et dices ad « eos : Mulier si pepererit masculum, octavo circumcidet die. » Intuere etiam hic quemadmodum de lege circumcisionis tantum ad filios Israel Moyses loqui jubetur, et alienigenarum nulla sit mentio, cum in quibusdam mandatis non solum filiis Israel, sed proselytis, id est advenis loquatur. Necessario utique observanda distinctio est; quia sicut ubi dicitur, « loquere ad Aaron, » et alibi, ad Levitas, » certum est non subjacere reliquos his legibus, ita etiam quæ filiis jubentur Israel, nec alienigenæ memoria ulla fit, non putandum est in his commune esse mandatum, ubi appellationis habetur exceptio. Sic ergo nec alius quisquam circumcisionis lege constringitur, nisi ex Abraham originem trahens, vel vernaculus eorum, vel pretio emptus. » Item : « Hæc dicta sunt a nobis, ut ostenderemus præcipue de circumcisionis præcepto, quod non aliis quam his qui ex Abraham genus ducunt, vernaculisque eorum vel pretio coemptis, esset injunctum ; liberos vero esse ab hujusmodi legibus eos qui per Christum Deo ex Gentibus credunt. » Item : « De circumcisione quid etiam allegoricis legibus sentiendum sit videamus. Circumcidere est ex genitali membro, per quod carnalis propago ministratur, amputare aliquam partem. Per hoc indicari figuraliter reor amputandam esse ab anima, si qua ex consortio ei carnis adhæret impuritas. Idcirco ista dissectio genitalibus infligitur, quod hujusmodi vitia animæ non ex propria substantia, sed ex incentivo carnis adveniant. Præsenti sæculo septimana deputata est. Octavus dies autem futuri seculi mysterium tenet. Illorum ergo est circumcisio spiritualis qui futuro sæculo militant, in quo neque nubent neque nubentur, et eorum qui seipsos castraverunt propter regnum Dei, et quorum in terris ambulantium in cœlis est conversatio. Sed apud Ezechiel dicit Dominus [2] : « Omnis « filius alienigena incircumcisus corde et carne non introibit in sancta mea. » Sed videamus ne forte referri queat ad duo generalia præcepta, ut sit incircumcisus corde qui non habet fidem, incircumcisus carne qui non habet opera. Altera namque sine altera reprobatur, quia et fides sine operibus mortua dicitur, et sine fide nemo vivificatur. » Item : « Et dicitur circumcidi auribus, cum secun-

[1] Lib. II, *Opp.*, t. IV, p. 491 et sqq. Textum ab Ambroesio datum pluribus locis mutilum restituimus ex editione Operum Origenis. — [1] *Levit.*, cap. XII, v. 2. — [2] Ezech., cap. XLIV, v. 9.

dum Salomonis monita, non recipit auditionem vanam, et incircumcisus labiis dicitur, qui non circumciderit blasphemiam, scurrilitatem, turpiloquium de ore suo, qui non posuerit ori suo custodiam. Cur non simili forma incircumcisus præputio carnis suæ dicatur qui erga naturalem coitus motum immoderatius effluit; circumcisus vero habeatur qui hujusmodi negotio legitimis, et quantum posteritati sufficit, utatur officiis? Unde quoniam de circumcisionis ratione tractavimus, et illud adjungere non absurdum videbitur, quod filius Nave ex præcepto Domini filios Israel secundo circumcidisse cultris saxeis memoratur. Quod utique quantum ad litteram impossibile videtur. Semel enim circumcisis in carne præputiis, quid invenire potest secunda circumcisio? Jesus vero noster qui vere post Moysen filios Israel in terram sanctam induxit, evidens est quomodo secundo circumcidat credentium populum. Prima namque est circumcisio, quæ ab eis vel idolorum cultum vel commenta philosophicæ persuasionis resecuit. Secunda autem veteris hominis consuetudinem ac vitia carnis abscidit. Et tunc impletur quod in Jesu Nave scriptum est[1] : « Hodie a vobis « abstuli opprobria Ægypti, » id est Ægyptiorum morem et motus animi barbaros. Stoici aiunt : Indicet aliquid mysticum circumcisio, et figuram teneat allegoriæ. Itane oportuit, ut cum pœna et periculo parvulorum, cum cruciatibus teneræ et innocentis infantiæ, figurarum species et legis ænigmata crederentur? Sic non habebat legislator, ubi firmas justitias poneret nisi in deculcatione verecundorum locorum, et Dei signaculum nisi in obscœnis partibus? Itane Deus et animæ creator et corporis, superfluo se plasmasse partem illam corporis notat, quam postmodum abscindi mandat, et per miserorum supplicia proprium emendat errorem, aut quod utiliter fecit non recte mandat auferri? Propterea, si curæ est Deo plurimos ad cultum sanæ religionis adduci, maximum ex circumcisione obstaculum nascitur, cum eo enim quod supplicium unusquisque declinat, tunc etiam quod irrisionis turpitudinem refugit. Quibus respondere necessarium puto. Nemo sapiens in aliis notat quæ apud se honesta ducit et magna. Etenim circumcisio apud vos, Gentiles, ita manifesta habetur, ut non passim vulgo ignobili, sed solis sacerdotibus, et iis qui inter ipsos electioribus studiis mancipati fuerint, credatur. Nam apud Ægyptios qui in superstitionibus vestris versutissimi habentur et eruditissimi, a quibus prope omnes reliqui ritum sacrorum et cæremonias mutuati sunt; apud hos, inquam, nullus aut geometriæ studebat, aut astronomiæ, quæ apud illos præcipua ducitur; nullus certe astrologiæ et geneseos, qua nihil divinius putant, secreta rimabatur, nisi circumcisione suscepta. Sacerdos apud eos aut aruspex, aut quorumlibet sacrorum mi-

[1] Josue, cap. v, v. 9.

nister, vel ut illi appellant, propheta omnis circumcisus est. Litteras quoque sacerdotales veterum Ægyptiorum nemo discebat nisi circumcisus. Omnis vates, omnis cœli, ut putant, infernique mystes et conscius apud eos esse non creditur, nisi circumcisus fuerit. Hoc ergo apud nos turpe judicatis, quod apud vos ita honestum habetur et magnum, ut cœlestium infernorumque secreta nonnisi per hujuscemodi insignia enuntiari nobis posse credatis. Unde si replicetis historias vestras, invenietis non solum Ægyptiorum sacerdotes usos esse circumcisione, sed etiam Arabas, et Æthiopas, et Phœnices, aliosque quorum studia erga hujusmodi superstitiones nobilius viguere. Hæc dicta sunt adversus Gentiles. Nunc ad eos sermo dirigatur, qui Christo quidem credunt, sed legem non recipiunt et Prophetas. Scriptum est in *Epistola* Petri[1], quia redempti sumus pretioso sanguine Unigeniti, ab aliquo sine dubio empti cujus eramus servi, qui et pretium proposuit quod voluit, ut dimitteret quod tenebat. Tenebat autem nos diabolus, cui distracti fueramus peccatis nostris. Poposcit ergo pretium nostrum sanguinem Christi. Unde donec Jesu daretur, necessarium fuit eos qui instituebantur in lege, unumquemque pro se ad imitationem quamdam futuræ redemptionis, sanguinem suum dare. Et propterea nos, pro quibus completum est pretium sanguinis Christi, non necesse habemus pro nobis pretium, id est sanguinem circumcisionis offerre. Si ergo culpabile videtur quod Deus inferri jubet infantibus vulnera, hoc etiam in Christo factum culpabitis, qui et circumcisus est, et cum crucis pœna sanguinem effudit. Quod vero circumcisionis horrore difficilis ad religionem videtur accessus, difficilior multo videbitur ingressus ad Evangelium; ubi non partem exiguam corporis, sed ipsam quisquis animam ponere jubetur. Sed et exempla Martyrum secundum vos prohibebunt homines accedere ad fidem. An eo magis creditur firma religio, quod nihil remissum, nihil delicatum pollicetur aut molle? Quod si et nihil sacramenti circumcisio teneret, quid esset absurdi, si ad distinctionem cæterarum gentium, populus qui sub lege Dei instruebatur, proprium aliquod gestaret insigne? Et si necessaria visa est partis alicujus amputatio, quid tam conveniens fuit quam eam minuere, quæ videbatur obscena, et illa auferre quorum diminutio nihil ad officium corporis impediret? Quod vero dicunt, quia si necessaria non erat pars illa membri, a creatore fieri non debuit : si necessaria facta est, non debuit auferri : interrogemus et nos, si necessariam dicant filiorum procreationem. Necessariam sine dubio respondebunt. Erunt ergo culpabiles, qui continentiæ et virginitatis obtentu necessariis naturæ officiis non ministrant. In summa vero dicendum est, quod sicut necessariæ erant multæ hostiæ, antequam una hostia agnus

[1] I Petr., cap. I, v. 18.

immaculatus semetipsum patri offerret hostiam Christus, ita etiam multis circumcisionibus opus fuit, quousque una in Christo circumcisio omnibus traderetur : et multorum sanguinis effusio præcessit, quousque per unius sanguinem omnium redemptio fieret. »

Ambrosius in *Epistola ad Constantium* maxime Origeni in supradictis de circumcisione consentiens[1] : « Plerosque, inquit, movet quæstio, qua causa circumcisio et Veteris Testamenti auctoritate quasi utilis imperetur, et Novi Testamenti magisterio quasi inutilis repudietur? Quid ergo dicemus secutum Patrem Abraham, ut id primus instrueret, quod ejus non sequeretur hæreditas? » Item : « Reperimus autem in historia veterum non solum Ægyptios, sed etiam Æthiopum et Arabum et Phœnicum aliquos circumcisione erga suos usos. Et hanc putant se adhuc probandæ viam servare rationis, eo quod sui corporis primitiis et sanguinis initiati insidias dæmonum, quas illi generi suo moliuntur, exiguæ partis arbitrantur consectionibus destruendas. Sed arbitror jam non otiosam causam in hanc portiunculam membri æstimare, qua circumcidatur puer octava die, quando incipit mater in sanguine esse puro, quæ ante octavam diem fertur in sanguine immundo sedere[2]. » Hieronymus in *Epistola ad Romanos :* « Quæritur quare data sit circumcisio, si per se non prodest. Primum ut agnosceretur Dei populus inter Gentes; quando soli erant in heremo, circumcisi non fuerunt. Sive ut corpora illorum cognoscerentur in bello. Nam quod in tali membro signatur, hæc causa est, primum ne aliud membrum aut debile fiat aut turpe, quod publice videtur. Item, propter gratiæ promissionem, in qua erat per castitatem placendum, sive ut Christus significaretur ex ejus semine nasciturus, usque ad quem futura erat ista carnalis, quia spiritualem habebat afferre, cujus typum gerens Jesu Nave, qui populum secundo circumcidere jubetur. »

Solet, memini, nonnulla esse quæstio, quare[3] videlicet Josue cultris petrinis ex præcepto Domini filios Israel secundo circumcidit, quasi qui antea circumcisi essent, rursus circumcidi potuissent. Beatus vero Augustinus in libro *Quæstionum veteris et novæ legis*, omnem hujus dubitationis errorem removens, docet secundam hanc circumcisionem non in eisdem personis, sed in eodem populo factam fuisse. Quod et patenter continent verba ipsa historiæ libri Josue, hæc videlicet[4] : « Eo tempore, ait Dominus ad Josue : Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel. Fecit quod jusserat Dominus, et circumcidit filios Israel. » Hæc autem causa est secundæ circumcisionis. Omnis populus qui

[1] *Epist.*, cap. LXXII; *Opp.*, t. II, col. 1071 et sqq. — [2] Locus mutilus sic restituendus : « Jam qui singulorum membrorum officia diligenter expendit, non otiosam causam in hac membri hujus portiuncula æstimare poterit, qua ratione non solum circumcidatur puer, verum etiam octavo circumcidatur die, quando incipit mater pignoris nati in sanguine esse puro, quæ ante octavum diem fertur in sanguine immundo sedere. » — [3] Amb. *Quando*. — [4] Josue, cap. V, v. 2.

egressus est ex Ægypto generis masculini, universi bellatores viri mortui sunt in deserto, per longissimos viæ circuitus, qui omnes circumcisi erant. Populus autem qui natus est in deserto per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis incircumcisus fuit, donec consummarentur qui non audierant vocem Domini. Horum filii in locum successerunt patrum, et circumcisi sunt a Josue : quia sicut nati fuerant in præputio erant, neque eos in via aliquis circumciderat. Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco donec sanarentur, dixitque Dominus ad Josue[1] : « Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis. » Miror itaque Origenem tam litteratum virum in hac secunda circumcisione per Josue facta adeo errasse, ut eam superius assereret nullo modo juxta litteram fieri potuisse. Quam tamen historia ipsa mox a Josue factam adjecit, dicens : « Fecitque quod jusserat Dominus, et circumcidit filios Israel. » Nunc ad expositionem Epistolæ redeamus.

« Ut sit pater omnium. » Duo dixerat, quod videlicet Abrahæ in præputio, id est, dum præputium haberet, reputata est fides sua ad justitiam, tanquam jam spiritualiter circumciso : et quod postea carne quoque circumcisus est, ut per hæc duo videlicet sit pater atque auctor cæteris in exemplo et doctrina propositus, tam de spirituali quam carnali circumcisione. Et hoc est, ut præputium, in quo justificatus antequam circumcisus sit pater credentium, in hoc scilicet quod credentes sunt, reputetur etiam illis ad justitiam, quamvis desit exterius signum. « Et sit pater circumcisionis, » videlicet exterioris, id est primus omnibus in spirituali simul et carnali circumcisione in exemplo et auctoritate propositus. « Non his tantum, » scilicet pater, « qui sunt ex circumcisione, » id est, quibus præcepta est carnis circumcisio. « Sed et his qui sectantur, etc., » id est qui habent fidem cum præputio. Sic construe : Vestigia fidei patris nostri Abrahæ, quæ scilicet fides est in præputio, id est in præputiatis æque ut in circumcisis. « Non enim per legem. » Cum superius ostenderet hominem ex fide sine operibus legis justificari, et per hoc glorificationem legis Judæis auferret, manifestum de Abraham patre ipsorum interposuit exemplum. Unde nunc ad glorificationem legis evacuandam revertitur, ac si iterum supradicta ut ea probet repetens dicat : Dixi superius me arbitrari hominem justificari per fidem sine operibus legis, quod in ipso etiam patet Abraham, qui opus maximum legis, scilicet circumcisionem non suscipiens, potius per justitiam fidei, quam per opus ipsum legis justificatus est, et merito. Non enim per legem, id est per aliquod legis, vel per obedientiam legis, quæ nondum data erat, meruit promissionem hæreditatis accipere, sed per « justitiam fidei, » id est per fidem

[1] Josue, cap. v, v. 9.

justificantem, sive per justitiam ex fide venientem. « Aut semini ejus. » Id est exemplo ejus instructi. « Ut hæres esset mundi. » Id est perpetuus possessor universorum bonorum quæ per fœcunditatem terræ promissæ significantur. Universa quippe possidet bona, qui omnia habet necessaria, et ei nihil deesse dicitur qui nullo indiget. Unde Apostolus de his qui exemplo Abrahæ peregrinantes terrena despiciendo cœlestia appetunt, ait[1] : « Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. » Vel « esset hæres mundi, » id est soli ex universo mundo eligerentur, ut fierent hæredes. « Si enim qui. » Bene dico per opera legis non perveniri ad hæreditatem fidelibus promissam. Alioquin « fides esset exinanita, » id est, meritum fidei evacuatum, cum æque infideles sicut fideles opera illa legis habere possint, et per hoc hæredes fieri. « Et promissio abolita, » id est inefficax et irrita facta. Per quam quidem promissionem in semine Abrahæ gentes sunt benedicendæ, quæ legis opera non habent. Et hoc est, si qui ex lege sunt, subaudis sunt hæredes, id est, qui opera legis habent, pro hoc hæreditatem merentur, etc.

« Lex enim. » Iterum probat per legem, id est opera illa legis exteriora, quæ lex præcipit, non acquiri hæreditatem, immo magis reos constitui homines per legem, ut hæreditatem amittant. Multa quippe sunt opera legis ita gravia, ut eos a quibus vel in quibus fiunt adeo affligant, ut vix eis aut nunquam præcepta eorum placeant, nec voluntarie possint impleri, sicut est, dentem pro dente et oculum pro oculo tollere, et nonnullis mortem inferre. Quis enim in his quos diligit hæc libenter exerceat, aut in se ea libenter excipiat? Unde Petrus in *Actibus Apostolorum* eos refellens, qui Christianis opera legis imponere volebant, ut ea videlicet ipsi quoque servarent, ait[2] : « Viri fratres, quid tentatis Dominum imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus ? sed per gratiam Domini Iesu credimus salvari, quemadmodum et illi. » Lex itaque carnalem et duræ cervicis populum ex operibus legis magis reum effecit, quam purgavit; spiritualibus vero nihil justitiæ contulit, per illa videlicet propria sua opera exteriora. Et hoc est quod ait : Lex enim, scilicet illa legalia opera, iram Dei in eos potius operatur quam veniam vel aliquam justificationem. Et quare iram? Quia transgressores sui facit eos, non alios scilicet, et hoc est : « Ubi enim non est lex, etc. » Idem illi quibus illa legalia præcepta non sunt data, prævaricationis et transgressionis reatum per illam non incurrunt, cum eis voluntarie non obediunt. « Ideo ex fide, » scilicet sunt hæredes, quandoquidem non ex lege. Vel ita continua : Dixi non per legem esse factam promissionem hæreditatis, sed per justitiam fidei. Ideo, ex fide sunt hæredes. Et

[1] II *Corinth.*, cap. VI, v. 10. — [2] *Act. Apost.*, cap. XV, v. 10.

hoc est : « Ut sit firma promissio, » scilicet hæreditatis, id est ad effectum perducta. « Omni semini Abrahæ, » id est, fidem ejus imitanti, tam Gentili scilicet, quam Judæo. Et hoc est quod subdit : « Non solum ei qui est ex lege, » id est Judæo qui legi subjacet, « sed ei etiam qui ex fide est Abrahæ, » id est Gentili, qui sola fide Abraham imitatur, secundum gratiam scilicet Dei, sit firma promissio ejus, non secundum merita legalium operum. « Qui est pater, » scilicet Abraham. « Omnium nostrum, » tam Judæorum scilicet quam Gentilium, id est in exemplo ad imitandum hominibus propositus est. « Sicut scriptum est, » in *Genesi* scilicet. Ac si diceret : Eo videlicet modo pater est atque auctor omnibus in exemplo ad imitandum propositus, quo promittitur a Domino pater esse multarum gentium, id est diversarum regionum, credendo scilicet magis quam opera legis exercendo. Quod patenter insinuat, cum subdit : « Ante Deum cui credidisti. » Verba Domini loquentis ad Abraham sunt ista : « Quia Patrem, etc. » Sic quippe scriptum est[1] : « Non vocabitur nomen tuum Abram, sed vocaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te. » Innuitur itaque ex his verbis interpretatio nominis Abrahæ, quod sonat pater multorum. Sed quod additur « gentium, » explanatio est potius quarum rerum multarum sit intelligendum, quam interpretatio. Sed et quod ait Apostolus, « ante Deum, cui credidisti, » vel nostræ translationi est subtractum, vel ex parte Apostoli additum, ut videlicet determinaret Abraham ex fide in omnibus patrem esse propositum magis quam ex circumcisione. Pater ponitur, id est constituitur ante Deum, id est in beneplacito ejus, qui filios non quærit sibi generare, sed Deo : nec concumbendo suæ voluptati satisfacere, sed exemplo fidei magis quam propagatione carnis filios Dei præparare. Quod patenter insinuat cum subdit : « Cui credidisti, » de omnibus scilicet ejus promissis. Ac si diceret : Posui te patrem ante Deum cui credidisti, id est, ut per hoc quod ei credidisti ministros tibi similes exemplo tuæ fidei illi generares. Quod Deus loquens ad Abraham ita fatur : « Patrem multarum gentium posui te ante Dominum. » Et non dicit : Ante me : sed ita de se quasi de alio loquitur. Consuetudo est Hebraici sermonis. Unde et ipse legislator qui hoc scripsit, semper de se ipso quasi de alio consuevit loqui, veluti cum ait[2] : « Dixit Dominus ad Moysem. » Et item[3] : « Et erat Moyses mitissimus, etc., » quod tamen non sine causa factum videtur, ut videlicet alius quasi de alio loquatur. Constat quippe in sanctis et maxime in Prophetis, Dominum potius quam ipsos loqui. Unde Prophetæ aliquid dicturi frequenter aiunt : « Hæc dicit Dominus. » Et Veritas in Evangelio ad discipulos[4] : « Non enim vos estis, » inquit, « qui loqui-

[1] *Genes.*, cap. XVII, v. 5. — [2] *Exod.*, cap. III, v. 14; cap. VI, v. 1; cap. VII, v. 1 et sq. — [3] *Num.*, cap. XII, v. 3.— [4] Matth., cap. X, v. 20.

mini. » Apparens quoque et loquens Dominus Abrahæ olim vel cæteris, quoniam id per Angelum exhibebat, veritatem ipsius apparentis vel loquentis Angeli a seipso provide distinguebat, ut ipso quoque locutionis genere alius intelligeretur qui verba firmaret, quam ipse de quo verba erant, id est Angelus a Domino.

« Qui vivificat. » Et merito ei credidisti de suis promissis, quia talis est qui vivificat mortuos, id est, infideles prout vult ad fidem convertit. Mortui dicuntur infideles, vulnerati, peccatores. Vita quippe justorum fides dicitur, juxta illud[1] : « Justus ex fide vivit. » Qui infidelis est, nihil penitus boni habet, quo Deo placere possit, « quia sine fide, » ut ipse dicit Apostolus[2], « impossibile est Deo placere. » « Et vocat. » Id est, ita suis verbis facit obedire non existentia[3] : « Dixit enim, et facta sunt : mandavit, et creata sunt, » sicut existentia. « Qui contra spem. » Commendata potentia Domini, ut de ejus promissis nullatenus sit dubitandum, commendat et constantiam fidei Abrahæ, ad quam imitandam adhortatur. Cum primitus Abraham desperasset de Sara, speravit de Agar se hæredem suscipere. Postea vero e contrario per promissionem Domini credidit, ac speravit : et hoc est, « credidit in spe contra spem, » id est, credendo divinis promissis, ductus est in spem suscipiendi scilicet hæredis contrariam priori spei. Aliter : Quando duxit Saram, credidit eam fœcundam et secundum naturam ei filios in juventute parituram; postea vero frustratus hac sua spe, e contrario plenius credidit et speravit, propter promissionem Domini, id est, eam sterilem in senectute contra naturam parituram. Quod mirabile fuit eum potuisse credere, juxta illam dialecticæ regulam : si enim quod magis videtur inesse non inest, nec quod minus videtur inesse inerit. « Ut fieret pater, » id est, ut per tantam constantiam fidei de promissionibus Dei mereretur proponi in exemplo etiam Gentibus. « Secundum quod dictum est ei a Domino, » scilicet in ipsa *Genesi*[4]. « Sic erit semen tuum, » id est, homines exemplo fidei tuæ mihi generandi, ita scilicet innumerabiles, sicut stellæ. Possumus et per stellas et arenam Judaicum et Gentilem populum distinguere, ex quibus spirituales Abrahæ filii pariter sunt collecti, ut non solum filiorum multitudo, verum et populorum diversitas exprimatur. Stellis Judæi comparantur per fidem ex lege jam illuminati, et a fluxu mundanarum concupiscentiarum per legem coerciti, et quasi cœlestes in spe sua facti, cum e contrario Gentiles nulla lege constricti, per omnem concupiscentiam libere effluerent terrenis tantum desideriis inhiantes. Sed quia de Gentibus tantum, in quibus maxime fides Abrahæ fructificatura erat, promissionis verba sunt, possumus fortassis convenientius in stellis et arena maris tres Ecclesiæ ordines distinguere, per stellas quidem quæ

[1] Habac., cap. II, v. 4. — [2] *Hebr.*, cap. XI, v. 6. — [3] *Psalm.* XXXII, v. 9. — [4] *Genes.*, cap. XV, v. 5.

et igneæ sunt et lucidæ, duos sublimiores, continentium scilicet, id est, contemplativorum, qui divini amoris igne vehementius fervent, et prædicatorum, qui alios doctrina sua illuminant : per arenam vero maris conjugatorum, qui quasi in mari et in humidis habitant, luxuriæ indulgentes, et mundanarum sollicitudinum curis fluctuant, et earum amaritudinem graviter tolerant. Credidit, inquam, « et non est infirmatus in fide, » id est, non fuit remissa in aliquo vel debilis fides ejus quantumcumque differretur promissio, vel impossibilis videretur; sed æque firmiter credidit id quod contra naturam esse penitus sciebat, sicut illud quod per naturam fieri prius exspectaverat.

« Nec consideravit corpus suum emortuum, » id est, non attendit impossibilitatem suæ naturæ vel uxoris, sed potentiam promittentis. Corpus emortuum dicit, id est, omnino jam per naturam impotens ad generationem quæ promittebatur. « Cum, » id est, quamvis jam ipse Abraham, « fere esset centum annorum, » id est nonaginta novem. « Et emortuam vulvam Saræ, » ad opus similiter generationis, tam propter senectutem scilicet quam propter sterilitatem. Et attende cum ait de Abraham, eum fere centum esse annorum, innuit eum propter ætatem tantum, non propter sterilitatem ad generandum minime valere, nec tamen tam impotens ad generandum Abraham credendus est, qui mortua Sara postea Cethuram duxit, de qua filios generavit. Quippe potuit in juvencula id natura senis, quod non potuit in vetula et sterili. Quod et satis ipsa verba Apostoli determinant. Non enim ait simpliciter emortuum corpus Abrahæ, sed statim adjunxit, « et emortuam vulvam Saræ, » ut per adjunctionem Saræ Abraham impossibilitatem ostendat, et cum Sara scilicet, non cum alia. Non repetiit negativam conjunctionem, sed copulativam interposuit. Non enim ita dixit : Non consideravit corpus suum emortuum, nec emortuam vulvam Saræ. Sed potius ita adjunxit, « et emortuam vulvam Saræ. » Ex quo intelligi innuit, nec unumquemque per se ad generandum penitus esse impotentem, sed conjunctum invicem. Notandum vero quod hæc promissio : « Sic erit semen tuum sicut stellæ cœli et sicut arena maris, » non invenitur facta fuisse Abrahæ quando ei promissus est Isaac, sed postquam juxta præceptum Domini voluit eum immolare Domino. Sic enim scriptum est[1] : « Per memet ipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, nec pepercisti filio tuo unigenito propter me; benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris. » Scimus quidem antequam Ismael etiam natus esset, Deum Abrahæ promisisse sic fore semen ejus innumerabile sicut pulverem terræ, et alia vice postea sicut stellas cœli. Sed nihil de arena maris tunc addi-

[1] *Genes.*, cap. XXII, v. 16.

disse. Hæc autem ideo notavimus, quia videtur Apostolus ita extremam promissionem et conceptionem, id est Isaac disponere, ut ante facta illa promissio videatur quam Isaac conciperetur. Sic enim superius ait[1] : « Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est : Erit semen tuum sicut stellæ cœli et sicut arena maris ; » et statim adjunctum est : « Et non est infirmatus in fide, etc. » Ad illud vero tantum quod interponitur, « ut fieret pater, etc., » illud spectat quod subditur, « secundum quod dictum est ei : Sic erit, etc. » Quærendum existimo quando non fuerit Abraham infirmus in fide de promissione Isaac, cum ipse quoque sicut et Sara de promissione hac quasi diffidenter loqui, et risisse narretur. Sic enim scriptum est in *Genesi*[2] : « Cecidit Abraham in faciem, et risit, dicens in corde suo : Putasne centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet ? » Dixit ad Dominum : « Utinam Ismael vivat coram te. » Sed profecto cum præmittitur : « Cecidit Abraham in faciem suam, » id est adorando atque supplicando gratias retulit promissioni, pariter innuitur quia de ea non desperavit. Quod nequaquam Sara fecisse legitur, cum riserit. Dicitur etiam de Sara, quod riserit occulte post ostium : de Abraham vero, quod riserit corde potius quam ore. Videlicet, risu cordis gaudium intelligitur mentis, non risio promissi. Et verba illa quæ sequuntur, « putasne centenario, etc. » admirationis potius quam desperationis sunt. Et quod adjunxit, « utinam Ismael vivat coram te, » ostendit humilitatem Abrahæ non tantum præsumpsisse de bonitate divinæ gratiæ quantum Deus ipse non petenti offert, sed potius Abrahæ satis esse, si vel Ismael vivat ei pro semine.

« In repromissione, etc. » De duobus factæ sunt Abrahæ promissiones, de semine scilicet ei dando vel multiplicando, et de terra Chanaan ei danda, vel semini ejus. Sæpius autem utramque promissionem factam ei fuisse legimus, dum compleri differretur. Sed maximam illa de possessione terræ dilationem accepit, quæ longe post mortem illius complenda esse promittitur. Hanc itaque secundam promissionem repromissionem dicit Apostolus, ac si diceret : Non solum in prima promissione, de semine scilicet non dubitavit, sed nec etiam in secunda, de possessione videlicet terræ, licet longe postea futura, in quarta scilicet vel in quinta generatione filiorum Jacob in Ægypto profectorum. « Non hæsitavit diffidentia, » id est, non habuit dubitationem in corde, sicut in ore verba quidem dubitationis habuisse videtur, et non statim credidisse, non prius in visione signo accepto, sicut statim credidit promissioni priori de semine. Sic enim scriptum est de Domino et de Abraham[3] : « Qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredem. Eduxitque eum foras, et ait : Suspice cœlum, et numera stellas,

[1] *Rom.*, cap. v, v. 18. — [2] *Genes.*, cap. xvii, v. 17. — [3] *Genes.*, cap. xv, v. 4 et sq.

si potes. Et dixit ei : Sic erit semen tuum. Credidit Abraham, et reputatum est illi ad justitiam. Dixitque ad eum : Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, et possideres eam. At ille ait : Domine, unde scire possum quod possessurus sum eam ? Et respondens Dominus : Sume, inquit, mihi vaccam triennem, etc. » Hæc itaque dubitationis verba signum requirentia ad confirmationem posterorum magis quam suam Abraham assumpsisse credimus. Sicut et Joannes Baptista Dominum non sibi, sed discipulis requisivit dicens[1] : « Tu es qui venturus es, etc. » « Sed confortatus fide, » id est, exspectatione, non re ipsa quæ longe scilicet post mortem ejus erat futura, dans gloriam Deo, id est, grates ei pro his referens, non meritis suis quidquam tribuens. « Plenissime sciens, » id est firmiter credens. « Quia quæcunque. » Providam repromissionem ostendit et rationabilem, nihil scilicet promittentis nisi quod implere potest, vel etiam debet. Certum quippe est quia non potest facere nisi quod debet, id est quod convenit ei. « Ideo reputatum est, » quia scilicet confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, etc. Hoc est, etiam hæc fidei firmitas, si opera cessarent exteriora, imputatur ei a Domino pro justitia, ut videlicet ad eum justificandum sufficiat.

« Non est autem. » Quasi quis diceret : Quid ad nos relatio tantæ laudis Abrahæ? Respondet quod hæc laus ejus « non est scripta tantum propter ipsum, » id est, ad commendationem ipsius, sed et « propter nos, » quibus videlicet exemplo ejus instructis, id est, reputabitur ad justitiam. « Credentibus in eum, etc. » id est, si credendo in Deum Abraham imitemur. In eum dicit, non eum, vel ei, sicut superius exposuimus. « Qui suscitavit, » id est, qui jam complevit in semine Abrahæ per Christum quod Abraham exspectabat futurum, et quod sibi in promissione terræ vel benedictione ipsius seminis intelligebat figuratum. Tota quippe exsultatio Abrahæ de figurato Isaac, id est Christo, potius quam de figurativo fuisse intelligitur. Unde et per se ipsam Veritas ait[2] : « Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum ; vidit et gavisus est. » Totam autem humanæ reparationis et salutis summam tam in capite quam in membris Apostolus hoc loco paucis comprehendit, dicens videlicet Christum resurrexisse « a mortuis qui traditus est, etc. » Nota autem quod dum ait Apostolus Deum patrem suscitasse Christum, et quod potentiæ est specialiter Deo patri assignat, divinam potentiam ad personam Patris maxime pertinere insinuat, sicut divinam sapientiam ad Filium, et divinæ gratiæ bonitatem ad Spiritum sanctum ; quod plenius Theologiæ[3] nostræ textus edisserit. « A mortuis, » id est de inter mortuos[4] corpore, quorum

[1] Luc., cap. VII, v. 19. — [2] Joan., cap. VIII, v. 56. — [3] Vide *Introd. ad Theolog.* Lib. I, p. 12 et sqq., et *Theologiæ Christianæ* Lib. I, cap. III et sqq. — 4. *De inter mortuos* pro *de mortuis.* Locutio infimæ latinitatis. Vid. Du Cange, *Glossar*, *med. et inf. Latinit* V. *Deinter.*

ipse unus erat. « Qui mortuus est. » Causa mortis Christi; quam resurrectionis causam ad nos reducit. Duobus modis propter delicta nostra mortuus dicitur, tum quia nos deliquimus propter quod ille moreretur, et peccatum commisimus cujus ille pœnam sustinuit, tum etiam ut peccata nostra moriendo tolleret, id est, pœnam peccatorum, introducens nos in Paradisum pretio suæ mortis auferret, et per exhibitionem tantæ gratiæ, quia, ut ipse ait[1], « majorem dilectionem nemo habet, » animos nostros a voluntate peccandi retraheret, et in summam suam dilectionem intenderet. « Et resurrexit propter justificationem nostram. » Justificationem dicit perseverantiam justitiæ quæ justum facit. Non enim justus dicitur qui aliquando juste agit, sed qui hoc in consuetudinem habet. Quod itaque dicitur : « Resurrexit propter justificationem nostram, » tale est ut spe gloriæ resurrectionis, quam in seipso nobis exhibuit, nos in operibus justis perseverantes faciat.

« Justificati ergo a fide. » Quandoquidem et propter nos scriptum est de justificatione Abrahæ per fidem, ut videlicet exemplo ejus similiter justificemur. Ergo ex fide potius quam ex operibus legis nos justificati, « pacem habeamus apud Deum, » id est, sic reconciliemur ei, et quantumcumque justi fuerimus, mediatore Christo nobis opus est. Addit : « Per Dominum nostrum Jesum Christum, » a quo ad nos tanquam a capite ad membra omne bonum emanat tum exemplo vitæ tum prædicatione doctrinæ. Et hoc est, « per quem habemus accessum in gratiam istam in qua stamus et gloriamur, » et quæ sit illa gloria supponit dicens, « in spe gloriæ filiorum Dei, » id est, ex spe illa quam habemus adipiscendi illam summæ beatitudinis, quæ filiis non servis est debita. Et hoc est per fidem præeuntem. Ex fide enim spes nascitur, cum electi ex fide quam habent ad spem supradictam assurgunt, ac nemo sperare aliquid potest, nisi quod primitus credit. Gratiam dicit gratis datam, non pro meritis scilicet collatam, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. « Non solum autem, » scilicet gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, « sed et gloriamur in tribulationibus, » id est, magno nobis honori imputamus affligi pro Deo, secundum quod in *Actibus Apostolorum* scriptum est[2] : « Ibant gaudentes a conspectu concilii, etc. » « Scientes etiam, » hoc est attendentes maximum fructum, in his tantum gloriamur quod videlicet tribulatio « patientiam operatur, » id est in opere virtutem exhibet patientiæ, atque ipsum tribulationis exercitium fortiores ad eas tolerandas nos reddit. « Patientia autem, » secundum quod scriptum est[3] : « Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, » id est, tam tibi quam aliis eorum constantiam, id est probitatem exhibuit. « Probatio vero spem, » ut jam videlicet tam nos ipsi quam alii de nostris per gratiam Dei meritis confidamus. Et ne spes ista

[1] Joan., cap. XV, v. 13. — [2] *Act. Apost.*, cap. V, v. 41. — [3] Sap., cap. III, v. 6.

irrita videretur, sicut de impiis dicitur[1], « spes autem impiorum peribit, » addit, « spes autem, » scilicet hæc, « non confundit, » id est, erubescentiam nobis non acquirit in futuro, quia speratum obtinebimus; et quasi quis requirat unde hoc scire possumus, adjungit : « Quia charitatem habemus per quam speramus, » promeremur. Et hoc est, « quia charitas Dei, etc. » Dei dicitur, id est, pure propter Dominum habita, ad differentiam carnalis dilectionis. Caritatem, id est, dilectionem diffusam dicit, quæ inimicum quoque complectitur. De qua scriptum est[2] : « Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis, » id est, perpendi atque intellexi latum tuum de caritate mandatum finem esse omnis consummationis, id est, illud esse ad quod universorum tuorum mandatorum intentio dirigitur. « Propter Spiritum sanctum qui datus est nobis, » id est, per operationem gratiæ divinæ nobis collatæ. Augustinus *de Doctrina Christiana*, lib. IV[3] : « Patientiam operatur tribulatio[4], etc., » agnoscitur figura quæ Latine a quibusdam est appellata gradatio, cum verba vel sensa connectuntur alterum ex altero, sicut hic ex tribulatione patientiam, ex patientia probationem, ex probatione spem connexam videmus. »

« Ut quid enim. » Merito dixi caritatem diffusam in cordibus nostris. Nam propter quid aliud, nisi videlicet ut in nobis dilataretur caritas Dei ? « Christus mortuus est secundum tempus, » id est, quasi ad horam et in transitu mortis detentus, qui cito resurrexit. « Pro impiis mortuus est, » ut eos videlicet a damnatione liberaret. « Cum adhuc infirmi essemus. » Notandum vero est Apostolum hoc loco modum nostræ redemptionis per mortem Christi patenter exprimere, cum videlicet eum pro nobis non ob aliud mortuum dicit, nisi per veram illam caritatis libertatem in nobis propagandam, per hanc videlicet qua nobis exhibuit summam dilectionem, sicut ipse ait[5] : « Majorem hac dilectionem nemo habet, etc. » De quo quidem redemptionis modo supra nos satis arbitror disseruisse. « Vix enim. » Dixi Christum pro impiis mortuum esse, ut caritas in cordibus nostris diffunderetur, quasi hoc magnum esset quod fecerit. Et vere magnum hoc et salutarium fuit, Deum scilicet pro impiis mori, quia vix pro homine iste homo mori sustinet. Dixi vix, ex toto negavi, quia fortasse etsi rarissime potest reperiri, qui pro amore boni hominis, id est justi moriatur[6]. Et hoc est, « Nam pro bono, » scilicet homine, « forsitan quis, » id est aliquis, « audeat mori, » sciens se a Domino remunerandum. Cum dicit « forsitan, » et « audeat, » difficultatem insinuat. Christus autem non solum ausus mori, sed et mortuus est pro peccatoribus, et per exhibitionem tantæ gloriæ, « commendat Deus, » id est ædificat sive confirmat « suam caritatem in

[1] *Prov.*, cap. x, v. 28. — [2] *Psalm.*, cxviii, v. 96. — [3] Cap. vii, *Opp.*, t. III, col. 117. — [4] *Rom.*, cap. v, v. 3-5. — [5] Joan., cap. xv, v. 13. — [6] Male Amb. *Mentiuntur*.

nobis, » quoniam scilicet Dei « Christus Filius pro nobis mortuus est cum adhuc peccatores essemus. » Quod si ita respexit cum essemus peccatores, morti scilicet unicum suum pro nobis tradendo, « multo magis ergo, » id est, multo facilius sive libentius vel probabilius nunc respiciet nos ad salvationem jam justificatos in sanguine suo, id est, jam per dilectionem quam in eo habemus, ex hac summa gratia, quam nobis exhibuit, pro nobis scilicet adhuc peccatoribus moriendo. Et hoc est, « salvi erimus ab ira, » scilicet futura, id est a peccatorum vindicta, « per ipsum, » videlicet Christum pro nobis semel morientem, et sæpius orantem, et assidue nos instruentem.

« Si enim cum. » Dixi quia justificati in sanguine Christi salvi erimus ab ira Dei per ipsum. Et merito, quia jam reconciliati sumus Deo per mortem illius, cum prius nos pro inimicis haberet ad puniendum. Et si tantum mors ejus potuit ut nos scilicet justificaret vel reconciliaret, multo magis vita ipsius nos protegere poterit et salvare ab ira sua. Constat quippe plus posse unumquemque vivum quam mortuum. « In vita ipsius, » id est, per ipsum jam suscitatum et viventem. « Non solum autem, » scilicet salvi erimus, id est, salvari per ipsum impetrabimus. Et hoc est, gloriationem maximam adepti sumus, et maximo honori nobis imputamus, quod talem nobis reconciliationem Dominus dedit. Et hoc est, « gloriamur in Deo, » non in nobis, id est, de tanto beneficio ejus ex gratia ejus, non ex meritis nostris nobis per Christum collato. « Propterea sicut. » Littera ideo hæc defectiva videtur, nisi cum superioribus vel inferioribus quoquomodo conjungere nitamur. Sic autem superioribus fortasse continuabitur, ac si dicamus : Reconciliationem, inquam, per Christum accepimus, propterea, id est propter hoc quod supradictum est, quia videlicet pro nobis mortuus est, sicut e contrario damnationem per Adam incurrimus. Et hoc est quod addit, « sicut et per unum hominem, » videlicet Adam, « peccatum intravit, » quia prior peccans aditum peccato dedit, « in hunc mundum, » id est in hanc partem mundi scilicet terrenam, in qua homines habitant, non vero homines qui antea peccaverant. « Et per peccatum mors, » scilicet corporis. « Et ita, » videlicet ab Adam incipiendo tam mors quam peccatum saltem originale, « pertransiit in omnes homines. » Unum, inquam, hominem, id est Adam, « in quo omnes reliqui peccaverunt, » id est pœnam peccati incurrerunt. Poterit et fortassis versus incipere, « propterea, » et ad inferiora longe postea constructio dirigi, illuc scilicet sic, « et per unius justitiam in omnes homines, etc. » Ac si diceretur, « propter ea, » quia scilicet per Christum reconciliationem accepimus, sic per unius justitiam, subaudi justificationem, vita in omnes homines, sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, etc. Cætera vero quæ interponuntur suspensivam litteram tenent.

« Usque ad legem enim. » Bene dico in omnes pertransiit peccatum, cum

nec ulli qui ante legem fuerunt, a peccato immunes exstiterint, de quibus magis videretur, cum adhuc nullius scriptæ transgressionis eos reos faceret. « Usque ad legem, » id est toto tempore illo antequam lex per Moysem daretur, « peccatum erat in mundo, » licet non imputaretur, id est ab hominibus argueretur, vel puniretur per aliquam legem, cum videlicet lex nondum scripta esset, sed tantum naturalis, per quam boni vel mali discretionem nonnullam habebant, ex qua cognoscere peccatum possent. Potest etiam sic dici peccatum ante legem non imputari ab hominibus, id est a nullis vel paucis cognosci quid esset peccatum, antequam scilicet concupiscentiam lex tanquam peccatum interdiceret, et doceret in corde potius quam in opere peccatum consistere. Quod quidem in sequentibus patenter Apostolus edocens ait [1] : « Lex peccatum est ? absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, etc. » Peccatum itaque non imputabatur sive originale sive proprium, id est ignorabatur ab hominibus donec ipsum lex diceret. Nam et ipsum primorum parentum peccatum etiam in concupiscentia fuit, sicut scriptum est [2] : « Vidit ergo mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis aspectuque delectabile, et tulit de fructu illius, et comedit. » Et licet peccatum ante legem, ut dictum est, non imputetur ab hominibus, tamen etiam tunc imputabatur a Deo, quoniam pro ipso pœnam corporalis mortis omnibus inferebat, insinuans per hoc nobis a propriis maxime peccatis esse cavendum, cum hoc sustineremus propter alienum. Et hoc est : « Sed regnavit mors, » scilicet corporalis, id est quietum obtinuit dominium, et ante legem, id est, « ab Adam usque ad Moysem etiam in eos qui non peccaverunt, » scienter transgrediendo sicut Adam fecit, id est, in parvulos vel quoslibet innocentes. Qui scilicet Adam vetus est « forma futuri, » id est similitudo novi Adæ, id est Christi post eum futuri. Adam sicut homo commune nomen est tam viri quam feminæ. Ideo cum dicitur novus Adam, tale est ac si diceretur novus homo, et veteri homini per obedientiam omnino contrarius. Similitudinem Adæ et Christi ipse Apostolus aperit, ostendens videlicet ita Christum omnium spiritualium esse patrem, sicut est Adam carnalium, hoc est, ita præesse omnibus ad generandum in Deo, sicut ille præest ad generandum mundo : et hunc sic ad vitam et requiem esse auctorem, sicut ille est ad mortem et pœnam. Potest etiam ad hanc similitudinem, Adæ videlicet et Christi, illud reduci quod alibi idem Apostolus intelligens ait [3] : « Sacramentum magnum ego dico in Christo et in Ecclesia, » sed litteræ præsenti sufficit similitudo prædicta, quam ipse Apostolus prosequitur, de carnali scilicet et spirituali generatione.

« Sed non sicut delictum » Adæ, « ita est et donum » Christi, id est, non sunt

[1] *Rom.*, cap. VII, v. 7. — [2] *Genes.*, cap. III, v. 6. — [3] *Ephes.*, cap. V, v. 32.

æqualia in istis quæ ad posteros suos transmittuntur, et plura per Christum ad posteros transmittuntur in salutem, quam per Adam in damnationem : et merito, quia plus conveniens fuit divinæ justitiæ sive pietati, ut per Christum plus prodesset quam per Adam noceret, id est plura per hunc commoda quam per illum incommoda daret. Longe quippe est pronior Deus ad bonum conferendum, quam ad malum inferendum. Et hoc est, « si pro unius delicto, » scilicet Adæ, uno videlicet non pluribus, « multi mortui sunt, » id est damnati, sicut parvuli non baptizati, qui ob aliud non sunt perditi : multo magis in plures, id est, multos similiter, non in unum tantum hominem, ut absolute videlicet non comparative intelligatur, abundare debuit gratia Dei, et donum in gratiam Christi, id est, per dona Dei homini illi collata, de plenitudine cujus nos omnes accepimus, et qui nobis meritis suis impetravit quidquid boni habemus. « Et non sicut per unum » scilicet hominem Adam pertransiit subaudi, ut supra diximus « peccatum, » scilicet unum in omnes, hoc est originale, « ita et donum » similiter unum pertransiit per unum hominem, videlicet Christum, immo multa dona ad multos. Et hoc est quod Apostolus in superiori versu jam comprehenderat, sed repetiit ut probaret dicens : « Nam judicium quidem, etc., » id est ex uno peccato, Adæ scilicet, est judicium Dei « in condemnationem » posterorum ejus, id est, deputat eos æternæ pœnæ tradendos. Sed gratia Dei, id est gratuitum remissionis donum ex multis delictis, tam originali scilicet quam propriis per Christum condonatis, est nobis « in justificationem, » id est ad pœnarum absolutionem. Apparet itaque plura nobis a Christo collata esse ad salutem, quam ab Adam ad condemnationem : cum ille videlicet Adam unum peccatum intulerit mundo, id est unius peccati scilicet originalis pœnam, iste vero remissionem tam illius quam cæterorum. Et merito quia plus oportuit tot et tanta bona istius juvare quam illius unum delictum, nec magnum aliorum comparatione, nocere. Unde Hieronymus *ad filiam Mauricii* hoc etiam peccatum extenuans ait[2] : « Adæ magis parcendum fuit, qui adhuc novellus erat, et nullius ante peccantis, et propter peccatum suum morientis retrahebatur exemplo. Tibi vero post tanta documenta, post legem, post Prophetas, post Evangelia, post Apostolos, si delinquere volueris, quomodo indulgeri possit ignoro. » Sic expone. Quandoquidem per delictum unius, scilicet Adæ, et per unum scilicet delictum, « mors, » etiam animæ « regnavit, » id est quiete posteros obtinuit : multo convenientius et justius per unum Jesum Christum omnium bonorum plenitudine perfectum posteri ejus spirituales acceperunt abundantiam divinæ gratiæ, id est plura bona super merita ipsorum eis collata, bona dico donationis et justitiæ. Donationis solummodo illa dona dicuntur, quibus nullum est meritum adjunctum, sicut in parvulis. Justitiæ vero, ubi aliquid pro meritis datur. Justitia quippe dicitur,

quæ unicuique reddit quod suum est. Regnabunt in vita scilicet æterna, id est, vitam quasi regnum, non quasi consulatum instabilem obtinebunt. Ne mireris hanc sententiam sæpius Apostolum memorare, cum maxime Christum in hoc attendat commendare, et ratione valida velit astruere plus de Christo omnibus esse confidendum, quam de Adam timendum. Quod ut firmiter memoriæ commendet, sæpius replicat. « Igitur sicut per unius. » Quandoquidem per Adam incurrimus damnationem, et per Christum assequimur justificationem, id est remissionem : igitur « per unum, » id est per unum illud confertur, et hoc est « sicut per unius delictum, » agitur subaudi, « ad condemnationem, » ut videlicet obnoxii sint etiam propter illud morti æternæ, « in omnes homines, » tam videlicet in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, ut supra meminit, quam in alios : vel tam in eos qui ante legem fuerunt, quam in alios, ut supra quoque meminit; ita « et per unius justitiam » agitur ad justificationem vitæ, id est ad remissionem peccatorum, quæ vitam conferat æternam, in omnes similiter homines, non quidem in singulos, sed in utraque hominum genera determinata. Quod enim non de singulis dicat Apostolus statim sequentia insinuant, ubi solummodo « multi. » Multi, non omnes, dicuntur. Et plane Apostolus exprimit quomodo superius supradixerit priorem Adam formam, id est similitudinem secundi, id est Christi, in hoc videlicet quod sicut quod suum est transfundit ad posteros, id est peccatum, ita ille quod suum ad suos, id est gratiam justificationis.

« Sicut enim, » vere per delictum et justitiam sic actum est, quia per inobedientiam et obedientiam. Et hoc est, « sicut enim, etc. » Per peccatum Adæ multos dicit, non omnes constitui peccatores, id est æternæ pœnæ tradi. Ut enim prætermittamus hominem Christum ab omni peccato semper immunem, sunt multi quibus jam per sacramenta Ecclesiæ peccatum originale condonatum est, et postea propriis condemnantur peccatis, quos nequaquam eo modo quo dictum est peccatores Adam constituit, sed ipsimet ipsos, quia jam non peccatum Adæ in eis puniri videtur, quippe quod jam eis condonatum est, sed propria ipsorum tantum peccata; quamvis nonnulli, juxta parabolam Domini de duobus conservis, dimissa etiam peccata in damnatis atque ingratis redire, et jungi ad pœnam ita velint, ut quod jam condonationem accepit iterum puniatur, cum id plane Apostolus in sequentibus contradicat, dicens sine pœnitentia esse dona Dei et vocationem. De quo quidem suo loco diligentius disseremus. Possumus etiam fortasse[1] nullos salvandos ab Adam peccatores, ut determinatum est, constitui, id est æternæ morti subjici, sed solos sine sacramento damnatos.

« Per unius obedientiam, » qui videlicet factus obediens usque ad mortem,

[1] Hic aliquid deesse videtur, ut *conjicere* vel *interpretari*.

« constituentur justi, » id est ab omni peccato penitus immunes etiam per pœnam. Nota quod in Adam dicit : « constituti sunt, » in Christo, « constituentur. » Ipsum quidem Adæ peccatum in nobis transfusum quasi præsens et determinatum est per pœnam sui. Justificatio autem illa per Christum quasi futura est adhuc, cum sit occulta, et maxime, quia Christiani qui sunt, afflictionibus in hoc mundo subjaceant. Unde Joannes Apostolus [1] : « Filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, etc. » Et ipse Paulus [2] : « Vita, » inquit, « nostra abscondita est cum Christo in Deo. » Non autem segniter prætereundum est, quod hoc loco Apostolus de peccato et gratia per Adam et Christum transfusis toties replicat, et quod quasi necessaria ratione ac manifesta justitia exigente, astruit plura per Christum bona, licet non pluribus debere conferri quam per Adam mala, quasi plus in juvando iste potuerit quam ille in nocendo : quod apertum est. Sed ex hoc ni fallor contuendo nobis Apostolus reliquit Deum in incarnatione Filii sui id quoque sibi machinatum fuisse, ut non solum misericordia, verum et justitia per eum subveniret peccantibus, et ipsius justitia suppleretur quod delictis nostris præpediebatur. Cum enim Filium suum Deus hominem fecerit, eum profecto sub lege constituit quam jam communem omnibus dederat hominibus. Oportuit itaque hominem illum ex præcepto divino proximum ipsum tanquam se diligere, et in nobis charitatis suæ gratiam exercere, tum instruendo nos, tum pro nobis orando. Præcepto itaque divino et pro nobis, et maxime pro dilectione ei adhærentibus orare cogebatur, sicut in Evangelio Patrem sæpissime interpellat pro suis. Summa vero ejus justitia exigebat, ut in nullo ejus oratio repulsam sustineret, quem nihil nisi quod oportebat velle vel facere unita ei divinitas permittebat. Quod ipse Apostolus duobus aliis locis diligenter insinuavit, scribens de eo ad Galatas [3] : « Factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. » Et ad Hebræos [4] : « Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, est exauditus pro sua reverentia, etc. » Homo itaque factus lege ipsa dilectionis proximi constringitur, ut eos qui sub lege erant, nec per legem poterant salvari, redimeret : et quod in nostris non erat meritis, ex suis suppleret; et sicut sanctitate singularis exstitit, singularis fieret utilitate in aliorum etiam salute. Alioquin quid magnum sanctitas ejus promereretur, si suæ tantum salvationi, non alienæ sufficeret? Nunquid Adam obediendo seipsum salvasset, quod unusquisque etiam Sanctorum per gratiam Dei obtinet? Multo plus aliquid in illo singulari justo divina operari gratia debuit. Non sunt etiam copiosæ potentis divitiæ, quæ alios ditare non sufficiunt.

[1] I Joan., cap. III, v. 2. — [2] *Coloss.*, cap. III, v. 3. — [3] *Galat.*, cap. IV, v. 4 et 5. — [4] *Hebr.*, cap. V, v. 7.

Nunc ad illam veterem humani generis querelam et interminatam quæstionem, de originali scilicet peccato, quod a primo parente in posteros redundare Apostolus præsenti loco commemorat, veniendum nobis est, et prout poterimus in ejus solutione laborandum. Primo itaque id quæritur : Quid originale peccatum dicamus, cum quo singuli homines procreantur? Deinde qua justitia pro peccato patris innocens filius apud misericordissimum judicem Deum reus constituatur, quod non apud seculares judices approbaretur, et quod jam ei qui commisit dimissum credimus, vel in cæteris per baptismum deletum, in filiis puniatur qui nec adhuc peccato consentire valuerunt; et quos proprium non obligat peccatum damnet alienum, et prioris iniquitas patris magis quam proximorum quantocumque graviores n damnationem trahat? Quantum etiam sit crudele, et summæ bonitati Dei incongruum, qui salvare magis quam perdere animas desiderat, ut pro peccato parentis filium damnet, quem pro ejus minime[1] justitia salvaret? Pluribus autem modis peccati nomen Scriptura sacra accipit, uno quidem modo et proprie pro ipsa animæ culpa et contemptu Dei, id est prava voluntate nostra, qua rei apud Deum statuimur. Altero autem modo peccatum dicitur ipsa peccati pœna quam per ipsum incurrimus, vel cui propter ipsum obnoxii tenemur. Secundum quam quidem significationem dicuntur peccata dimitti, id est pœnæ peccatorum condonari, et Dominus peccata nostra portasse, id est pœnas peccatorum nostrorum sustinuisse. Et cum aliquis dicitur habere peccatum, vel cum peccato adhuc esse, qui tamen per voluntatem malam non peccat, sicut est aliquis iniquus dormiens : tale est ac si adhuc eum obnoxium pœnæ proprii peccati fateamur. Tertio autem modo ipse Christus ab Apostolo peccatum dicitur[2], id est hostia pro peccato. Cum itaque dicimus homines cum originali peccato procreari et nasci, atque hoc ipsum originale peccatum ex primo parente contrahere : magis hoc ad pœnam peccati, cui videlicet pœnæ obnoxii tenemur, quam ad culpam animi et contemptum Dei, referendum videtur. Qui enim nondum libero uti arbitrio potest, nec ullum adhuc rationis exercitium habet, qua Deum[3] recognoscat auctorem, vel obedientiæ mereatur præceptum, nulla est ei transgressio, nulla negligentia imputanda, nec ullum omnino meritum quo præmio vel pœna dignus sit, magis quam bestiis ipsis, quando in aliquo vel nocere vel juvare videntur. Unde Augustinus in libro *de Fide*[4] ad Petrum, de anima irrationalium disserens animalium : « Ideo, » inquit, « nec æternitas irrationabilibus spiritibus data est, nec aliquod eis judicium præparatur, in quo eis vel beatitudo pro bonis, vel damnatio

[1] Locus certe corruptus aut mutilus. Pro *minime* forsan legendum est aut *innocentia* aut *virtute* aut simile quoddam verbum. — [2] II. *Corinth.*, cap. v, v. 21. — [3] Male Amb. *Quasi eum recognoscat.* — [4] Reg. 41, *Opp.*, t. VI, col. 1121.

pro malis reddatur operibus. Ideo in eis nulla operum discretio requiretur, quia nullam intelligendi facultatem divinitus acceperunt. Propterea ergo eorum corpora resurrectura non sunt, quia nec ipsis animalibus aut æquitas aut iniquitas fuit, pro qua eis aut æterna beatitudo sit retribuenda, vel pœna. » Idem in libro *Quæstionum* LXXXIII, cap. XVI[1] : « Deus justus est gubernans universa, nullam pœnam cuiquam sinit immerito infligi, nullum præmium immerito dari. Meritum autem pœnæ peccatum, et meritum præmii recte factum est. Nec peccatum aut recte factum imputari cuiquam recte potest, qui nihil propria fecerit voluntate. Est ergo et peccatum et recte factum in libero voluntatis arbitrio. »

Boethius autem libro III editionis secundæ *in Perihermenias*, quid sit liberum arbitrium diligenter aperiens ait : « Nos enim liberum arbitrium ponimus, nullo extrinsecus cogente, in id quod pro nobis faciendum vel non faciendum judicantibus perpendentibusque videatur : ad quam rem præsumpta prius cognitione perficiendam et agendam venimus, ut id quod sit ex nobis ex nostro principium judicio sumat, nullo extrinsecus aut violenter cogente aut impediente. » Item : « Nos autem liberum voluntatis arbitrium non id dicimus quod quisque voluerit, sed quod quisque judicio et examinatione collegerit. Alioquin multa quoque animalia habebunt liberum voluntatis arbitrium. Illa enim videmus sponte quædam refugere, quibusdam sponte concurrere. Quod si velle aliquid vel nolle hoc recte liberi arbitrii vocabulo teneretur, non solum hoc esset hominis, sed cæterorum quoque animalium, quibus hanc liberi arbitrii potestatem abesse quis nesciat? Sed est liberum arbitrium, quod ipsa quoque vocabula produnt, liberum nobis de voluntate judicium. Quotiescumque enim imaginationes animo concurrunt, et voluntatem irritant, eas ratio perpendit, et de his judicat : et quod ei melius videtur cum arbitrio perpenderit et judicatione collegerit, facit. Atque ideo quædam dulcia et speciem utilitatis monstrantia spernimus, quædam amara licet nolentes, tamen fortiter sustinemus : adeo non in voluntate, sed in judicatione voluntatis liberum constat arbitrium, et non in imaginatione, sed in ipsius imaginationis perpensione consistit. Atque ideo quarundam actionum nos ipsi principia non sequaces sumus. Hoc est enim uti ratione, uti judicatione. » Ex his itaque verbis Boethii patet liberum arbitrium nihil aliud esse quam ipsam animi facultatem deliberandi ac dijudicandi id quod velit facere, an scilicet sit faciendum, an non quod elegerit sequendum. Unde et qui nihil actu deliberat, quia tamen ad deliberandum aptus est, libero non caret arbitrio. Quam quidem facultatem nemo sani capitis parvulis deesse contradicet, sive furiosis aut mente captis, qui discretionis judi-

[1] Leg. *Quæst.* XXIV, *Opp.*, t. VI, col. 6.

cium non habent, nec in his qui agunt sola voluntate, vel impetu mentis agitati, non aliqua deliberatione animi commoti, aliquid eos promereri concedet vel pœnæ vel præmii : nec legibus etiam hominum subjacere, ut vel humano judicio rei pro aliquo censeantur. Unde et ipse Augustinus in libro *Quæstionum veteris et novæ legis* : « Quomodo, inquit, reus constituitur qui nescit quid fecerit? » Et Hieronymus *super Ezechiel :* « Quamdiu anima in infantia constituta est, peccato caret. » Ac rursus : « Objicies mihi illud suprapositum B. Augustini dictum, quod Deus nullam pœnam cuiquam sinit immerito infligi, nullum præmium immerito dari, id est nulli qui non meruit aut pœnam aut præmium conferri. Quod quidem non solum in parvulis tam propter originale peccatum damnatis quam per solam gratiam baptismatis salvatis reprehensibile videtur, verum etiam in plerisque aliis, sicut in Job percusso, et in illo quem Dominus sanavit, a nativitate cæco facto : non, ut ait Dominus[1], quia ipse peccasset aut parentes ejus, sed ut manifestarentur opera Dei in illo. » Quod diligenter beatus Gregorius attendens, diversa promissionum genera in 1 distinguit *Moralium*. Quis etiam nesciat Deum non solum promittere, verum et jubere ut inimicis nostris non secundum merita eorum bona retribuamus pro malis, et nos a Deo per gratiam, quæ nos prævenit vel subsequitur, multa obtinere, non per merita? Unde Apostolus[2] : « Si autem ex operibus, jam non ex gratia. Alioquin gratia jam non est gratia. » Quid itaque illud Augustinus velit quod primo posuimus et postmodum opposuimus, Dominum videlicet nulli immerito aut pœnam inferri, aut præmium conferri permittere, non facile absolvi posse video : nisi in eo vim quamdam notemus, quod cum dixerit « Deus, » addidit « justus, » ut videlicet notet non id Dominum ex justitia permittere quod tamen aliqua permittat dispensatione, aut ex abundantia caritatis potius fieri jubet, quam ex æquitate justitiæ. Est quippe justitia quæ reddit unicuique quod suum est, non plusquam quod suum est, aut minus : hoc est id tantum quod ille cui redditur meruit. Si quis autem alicui plus boni conferat quam ille meruit, aut minus infligat mali, gratiæ id est potius quam justitiæ. Sicut e converso iniquitatis esse videtur, si quis alicui minus boni conferat, vel plus mali reddat quam ille meruit. Ut ergo ad propositum revertamur, quanta est illa crudelitas æstimanda, quam Deus in parvulis exercere videtur, ut videlicet cum nullum inveniat meritum, gravissimam tamen infernalis incendii pœnam inducat? Hinc enim illud est Augustini in libro *de Fide* ad Petrum[3]: « Firmissime tene, et nullatenus dubites non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt et ibi moriuntur, sive jam nati sine

[1] Joan., cap. IX, v. 3. — [2] *Rom.*, cap. XI, v. 6. — [3] Reg. 24, *Opp.*, t. VI, col. 1130.

sacramento baptismatis, quod datur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, de hoc seculo transeunt, ignis æterni supplicio sempiterno puniendos. Quia etsi peccatum propriæ actionis nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione et nativitate traxerunt. » Nunquid etiam apud homines iniquissimum judicaretur, si quis innocentem filium pro peccato patris flammis istis transitoriis traderet, nedum perpetuis? Esset utique inquam hoc in hominibus iniquum, quibus etiam interdicitur propriæ vindicta injuriæ. Sed non ita in Deo qui dicit[1] : « Mihi vindicta, ego retribuam. » Et alibi[2] : « Ego occidam, et ego vivere faciam. » Non enim injuriam creaturæ suæ Deus facit, quocumque modo eam tractet, sive ad pœnam eam deputet, sive ad requiem. Alioquin animalia, quæ ad laborem humani obsequii creata sunt, juste conqueri et murmurare adversus Creatorem possent. Quibus quidem murmurantibus super se illud Evangelii responderet[3] : « An non licet mihi quod volo facere? » sive illud Apostoli[4] : « O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? » Nulla profecto ratione cum eo posset contendere. Hac quidem ratione profiteor, quoquomodo Deus creaturam suam tractare velit, nullius injuriæ potest argui. Nec malum aliquomodo potest dici, quod juxta ejus voluntatem fiat. Non enim aliter bonum a malo discernere possumus, nisi quod ejus est consentaneum voluntati, et in placito ejus consistit. Unde et ea quæ per se videntur pessima, et ideo culpanda, cum jussione fiunt dominica, nullus culpare præsumit. Alioquin Hebræi spoliantes Ægyptios furti graviter arguendi essent, et qui suos occiderunt proximos cum Madianitis fornicantes non tam ultores quam homicidæ judicarentur. Adeo autem boni vel mali discretio in divinæ voluntatis dispositione consistit, cui hoc attendentes quotidie clamamus : « Fiat voluntas tua, » ac si ita dicamus : Ordinentur optime cuncta, ut ad ejus jussionem vel prohibitionem eadem fieri alio tempore bonum sit, alio malum : cum pro temporum diversitate antiqui et novi contrariæ penitus nonnullæ videantur observantiæ. Quis enim nesciat antiquo populo prius esse præceptum, ut de sua quisque tribu duceret uxorem, et omnino modo est inhibitum : et tunc præcipue nuptiis implicari, nunc libertate continentiæ frui; et circumcisionem et cætera legis sacramenta, quæ in summa veneratione ex præcepto divino tunc fuerunt, nunc abominabilia esse? Constat itaque, ut diximus, totam boni vel mali discretionem in divinæ dispensationis placito consistere, quæ optime cuncta nobis

[1] *Deut.*, cap. XXXII, v. 35; *Rom.*, cap. XII, v. 19. — [2] *Deut.*, cap. XXXII, v. 39. — [3] Matth., cap. XX, v. 15. — [4] *Rom.*, cap. IX, v. 20.

ignorantibus disponit, nec quidquam bene fieri dicendum aut male, nisi quod ejus optimæ voluntati consentaneum est aut adversum : ut quemadmodum proposuimus, quocumque modo Deus tam parvulos quam cæteras ejus creaturas tractare velit, id optime fieri non dubitemus, et si eas omnes ut voluerit ad pœnam ordinet, nec eum injuriæ argui posse, quocunque modo eas ordinet, sive ad gloriam, sive ad pœnam.

Sed quia parum est ad divinæ dispositionis commendationem in hac parvulorum damnatione ab injuria Deum absolvere, nisi et aliquam bonitatis ejus gratiam valeamus astruere, videtur quoque id nobis agi ex multiplicis gratiæ ipsius dispensatione, tam in ipsos scilicet parvulos, quam in alios redundantis. Scimus quippe hanc esse mitissimam pœnam, B. in *Enchiridio* Augustino sic attestante[1] : « Mitissima sane omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt. » Quam quidem pœnam non aliam arbitror quam pati tenebras, id est carere visione divinæ majestatis sine omni spe recuperationis. Quod, ni fallor, conscientiæ tormentum ignem perpetuum B. Augustinus supra nominavit. Credimus etiam huic mitissimæ pœnæ neminem deputari morte in infantia præventum, nisi quem Deus pessimum futurum si viveret prævidebat, et ob hoc majoribus pœnis cruciandum. Unde nonnullam in hac remissione vel alleviatione pœnæ divinæ bonitatis gratiam percipere parvuli non immerito videntur. Bene etiam Deus ad correptionem nostram hac mitissima parvulorum pœna utitur, ut videlicet cautiores efficiamur ad evitandum propria peccata, cum tales et tam innocentes, quibus nec sepultura vel orationes fidelium conceduntur, damnari quotidie credamus propter aliena, et ampliores Deo gratias referamus, cum nos ab illo perpetuo igne post multa etiam perpetrata crimina per gratiam suam immunes habeat, a quo minime illos salvat. Voluit etiam statim ostendere in prima et fortasse modica primorum parentum transgressione, quam ita in posteris nihil adhuc merentibus vindicat, quantum omnem abhorreat iniquitatem, et quantam pœnam majoribus culpis et frequentibus reservet, si hoc semel commissum in unius pomi reparabilis esu ita in posteris punire non differat. Unde Hieronymus in *Epistola* ad filiam Mauricii, sive ad virginem Deo consecratam : « Adæ, inquit, magis parcendum fuit, qui adhuc novellus erat, et nullius ante peccantis, et propter peccatum suum morientis retrahebatur exemplo. Tibi vero post tanta documenta, post Legem, post Prophetas, post Evangelia, post Apostolos, si delinquere volueris, quomodo indulgere possit ignoro. » Sunt et in singulorum parvulorum damnatione propriæ et familiares quædam causæ, licet nobis occultæ, quas ille

[1] Cap. XCIII; *Opp.*, t. VI, col. 230.

novit qui nihil non optime disponit. Et nos quidem aliquas hujuscemodi ex his quæ frequenter accidere videmus, conjicere possumus. Sæpe quippe accidit, ut talium parvulorum mortem in vitam suorum parentum divina gratia commutet, cum ipsi videlicet maxime de eorum damnatione quærentes quam eis per concupiscentiam propriam generatis intulerint, propriæ id culpæ totum tribuant et sibi ascribant, et tam ipsi quam cæteri hoc videntes, timidiores in Deum, et de propriis peccatis magis compuncti vel resipiscentes efficiantur, cum tam severam in parvulos ex concupiscentia, in qua omnes genuerunt, viderint sententiam. Ex quo etiam ad continentiæ bonum potius invitamur, quod tam periculosæ indulgemus concupiscentiæ, per quam tot animæ incessanter inferis transmittuntur. His vel consimilibus rationibus apparere arbitror, Dominum de mitissima illa damnatione parvulorum non solum injuriæ non esse arguendum, verum etiam ex nonnulla gratiæ suæ tam in parvulos, ut dictum est, quam in cæteros collatione glorificandum.

Est ergo originale peccatum, cum quo nascimur, ipsum damnationis debitum quo obligamur, cum obnoxii æternæ pœnæ efficimur propter culpam nostræ originis, id est primorum parentum, a quibus nostra incepit origo. In illo enim, ut supra meminit Apostolus, peccavimus, id est, peccati ejus causa æternæ damnationi ita deputamur, ut, nisi divinorum sacramentorum nobis remedia subveniant, æternaliter damnemur. Et notandum quod licet dicamus peccasse parvulos in Adam, ut expositum est, non ideo simpliciter annuimus eos peccasse, sicut nec cum dicimus aliquem tyrannum adhuc vivere in filiis suis, ideo eum simpliciter vivere concedimus. Damnantur itaque, inquies, qui non peccarunt, quod est iniquissimum : puniuntur qui non meruerunt, quod est atrocissimum. Sed hoc fortasse quantum ad homines, non quantum ad Deum, est concedendum. Alioquin quomodo parvulos quoque pœna diluvii vel incendii Sodomitarum Deus affligens non arguitur? Aut quomodo B. Job et martyres sanctos affligi vel occidi permisit? denique et unicum suum morti tradidit? Dispensatione, inquies, commodissima gratiæ suæ id fecit. Bene et argute : sic etiam, inquam, homines aliqua saluberrimi consilii dispensatione et innocentes pariter ut nocentes affligere possunt, nec in hoc peccare : veluti cum propter alicujus tyranni malitiam, boni principes terras ejus depopulantes atque deprædantes, et bonis fidelibus qui ei subjecti sunt, et possessione non mente conjuncti, nocere compelluntur, ut paucorum electorum damno plurimorum utilitati provideatur. Potest etiam contingere, ut aliqui falsi testes quos tamen refellere non valeamus, aliqua de aliquo imputent quem innocentem scimus. Quorum quidem testimonia postquam id egerint quod eis adjudicatum fuerit, cogimur etiam contra conscientiam nostram gravare innocentem, ut, quod mirabile dictu est, dum legibus obtempe-

ramus, juste eum puniamus qui juste non punitur, et juste id agamus quod justum non est, competenti super hoc deliberatione habita, ne uni parcendo pluribus noceamus. Sic etiam in parvulorum damnatione, cum quod non meruerint plectuntur, multæ possunt exsistere causæ divinæ dispensationis saluberrimæ, præter has etiam quas assignavimus, ut non sit iniquum eos sic puniri, licet non meruerint : quoniam Deus talium pœna tam ipsis quam aliis non inutiliter utitur, ut supra aliquibus non improbabilibus assignavimus opinionibus, ut magis ad gratiam Dei quam ad justitiam hæc mitissima parvulorum pœna referenda videatur, et in quo maxima Dei videtur crudelitas, magnæ dispensatio gratiæ sit prædicanda. Nec hoc rationi contrarium est, si quod dimissum est in parentibus, puniatur in filiis : licet hoc filii ex culpa contrahant parentum. Aliqua enim pro parentibus satisfactio intercedit, et eis tantum sufficiens est, non etiam filiis. Verbi gratia, egerunt Adam et Eva ejecti de paradiso in sudore vultus et dolore partus vel cæteris afflictionibus pœnitentiam de commissa transgressione, et propitiatus est eis Deus propria ipsorum satisfactione. Morte denique temporali cum sint pro illa transgressione quam commiserant ipsi puniti, nequaquam propter ipsam æternæ morti sunt reservandi, juxta illud Propheticum[1] : « Non judicabit Dominus bis in idipsum, et non consurget duplex tribulatio, » id est, nemo de uno eodemque proprio peccato et corporali et æterna morte puniendus est. Filiis autem illorum videlicet primorum parentum, quibus pariter omnibus etiam pro culpa ipsorum patrum iratus est Deus, tanquam in peccato carnalis concupiscentiæ conceptis, quam ipsi videlicet patres ex prima transgressione incurrerunt, singulis propria necessaria est absolutio, quæ levissima nobis instituta est in baptismo, ubi pro alieno quo obligantur peccato aliena fides patrinorumque confessio intercedat. Quippe qui obligatus peccato nascitur, pro ipso quo tenetur nondum satisfacere vel pro se valet, sed divinæ gratiæ sacramento mundatur. Non mirum videri debet si quod indulgetur parentibus, exigatur a filiis ; cum ipsa vitiosa carnalis concupiscentiæ generatio peccatum transfundat, et iram mereatur. Unde Apostolus[2] : « Natura filii iræ, » a qua quidem ira parentes primi satisfactione propria sunt liberati. Potest autem usu evenire ut cum aliquis pauper domino alicui se subjugaverit et parvulos suos, ipse tamen postea propriæ virtutis facto aliquo vel pretio libertatem sibi, non filiis acquirat. In ipsis etiam rerum naturis non incongruam nobis Dominus hujus rei similitudinem impressit, quæ hujusmodi objectioni satisfacere quodammodo videatur, cum tam videlicet ex olivæ quam ex oleastri semine non nisi oleaster nascatur, sicut tam ex carne justi quam ex carne peccatoris non nisi peccator nascitur, et ex frumento a palea

[1]Nahum, cap. I, v. 9. — [2] *Ephes.*, c. II, v. 3.

purgato non purgatum, sed cum ipsa palea frumentum producatur : sicut ex parentibus per sacramentum a peccato mundatis nemo nisi cum peccato nascitur.

Utrum autem ex proximis quoque parentibus sicut ex primis peccata contraxerimus, et multiplicatis originalibus peccatis, tanto quisque nascatur deterior quanto posterior, etiam[1] quæritur. Beatus vero Augustinus in *Enchiridio*, cap. XLVI, hoc probabiliter dici consentit, ut proximorum quoque parentum peccatis filii obligentur, ubi videlicet ait : « Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam ipsorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe divina sententia[2] : « Reddam peccatum patrum in « filios, » tenet eos utique antequam per regenerationem ad Testamentum Novum incipiant pertinere. Quod testamentum prophetabatur cum diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata patrum, nec ultra futuram in Israel parabolam hanc[3] : « Patres manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt. » Item : « Ideo est instituta regeneratio, quia vitiosa est generatio ; usque adeo ut de legitimo matrimonio procreatus dicat[4] : « In iniquitatibus conceptus sum, et in « peccatis concepit me mater mea. » Neque enim hic dixit : « In iniquitate vel pec« cato, » quia et in illo[5] uno quod in omnes homines pertransiit, atque[6] tam magnum est, ut mutaretur vel converteretur in necessitatem mortis humana natura, reperiuntur, sicut supra disserui, plura peccata, et alia parentum, quæ et reatu obligant filios, nisi gratia divina subveniat. Sed de peccatis aliorum parentum ab ipso Adam usque ad patrem suum disceptari potest, utrum omnium malis actibus et multiplicatis delictis originalibus qui nascitur implicetur, ut tanto pejus quanto posterius quisque nascatur. » Hæc tamen Beati Augustini dicta magis ad opinionem aliorum, sicut ipsemet innuit, probabilem, quam ad ipsius assertionem referenda videntur. Quis namque Hieremiam et Joannem Baptistam sanctificatos in utero longe posteriores quam Cain deteriores nasci arbitretur ? Denique et Dominus Jesus ex multis peccatoribus patribus originem ducens secundum carnem longe post Cain natus est ex virgine. Et cum plures quam Cain peccatores haberet antecessores, nihil tamen ei obfuit numerositas talium patrum, quorum carnem accepit in virgine. Sed vero illud in admirationem venire debet, quod cum originale peccatum condonatur, status immortalitatis, qui per ipsum amissus est, non recuperatur. Satis quippe ad divinæ gratiæ largitatem nobis debet esse, si vel gravissimam et æternam evitemus mortem : quia per illud peccatum incurrimus utramque. Non est enim aliud Deum condonare peccatum, quam æternam ejus relaxare pœnam. Ad hoc enim, ut arbitror, pœna ista corporalis et transi-

[1] Male Amb., *Ante quæritur*. — [2] *Deut.*, cap. V, v. 9. — [3] Ezech., cap. XVIII, v. 2. — [4] *Psalm.* L, v. 7. — [5] Male Amb. *Verbo*. — [6] *Atque* Deest. ap. Amb. male.

toriæ mortis reservatur, ut eo minus vitam habere temporalem appetamus, quo facilius eam finiri prospicimus et ærumnis subjacere, et eam amplius diligamus quæ vere beata est et finem non habet. Hæc de originali peccato non tam pro assertione quam pro opinione, nos ad præsens dixisse sufficiat. Nunc ad expositionem litteræ redeamus.

« Lex autem subintravit. » Ac si aliquis quæreret : Quid ergo egit lex ante adventum Christi, si postea Christus adveniens peccata abstulit ? Respondet quia lex non solum peccata non abstulit, sed auxit, ut necessario Christus ad auferendam quoque habitudinem peccatorum descenderet. Et hoc est, « lex » scilicet scripta, « subintravit, » post naturalem, « ut abundaret delictum. » Hoc autem dictum est, quomodo si dicatur de aliquo, « exivit ut moreretur, » id est exivit, et propterea mors est subsecuta, non quod hac intentione exiret. Sic et per hoc quod lex data est populo rebelli, peccatum per transgressionem plurimam abundavit. « Ubi autem, » id est in eodem populo, in quo per transgressionem etiam legis scriptæ, « abundavit peccatum, superabundavit et gratia » Christi, id est dona ab eo gratis non pro meritis collata, tum quia ibi salutem nostram specialiter operatus est, tam patiendo scilicet quam prædicando; unde ait [1] : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel, » vel remittendo peccata, aut miracula faciendo, sive patiendo, resurgendo, ascendendo, Spiritum sanctum mittendo, apostolos et priores electos inde colligens, per quos universus postmodum orbis acquisitus est Deo. Abundasse peccatum dicit, et superabundasse gratiam, quæ non solum peccatum abstulit, verum etiam virtutes contulit et multiplicavit, tam visibiliter in miraculis, quam spiritualiter in interioribus animæ bonis. « Ut sicut, » id est ad hoc abundavit hæc gratia, id est dona a Christo gratis collata, « ut ipsa regnet per justitiam, » id est, regnum justitiæ in nobis ædificet, quæ omnibus imperet libidinibus, et illicitos refrenet motus, præparando nos ita, « in vitam æternam, » et hoc, « per Christum, » seipsum pro nobis hostiam offerentem, « sicut antea regnavit, » id est regnum suum et dominium habuit, « in nobis peccatum, » ducens nos ita « in mortem » scilicet æternæ damnationis.

« Quid ergo dicemus, etc. » Quandoquidem ubi abundavit delictum, superabundavit gratia, diceret aliquis, quid dicemus nisi ut perseveremus in peccato, ut sic in nobis « gratia abundet, » sicut in illis ? « Absit, » inquit Apostolus ex sua parte, hoc concedamus, scilicet perseverandum unquam esse nobis aliqua occasione in peccato. « Qui enim mortui sumus peccato. » Ac si diceret : Non est nobis permanendum in peccato, quia nec manendum aliquo modo, cum ei sumus jam

[1] Matth., cap. xv, v. 24.

mortui, per gratiam scilicet nobis collatam de remissione etiam peccatorum. « An ignoratis. » Ac si diceret : Etiam ipso sacramento et similitudine mortis Christi, quam accepistis in baptismo, admonemini, postquam mortui facti estis peccato, non esse vivendum in illo. Sicut enim ille semel mortuus corpore semel resurrexit a morte, non ultra scilicet moriturus : ita et vos a morte animæ, id est peccato, per gratiam baptismi Christi, non Joannis, liberati, redire ad peccatum non debetis. Et hoc est : Nunquid vos qui ita opponitis, ignoratis sacramentum, id est sanctificationem baptismi Christi, id est ignoratis quod « quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, » id est baptismate ejus potius quam Joannis, « sumus baptizati in morte ipsius? » id est, in similitudine et significatione corporalis mortis, sicut dictum est, ut videlicet sicut ille semel mortuus est corpore et resurrexit, ita et nos semel mori peccato nitamur, et non ultra velle peccare, etiamsi per pœnitentiam valeamus resurgere. « Consepulti enim. » Post similitudinem mortis et sepulturæ adjungit etiam resurrectionis, dicens nos ad hoc in baptismo consepultos esse Christo in morte peccati, id est similitudine tridua ejus sepulturæ, per quam morimur peccato accepisse[1], ad hoc inquam ut, « quomodo Christus semel resurrexit, » non[2] iterum casurus in mortem, « per gloriam Dei Patris, » id est per potentiam divinitatis, quæ specialiter nomine Patris exprimitur, ita nos ambulemus per gradus virtutum, quæ novum hominem faciunt, non revertentes ad vitia quæ sunt mors animæ. « Si enim. » Dixi nos accepisse similitudinem mortis et sepulturæ Christi in baptismo, ut similitudinem resurrectionis per novitatem vitæ teneamus. Et merito, « Quia si complantati fuerimus similitudini mortis, Christi » id est, si gratia baptismatis, quæ est similitudo mortis Christi, firmiter radicati fuerimus, sicut ille obedientia mortis sibi injunctæ a patre immobilis exstitit ; quæ quidem mors ejus fuit quasi plantatio grani fructificandi et multiplicandi, sicut ipse dicit[3] : « Nisi granum frumenti, etc., » « simul erimus et resurrectionis ejus, » id est perveniemus per gradus virtutum ad resurrectionis ejus gloriam, sive ad ipsam novitatem vitæ, quæ est etiam in terris quædam similitudo futuræ vitæ, quam resurgendo primus Christus nuntiavit. Novitas vitæ est, ut ait Origenes, ubi veterem hominem cum actibus suis deponimus, et induimus novum qui renovatur in agnitione Dei. Quotidie sic dici potest ipsa novitas innovanda esse. Sic enim dicit[4] : « Nam et is qui foris est homo noster corrumpitur, sed qui intus renovatur de die in diem. » Qui in fide proficiunt, semper bonis operibus adjiciunt meliora.

« Hoc scientes, » id est attendentes et considerantes in ipso genere mortis

[1] Sic Amboesius. Aliquid deesse videtur ante *accepisse*, ut *gratiam baptismi*. — [2] Male Amb. *Semel iterum*. — [3] Joann. c. XII, v. 24. — [4] II *Corinth.*, cap. IV, v. 16.

Christi significari, quod noster[1] simul cum Christo sit « crucifixus, » id est in nobis, « vetus homo, » id est transgressor Adam, ut quemadmodum scilicet Christus corporaliter crucifixus mortuus est, ita spiritualiter in nobis veterem hominem per baptismum mori credamus et crucifigi, id est, omnem transgressionem, per quam imitamur veterem et priorem Adam, condonari. Et hoc est quod exponens subjungit, « ita ut destruatur in nobis totum corpus peccati, » non unum membrum, id est universa peccata, tam originale scilicet quam propria, non hoc tantum vel illa condonentur. Crucifixus quilibet ita totum corpus extensum habet, ut movere membra non possit, tanquam omnia sint mortificata. Per quod significatur in baptizatis omnia deleta esse peccata. « Ut ultra, » id est, ad hoc nobis gratia remissionis est collata, ut ei quantum possumus cohærentes, et in hac munditia permanentes « non serviamus ultra peccato, » id est, non dominetur nobis longa peccati consuetudo, quæ etiam nolentes quasi servos in perpetuum retinet, non tanquam famulos ad horam subjectos habet. « Qui enim. » Bene dixi crucifixum esse et mortuum in nobis veterem hominem, ut amplius ille in nobis peccato non serviat quam mortuus quilibet, ut ait Hieronymus, qui justificatus est a peccato, id est, ab opere peccati jam alienus, licet penitus voluntate peccandi non careat, sicut libero caret operandi arbitrio. « Si autem, » id est, si morte peccati imitamur mortem Christi. « Credimus, » id est, mente firmiter tenemus, « quia simul etiam vivemus cum Christo, » tam corpore quam anima glorificati in perpetuum. Cujus quidem vitæ perpetuitatem subjungit dicens, « scientes » nunc per experimentum quia nunc credimus, « quod scilicet Christus resurgens ex mortuis, » id est de inter mortuos, quorum unus erat, « jam » id est, in præsenti seculo, « non moritur » neque etiam in futuro : et hoc est : « Mors illi ultra non dominabitur. » Sed quid est quod ait, « non dominabitur, » quasi prius dominata fuerit, et eum tanquam inimicum oppresserit? Et fortasse qui usque adeo mortem visus est expavisse ut diceret[2] : « Pater, si possibile est, etc., » et iterum[3] : « Verum tamen non sicut ego volo, etc., » mori nullatenus voluit, sed permisit ? Secundum divinitatem vero sicut unum est cum Patre, ita et unius voluntatis est : juxta quod ipse de se ait[4] : « Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam. » Et iterum[5] : « Potestatem habeo ponendi animam, et iterum sumendi eam. » Et Isaias[6] : « Oblatus est, » inquit, « quia voluit. » Desideravit quidem anima hominis illius salutem nostram quam in morte sua consistere sciebat, et propter illam quam desiderabat hanc tolerabat : sicuti infirmus vel sauciatus aliquis propter sanitatem quam desiderat, multa

[1] Male Amb. *Non simul.* — [2] Matth., cap. XXVI, v. 39. — [3] *Ibid.* — [4] Joan., cap. X, v. 18. — [5] *Ibid.* — [6] Isaï, cap. LIII, v. 7.

tolerat aspera coactus, non spontaneus, per quæ sanitatem se adepturum existimat. Quæcunque autem coactus quis sustinet, non utique velle, sed magis tolerare dicendus est. Nihil quippe affligendo gravat aliquem, nisi quod contra ejus geritur voluntatem. Et in nullo quis patitur, nisi quod ejus voluntati adversatur. Anima itaque Christi non tam afflictiones passionum velle quam tolerare dicenda est. Sed quia etiam Christus ipse alibi profitetur non se venisse voluntatem suam facere, sed voluntatem Patris; unde et pro magno id merito et virtute reputandum est, cum amore quis Dei suæ penitus abrenuntiat voluntati, immo et, ut ipse alibi Christus ait, adhuc et animam suam oderit : quodam itaque modo mors ipsa humanitati Christi dominata est, quando eam videlicet præ angustia sua reformidabat et transire potius quam venire volebat, quasi nolens sustinuit propter injunctam sibi a Patre obedientiam. Qui etiam sub lege factus est, cum omnino legi nil deberet. Tale est itaque quod ait Apostolus : « Mors illi ultra non dominabitur, » ac si diceret : Non opprimet nolentem, vel non affliget violenter innocentem. Quasi enim violentiam mors in eum exercuit, cum innocentem et nulli peccato penitus subjacentem oppressit, quæ non nisi peccati causa homini est immissa. Potest enim convenientius distingui quod dictum est : « Jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur, » ut videlicet illud primum ad mortem corporis, secundum vero ad mortem animæ referatur. Tale quippe est, « non moritur jam, » ac si dicatur, præsentem vitæ mortem, id est, corporalem non incurret. Tale est vero, « mors illi ultra non dominabitur, » ac si dicatur, mors illa ulterior quæ in reprobis corporalem sequitur, et etiam post resurrectionem impiis dominatur, eum nullatenus opprimet. Quæ videlicet mors omnibus quos arripit dominatur, et neminem nisi invitum detinere potest. Hanc autem distinctionem sequens littera exigere videtur quæ ait, « quia enim mortuus est, etc. » Hinc enim probat quod mors illa quæ ultima est, id est, quæ post hanc transitoriam sequitur æterna, illi non dominabitur, quia ille semel mortuus est in corpore tantum.

« Quod enim mortuus est peccato penitus, » id est, in nullo penitus unquam fuit peccato, sive actuali sive originali, pro quo videlicet peccato mors illa damnationis debetur, ideo semel tantum mori potuit, ut dictum est, id est corpore tantum, non anima. « Quod autem vivit. » Mortuus est, inquam, sed vivit jam suscitatus. Et quod vivit, « vivit Deo, » sicut mortuus fuerat peccato, immo quia mortuus exsistit in præsenti sæculo peccato, necesse est ut in futuro vivat Deo. Vivit peccato qui vivendo peccat; vivit Deo qui ab ejus voluntate non discordat. Quod quidem soli Christo sive in ipso capite sive in ejus glorificatis membris veraciter assignatur. « Ita et vos. » Quod præmisit de capite per similitudinem quamdam ad membra reducit, ut videlicet peccato moriantur et Deo vivant. Et

quia possent illi dicere se ignorare quando peccato, quando Deo viverent, præveniens atque auferens hanc excusationem, dicit ut saltem pro existimatione sua et capacitate suæ intelligentiæ id implere studeant. Et hoc est quod ait : « Existimate, etc., » hoc est ita saltem vivatis, ut vos non reprehendat vestra conscientia, sed mundum ad plenum qualiter vivendum sit cognoscatis : quia et si aliter sapitis, ut ipse alibi Apostolus ait, id quoque Deus vobis revelavit, corrigendo scilicet vestræ simplicitatis minus doctam existimationem. « In Christo Jesu, » id est, per gratiam vobis in Christo collatam, cum quo vobis collata sunt omnia, non per merita vestra.

« Non ergo. » Ad superiora illa revertitur ubi dictum est[1] : « Quid ergo dicemus ? permanebimus in peccato ut gratia abundet ? » Et multis rationibus interpositis concludit non esse permanendum in peccato, id est, non oportere aliqua de causa peccatum regnare in nobis. Continuatio. Quandoquidem sic vivendum est ut existimetis vos mortuos esse peccato. Ergo « non regnet peccatum in vestro mortali corpore, » hoc est, non perseveret in fragilitate vestræ carnalitatis. Non dicit, « non sit, » sed « non regnet, » id est non dominando perseveret. Quod autem non dicat « non sit, » insinuat dicens : « In vestro mortali corpore, » id est, in fragili et ad peccandum prona humanæ naturæ substantia. Difficile quippe est, immo quodammodo impossibile ut quandoque nostra hæc mortalitas ad peccatum non inclinetur; sed cum humanum peccare, diabolicum est, non humanum, perseverare. Quomodo autem regnet in nobis peccatum, et dominium obtineat, determinat subjungens : « Ut obediatis concupiscentiis ejus. » Quasi transitum, non regnum in nobis habet peccatum, quando quod suggerit concupiscentia ratio refrenat. Tunc vero quasi regnans et dominans stabilem in nobis mansionem facit, quando malum quod mente concipimus, opere implemus, vel quod pejus est, in consuetudinem ducimus, nolentes id per pœnitentiam emendare. Est itaque obedire concupiscentiæ peccatum ita ad affectum ducere, sicut prava concupiscentia quæ peccati est persuadet. « Sed neque. » Non solum non obediatis malæ concupiscentiæ, verum et ipsam ita prævenire vestra providentia studeat, ut cum voluerit dominari non possit. Quod quidem facietis, si non exhibueritis, « membra vestra arma iniquitatis peccato, » id est, non præparabitis ea instrumenta conceptæ animo iniquitatis, id est, malæ concupiscentiæ, ad peccatum opere complendum. Tunc autem præparamus membra nostra ad malam concupiscentiam quæ ad actum perducitur, quando nimio cibo vel potui indulgemus, unde lascivire facile caro possit, vel quando componimus nos atque adornamus, ut mulieribus placere valeamus, vel quando

[1] *Rom.*, cap. VI, v. 1.

pugilatoriæ vel gladiatoriæ insistimus, ut per ea quos voluerimus opprimamus, vel in causis linguam exercemus, ut inde pecuniam acquiramus, et quibuscunque modis vel aliquam partem nostri corporis ad aliquid mali operandum facilem sive habilem efficimus. « Sed exhibete, » id est, præparate « vos Deo, » hoc est divinæ voluntati dicate, ut pote per fidem ab eo spiritualiter suscitati a morte animæ. Et hoc est « tanquam exhibete membra vestra. » Et quia fides sine operibus mortua est, addit « et membra vestra, » scilicet exhibete « arma justitiæ Deo, » id est instrumenta quibus omnis ad justa opera utatur, veluti si quis abstinentia gulam domet, ut quod sibi subtrahit alteri largiatur : vel manus in labore exerceat, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti : vel aures prædicationi et oculos sacræ lectioni applicet, ut alios quoque valeat erudire, etc. « Peccatum enim. » Dixi ut exhibeatis membra vestra Deo, et id præcipue debetis propter appositam gratiam Evangelii, et gravissimam pœnam legis remotam. Et hoc est peccatum, id est, lex peccati, id est, pœnæ potius quam gratiæ. « Vobis, » ad Christum jam conversis, « non dominabitur, » id est, non opprimet atque affliget illis intolerabilium pœnarum vindictis. Unde causam annectit, dicens : « Non enim sub, » id est, non estis jam sub legalibus institutionibus obnoxii, tanquam illo legis jugo gravissimo pressi, « dentem pro dente, oculum pro oculo[1], etc., » sed sub gratia scilicet Evangelii. Quod scilicet Evangelium testamentum amoris et misericordiæ est dicendum, sicut illud timoris et vindictæ exstitit. Unde et in laudem Christi Psalmista præcinit[2] : « Diffusa est gratia in labiis tuis, » hoc est dilatatam usque ad inimicos caritatem, juxta quod alibi dicit[3] : « Latum mandatum tuum nimis, » et tota tua resonat prædicatio. Quæ quidem omnia ita dimitti præcipit, seu persuadet, ut incassum speremus remissionem a Deo peccatorum, nisi omnibus omnes injurias dimittamus. « Quid ergo peccabimus ? » Occasione præmissorum quæstionem interserit atque solvit dicens : Quid ergo, scilicet dicendum est aut tenendum ? hoc est, quæstionem quasi rationabiliter incurrimus hanc : Peccabimus, quoniam non sumus sub lege : id est, libertatem hanc gratiæ quam accepimus convertemus ad peccandum, quia scilicet vindictam hanc corporalem non timemus ? « Absit, » quod videlicet non esset hæc libertas, sed servitus. Et hoc est quod subdit : « An nescitis, » id est, tam stolidi estis quod ignoratis, « quod servi estis ejus cui vos præparatis servos ad obediendum, » id est, cui vos sponte traditis non coacti, ut quod præcipit exsequamini, non attendentes videlicet an non sit faciendum, sed quod sit ab eo præceptum, « sive peccati, » id est, pravæ voluntatis ducentis ad mortem, id est damnationem, quasi suggestione[4] præcipientis prava opera, « sive obeditionis, »

[1] *Exod.*, c. XXI, v. 24. — [2] *Psalm.* XLIV, v. 3. — [3] *Psalm.* CXVIII, v. 96. — [4] Amb. *Suggerem*, quæ vox latina non est, nedum sensum aliquem præferat.

scilicet servi, id est, bonæ voluntatis seu præceptionis, cui est obediendum ad justitiam, id est, ad aliquam justam operationem. « Gratias autem. » Dixi sive peccati sive obeditionis, quasi dubitarem cujus servi sitis, sed gratias, id est grates Deo, subaudi refero, quod cum fuissetis prius servi peccati, nunc estis facti servi obeditionis. Et hoc est, « obedistis autem ex corde, » id est, amore potius quam timore, in eam formam, id est, secundum illum modum doctrinæ, in qua a prædicatoribus estis eruditi, et sic liberati a servitute peccati, cui videlicet prius obediebatis. « Servi facti estis justitiæ, » id est, justæ vel rectæ voluntatis, seu divinæ præceptionis, quæ non solum justa, verum etiam ipsa est appellata justitia. « Humanum dico. » Ac si diceret, et quia nunc a jugo peccati liberati ad obedientiam justitiæ estis traducti.

LIBER TERTIUS.

« Humanum dico. » Adhortando vos, ut in ea perseveretis, et quia vos infirmos adhuc et carnales intueor, id est, pronos relabi ad peccata, humanitus vobis loquor, id est, remissius quam justum sit, ut videlicet si non plus, saltem tantum studeatis implere opera justitiæ, quantum studuistis iniquitati deservire. Et hoc est illud humanitus dictum, « propter infirmitatem carnalitatis eorum, » id est, quam ex carnalibus trahunt desideriis, quod statim adjungit dicens : « Sicut enim. » Ac si diceret : Vere humanum vobis dico, quod est[1] videlicet, sicut olim « exhibuistis, » id est, aperte atque impudenter præparastis, « membra vestra servire immunditiæ, » id est carnalibus turpitudinibus, luxuriæ vel gulæ, « et iniquitati, » id est spiritalibus vitiis, sicut est ira vel odium in alterum, seu cupiditas rei alienæ : illis, inquam, exhibuistis servire ad iniquitatem scilicet perpetrandam, ut videlicet perversum mentis desiderium in effectum duceretis, ita præparate nunc illa « servire justitiæ, » id est justis desideriis « in sanctificatione, » id est, in effectum sancti operis. Qui non tam ex infirmitate quam ex studio peccant, membra sua præparant ad iniquitatem : sicut nonnulli calidis utuntur, ut luxuriæ, vel salsis, vel potui vacare diutius possint, atque ipsa sui corporis membra sæpe contra ipsorum naturam ad turpitudines cogunt. Manum quoque suam ad iniquitatem perpetrandam præparat, si ei gladium providet, quem in eum quem odit exerceat. E contrario membra sua justitiæ præparat, si ea sic temperare satagit et coercere, ne ad illicita prorumpant, sed ad coronam proficiant ; quibus quidem cum potuit non est transgressus, immo viriliter in eis omnem pravæ suggestionis impetum exstinxit, et quæ eis potuit ad bene operandum monstravit, ut oculis sacras litteras, auribus lectiones, manibus eleemosynarum munera vel religiosi laboris instrumenta.

« Cum enim. » Bene dixi, quia liberati modo a peccato, servi facti estis justitiæ, quia e contrario olim servi exsistentes peccati liberi fuistis justitiæ, id est a servitio justitiæ alieni. Locus a contrariis. Sicut servus justitiæ dicitur qui ei famulatur, ita e contrario liber ejus dicitur qui ab ejus servitio remotus est, id est, qui eam implere non curat. « Quem ergo. » Id est, quandoquidem olim ita peccato servistis a justitia penitus alieni, quem tunc fructum, id est utilitatem ha-

[1] Male Amboes. *Quia hoc ut videlicet.*

buistis in illis supra positis, immunditia scilicet et iniquitate, « in quibus, » id est, de quorum perpetratione, « nunc erubescitis. » Et hic est finis « illorum, » scilicet ad quod ducunt, vel effectus prior eis debitus mors est, animæ videlicet, id est, perpetuæ cruciatus pœnæ. « Nunc vero liberati a peccato, » id est a gravi malæ consuetudinis jugo, « habetis » jam hic « fructum vestrum in sanctificationem, » id est, ipsam remissionem peccatorum, qua sanctificati estis, habetis pro remuneratione. « Finem vero, » id est exitum, ad quem hæc sanctificatio perducit, habetis jam vobis præparatum. « Vitam æternam. » Merito finem dicit tam vitam quam mortem animæ æternam, quæ vita ista corporis et morte temporali finitis, extremæ consequuntur. « Stipendia enim. » Ad duo illa præmissa : « Nam finis illorum, » et : « Hinc vero liberati, etc., » ista duo subnectit, « stipendia enim, » et, « gratia autem Dei, etc., » ostendens videlicet qualiter ad duos illos fines, quos distinxit, mortem scilicet ac vitam perveniatur. Ad mortem quidem ex justitia, ad vitam autem ex gratia per Jesum ante collata. Non sunt enim condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Unde bene remunerationem peccati de morte vocat stipendium, remunerationem autem obedientiæ Dei de vita æterna non stipendium, sed gloriam nominat. Stipendium quippe a stipe nomine, et *penso*, *pensas* verbo dicitur. Stipes autem vel stips dicitur merces quæ militibus redditur, pensato eorum labore, sive considerata dominorum utilitate. Haymo vero sic ait : « Stipendia, id est, remuneratio stipendium dicitur a stipe pendenda, id est, substantia ponderanda. Antiquitus enim potius ponderabatur pecunia quam numerabatur. » Sic continua. Dixi quia finis illorum, id est, immunditiæ et iniquitatis, mors est, et bene quia omnis peccati stipendia sunt, id est, justa et debita remuneratio mors, his videlicet qui in eo perseverant; sed vita æterna potius est gratia Dei dicenda quam stipendia nostra, id est, gratis potius nobis collata, quam meritis nostris debita. Et hoc est per Christum Jesum, per quem Deo reconciliati sumus.

« An ignoratis. » Dixerat superius Apostolus : « Non enim sub lege estis, sed sub gratia : » et rursus hic novissime adjecit, « per Jesum Christum Dominum nostrum, » potius quam per legem, nos hanc gratiam vitæ æternæ assecutos. Unde quia aliquis possit quærere, post legem datam quomodo[1] aliquis sine ejus observationibus potest salvari, cuicunque apponatur gratia, convenienti similitudine Apostolus talem prævenit et solvit quæstionem ; ostendens videlicet quod quemadmodum mulier, priore viro defuncto, potest ad alium inculpabiliter transire, ita populus Dei prius jugo legis alligatus quasi mulier viro, cui debet obedire, potest jam lege defuncta ad libertatem Evangelii sine culpa meare. Usque

[1] Male Ambocs. *Quando.*

ad Joannem enim, qui interpretatur gratia Dei, id est, ad tempus gratiæ singularis adventus Christi, lex et Prophetæ. Quod quidem tempus sicut in Epistola *ad Hebræos* ipse commemorat Apostolus[1], de mutatione scilicet Testamenti, id est, de interitu Veteris et nativitate Novi, Dominus per Hieremiam promiserat dicens[2]: « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, etc. » Continuatio. Dixi nos jam non esse sub lege, nec jam post Christum eam nobis esse necessariam insinuavi. Nec hoc quidem mirabile videri debet. Quia, « nunquid ignoratis fratres, » id est, non credo quod ignoretis, « quia lex in homine dominatur, » id est, ei ab homine est obediendum, quandiu ipsa vivit, id est, toto tempore quod ei a Domino præfinitum est et concessum, ut ejus obedientia valeat et integre in ipsis etiam figuralibus præceptis custodiatur. Quod autem interponit, « scientibus autem loquor, » id est, vobis qui legem jamdudum didicistis : ostendit hanc invectionem ad eos qui ex Judæis crediderant, specialiter spectare, de quibus quasi causam hic interserit, quod id quod dicit non ignorent, quia legem didicerunt, quæ hoc docet, tempus videlicet eam habere præfixum, vel a Deo determinatum, ut non semper ut dictum est vivat, sicut supposito Hieremiæ testimonio confirmatur, sive aliis Veteris Testamenti locis.

« Nam quæ. » Probat competenti similitudine, quia lex eo tempore tantum quo vivit dominari habet populo subjecto, quia et vir quilibet uxori sibi alligatæ non habet dominium nisi dum vivit. Et hoc est : « Nam quæ sub viro est mulier, » id est ei tanquam superiori copulata est, « eo vivente alligata est legi ipsius, » id est legi maritali, ut videlicet alii nubere non possit. « Ergo vivente, » quia scilicet alligata est ita legi matrimonii. « Itaque fratres. » Præmissam adaptat modo similitudinem, dicens « et ita, » id est, quemadmodum vos qui primitus legi vivebatis per obedientiam ei subjecti, mortui jam facti estis ei per corpus Christi, id est, per ipsam præsentiam veritatis in Christo vobis exhibitam ; cujus quidem veritatis umbra in lege præcessit. Postquam enim res ipsa venit, quæ per se sufficit, jam non est opus figuris illis, quæ in signum rei futuræ præcesserunt, et in spe tantum illius venerabiles æstimantur, ne si et figuræ illæ adhuc perseverarent, adhuc exspectaretur futurum quod jam est præteritum ; et Judæi de sua adhuc vetustate gloriantes nostræ insultarent novitati, et amplius de operibus ipsis quam de fide Christi nonnulli confiderent, quam sine operibus minime sufficere crederent. Notandum vero quod cum juxta similitudinem inductam, convenientius dicendum videretur legem nobis fuisse mortuam, quam nos legi : quia tamen eadem est sententia, nil refert sive hoc sive illo modo dicatur. « Ut sitis alterius, » id est Christi, ejus tantum obedientiæ atque

[1] *Hebr.*, cap. x. — [2] Jerem., cap. xxxi, v. 38.

Evangelicæ doctrinæ præceptis alligati. At ne quis opponeret ipsum quoque Christum jam fuisse mortuum, et sic a jugo ejus jam suos absolutos esse, provide adjunxit, « qui ex mortuis resurrexit, » id est de inter mortuos propria virtute in vitam se erexit perpetuam, ut spe et desiderio ejus gloriæ accensi « fructificemus » non mundo, sed « Deo, » id est, spiritualibus bonis quibus oblectatur Deus potius abundemus quam mundanis et terrenis, quæ Judæi semper avide requirebant : quorum, juxta literam quam insistunt, nulla nisi terrena promissio reperitur : ut ita mundo potius quam Deo fructificare ex promissione legis dicendi essent. Quod enim Deus illum duræ cervicis populum amplius desiderare noverat, eis promittebat; ut sic magis eos qui carnales erant, id est, carnalibus potius quam spiritualibus bonis intenti, ad obedientiam alliceret. Et attende quod cum ad hoc quod promisit, « ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, » adjunxit « ut fructificemus Deo; » non ait ut fructificetis, sed ut vos et nos pariter, id est, omnes fructificemus, sive prædicando sive obediendo.

« Cum enim essemus. » Dixi ut sitis alterius discipuli scilicet et imitatores quam hucusque fuistis, ut fructificetis Deo, id est, ut sitis spirituales per desiderium potius quam carnales, sicut olim fuistis, temporalem legis promissionem sequentes. Et merito sic monet, quia tunc per illam legis promissionem, vos carnalium desideriorum amatores, nequaquam spiritualem Deo fructum reddere poteratis, sed morti potius, id est, mortalem et damnabilem habebatis fructum magis ac magis semper per concupiscentiam terrenis adhærentes : juxta quod scriptum est [1] :

Crescentem sequitur cura pecuniam,

Et alibi [2] :

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Sic lege : « Cum essemus in carne, » id est carnalibus, non spiritualibus desideriis inhiantes. « Passiones peccatorum, » id est concupiscentiæ diversæ nos peccare facientes, ut sit quasi intransitive dictum, « passiones peccatorum, » id est, quæ peccata erant, sicut dicitur « creatura salis, » vel substantia aut corpus lapidis, id est creatura quæ est sal, vel substantia aut corpus quod est lapis. Quæ quidem passiones « erant per legem, » laudantem scilicet atque pollicentem eorum quæ multum desiderabant magnam abundantiam, terram videlicet optimam, lacte et melle manantem, et pacem et prosperitatem in ea maximam, et vitam longævam, et quidquid ad terrenam pertinet felicitatem, quam præcipue desi-

[1] Horat., Carm. III, od. XVI, v. 17. — [2] Juvenal., Sat. XIV, v. 139.

derabant. Et quorum quidem laude, promissione et spe amplius in eorum desiderium accendebantur, quam si ea minime sperarent, vel tanta esse didicissent. A quibus enim ideo desperamus, non multum aut diu eorum desiderio tenemur. « Operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti, » hoc est damnationis mortalem nobis acquirebant exitum. Concupiscentiæ operantur in membris, quando conceptum mente desiderium per aliquod membrum opere implemus, ut per genitalia libidinem, per manus furtum aut rapinam. Nunc autem absoluti sumus ab obedientia illa legis, quæ pro remuneratione, ut dictum est, temporalium impendebatur. « Ita ut jam serviamus Deo, » mente potius quam opere, spiritualiter illas legis figuras magis quam corporaliter adimplentes, sicut alibi dicitur : « Littera enim occidit, spiritus autem vivificat. » « In novitate spiritus, » id est in spiritualibus desideriis et intelligentia, quæ ante non erant, et non in vetustate litteræ, id est in antiquis operibus quæ juxta litteram tantum fiebant, sicut erat carnalis circumcisio, observatio Sabbati, sacrificia et alia innumera.

Quæret fortassis aliquis, cur etiam promissionem æternæ vitæ lex non habuerit, ut non solum terrenorum, verum et cœlestium donorum desideriis amplius ad obediendum populus alliceretur. Sed quia imperfecta habuit præcepta, sicut alibi idem Apostolus commemorat, dicens quod[1] « lex ad perfectum nihil adduxit ; » et Veritas per semetipsam[2] : « Audistis quia dictum est antiquis, etc. » et[3] : « Nisi abundaverit justitia vestra, etc., » non potuit ejus esse remuneratio perfecta, nec terrenis desideriis cœlestia competebant, neque Deo aliquis tam pro terrenis quam pro cœlestibus serviens aptus esse potest. Unde Veritas per semetipsam admonet dicens[4] : « Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, » id est ne admisceas in aliquo tuo opere terrenam intentionem cœlesti, ut simul pro transitoriis et æternis bonis obedias Deo. Sed fortasse dum propositæ quæstionis nodos solvere cupimus, majores ex ipsa solutione incurrimus. Cum enim in lege de dilectione et Dei et proximi præceptum sit, et hæc duo præcepta sufficiant ad vitam : unde et Dominus diviti quærenti quid faciendo vitam æternam possideret, respondit ut hæc duo præcepta servaret et sufficerent, et Paulus ipse plenitudinem legis esse dilectionem profitetur[5] ; mirabile videtur quod lex ad perfectionem nihil duxerit, et quod ipsa non suffecerit ad vitam, ut merito propter hoc Evangelica deberet abundare justitia. Revera quia præcepta legis sive de dilectione sive de aliis ad perfectum non duxerunt, id est ad salutem, sufficere non poterant : sed necesse erat ut veniret Christus, qui est finis et con-

[1] *Hebr.*, cap. VII, v. 19. — [2] Matth., cap. V, v. 27. — [3] *Ibid.*, v. 20. — [4] Matth., cap. VI, v. 3. — [5] Luc., cap. X, v. 17 et seq. ; *Rom.*, cap. XIII, v. 10.

summatio legis, cum videlicet sine ipso in lege promisso lex adimpleri nullatenus valeret. Sed et si diligenter verba legis scrutemur, nusquam lex nomen proximi nisi ad homines ejus populi, id est Judaici extendit, nec usquam apud nos in tota lege Moysi scriptum repetitur « diliges proximum, » sed « diliges amicum tuum. » Quod quidem et Dominus ipse diligenter attendens, cum ei mandata legis dives interrogatus recitaret, et diceret : « Diliges proximum tuum sicut teipsum, » proximum pro amico vel benefactore poni ex adjuncta parabola patenter insinuavit : ostendens ex ipso divitis judicio eum tantum qui misericordiam impenderat illi qui inciderat in latrones, proximum ejus exstitisse. Ac per hoc manifestum est, cum dilectio proximi ad amicum tantum secundum litteram legis accommodetur, nequaquam præceptum dilectionis, quod in lege est, perfectum esse sicut est Evangelii, in quo præcipimur et inimicos diligere, atque eis quoque benefacere, ut simus perfecti sicut Pater cœlestis, qui solem suum facit oriri super bonos et malos. Quod quidem ipse Apostolus attendens, non ait : « Qui diligit proximum, » justitiam vel Evangelium adimplet : sed, « legem adimplet. »

At vero rursus gravem quæstionis nodum incurrimus, quod diviti interrogante quid faciendo vitam æternam possideret, et ab ipso postea recitatis duobus de dilectione Dei et proximi mandatis, respondit ei dicens : « Hoc fac, et vives, » præsertim cum ipse alibi dicat[1] : « Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? » Sed profecto nemo melius proximus vel amicus intelligendus erat, quam is quem designabat Samaritanus ille, qui misericordiam vulnerato impenderat, id est Christus qui profecto proximus erat Judæis tam cognatione quam veræ caritatis affectu, vel beneficiis innumeris, sive scilicet prædicando, sive miracula faciendo. Si ergo dives ille omnem tunc proximum sive amicum diligeret, utique per Christum ; et sic ei et præceptis ejus cohærendo vitam utique meretur æternam. Nec tamen ideo præceptum de dilectione proximi et amici vel benefactoris, quod lex dederat, perfectum exstiterat, cum nequaquam omnem hominem comprehenderet, tam amicum scilicet quam inimicum, licet etiam in tempore Christi videretur, immo per ipsum Christum qui jam advenerat, et proximus, ut dictum est, factus fuerat. Perfectionem autem tunc haberet mandatum sive lex, si ex se ita sufficeret, ut nihil unquam ad integritatem justitiæ deesset obedientibus sibi, nec opus esset aliud adjungi. Quod nequaquam verum est, cum ante adventum Christi, illorum qui tunc erant proximorum et amicorum dilectio imperfecta esset, nec usque ad inimicos extenderetur, sicut postea per Christum extensa est. Quod vero supra diximus

[1] Matth., cap. v, v. 46.

proximum in lege secundum litteram non omnem hominem accipi, non solum ex ipsa lege, verum etiam ex nonnullis Ecclesiasticorum doctorum testimoniis astrui potest. Unde Ambrosius *super Epistolam Pauli ad Romanos*, ubi dictum est[1] : « Nemini quidquam debeatis, etc. Pacem vult, » inquit, « nos habere, fieri si potest, cum omnibus; dilectionem vero cum fratribus. Et hoc erit nulli quidquam debere, unicuique pro loco suo officium exhibere. » Item infra : « Dilectio proximi malum non operatur. Malum non operatur, quia bona est dilectio, nec peccari potest per illam, quæ legis perfectio est. Sed quia tempore Christi addi aliquid oportuit, non solum proximos, sed etiam inimicos diligi præceptum est. Unde plenitudo legis dilectio est, ut justitia sit diligere proximum, abundans vero et perfecta justitia etiam inimicos diligere. Hæc cœlestis justitia est, hæc Deo Patri similes facit, qui et non colentibus se annua dona largitur. » Nec nos latet plurimos Sanctorum Patrum in ipso de dilectione proximi mandato omnem hominem proximum intelligere, atque id verisimilibus confirmare rationibus. Unde Augustinus de *doctrina Christiana*, lib. I[2] : « Utrum ad illa duo præcepta et dilectio Angelorum pertineat, quæri potest. Nam quod nullum hominem exceperit qui præcepit ut proximum diligamus, et Dominus ostendit, et Paulus Apostolus. » Item : « Duo præcepta protulerat, atque in eis pendere totam legem et Prophetas dixerat. » Item : « Dominus ait[3] : « Vade et fac simi-« liter, » ut videlicet eum esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum est officium misericordiæ si indiget, vel exhibendum esset si indigeret. Ex quo est jam consequens, ut et ille a quo nobis hoc vicissim exhibendum est, proximus sit noster. Proximi enim nomen ad aliquid est. Nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. » Item : « Paulus dicit[4] : « Nam non adulterabis, non homici-« dium facies, non furtum facies, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, « in hoc sermone recapitulatur : Diliges proximum tuum tanquam teipsum. » Item : « Quisquis ergo arbitratur non de omni homine Apostolum præcepisse, cogitur fateri, quod scelestissimum est, visum fuisse Apostolo non esse peccatum, si quis aut non Christiani aut inimici adulteraverit uxorem, etc. » Item : « Jam vero si vel cui præbendum, vel a quo a nobis præbendum officium misericordiæ, recte proximus dicitur; manifestum est hoc præceptum, quo jubemur diligere proximum, et sanctos Angelos continere, a quibus tanta nobis misericordiæ impenduntur officia. » Hæc quidem diligentissimi doctoris nostri Augustini verba, omnino convincere videntur proximum in lege omnem hominem intelligendum. Alioquin per proximi dilectionem nequaquam impleri lex videretur,

[1] *Opp.*, t. II, in Appendice, fol. 99 et 100. — [2] Cap. XXX, *Opp.*, t. III, col. 34. — [3] Luc., cap. X, v. 37. — [4] *Rom.*, cap. XIII, v. 9.

quæ etiam de alienigenis multa præcipit, quorum offensio sicut et proximorum vitanda est. Sed cum duo dilectionis sint rami, dilectio scilicet Dei, cujus Veritas ipsa primum et maximum dicit esse mandatum, et dilectio proximi, quomodo per dilectionem proximi lex impletur, nisi hæc dilectio illam quoque complectatur, cum nemo rectius nobis proximus vel amicus sit intelligendus quam ipse conditor noster et redemptor, a quo tam nos ipsos quam omnia bona habemus, sicut ipse Apostolus commemorat dicens[1] : « Quid autem habes quod non accepisti ? » De cujus quidem circa nos ineffabili caritate alibi dicit[2] : « Commendat autem suam caritatem Deus in nobis, quoniam sic cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. » Item rursum[3] : « Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. » Et per semetipsum Filius ait[4] : « Majorem caritatem nemo habet ut animam suam, etc. » Unde hunc spiritualiter proximum in hoc dilectionis mandato Origenes intelligens, in sequentibus hujus epistolæ ait[5] : « Si diligentius requiras quis sit proximus noster, disces in Evangelio illum esse qui jacentes nos inclinatos ad stabulum Ecclesiæ detulit, et stabulario, Paulo, vel ei qui Ecclesiæ præest, duos denarios veteris ac novi Testamenti ad nostræ curæ concessit expensas. Hunc proximum si diligamus, legem implemus ; « finis enim legis Christus[6]. » Cum itaque proximi nomen etiam Deum, et maxime ipsum comprehendat, neque enim aliter dilectio proximi impleret legem, constat profecto per ipsam quoque, sicut et per dilectionem Dei, legem impleri, quia qui Deo vere per dilectionem cohæret, nullum ejus præceptum contemnit sicut scriptum est : « Si quis diligit me, sermo« nem meum servabit. » Quomodo etiam vera potest esse dilectio, quæ caritas dicitur, nisi ad Dominum referatur ? » Et ipse Augustinus de *doctrina Christiana*, libro quarto : « Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter Deum. » Idem, libro *de moribus Ecclesiæ* contra Manichæos[7] : « Scriptum est quia[8] « propter « te afficimur tota die. » Caritas non potuit signari expressius quam quo dictum est « propter te. » Quisquis ergo caritate Deo cohæret, qua scilicet sola discernuntur filii Dei a filiis diaboli, atque ideo ejus satagit obtemperare præceptis, implere studet tam ea quæ pertinent ad alienos quam quæ attinent ad proximos, et in utrisque pariter divinam sequi voluntatem nititur. Nihil ergo refert ut salva reverentia patrum seu fratrum loquamur, et longe a perfectione Evangelii legem absistere fateamur, omnemque insuper tam Apostolicam quam Evangelicam auctoritatem conservemus. Nihil, inquam, refert sive proximum in lege omnem hominem intelligamus, sive minime : dummodo, ut dictum est, in

[1] I *Corinth.*, cap. IV, v. 7. — [2] *Rom.*, cap. V, v. 8. — [3] *Rom.*, cap. VIII, v. 32. — [4] Joan., cap. XV, v. 13. — [5] *Rom.*, cap. XIII, v. 8 et sq. Comm. lib. IX, *Opp.*, t. IV, p. 65. — [6] *Rom.*, cap. X, v. 14. — [7] Cap. IX, *Opp.*, t. I, col. 692. — [8] *Psalm.* XLIII, v. 22.

proximo comprehendatur Deus, et dilectionem quoque Dei dilectio includat proximi. Quippe cum dicitur, « diliges proximum tuum, » atque additur « sicut teipsum, » quomodo implere id possemus, nisi et nos ipsos diligeremus? Quomodo autem diligere vel nos ipsos possumus, si mandata Dei contemnentes inique agamus? Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.

« Quid ergo dicemus? lex peccatum est? » Continuatio. Dixi passiones peccatorum per legem olim operari, ut utile etiam nobis esset a lege absolvi quasi a peccato. Quid ergo dicemus, id est quid de lege sentiendum est, quam bonam putabamus? nunquid jam ipsa non videtur potius mala dicenda esse quam bona? Et hoc est quod quasi sibimet objiciendo ait : « Nunquid lex peccatum est, » id est ad damnationem potius quam ad salutem pertrahens, ut videlicet damnationem potius quam salutem nobis promereatur, et solummodo nocere, non juvare queat, et in se nihil boni habeat magis quam peccatum ? « Absit, » ut hoc videlicet credamus. « Sed peccatum. » Id est, immo potius peccato contraria est, ipsum penitus docendo et prohibendo ut caveatur, ita ut non solummodo facta, verum etiam concupiscentias inhibeat, sicut et Evangelium : sed longe minus, cum ipsa videlicet ad ea tantum quæ proximi sunt, eas restringat, dicens : « Non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis quæ illius sunt. » Quare autem necesse esset peccatum doceri a lege prætermittit, dicens quia ante documentum legis, in quo præcipue peccabatur, ignorabatur : in corde videlicet magis quam in opere. Et hoc est quod de se dicit in persona generali hominum, quorum jam per transgressionem priorum parentum obtenebrata mens erat [1], ut potius opera quam desideria culparent, « peccatum non cognovi, » id est, discretionem ad veram notitiam peccati non habui, nisi per documentum legis; quia id in quo tantummodo videlicet vel maxime peccatur, id est, concupiscentiam peccatum esse ignorabam. Et hoc est quod supponit, « Nam concupiscentiam, » id est, pravum animi desiderium, in ambitione scilicet terrenarum vel carnalium voluptatum nesciebam esse, videlicet quod ipsa esset peccatum, nisi lex id docendo diceret : « Non concupisces, » id est, non interdiceret concupiscentiam, licet non generaliter, sed de rebus, ut dictum est, proximi. Nota quod cum dicitur : « Non concupisces, » simul et docetur peccatum, et prohibetur ut vitetur. Unde legem penitus bonam esse convincit, quia quidquid suum est bonum, sive in docendo scilicet sive in prohibendo, nec vitio legis, sed hominum est imputandum, si peccatum post legem abundavit, et deteriores et inexcusabiliores effecti sumus post doctrinam præceptorum et negligentiam eorum, quam ante : secundum quod scriptum est [2] : « Servus sciens, et non faciens voluntatem Do-

[1] Locus sic restituendus videtur. Male legit Amboesius *obtenebrata tunc erat.* — [2] Luc., cap. XII, v. 47.

mini sui, vapulabit multis. » Item [1] : « Melius est non cognoscere viam veritatis, quam post agnitam retro abire. » Bene itaque dictum est, « Absit, ut lex peccatum sit, » id est, inutilis et mala ex se, sed tamen occasionem [2] peccati quod ante non erat ex ipsa accepimus, sicut ex nonnullis bonis quæ Deus dat, sæpe concupiscentiam incurrimus, si his careamus : vel superbiam, si ipsa habeamus. Non tamen ideo mala sunt ipsa dicenda, si male ipsa desideremus, vel male ipsis utamur. Sic lege, « peccatum, » id est, pœna et afflictio hujus vitæ temporalis, quam ex culpa priorum parentum sustinemus, operata est in nobis omnem « concupiscentiam, » quorumlibet scilicet terrenorum bonorum, ut per eorum videlicet abundantiam omnem præsentium ærumnarum evitemus anxietatem. Et quomodo id operata sit demonstrat dicens : « Accepta occasione per mandatum, » id est, per legis obedientiam hæc terrena bona promittentis. Quod enim lex propter obedientiam sui hoc promittebat, non videbamur peccare, quantumcumque illa concupisceremus, si requisitam obedientiam impenderemus. Hoc autem quod hoc loco peccatum nominat, ipsum fomitem et nutrimentum peccati esse insinuat, de quo nobis in præcedenti libello [3], cum de originali peccato ageremus, non est prætermissum. « Sine lege enim, » id est, antequam lex præcepta et promissiones auferret. « Peccatum » illud, id est fomes ille, ut dictum est, peccati, «mortuum erat, » etsi tunc etiam erat, quia minores habebat vires ad exsuscitandam concupiscentiam, quam postea. Quo enim certius id quod desideramus exspectamus, amplius in ejus concupiscentiam accendimur, sicut supra meminimus. « Ego autem vivebam aliquando. » Id est aliquo modo, si non ex toto, morte illius fomitis carebam, et quasi sine concupiscentia eram ad comparationem subsecutæ post legem concupiscentiæ. « Sed cum venisset mandatum, » lege data, « revixit peccatum, » id est post præceptum invaluit concupiscentia, vel revixit in prole quod præcessit in parente, id est concupiscentia ita est nobis post præceptum excitata, sicut in primis parentibus post præceptum inchoata; præsertim cum sæpe etiam ardentius desideretur quod prohibetur, juxta illud poeticum [4],

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

« Ego autem mortuus sum. » Qui prius quasi infirmus, non mortuus eram, et quasi corrigendus, non damnandus; flagellandus, non occidendus, minore merito, si qua erat, concupiscentia stimulatus. « Et inventum est mihi. » Id est occasione legis, ut dictum est, ex qua melior esse debui, factus sum longe deterior,

[1] Petr. II, cap. II, v. 21. — [2] Male Amb. *occasione*. — [3] Vide supra lib. II hujusce commentarii, p. 238 et sqq. — [4] Ovid. *Amor.*, III, IV, v. 17.

et unde vitare peccatum debui, amplius incurri. Et hoc est quod subjungit : « Nam peccatum, accepta occasione, » id est inventa causa incitandi nos ad concupiscentiam per mandatum, id est legem, de cujus obedientia nimium præsumebamus, « seduxit me, » id est fefellit, reputans me scilicet singulariter Deo carum esse, propter obedientiam legis quam ei exhibebam ; ut vix aut nunquam de damnatione mea vererer, quidquid facerem, et maxime concupiscentiam promissorum, quantacunque esset, non arbitrans esse damnabilem, cum præceptis obediremus, pro quorum obedientia illa erant promissa. « Et per illud me occidit, » id est damnavit. « Itaque lex quidem. » Quandoquidem lex ad cognitionem peccati, et ad vitam data est potius quam ad mortem : ergo lex quidem sancta est, id est in nullo vitiosa sive culpabilis, et mandatum ejus sanctum, nihil jubens atque prohibens, nisi quod oportet, atque ideo justum in se et bonum, id est utile ac salubre obedientibus.

« Quod ergo bonum est. » Duo dixit, scilicet et mandatum ejus bonum, et per illud tamen accepta occasione se esse occisum. Unde quasi rationabiliter objiciens, quærit ergo quod bonum est in seipso, videlicet præceptum « factum est mihi mors, » id est damnatio. « Absit. » Nulli enim debet dici damnabile præceptum, nisi cujus obedientia damnosa est, sicut fuit præceptum diaboli ad Evam. « Sed peccatum. » Dixi quia mandatum bonum est, nec mihi nec alicui mors, id est damnabile dicendum est, sed tamen ipsum causa quodammodo mihi damnationis factum est, ex ipsa, ut dictum est, occasione concupiscentiæ accepta, juxta illud historiographi : « Omnia enim mala orta sunt ex bonis initiis. » Sic lege. « Sed peccatum, » id est fomes ille, ut diximus, peccati ; « per bonum, » subaudi mandatum legis, sive per legem ipsam, ut supra monstravimus, « operatum est mortem animæ, » id est omnem concupiscentiam, ita ut « appareat peccatum, » id est culpa illa concupiscentiæ sit manifesta et inexcusabilis, et ita ut sit maxima. Et statim quod maxima sit ostendit, dicens : « ut peccatum » id est fomes ille supradictus peccati, « fiat peccans supra modum, » id est ad peccandum nos maxime inclinans, « per mandatum, » id est occasione accepta, ut dictum est, ex lege.

Forte quærat aliquis, quomodo mandatum legis, seu ipsa lex, bonum dicatur, vel ad vitam datum : vel quare etiam Deo datum, si salvare obedientes non poterat ? Ad quod respondemus, legem in hoc esse datam ad vitam, ut etiam populo Dei vitæ æternæ meritum initiaret, non perficeret : et ideo bona tantummodo, quia omnia ejus, ut dictum est, justa sunt præcepta, etiamsi secundum litteram non perfecta, et causas habent rationabiles quæcunque Dominus præcepit, etsi ea ignoremus. Fuit autem magnæ dispensatio providentiæ, rudi adhuc penitus et indisciplinato populo, ac duræ cervicis semper atque rebelli, inchoationis ali-

qua, non perfectionis dare mandata : ut saltem in aliquo addisceret obedire qui nullam adhuc, aut pene nullam expertus fuerat obedientiam, ut Poeta meminit[1] :

Est quadam prodire tenus, si non datur ultra.

Nec nos cum jumenta domamus, magna eis onera primum imponimus, sed in parvis eorum primitus excitatam insolentiam ad magna perferenda paulatim conducimus. Credimus tamen eos omnes qui imperfectioni mandatorum amore Dei potius quam timore obtemperabant, ante diem sui exitus, quod de perfectione eis[2] per ignorantiam deerat, quod lex tacuerat, vel per spiritualem aliquem doctorem, vel per internam divinæ gratiæ inspirationem eis[3] revelari. Multos quippe homines spirituales, atque jam per inspirationem doctrina Evangelicæ prædicationis instructos prior ille populus habuit[4], qui etiam inimicorum quoque dilectionem, non solum scriptis, verum etiam factis plurimum docuerunt. Unde Psalmista[5] : « Si reddidi, » inquit, « retribuentibus mihi mala, etc. » Et iterum[6] : « Cum his qui oderunt pacem eram pacificus. » Qui etiam inimicum suum Saulem sibi a Domino in manus traditum non solum non occidit, sed etiam occisum graviter planxit, et eum qui se ejus occisorem professus est morte statim punivit. Salomon quoque beneficentiam in inimicos commendans ait[7] : « Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, etc. » Longe tamen a perfectione Evangelica tam legis quam Prophetarum dicta disjuncta sunt. Ad quam quidem perfectionem discipulos adhortans Veritas dicebat[8] : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis inimicos vestros, sicut dilexi vos. » Hæc est illa vera et sincera dilectio, quam Apostolus describens ait[9] : « Non quærit quæ sua sunt, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet ; » ut etiam pro fratribus animam parata sit ponere, nec sua tantum illis, sed seipsam impendere. Ac si diligenter attendamus quod ait Veritas, « sicut dilexi vos, » et Apostolus, « caritas non quærit quæ sua sunt, » revera inveniemus Evangelicum de dilectione proximi mandatum singulare ac novum. Tam sincera enim circa nos Christi dilectio exstitit, ut non solum pro nobis moreretur, verum etiam in omnibus, quæ pro nobis egerit, nullum suum commodum vel temporale vel æternum, sed nostrum quæreret ; nec ulla propriæ remunerationis intentione, sed totum nostræ salutis desiderio egit. Revera hæc vera et sincera dilectio, quam diligenter attendens Apostolus tam scripto nobis quam exemplo commendans, ait[10] : « Sicut et ego per omnia

[1] Horat., *Epist.* I, I, v. 32. — [2] Amboesius *Ei* pro *eis.* — [3] Amb. *Ei* pro *eis.* — [4] Male legit Amboesius : *Prior ille populus, qui etiam habuit inimicorum dilectionem.* — [5] *Psalm.* VII, v. 5. — [6] *Psalm.* CXIX, v. 7. — [7] *Prov.*, cap. XXV, v. 21. — [8] Joan., cap. XIII, v. 34. — [9] I *Corinth.*, cap. XIII, v. 7. — [10] I *Corinth.*, cap. X, v. 33.

omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. » Certus tamen debet esse qui sic agit, de amplissima tantæ dilectionis remuneratione : nec tamen hac intentione hic agit, si perfecte diligit. Alioquin sua quæreret, et quasi mercenarius, licet in spiritualibus, esset. Nec jam est caritas dicenda, si propter nos eum, id est pro nostra utilitate, et pro regni ejus felicitate quam ab eo speramus, diligeremus potius quam propter ipsum : in nobis videlicet nostræ intentionis finem, non in Christo statuentes. Tales profecto homines fortunæ potius dicendi sunt amici quam homines, et per avaritiam magis quam per gratiam subjecti. Quod quidem diligenter Beatus attendens Augustinus in libro *Quæstionum* LXXXIII, cap. XXXVII : « Nihil aliud, » inquit, « est amare quam propter semetipsam aliquam rem appetere. » Rursus idem id quod scriptum est exponens [1] : « Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo quoniam bonum est. » Quid offeram, » inquit, « nisi quod ait [2] : « Sacrificium laudis honorificabit me? » Cur voluntarie? Quia gratis amo quod laudo. Gratuitum sit quod amatur et quod laudatur. Quid est gratuitum ? Ipse propter se, non propter aliud. Si enim laudas Deum ut tibi det aliquid, jam non gratis amas Deum. Erubesceres si te uxor tua propter divitias amaret, et forte si tibi paupertas accideret, de adulterio cogitaret. Cum ergo te a conjuge gratis amari vis, tu Dominum propter aliud amabis ? Quod præmium accepturus es, o avare ? Non tibi terram, sed seipsum servat qui fecit cœlum et terram. « Voluntarie sacrificabo tibi. » Noli ex necessitate. Si enim propter aliud laudas, ex necessitate laudas. Si adesset tibi quod amas, non laudares. » Item : « Contemne omnia, ipsum attende : et hæc quæ dedit, propter dantem bona sunt. » Item : « Ipsum gratis dilige, quia melius ab eo non invenis quid det quam seipsum : aut si invenis melius, hoc pete. « Voluntarie, » quod gratis. « Quoniam bonum est, » ob nihil aliud nisi quod bonum est. » Ex his itaque Beati Augustini verbis aperte declaratur, quæ sit vera in aliquem ac sincera dilectio, ipsum videlicet propter sua diligi. Denique si Deum quia me diligit diligam, et non potius quia, quidquid mihi faciat, talis ipse est qui super omnia diligendus est, dicitur in me illa Veritatis sententia [3] : « Si enim eos diligitis qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? » Nullam profecto mercedem justitiæ, quia non æquitatem rei dilectæ, sed utilitatem meam attendo. Et æque alium plus diligerem, si æque mihi vel amplius prodesset ; immo nec eum jam diligerem, si in eo utilitatem meam non sperarem. Unde quamplures et pene omnes in tam reprobum sensum devoluti sunt, ut plane fateantur se nullatenus venerari Deum sive diligere, si eum sibi minime profecturum crederent : cum tamen ipse non minus diligendus esset, si eos puniret, cum id non nisi juste faceret, et ejus prævenien-

[1] *Enarrat. in Psalm.* LIII, Opp. t. IV, col. 498 et sqq. — [2] *Psalm.* XLIX, v. 23. — [3] Matth., c. V, v. 46.

tibus meritis, vel aliqua causa rationabili quæ hoc ipso quod justa esset, omnibus placere deberet. Denique quis aliquem dignum gratia censeat, quem non sibi gratis, sed cupiditate retributionis deservire noverit? Si pro hoc servitio gratiæ cuiquam rei sunt referendæ, magis rebus nostris pro quibus nobis servitia, quam iis qui deserviunt exhibendæ sunt. Veluti cum mihi mercenarius quem conduxi, pro multa mercede multum deservit ac proficit, aut cum mihi aliquis amore alterius, non meiipsius mihi famulatur. Sed quæ est gratia referenda iis pro quibus id fit, non eis qui faciunt est reddenda. At fortasse dicis, quoniam Deus seipso nos non alia re est remuneraturus, et seipsum quo nihil majus est, ut Beatus quoque meminit Augustinus, nobis est daturus. Unde cum ei deservis pro eo quod expectas ab eo, id est pro æterna beatitudine tibi promissa, utique propter ipsum id pure ac sincere agis, et pro illa quam debet[1] remuneratione, sicut ipsemet admonet, dicens beatos illos qui seipsos propter regnum cœlorum castraverunt. Et Psalmista[2]: « Inclinavi, » inquit, « cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem. » Ac tunc profecto Deum pure ac sincere propter se diligeremus, si pro se id tantummodo, non pro nostra utilitate faceremus : nec qualia nobis donet, sed in se qualis ipse sit attenderemus. Si autem eum tantum in causa dilectionis poneremus, profecto quidquid ageret vel in nos vel in alios, quoniam non nisi id optime faceret, eum, ut dictum est, æque diligeremus, quia semper in eo nostræ dilectionis integræ causam inveniremus, qui integre semper et eodem modo bonus in se et amore dignus perseverat. Talis est verus paternæ dilectionis affectus in filium, vel castæ uxoris in virum, cum eos etiam sibi inutiles magis diligunt, quam quoscunque utiliores magis habere possent; nec si qua propter eos incommoda sustinent, potest amor minui : quoniam amoris integra causa subsistit in ipsis quos diligunt, dum eos habent, non in commodis suis quæ per eos habeant. Quod bene in consolatione Juliæ uxoris Corneliæ Pompeius victus et profuga commemorans ait[3]: « Quod defles id amasti. » Sæpe etiam qui liberalis sunt animi homines, etiam magis honestatem quam utilitatem sequuntur. Si qui forte sui consimiles viderint, a quibus tamen nihil emolumenti sperent, majoris eos dilectionis amplectuntur affectu, quam proprios servos a quibus quotidiana suscipiunt commoda. Utinam et in Dominum tam sincerum haberemus affectum, ut secundum quod bonus est in se magis quam secundum quod nobis utilis est, eum diligeremus, et ei quod suum est nostra integre justitia servaret, ut quia videlicet summe est bonus, summe ab omnibus diligeretur. Quod autem fidelis anima supradixit in Psalmo se inclinatam ad bona opera fuisse propter retributionem, inchoationem bonæ operationis, non perfectionem ostendit.

[1] Male Amb. *Qua debes.* — [2] *Psalm.* CXVIII, v. 112. — [3] *Pharsal.*, VIII, v. 85.

Quisque etiam imperfectus primo ad bene operandum, id est ad præcepta Dei implenda spe retributionis allicitur, et timore potius quam amore, sicut scriptum est [1] : « Initium sapientiæ timor Domini. » Cujus quidem caritas est consummatio, sive finis, id est perfectio, sicut alibi dicitur [2] : « Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. » Bene, inquam, dixit, « inclinavi, » id est in initio suæ operationis, spe et desiderio retributionis id aggressus est. Quod vero eos Veritas laudat beatos, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, id est continenter vixerunt propter beatitudinem æternam ; ita intelligendum puto, quod hi per continentiam illam sunt assecuti, sicuti cum de aliquo dicimus eum exisse ut moreretur, id est exisse, et ideo mortem consecutum esse, non hac intentione ut ei accideret.

« Scimus enim. » Probat quod dixerat, legem videlicet Moysis bonam esse, licet occasionem inde in peccatum acceperit : quia videlicet est spiritualis lex, non secularis, tanquam digito Dei scripta, id est Spiritu sancto dictante composita et data, non ab hominibus inventa. « Ego autem carnalis sum, » id est carnalibus voluntatibus et terrenis inhians desideriis, atque adeo carnalis sum, « ut sim venumdatus sub peccatum, » id est sponte me peccato et ejus servituti subjiciens pretio terrenorum bonorum, id est exercens omnem concupiscentiam propter illa acquirenda et obtinenda, vel etiam in primis parentibus venumdatus cum ipsis sub peccato, ob dilectionem scilicet et gustum pomi quod Eva concupivit. Ecce unde facti sumus captivi, vendere non potuimus, redimere non possumus. Sanguis innocens datus est pro nobis, nec nostris nos viribus a dominio peccati liberari possumus, sed gratia Redemptoris. « Quod enim operor. » Quantum carnalis et infirmus sit factus, et quanto pravæ consuetudinis jugo depressus ostendit, dicens se committere scienter malum ipsum quod non vult, quasi si aliquis, cogente Domino, id quod non vult operetur. Et hoc est, « quod enim operor, non intelligo » esse operandum, id est non credo ut fieri debeat, immo indubitanter scio esse malum, et ideo non esse faciendum. « Non enim quod. » Probat se male agere contra propriam conscientiam, quia etiam quod bonum esse recognoscit dimittit, et quod non dubitat esse malum facit. Et hoc est quod dicit : « Hoc ago, » id est non facio bonum, « quod volo, » id est quod approbo debere fieri, et cui per rationem consentio. « Sed malum quod odi, » id est quod, ut dictum est, non volo, sed rationis judicio reprobo atque damno. « Si autem. » Redit ad commendationem legis, ut ex nostro quoque judicio eam bonam esse convincat, quia id videlicet prohibet quod nos per rationem esse malum deprehendimus, sicut est concupiscentia, cum ait : « Non concupisces. » Et hoc est,

[1] *Psalm.* CX, v. 10. — [2] *Psalm.* CXVIII, v. 96.

« si facio quod nolo, » id est quod non approbo, « consentio » et concordo « legi de hoc quod bona est, » cum eam videlicet ea prohibere video, quæ ego ipse mala esse judico : sicut concupiscentia de qua superius dixit, sive ira, odium, invidia. Quod etiam nolentes habemus, quia profecto concupiscere nollemus, licet quod concupiscimus volentes et cum dilectione peragamus.

Cum itaque dicitur, « Omne peccatum voluntarium, » et cum dicitur, « Nemo peccat invitus, » de actu hoc peccati, non de concupiscentia est intelligendum. Omnis quippe actus peccati voluntarius potius quam necessarius dicitur, quia ex voluntate quacunque præeunte tempore descendit, vel si per aliquam fiat coactionem. Videlicet, verbi gratia, jacit aliquis lapidem improvide, et fortuitu, non scienter hominem interficit : hoc profecto ex voluntate jaciendi lapidem, non interficiendi hominem procedit. Est et alius qui irruentem super se hostem coactus interficit, ne ab eo scilicet interficiatur, et peccare invitus dicitur, cum id quoque ex voluntate evadendi mortem potius quam ex desiderio antea habito occidendi hominem agat. Omnis itaque actus peccandi voluntarius et non necessarius in eo dicitur, qui ex quacunque, ut dictum est, voluntate descendit. Si quis tamen dicat occisionem illam hominis per jactum lapidis voluntariam, non concedo, sicut jactum lapidis voluntarium dico. Frequenter enim nomina ex adjunctis suas variant significationes, ut cum omnem substantiam concedamus, non tamen ideo omnem hominem : ita et cum omne peccatum dicamus voluntarium, et omnem peccati actum ex aliqua, ut dictum est, voluntate procedere ; non tamen occasionem illam concedimus voluntariam, id est ex voluntate quam aliquis haberet occidendi illum esse commissam. Hoc itaque modo cum coacti peccata committimus, simul et quod volumus et quod nolumus efficimus, ut supraposito exemplo dum coacti hominem occidimus, mortem per hoc evitamus quod volumus, et homicidium facimus quod nolumus. Sic et in coitu uxoris alterius ipse nobis placet concubitus, non adulterii offensa, vel reatus quem incurrimus. Coitu itaque tantum, non adulterio delectamur, quia nihil ad voluptatem adulterii reatus pertinet, sed magis ad conscientiæ tormentum. Et quominus peccaremus atque adulterium vitaremus, eam cum qua fornicamur nequaquam conjugatam esse vellemus. Cum itaque dicitur, « non quod volo ago, sed quod nolo, » nihil obest si nolle et velle proprio et usitato modo sumamus pro placere et displicere ; quia frequenter, ut dictum est, in eodem actu et quod placet et displicet invenimus, sicut in ipso coitu carnalis voluptas et adulterii culpa. Possumus et juxta superiora velle et nolle pro approbare et improbare accipere, quando et Deus nonnulla velle et nolle dicitur. Neque enim in eo potest esse commotio animi, quæ in nobis voluntas seu voluptas, id est delectatio dicitur : sed et cum velle aliquid dicimus, aut ejus approbationem aut dispositionem si-

gnificamus. Alioquin cum dicit Veritas[1] : « Quotiens volui congregare filios tuos, et noluisti, » vel Apostolus[2] : « Qui vult, » inquit, « omnes salvos fieri, et neminem perire; » et rursus Psalmista[3] : « Quæcunque voluit fecit; » vel idem Apostolus[4] : « Voluntati enim ejus quis resistit ? » maximam incurreremus controversiam. In superioribus itaque duobus locis velle Dei approbare dicitur, ut id videlicet quod approbat seu consulit ut fiat, et quod si factum sit, tanquam sibi placitum remunerat, velle dicatur. Reliquis vero duobus inferioribus locis, velle ejus disponere dicitur, atque apud se stabilire quod facturus est. Quæ quidem voluntas nunquam effectu carebit, nec ei ab aliquo resistetur.

« Nunc autem. » Postquam ita videlicet legi consentio per rationem, et a me ipso dissideo per ipsam rationem, et per carnalem concupiscentiam, dum spiritus videlicet adversus carnem, et caro adversus spiritum concupiscit. « Jam non ego illud » malum « operor, sed peccatum, » id est prava concupiscentia. Non dicit simpliciter, « non ego illud operor, » sed ita dicit, « non ego, sed peccatum : » quod est dicere : Non ad hoc ex natura, sed ex vitio naturæ jam ei dominante pertrahor, immo ex natura, per quam rationalis sum a Deo creatus, reluctor concupiscentiæ, et eam damno potius quam consentio. Cum dicit, « quod habitat in me peccatum, » et non dicit, quod est in me, quasi advenientem incolam, non naturalem civem ipsum demonstrat, et jam habitaculum in se habentem per diutinam consuetudinem, non transitum. « Scio enim. » In me jam, ut dictum est, carnali facto peccatum inhabitat, id est assidue manet, ut jam quasi in habitum sit mihi conversum. « Quod bonum, » id est virtus quæ est optimus animi habitus, jam non manet in me carnali facto, quod significat cum dicit : « Hoc est in carne mea. Nam velle, etc. » Probat se virtute destitutum, cum bonum quod vult, id est per rationem faciendum esse approbat, implere per infirmitatem carnalis concupiscentiæ non queat. Perficere bonum, est bonæ voluntati factum adjungere : quod in me, inquit, non invenio, si bene me circumspiciam, et diligenter discutiam. Velle itaque mihi naturaliter adjacet, quia ex me ipso et propria creatione rationem habeo, per quam bonum faciendum esse approbo, sed ex me illud perficere non habeo, nisi videlicet ex apposita mihi gratia. « Non enim quod. » Ac si diceret : Non invenio me perficere bonum « quod volo, » quia ex contrario illud dimitto, et malum facio, et ita, ut supra quoque meminit, « sed quod nolo illud facio. Non ego operor, etc. Invenio igitur. » Quandoquidem lex, ut supra dictum est, cognitionem peccati mihi attulit, per quam quidem cognitionem volo bonum facere, quod ipsa docet; et ei per rationem consentio, licet inde peccatum occasionem acceperit. « Igitur

[1] Luc , cap. XIII, v. 34. — [2] *Tim.* I, cap. II, v. 4. — [3] *Psalm.* CXIII, v. 3. — [4] *Rom.*, cap. IX, v. 19.

invenio, » id est per memetipsum propriæ rationis judicio comperio, legem esse bonam et rem utilem mihi vel ministram magni boni, cum per ejus doctrinam boni seu mali discretionem adeptus sim : mihi, inquam, volenti eam facere, id est bonum quod ipsa præcipit implere. In hoc quippe ipso quod id quod præcipit facere volo, et per rationem appetere, revera recognosco quod bona est, in suis videlicet præceptis. Quare autem dixerit, « volenti potius quam facienti, » supponit dicens, « Quoniam mihi malum adjacet, » id est gravi consuetudinis jugo premor, quæ bonam impedit voluntatem.

« Condelector enim. » Quia dixit se velle facere bonum quod lex præcipit, et tamen non facere, unde utrumque accidit exponit, dicens se condelectari « legi secundum interiorem hominem, » id est placere ei quod lex præcipit, et se illud per rationem appetere, quam hoc loco interiorem hominem appellat, id est spiritualem et invisibilem Dei imaginem, in qua factus est homo secundum animam, dum rationalis creatus est, et per hoc cæteris prælatus creaturis. Et rursus dicens se videre « aliam legem in membris suis, » id est se cognoscere ipsum peccati fomitem, carnis vel concupiscentiæ stimulos, quibus tanquam legi per carnis infirmitatem obedit, in membris corporis sui regnare et sibi dominari, sicut gulositatem in gula, luxuriam in genitalibus, et cætera vitia in cæteris partibus corporis per quas exercentur; legem illam concupiscentiæ dico repugnantem, id est contrariam, « legi naturali meæ mentis, » id est rationi, quæ me quasi lex regere debet; per rationem quippe bonum, per concupiscentiam appeto malum. « Et captivantem me, » id est quasi captivum et nolentem me trahentem, « in legem, » id est in obedientiam peccati mente concepti, ut opere illud impleam. Quæ scilicet lex ita me captivans, et a Deo proprio Domino meo avertens, sicut jam dictum est, « in membris meis. » Unde et concupiscentia dicitur oculorum, per quam visa concupiscimus, et similiter dici potest cæterorum membrorum, secundum videlicet sua exercitia in carnalibus voluptatibus. Quod vero repetit, « quæ est in membris meis, » ad exaggerandam et amplius nostræ memoriæ commendandam infirmitatem nostram facit, quia quot membra habemus, tot fere in eis hostes jugiter sustinemus et inseparabiliter nobiscum ipsos portamus. Unde vehementer exterritus querendo exclamat : « Infelix ego homo, » subaudis revera sum, qui tot hostibus in ipso corpore modo circumsessus sum, quibus, ut superius dixi, a meipso sum venumdatus et captivus traditus, nec jam per me ab hac servitute liberari possum aut redimi. Et quia ita est, « quis me liberabit, » id est quis erit tam potens et tam benignus mihi, ut me liberet « a corpore hujus mortis, » id est ita prono et præparato ad interficiendam animam, ne carnales scilicet suggestiones mihi prævaleant, et cedat spiritus carni, id est ratio victa succumbat et consentiat vo-

luptati? « Gratia Dei, » id est non lex, non propriæ vires, non quælibet merita, sed divina beneficia gratis nobis per Jesum, id est salvatorem mundi collata. Cum autem subdit Christum et Dominum nostrum, potentiam et justitiam qua salvare queat, nobis ostendit. Christus quippe id est unctus, regiam quam habet, potestatem exprimit. Cum vero ait, « Dominum nostrum, » jus quod habet in nobis tanquam servis suis, demonstrat, ut nos juste a dominio peccati sive diaboli possit eruere, et a captivitate prædicta tanquam suos reducere. « Igitur ego. » Quandoquidem per rationem, ut dictum est, bonum quod lex præcipit volo, sed per peccatum quod habitat in carne mea, malum operor. « Igitur mente, » id est ratione servio legi Dei, pronus [1] videlicet ad obediendum ei per rationem. Sed ego ipse carne, id est, carnalis desiderio voluptatis stimulante, « servio legi peccati, » id est, pravis concupiscentiæ suggestionibus quasi legi obedio.

« Nihil ergo. » Quia videlicet, ut dictum est, gratia Dei per Christum suos liberat, ergo « nil damnationis his qui, etc., » id est qui in hoc superædificati sunt fundamento. Quomodo autem hos cognoscere valeamus determinat. « Qui videlicet non ambulant secundum carnem, » id est si quando per infirmitatem carnis aliquam labuntur, sicut fecit Petrus, mortem timens corpoream, non perseverant post concupiscentias suas, eundo de vitio in vitium. Lex enim dixit, quia gratia Dei liberavit eum per Christum, et quomodo id fiat nunc aperit, quia lex spiritus vitæ, id est lex caritatis et divini amoris potius quam timoris, sicut erat lex vetus, « in Christo Jesu, » id est per eum nobis data et exhibita, « liberavit me a lege peccati, » et ideo mortis, id est a præceptis vel suggestionibus carnalis concupiscentiæ, ne eis scilicet consentiendo obediam. Spiritus vitæ, id est Spiritus sanctus, qui est vita animarum, quia amor est. Ideo lex hujus spiritus lex amoris dicitur filios generans, non servos constringens, id est Evangelium, quod totum caritate refertum est. Unde et ad Christum dicitur [2] : « Diffusa est gratia in labiis tuis, » quia tota ejus prædicatio caritate plena est. Unde et Spiritus Apostolos replens scientia, sicut promiserat Filius dicens [3] : « Ille vos docebit omnia. » Quæ etiam doctrina significatur, cum dicitur [4] : « Factus est repente de cœlo sonus, » id est sermo intelligentiæ factus eis per inspirationem in mente, merito in igneis demonstratus est linguis, cum eorum scilicet linguæ nihil nisi caritatis fervorem essent prædicaturæ.

« Nam quod. » Exponit quomodo in Christo sit liberatus a lege peccati. « Nam Deus Pater, » id est divinæ potentiæ majestas. « Misit Filium suum in similitudinem carnis peccati, » id est coæternam sibi sapientiam fecit humiliari usque ad assumptionem passibilis et mortalis hominis, ita ut per pœnam peccati cui

[1] Amb. *Dominus videlicet;* quod sensu caret. — [2] *Psalm.* XLIV, v. 3. — [3] Joan., cap. XIV, v. 26. — [4] *Act. Apost.*, cap. II, v. 2.

subjacebat, ipse etiam carnem peccati, id est in peccato conceptam habere videretur. « Et de peccato, » id est de pœna peccati, quam pro nobis sustinuit in carne, id est, in humanitate assumpta, non secundum divinitatem, « damnavit peccatum, » id est pœnam peccati a nobis removit, qua etiam justi tenebantur antea, et cœlos aperuit. « Ut justificatio legis. » Non dicit opera legis, quæ nequaquam justificant, sed quod lex præcipit de his quæ ad justificationem attinent, sine quibus justificari non possumus, sicut est Dei et proximi caritas quam lex imperfectam facit, sicut supra monuit, sed per Christum in nobis perficitur. Et hoc est quod ait, ut caritas Dei et proximi, quam lex præcipit, in nobis perfecta nos justificaret. Ipsum quippe Christum tanquam Deum ipsum proximum vere diligere, summum illud beneficium quod nobis exhibuit compellit; quod est in nobis peccatum damnare, id est reatum omnem et culpam destruere per caritatem ex hoc summo beneficio. Quod verius, inquit, habetur apud Græcos : « Pro peccato damnavit peccatum, ipse hostia pro peccato factus. » Per hanc hostiam carnis quæ dicitur pro peccato, damnavit, id est delevit peccatum, quia remissionem quoque peccatorum nobis in sanguine suo, et reconciliationem operatus est. Vel de peccato a diabolo vel a Judæis in se commisso, damnavit peccatum in nobis, ut dictum est, malis etiam ipsis optime utens, et in bonum convertens. Duo illa quæ præmissa sunt ad duo supposita sunt referenda et copulanda. Ad hoc quidem quod ait, « de peccato damnavit peccatum, » illud subjungit quod impossibile erat legi scilicet damnare vel auferre peccatum. Ad illud vero quod subditur, « ut justificatio legis impleretur, » illud est annectendum, in quo infirmatur ipsa lex scilicet per carnem, id est ad habendam plenam et perfectam justificationem lex infirma fuit propter carnalem populum, cui data fuit, ut supra ostendimus, de imperfectione mandatorum ejus agendo. Impossibile itaque erat legi per obedientiam sui peccatum auferre, cum perfecta, ut dictum est, non haberet præcepta. Ad quam præcipue perfectionem infirmabatur et impediebatur propter insolentis populi carnalitatem.

« Qui enim secundum. » In nobis dico impleretur per Christum, qui ejus doctrina et exemplo, et summa illa caritatis exhibitione spirituales, per desiderium carnales effecti sumus. Et hoc est, « qui non ambulamus secundum carnem, » id est carnalibus desideriis jam non inducimur, sed gratia Dei, id est Spiritu sancto regimur, et de virtute in virtutem promovemur. « Qui enim. » Dixi justificari eos qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant. Et merito, quia qui secundum carnem sunt, id est, carnalibus desideriis irretiti, illa « sapiunt, » id est illorum experimentis utuntur, « quæ carnis sunt, » id est quæ carnales attinent voluptates. Qui vero secundum spiritum sunt, id est qui spiritualibus accenduntur desideriis, sentiunt experiendo dona ipsa Spiritus

sancti. « Nam prudentia. » Vere qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt, quia mortem scilicet animæ, id est damnationem, per ipsa carnalium desideriorum experimenta quæ nos alliciunt, acquirimus : sicut e contrario prudentia spiritus, id est experimenta virtutum et bonorum Dei « vita » fiunt nobis et « pax, » id est, quietam ab omni perturbatione conferunt vitam. « Quoniam sapientia. » Ideo prudentia carnis mortem acquirit, quia Deo contraria est, et omnino displicens : et quare displiceat statim annectit, quia legi Dei non est subjecta, id est præceptis divinis obedire non sinit. « Neque enim potest » obedientiam Dei servare. « Qui autem. » Exponit quid sapientiam carnis dicat Deo inimicam, hoc est esse in carne, id est in carnalibus delectari voluptatibus, et per hoc displicere. Continuatio. Dixi sapientiam carnis inimicam Deo, nec sine causa, sed ideo quia « qui in carne sunt, etc. » « Vos autem. » Ne desperarent Romani, quibus scribebat, audientes quod qui in carne sunt Deo placere non possunt, quasi propter se etiam dictum esset, consolatur eos dicens : Vos autem, gratia Dei, jam « non estis in carne, sed in spiritu, » id est non in carnalibus, sed spiritualibus desideriis. Et ne iterum de hoc quod testatur, quasi certus esset, nimis confiderent[1] et ad superbiam amplius incitarentur, quibus maxime ad elationem eorum reprimendam scribit, quasi dubitative hoc se profiteri insinuat, dicens : « Si tamen spiritus, etc., » hoc est, si spiritum Dei habetis habitatorem potius quam hospitem, id est permanentem in vobis per inhabitantem gratiam suam, non a vobis recedentem vel per vos transeuntem. Quantum autem sit periculum spiritu Dei carere annectit dicens : « Quod si quis non habet spiritum Christi, hic non est ejus, » videlicet membrum, quia spiritus ejus ipse est amor et vinculum, quo huic capiti membra sua cohærent. De quo quidem spiritu specialiter dicitur, quia Deus caritas est. Cum autem primo dixit spiritum Dei, et præterea Christi, ipsum profecto Christum, cujus etiam dicit divinum spiritum, dictum esse demonstrat. « Si autem. » Ac si diceret, si spiritum Christi Dei habemus : quod est dicere, si Christus per spiritum suum, id est per gratiam donorum suorum, utpote remissionem peccatorum et collationem virtutum, in nobis est. « Corpus quidem nostrum mortuum est, » id est corporali morti obnoxium. « Propter peccatum » scilicet primorum parentum, sive carnalis concupiscentiæ maculam, in qua est conceptum. « Sed spiritus noster vivit propter justificationem, » id est ex virtutibus quæ eum justificant, mortem damnationis evitat. Ac si aperte dicat, licet in Christo remissionem etiam carnalis originalis peccati consequamur, cujus quidem peccati mors etiam carnis est pœna, non tamen hanc abstulit pœnam qui removit causam.

[1] Amboesius *Quasi certus esset nimis, confidenter et ad superbiam.*

Unde non minima fieri quæstio solet, quare videlicet pœna hæc reservatur ubi peccatum quod ejus causa est, condonatur : ut qui videlicet in baptismo plenam peccatorum remissionem percipiunt, statim illam saltem quam in paradiso ante peccatum habebant, immortalitatem recuperent? Ad quam quidem quæstionem Isidorus *de summo bono* respondens lib. I, cap. XXIII, ait : « Si a pœna præsenti homines liberarentur per baptismum, ipsum putarent baptismi pretium, non illud æternum. Ergo soluto reatu peccati, manet tamen quædam temporalis pœna, ut illa ferventius vita requiratur, quæ erit a pœnis omnibus aliena. Quis etenim nesciat omnes fere homines plus temporalem vitam quam æternam appetere, cum pro ea quam retinere non possunt multo amplius quam pro æterna laborent, et plus corporis quam animæ mortem pavere, et magis sollicitari de præsentis vitæ ærumnis quam futuræ? Si hujus itaque animalis vitæ felicitatem se detinere considerarent, amplius ad Ecclesiæ sacramenta propter istam quam propter æternam se præpararent; et hujus qualicunque refrigerio contenti, illius perfectionem gloriæ vel omnino contemnerent, vel minus appeterent : in hoc ipso iniqui, quod summo bono inferius anteponerent. »

« Quod si spiritus. » Dixi quia corpus nostrum mortuum est, id est morti temporali subjectum remanet, etiam post remissionem peccatorum omnium. Sed ab hac etiam mortalitate ipsum liberabitur in resurrectione, ut non solum animam, verum etiam corpus divina glorificet gratia. Et hoc est quod ait, « si spiritus ejus, » id est Patris, quo videlicet Patre divina specialiter designatur potentia. « Ejus, » inquam, « qui » per propriam potentiam « suscitavit » jam caput nostrum « a mortuis, id est Jesum. » Habitans, ut dictum est, in nobis, ipse idem « qui suscitavit Jesum » non ab infirmitate, sed a morte, etc. Ideo resuscitationem Christi repetit, ut ea sæpius memorata securiores nos reddat. « Vivificabit etiam nostra mortalia corpora, » ut eamdem resurrectionis gloriam in capite et membra participent; vivificabit non quo modo corpora reproborum, quæ passibilia erunt, et cruciatui apta; sed propter « inhabitantem spiritum, » id est prout debetur reverentiæ spiritus Christi, qui in corporibus illis quasi in templo jam habitat et quiescit, jam per ejus gratiam repressis motibus carnalibus.

Non parva est quæstio, cum divina substantia humanam sibi in unam Christi personam conjunxerit, et eadem sit penitus Patris et Filii et Spiritus sancti substantia individua, cur Filius potius quam Pater aut Spiritus sanctus dicatur incarnatus : vel cum sint opera Trinitatis indivisa, videlicet ut quidquid una personarum facit et cæteræ faciant, quomodo filius carnem assumpsisse dicatur, et non Pater aut Spiritus? Sed hoc ex Atropologia[1] nostra petatur. « Ergo fra-

[1] Forsan legendum *Anthropologia*, ut conjicit Amboesius. Quale sit istud Abælardi opus plane nos fugit.

tres. » Quandoquidem qui in carne sunt Deo placere non possunt, ergo non sumus debitores carni, id est desideriis carnalibus obedire non debemus, quia nihil cuiquam contra Deum debemus, qui etiam propter Deum animam ponere recte jubemur. Hoc seculares attendant Potestates, nullam sibi scilicet a subjectis obedientiam deberi, cum aliquid quod Deus prohibet eis injungunt, etiam si fide vel sacramento eos sibi in hoc astrinxerint. « Ut scilicet carnem vestram. » Exponit quod promisit, quomodo videlicet intelligendum sit nos non esse debitores carni, ne forte hoc aliquis de substantia carnis dictum acciperet, cui quidem debitores sumus quantum ad necessariam ejus curam pertinet, in victu videlicet et vestitu, ut hæc ei ministremus. Tale est ergo ac si dicat : Non sumus, inquam, debitores carni, ita ut secundum carnem vivamus, licet in carne, id est ut carnalia sectemur desideria. « Si enim. » Id est, non estis obnoxii carni, quia ejus obedientia vos damnaret. Et hoc est, « moriemini, » id est mortem animæ, quæ est peccatum, incurretis ei consentiendo, si ea stimulante non quantum potestis reluctemini. « Si autem spiritu, » id est dono aliquo divinæ gratiæ magis quam vestra virtute « mortificaveritis facta carnis, » si nondum penitus suggestiones extirpare potestis, « vivetis » e contrario vera animæ vita, sive hic in virtutibus, sive in æterna beatitudine. Facta mortificantur, tanquam si parvulus in utero conceptus antequam nascatur extinguatur, dum mala quæ mente concipimus, ne usque ad opera prodeant, prævenimus, omnem eis quantum possumus occasionem auferentes. Sicut scriptum est[1] : « Beatus qui tenebit, et allidet parvulos suos ad petram, » id est concepta per aliquam suggestionem mente peccata adhuc, quasi parvula sint, mortificabit atque interficiet, allidendo ad petram, id est confringendo ea et dissipando ad illud bonorum omnium stabile fundamentum, quod Christus est, dum quod per infirmitatem carnis mens humana concupiscit, per amorem Christi ratio roborata ne perficiatur satagit. Sicut alibi idem Apostolus commemorat dicens[2] : « Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem, » id est ratio carnis suggestiones reprimens, ne scilicet usque ad opera procedant. Et Salomon[3] : « Melior est, » inquit, « patiens viro forti : et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. »

« Quicunque enim. » Bene, inquam, vivetis, si spiritu scilicet facta carnis mortificaveritis, quia « quicunque aguntur » potius quam coguntur, id est amore alliciuntur magis quam timore compelluntur, « spiritu Dei, » filii sunt Dei potius quam servi, id est per amorem ei magis quam per timorem subjecti. « Non enim. » Ac si aliquis quæreret : Habetne Deus plures filios, cum ejus uni-

[1] *Psalm.* CXXXVI, v. 9. — [2] *Galat.*, cap. III, v. 19. — [3] *Prov.*, cap. XVI, v. 32.

genitus dicatur Christus? Respondet, habet quidem plures, sed per adoptionem, non per naturam. Quia et vos ipsi spiritum adoptionis accepistis, in quo efficiuntur filii Dei. Unde et ipse alibi dicit[1] : « Quod caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. » Spiritus itaque adoptionis donum dicitur caritatis, per quod adoptamur a Deo in filios. « In quo, » scilicet spiritu, id est in professione et recognitione cujus doni, nos ad Dominum « clamamus » intente, atque exultanter dicimus, « Abba Pater, » id est eum potius profitemur esse patrem quam Dominum, ac per hoc nos potius filios quam servos recognoscimus. Sic enim et Veritas in Evangelio frequenter docuit nos scilicet Deum potius vocare Patrem quam Dominum, ut ex hoc quoque ad filialem nos hortaretur subjectionem. Unde et cum illam discipulis spiritualem traderet orationem[2] : « Orantes, » inquit, « dicite : Pater noster qui es in cœlis, etc. » Unde bene Abbates Monasteriorum Patres dicimus, ut ex ipso nomine magis amari tanquam patres, quam timeri tanquam Domini aperte admoneantur. « Clamamus, » inquit, nos Hebræi « Abba, » nos ex Gentibus « Pater, » cum hoc scilicet nomen sit Hebræum sive Syrum; illud Græcum sive Latinum. Augustinus in Epistola *ad Galatas* : « Abba Pater, » duo sunt verba, quæ posuit, ut posteriore interpretetur primum. Nam hoc Abba quod pater, propter universum populum qui de Judæis et Gentibus vocatus est; ut Hebræum verbum ad Judæos, Græcum ad Gentes pertineat. » Idem, lib. III *de Consensu Evangelistarum* : « Hoc est Abba Hebraice quod est Latine Pater. » Haymo super hunc locum : « Abba Hebræum est et Syrum, Pater Græcum et Latinum. Prævidens ergo Apostolus utrosque populos ad fidem colligendos, posuit duo nomina sub una significatione, ut qui credunt ex Hebræis et Syris dicant : « Abba miserere, » qui ex Græcis aliisque dicant : « Pater. » Tale quid in Evangelio Marci habetur, dicente Domino[3] : « Abba Pater, si possibile est, transeat calix iste a me. »

« Spiritum servitutis in timore. » Dicit donum illud servilis timoris, quo non a mala voluntate, sed a mala compescimur actione, formidine pœnæ, sicut antea Judæi per pœnas legis corporales. « Non accepistis spiritum. » Per Evangelium, sicut olim Judæi per legem. « Ipse enim spiritus. » Adoptionis quem diximus et habemus facere recognoscere[4] spiritum nostrum, id est rationem. « Quod sumus filii Dei, » id est ei per amorem subjecti. Nihil enim melius quisque quam propriam recognoscit conscientiam, et utrum servus an filius potius dicendus sit. Notandum vero Apostolum in his, quibus loquitur Romanis, quorum nonnulli vehementer erant reprehendendi, generalem fidelium Patrem hoc loco se intelligere, et non tam quales illi essent quam quales esse deberent exponere. « Si

[1] *Rom.*, cap. v, v. 5. — [2] Matth., cap. vi, v. 9. — [3] Marc., cap. xiv, v. 36. — [4] Sic Amboesius.

autem filii, » scilicet adoptionis, utique « et heredes » quia ad hoc adoptantur, id est gratis eliguntur, ut hereditatem assequantur. « Heredes quidem Dei, » id est Patris, et « cohæredes Christi, » id est naturalis ejus filii, in illa scilicet beatitudinis professione perpetua. Ostendit quantum sit assequi illam hereditatem Dei, per quam filio ejus Christo similes efficimur. « Si tamen. » Dixi « hæredes sumus, » hac tamen intentione, « si compatimur » ipsi Christo, quia non coronabitur quis nisi qui legitime certaverit, adversus hostium videlicet seu vitiorum impugnationem. Et quia, ut ait Cyprianus, martyrem non facit pœna, sed causa : addit « ut conglorificemur, » id est si ita patimur ut cum Christo glorificari digni simus. Quod tunc fit, quando caritas ad patiendum præparat, non necessitas trahit, et pro Christo sicuti pro nobis ; ut sic ei mutuum solvamus. Omnes itaque quantum in ipsis est pro eo compatiuntur, quicunque, ut diximus, pro eo pati parati sunt, si videlicet ipsi persecutori non desunt, licet eis desit persecutor. « Existimo enim. » Ac si aliquis quæreret : Estne tanta illa hæreditas, ut pro ea promerenda patiendum sit usque ad mortem sicut Christus passus est ? Respondet : Immo tantam esse existimo, ut omnia merita hominum, quantumcunque ipsi patiendo mereantur, longe excedat. Et hoc est quod ait : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis, » id est temporales illæ et transitoriæ tribulationes, quantæcumque fuerint, non sunt tanti meriti, ut eis debeatur illa ineffabilis et æterna gloria futuræ vitæ, quæ revelabitur in nobis : quia « jam filii Dei sumus, » sicut scriptum est, « sed nondum apparet quid erimus. » Nulli enim transitorio, quamvis sit bonum ex debito, redditur perpetuum bonum, sed per gratiam Dei meritis nostris superadditam id obtinemus, ad quod nequaquam meritis ex nostris sufficiebamus. Et si diligenter attendamus, nihil transitorium etiam boni remuneratione dignum est. Sola quippe caritas, quæ nunquam excidit, vitam promeretur æternam : et quicunque æquales sunt caritate, pares apud Deum habent remunerationes, etsi alter effectu caritatis privetur aliquo casu præpeditus. Unde et merito B. Augustinus æqualem de martyrio coronam asserit habere Joannem qui passus non est, quantam et Petrus habet qui passus est, ut non tam passionis affectum quam effectum Deus attendat.

« Nam expectatio. » Bene dixi futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, scilicet filiis Dei; quia hanc revelationem scilicet gloriæ filiis Dei debitæ exspectatio fidelium omnium exspectat. Ac si diceret : Exspectans unusquisque exspectat, sicut dicitur, « euntes ibant, » hoc est perseveranter atque confidenter sperant, bonis scilicet operibus eam promerentes. « Revelationem filiorum Dei, » id est remunerationem illam, in qua revelabitur qui filii Dei sint, et ad vitam prædestinati, quod adhuc occultum est. Creaturam eos dicit, quia crea-

tionem Dei in seipsis incorruptam satagunt custodire, ac reformare imaginem Dei in qua creati sunt, peccatis quæ eam delent vel maculant quantum valent resistendo. Et vere hanc revelationem exspectant fideles, quia propter eam contemnunt vitæ præsentis vanitatem, et nolentes eam sustinent; concupientes etiam jam potius dissolvi et esse cum Christo. Et hoc est quod ait : « Creatura ipsa subjecta est nolens, » id est hanc vanam vitam quæ et transitoria est, et ærumnis plena, sustinet invita, quantum in se est. « Sed propter eum, scilicet eam tolerat, « qui subjecit eam in spe illius, » scilicet futuræ revelationis, id est in hac eam affligendo humiliat, ut in illa quæ speratur exaltet. Quod vero sit spes illa creaturæ, id est quod sperent hic afflicti fideles, supponit dicens : « Quia et ipsa, etc., » id est hic sperant qui liberabuntur ibi a jugo passibilis et corruptibilis carnis, quo hic opprimuntur inviti. Libertatem dicit illius vitæ gloriam, in qua nulla erit oppressio, cum nemo aliquid contra voluntatem suam incurrerit.

« Scimus enim. » Ostendit per partes creaturam hic afflictam ad illam quam ibi sperat, libertatem gloriæ toto desiderio anhelare, quia videlicet tam hi qui inter fideles sunt minores, quam illi qui majores. Minores autem distinguit per hoc quod dicit, « Omnis creatura. » Majores vero per hoc quod supponit, « primitias spiritus habentes. » Quod itaque dicitur, « omnis creatura, » tale est ac si diceret : Hi qui omnino sunt creatura, vel qui toti sunt creatura, non creatores, nullos videlicet creare vel generare Deo per prædicationem volentes. Apostoli vero et eorum vicarii tanquam aliorum, ut diximus, creatores quodammodo sunt, juxta quod alibi ipse dicit Apostolus[1] : « In Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui. » Et iterum[2] : « Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. » « Ingemiscit et parturit, » id est ingemiscendo parturit. Gemitus autem fidelium hi vel de terrena afflictione proveniunt, secundum istud[3] : « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua, » vel de cœlestis patriæ desiderio, sicut est illud[4] : « Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. » Et rursum[5] : « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, donec recordaremur tui Sion. » Parturiunt autem, id est labore maximo fructum bonorum operum proferre meditantur; et satagunt usque adhuc, id est non horarie, sed quamdiu vivunt. Parturio enim verbum est meditativæ formæ, non perfectæ : et ideo bene minoribus atque imperfectis aptatur, qui quasi sunt in initio cogitationis, non in perfectione operationis. Hæc autem Apostoli verba cum ait : « Ingemiscit et parturit, » illis Dominicis concordant verbis quibus dicitur[6], « Mulier cum

[1] I *Corinth.*, cap. IV, v. 15. — [2] *Galat.*, cap. IV, v. 19. — [3] *Psalm.* CXXV, v. 6. — [4] *Psalm.* CXIX, v. 5. — [5] *Psalm.* CXXXVI, v. 1. — [6] *Joan.*, cap. XVI, v. 21.

parit tristitiam habet, etc. » « Primitias spiritus habentes, » id est majora sancti Spiritus dona, sicut prædicatores sancti, qui secum et alios Deo acquirunt. Ad quod quidem prædicationis officium tanquam ad maximum Spiritus sancti donum ipse nos Apostolus in II Epistola *ad Corinthios* adhortatur dicens[1] : « Æmulamini enim charismata meliora, et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.» Et post pauca[2] : « Sectamini caritatem, æmulamini spiritualia, magis autem ut prophetetis, » id est ut officium Prophetarum prædicando assumatis.

« Et ipsi gemimus, » gravati scilicet passibilitate et corruptione carnis, sicut cæteri, scilicet ex spe consolationem habentes, quæ scilicet spes quasi anchora est navis nostræ inter hujus seculi fluctus, quia statim consolationem adjecit, dicens : « Exspectantes, » id est cum fiducia sperantes, « adoptionem filiorum Dei » de ipsis Gentibus, id est ipsos adoptari a Deo et constitui heredes in regno celesti. Adoptionem hanc dico « redemptionem carnis nostræ, » id est Ecclesiæ, cujus membra sumus. Nihil quippe est aliud nos a Deo sic adoptari, quam per Unigenitum suum a diaboli potestate seu jugo peccati nos redimi : ut hæc tota adoptio divinæ gratiæ, non meritis nostris tribuatur. « Spe enim. » Dixit superius quia revelationem filiorum Dei exspectamus sperando, et quod præsentis vitæ vanitati in hac spe subjecti sumus, ne propter labores diffidamus. Et ne quis objiceret spem istam non esse certitudinem, et ideo in ea non esse confidendum, ideo dicit, quod omnes quotquot salvamur, per spem salvamur. Et statim quod spes de non apparentibus tantum dicatur annectit, dicens : « spes autem, » id est cognitio quæ de apparentibus est, nequaquam spes dicenda est. « Nam quod videt. » Hoc est, quis sperat aliquid quod videt? Ac si diceret, nihil est quod quis videndo speret ipsum, ut si quis videat se divitem factum esse, et fortasse antea speraverat, jam non de hoc spem vel existimationem, sed certitudinem habet. « Si autem quod. » Ostendit quomodo spe salvi fiamus, quia videlicet illa spes, quæ dicta est vitæ futuræ, nos patientes reddit, ne in tribulatione vitæ præsentis deficiamus. Et hoc est : « Si enim, etc. » Quia scilicet quod non videmus speramus, patienter illud exspectamus, non in agone præsentis certaminis deficientes. « Similiter autem. » Sicut videlicet spes nos adjuvat patientiam præstando, ita et Spiritus sanctus in hoc agone nostram adjuvat infirmitatem, necessarias nobis orationes suggerendo. Et hoc est : « Nam quid ita » scilicet « ut oportet, » et nobis necessarium est, « oremus, » in tribulationibus videlicet positi, frequenter ignoramus, in multis scilicet dubitantes quid eorum videlicet nobis utile sit, sicut et ipse Apostolus quando ter Dominum rogavit stimulum satanæ sibi auferri. « Sed ipse Spiritus postulat pro nobis, »

[1] I *Corinth.*, cap. XII, v. 31. — [2] *Ibid.*, cap. XIV, v. 1.

id est postulare nos facit, quod scilicet nesciebamus docendo, et ejus desiderium maximum inspirando. « Qui autem. » Dixi quod nos postulare facit gemitibus inenarrabilibus, id est tantis desideriis ut potius sentiri quam edisseri queant. Sed licet sint inenarrabiles, ei tamen sunt cogniti, qui scrutatur corda, et inspector est cordis, ea videlicet potius attendens quæ versantur in corde, quam quæ proferuntur de ore. « Quid desideret. » Id est desiderare nos faciat, quia postulat pro sanctis, id est sanctos postulare facit, « secundum Deum, » id est secundum hoc quod ipse Spiritus Dei a Deo accepit, qui a Deo habet esse, procedendo scilicet ab ipso, et secundum quod in ipsa Dei dispositione ordinatum esse novit. Unde certum est Deum non posse latere quid agat Spiritus, eo disponente.

« Scimus enim. » Tanquam aliquis opponens diceret, quomodo adjuvet spiritus quos tot videmus afflictionibus laborare, dicit quia et ipsas afflictiones et quæcunque accidunt sanctis, tam prospera scilicet quam adversa, in bonum eis convertit, et ad eorum utilitatem perducit. Qui vero sint diligentes Deum, supponit dicens : « His qui vocati sunt sancti, » id est internæ vocationis inspiratione sanctificati, « secundum propositum Dei » potius quam secundum eorum præcedentia merita, id est secundum hoc potius quod divinæ gratiæ placuerit, quam secundum hoc quod ipsi meruerunt. « Nam quos præscivit. » Exequitur diligenter quomodo secundum propositum Dei, id est divinæ gratiæ placitum sint sanctificati, dicens quia quos præscivit, postmodum et prædestinando conformes Christo reddidit. Scire dicitur Deus ea quæ approbat, et quæ ejus notitia sunt digna, juxta illud[1] : « Novit Dominus viam justorum, » sicut e contrario mala ignorare vel nescire dicitur. Juxta quod ipse Filius reprobis ait[2] : « Nescio vos. » Illos itaque præscisse dicitur, quorum antequam essent futuram electionem approbavit. Quoscunque itaque sic præscivit, eos postmodum « prædestinavit, » id est donis gratiæ suæ præparavit. Prædestinatio quippe divina dicitur præparatio gratiæ, quæ in electis tantum est. « Prædestinavit, » inquam, « conformes fieri. » Id est ad hoc ut similes fierent, « imaginis Filii sui, » id est Christo, qui est imago Dei, id est expressa similitudo Patris, in omnibus scilicet bonis ei æqualis secundum divinitatem, juxta illud quod ait[3] : « Philippe, qui videt me videt et Patrem, » ac si diceret, quia ex me integre cognosci potest qualis vel quam bonus ipse sit Pater. Tunc autem Christo conformamur, si veterem hominem cum actibus suis deponentes, ipsum induamus Christum, sicut scriptum est[4] : « Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. » Ita, inquam, conformes fieri, « ut sit ipse videlicet Christus

[1] *Psalm.* I, v. 6. — [2] Matth., cap. xxv, v. 12. — [3] Joan., cap. xiv, v. 9. — [4] Joan. I, cap. II, v. 6.

primogenitus in multis fratribus, » id est inter multos qui ejusdem Patris sunt filii per adoptionem, ipse qui per naturam filius est, more primogenitorum excellat dignitate, non eis adæquetur similitudine, sicut et ipse Patri æqualis est, cujus imago est. Qui autem prædestinantur electi, id est ad vitam æternam præparantur per fidem illuminati, quam primo tanquam omnium bonorum fundamentum suscipiunt, vocantur postmodum per spem illecti, cum jam misericordia Dei et virtute sacramentorum cognita ad bene operandum alliciuntur, propter æternorum scilicet retributionem : deinde justificantur sinceræ caritatis affectu, non jam Deo tam propter sua quam propter ipsum adhærentes, et denique magnificantur in cœlesti scilicet patria sublimati.

Quæstio se hoc loco ingerit de divina scilicet providentia, seu prædestinatione quæ liberum nobis arbitrium auferre videtur, cum omnia videlicet sicut a Deo prævisa sunt, necesse sit evenire, nec aliquem prædestinatum possibile sit perire. Certum quippe est omnia antequam fiant eo modo quo futura sunt a Deo esse prævisa, sive bona sint sive mala; nec in aliquo providentiam ejus posse falli. Cum itaque hunc hominem qui forte mœchaturum est, prævideril mœchaturum esse, necesse est eum mœchaturum esse. Quod si eum necesse est esse mœchaturum, hoc est inevitabile, jam non est in libero ejus arbitrio seu potestate peccatum hoc evitare. Non ergo propter hoc peccatum quod nullatenus evitare potuit, reus est constituendus. Atque ita omnia mala in Dei providentiam tanquam eorum necessariam causam retorquenda videntur, et sic omnia eo modo quo eveniunt necessario provenire, cum scilicet sic a Deo prævisa fuerint, nec ullo modo aliter posse contingere. Nos autem concedimus, eum qui mœchaturus est necessario mœchaturum esse, cum id Deus prævideril; sed non ideo simpliciter dici convenit eum esse necessario mœchaturum. Non enim hæc modalis cum determinatione illam simplicem infert, de quo quidem diligentius disserendum *Theologiæ*[1] nostræ reservamus, et quæ differentia sit providentiæ ac prædestinationis seu fati.

« Quid ergo. » Quandoquidem Deus ita de nostra sollicitus est salute, ut præsciverit, prædestinet, prædestinatos vocet, vocatos justificet, justificatos magnificet, « quid dicemus ad hæc, » id est contra hæc quod impedimentum poterimus invenire? Nullum utique : quia etsi ex nobis infirmi sumus, « quis contra nos » prævalere poterit, « si Deus pro nobis, » id est cum Deum habeamus patronum ? De cujus quidem patrocinio vel defensione quam securi esse valeamus, adnectit commemorans ejus singularem dilectionem quam nobis exhibuit, dicens : « Qui non pepercit etiam proprio filio suo, » consubstantiali, non

[1] Vide supra *Introd. ad Theolog.*, lib. III, sub finem, p. 146 et sqq. hujusce editionis.

adoptivo; sed « tradidit illum, » videlicet ad mortem pro nobis omnibus, scilicet quos præscivit, seu, ut dictum est, prædestinavit; ut in ejus sanguine nostrorum maculas dilueret peccatorum. Quod vero ait, « etiam proprio filio, » innuit Deum et aliis adoptivis filiis antea pro nobis non pepercisse, sicut Isaiæ, seu Jeremiæ, vel nonnullis aliis Prophetarum qui ad populum Dei missi, tanquam martyres pro salute hominum sunt occisi. « Quomodo non etiam, » id est qua ratione potest dici ut in tanto de traditione filii sui dono non dederit nobis omnia, nostræ scilicet saluti necessaria? « Quis accusabit? » Quandoquidem Deus de nostra ita, ut dictum est, sollicitus est salute, cujus accusatio quidquam adversus nos obtinere poterit? Numquid accusatio ipsius Dei qui non solum non accusat, verum etiam, ut dictum est, justificat? ac si diceret : Non. Aut si etiam accusator esset qui[1] in nostra condemnatione perstiterit, numquid ipse Christus, qui tantam nobis exhibuit dilectionem, sicut ipse ait[2] : « Majorem hac dilectionem, etc., » ut pro nostra moreretur salute? ac si diceret : Non. « Imo qui. » Quasi corrigens quod dixerat, « qui mortuus est, » quod est infirmitatis, supponendo resurrectionis gloriam in ipso nobis exhibitam, atque promissam, quæ nos in omni tribulatione maxime consolatur, et quoniam resurrectio nonnullorum fuit iterum mortuorum sicut Lazari, ut etiam reproborum erit ad sinistram constituendorum, subdit: « Qui est ad dexteram Dei, » id est secundum ipsam humanitatem resuscitatam, in æterna beatitudine perseverat, ibi quoque non immemor nostræ salutis, ubi tanquam advocatus Patrem interpellat pro nobis, ipsam, videlicet in quo tanta pro nobis passus est, humanitatem oculis Patris semper præsentando, et sic nos ei tanquam mediator reconciliando. Interpellat igitur, ut dictum est, tanquam inter nos et Deum medius intercedat, per ipsam, ut dictum est, nostræ naturæ substantiam. Sanctos etiam ipsos intercedere et orare pro nobis dicimus affectu potius caritatis vel meritorum suorum suffragiis, quam prolatione vocis. Unde et cum dicimus : « Sancte Petre, ora pro nobis, » tale est ac si dicamus, « Miserere nostri, Deus, propter merita B. Petri. »

« Quis ergo nos. » Quandoquidem tantis beneficiis tantam nobis gratiam Deus exhibuit, et in seipso confirmavit, quæ res nos ulterius poterit avellere ab ejus dilectione? Ac si diceret : Nulla. Atque id statim comprobat per ea quæ maxime videntur posse homines a Deo avertere. Ac primo de adversis sic ait : « Tribulatio? » ac si diceret : Non. Tribulatio dicitur quæcunque corporis afflictio vel verberatio; angustia, mentis anxietas, ut metus; persecutio, de loco ad locum propulsio; periculum, mortis apparatus; gladius, ipsa mors. « Sicut scriptum » in *Psalmo* XLIII[3] : ac si diceret : Utique verum est quod nihil horum poterit nos

[1] Male Amboes. *Aut si etiam esset accusator quis*, *in nostra*, etc. — [2] Joan., cap. XV, v. 13. — [3] *Psalm.* XLIII, v. 22.

separare, quia, sicut dicit Propheta, « propter te, » id est quia inseparabiliter tibi adhæremus, periculis vitæ afflicti subjacemus, « tota die, » id est toto tempore vitæ nostræ, quod quidem ad comparationem vitæ infidelium, qui in tenebris ambulant, dies est dicenda, fide videlicet illuminata. « Æstimati, » sicut scriptum est de impiis dicentibus de justis : « Nos vitam illorum æstimabamus insaniam, etc.[1] » « Oves occisionis, » id est dignæ occisione, et nihil alterius utilitatis habentes, nec de ipsa etiam morte sua fructum aliquem ad esum tribuentes, nec ullatenus interfectoribus suis tum pro imbecillitate suæ naturæ, cum etiam pro mansuetudine sua resistentes. « Sed in his. » Dixi : Non poterunt omnes oppressiones istæ constantiam nostram superare, ut videlicet a Deo separemur[2], sed e contrario hæc omnia perseverando vincimus per gratiam Dei potius quam per nostram virtutem. Et hoc est quod ait, « Propter eum qui datus nobis, » id est propter ejus adjuvantem gratiam. « Certus sum. » Ideo tam fiducialiter loquor de divina gratia fideles adjuvante, ut nullis videlicet de causis a Deo possint separari, quia jam de his non solum fidem, verum etiam certitudinem imaginis assecutus sum experimentis, quod videlicet « neque mors » comminata, « neque vita » promissa scilicet in hoc mundo, « neque Angeli, » id est angelica dignitas, a quocunque nos tentante nobis promissa, sicut diabolus Evæ promisit, quod essent sicut dii[3]; « neque etiam principatus, neque virtutes, » id est istorum ordinum excellentia, quæ major est dignitate Angelici ordinis, quos quidem ordines diligenter Beatus Gregorius distinguens, ait[4] : « Græca lingua Angeli nuntii, Archangeli summi nuntii vocantur. Qui minima nunciant Angeli, qui vero summa Archangeli vocantur. Hinc est quod ad Mariam non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur. » Item : « Virtutes vocantur illi, per quos signa et miracula frequentius fiunt. Potestates vocantur qui hoc potentius cæteris in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sint, quorum potestate refrenantur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant quantum volunt. Principatus vocantur qui ipsis quoque bonis Angelorum spiritibus præsunt, qui subjectis aliis dum quæ sunt agenda disponunt, eis ad explenda mysteria principantur. » « Neque instantia, » id est præsentia bona vel mala, « neque fortitudo, » id est violentia cujuscunque potestatis, « neque altitudo, neque profundum, » id est sublimatio alicujus humanæ gloriæ, vel dejectio atque humiliatio in quamcunque vilitatem, ac si diceret, neque prosperitas aliqua humana, neque adversitas ; « neque creatura alia » quam videlicet suprapositæ, id est Angeli, potestates, etc. « a caritate Dei » quia videlicet eum sincere propter ipsum diligimus, « quæ est in Christo

[1] *Sap.* cap. v, v. 4. — [2] Amb. *Separet.* — [3] *Genes.*, cap. III, v. 5. — [4] *Hom. in Evang.*, lib. II, hom. XXXIV, n° 8 e 10

Jesu, » id est per Christum Salvatorem nostrum nobis inspirata, sive in ipso ædificata atque radicata, et fundata.

« Veritatem dico. » Quod dixit se et consimiles sui fideles a caritate Dei non posse avelli, experimento proprio vult probare dicens videlicet se dum maximus Ecclesiæ persecutor existeret, ad hoc laborasse, ut servos ad fidem Christi conversos inde averteret, et « est in Christo Jesu, » hoc est per Christum Jesum jurans veraciter dico, quantum ad ipsius rei eventum, et ita se habet ut dico. « Et non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea, » id est reus mendacii non sum, cum sic credam sicuti dico. Potest quippe aliquis quantum ad rei eventum veritatem in verbis per ignorantiam habere, et tamen contra conscientiam loqui, et per hoc incurrere mendacii reatum. Non enim mentitur apud Deum, id est reus mendacii non reputatur a Deo, nisi qui per duplicitatem loquitur. Loquenti conscientia sua perhibet testimonium, quando non dissidet animus a verbis, id est, quando creditur ab ipso sicut dicitur : Mihi, inquit, qui eam novi, etsi non vobis, conscientia dico mea perhibente[1]. « In Spiritu sancto, » id est fundata et radicata in caritate Dei. Ex qua scilicet caritate pullulare mendacium non potest; unde et bene spiritus veritatis dicitur. Hanc videlicet dico veritatem : « Quoniam tristitia est mihi magna » quantum ad computationis quantitatem, « et continua » quantum ad diuturnitatem. « Cordi meo, » id est non simulata in exteriori habitu, sed vera in ipso animi affectu, et unde se tristitia supponit, quia videlicet « optabam » olim, non modo, « ego ipse » qui modo aliquid magni esse videor, et præ cæteris adversari Judaismo, et pristinæ vitæ contrarius, « optabam, » inquam, « pro fratribus meis esse anathema a Christo, » id est nitebar modis omnibus fieri separatio nostratum, id est Judæorum a Christo, ut non solum scilicet ego separatus essem a Christo, sed ipse aliorum essem separatio, et tam verbis quam factis eos quoque, qui ei jam per fidem adhæserant, ab eo averterem, sicut scriptum est[2] : « Saulus adhuc spirans minarum, etc. » Vel ita ut fratres meos averterem a Christo, omnes generaliter avertere cupiebam, sicut scriptum est, ut si quos invenirem hujus viæ viros, non videlicet solum Judæos , etc. Quod autem fratres generaliter dicat quicunque de suo genere sunt, id est quoslibet Judæos, declarat subdens : « Qui sunt cognati mei secundum carnem, » id est de cognatione mea carnali, et ideo tunc vehementius animo meo inhærentes, ut plurimum pro eis agerem. Et ne tantum eos intelligamus, qui ad tribum Benjamin pertinent, unde erat Apostolus, imo generaliter totum genus Judæorum, addit, « qui sunt Israelitæ, id est de genere Jacob Patriarchæ, qui prius Jacob a parentibus, postmodum Israel a

[1] Forsan ita legendum. Amb. *Conscientia mea existens.* — [2] *Act. Apost.*, cap. IX, v. 1.

Domino appellatus est, id est vir videns Dominum. Unde et præcipue nomine ejus tota posteritas insignita gloriabatur, quasi solis ipsis Deum videre, id est cognoscere concessum esset, quasi jam ulterius nec Christi, nec alicujus doctrina indigerent, ut hinc quoque ipse Paulus Christi disciplinam nonnulla de causa se præmisisse insinuet, necnon ex iis quæ sequuntur, de condemnatione scilicet illius olim peculiaris populi Dei, cum ait : « Quorum adoptio est filiorum, » hoc est de primo per gratiam adoptati sunt a Deo in filios, qui specialiter ab eo dilecti innumerabilium beneficiorum exhibitione monstrantur. « Et gloria, » id est glorificatio in præsenti ex adoptione ista procedens, qua se et nunc in Ecclesia gentibus conversis præponere volebant. Unde autem adoptio vel glorificatio eorum maxime processerit, diligenter prosequitur, dicens eorum « esse testamentum, » et ad eos primitus, non ad gentes latum fuisse, sicut scriptum est[1] : « Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. » Ad hoc quidem illiud pertinet quod superius dixerat[2] : « Quid ergo amplius Judæo, etc. Multum per omnia. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei. » « Et obsequium, » id est publicum divini cultus officium, in tabernaculo vel in templo, et « promissa » munera tam de terra Chanaam possidenda et terrenis commodis, quam de spiritualibus etiam bonis per Christum ex eis nasciturum, sicut mox annectit dicens : « Quorum sunt patres secundum carnem » potius quam secundum fidei imitationem, illi ex quibus et ipse Christus est secundum carnem, ut pote ipsi patriarchæ Abraham, Isaac, et Jacob, quibus de Christo promissiones factæ sunt, quod in semine eorum scilicet benedicerentur omnes gentes. Quod vero dixerat « Patres Christi, » ne per hoc videretur Christus a patribus illis incœpisse, addit : « Qui est super omnia benedictus, » et laudandus et glorificandus « in secula, » id est per omnes temporum successiones ab ipso tanquam a divina sapientia optime ordinatas. « Amen, » id est verum est. Geminatio assertionis tam oris quam cordis professionem indicat, sicut et ibi, « Amen amen dico vobis. » Et, « sit sermo vester : Est, est : Non, non[3]. »

[1] *Psalm.* CXLVII, v. 20. — [2] *Rom.*, cap. III, v. 1. — [3] Matth., cap. V, v. 37.

LIBER QUARTUS.

« Non autem quod exciderit. » Diceret fortasse aliquis : Et quomodo promissa divina Israelitis facta sunt, quæ pro nequitia sua obtinere populus ille non potest, semper Deo rebellis existens, et jam ab ipso penitus reprobatus ? Ad hoc Apostolus, « Non ita, » inquit, promissa eis facta sunt, quod exciderit verbum ipsum promissionis, id est, quod sit cassa promissio, et nullatenus impleatur. Stare quippe, sive manere promissio dicitur, quæ impletur ; excidere autem e contrario. Tale superius animadverte. Cum enim quæsitum fuisset : « Quæ utilitas circumcisionis, » et responsum : « Multum per omnem modum. Primum quidem, etc.[1] » subjunctum est : Quid enim ? Si quidam illorum non crediderunt, nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit ? Ita igitur et hoc loco dicitur, quod promissio, ut dictum est, Israelitis facta non est cassata, si in quibusdam qui de genere Israel secundum carnem sunt, nequaquam sit completa. « Non enim omnes. » Soli quippe illi inter filios Israel computandi sunt, qui in cultu unius Dei permanentes fidem sui patris Israel, id est Jacob imitantur, sicut mox per simile in Abraham demonstrat dicens : « Neque qui semen sunt Abrahæ, » secundum carnem scilicet, omnes in filiis Abrahæ computantur. Quod statim testimonio ipso ex *Genesi* sumpto confirmat, dicente Domino ad Abraham, postquam Sara Agar ancillam expelli cum filio jusserat : « Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, quia in Isaac vocabitur tibi semen. » « Id est non qui. » Exponit Apostolus quod præmissum est : « In Isaac vocabitur tibi semen. » Filios carnis dicit, qui ex Patre Abraham solam carnis originem ducunt, non fidei sumunt exemplum. Cum autem dicendum videretur : Hi filii sunt Abrahæ, dicit potius Apostolus : « Hi filii sunt Dei, » ostendens videlicet non alios dicendos esse filios Abrahæ, nisi qui filii sunt Dei, id est qui fideles sunt. Abraham quidem fidem significat ; ideoque Abrahæ filii illi soli recte dicuntur quos sibi Dominus per fidem adoptat tam ex Judæis quam ex Gentibus, sicut et ipse superius meminit Apostolus, cum de Abraham loqueretur dicens[2] : « Ut sit pater credentium omnium, non his tantum qui sunt ex circumcisione, sed et his qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio. » « Sed qui filii sunt promissionis. » Filios promissionis dicit, qui ad fidelem Isaac pertinent, eum scilicet fide imitando, quoniam sci-

[1] *Rom.*, c. III, v. 1 et sq. — [2] *Rom.*, cap. IV, v. 12.

licet Abraham ex senili et sterili matre per solam promissionem Dei, non per naturam carnis generavit. « Æstimantur in semine, » videlicet Abrahæ, id est inter filios Abrahæ reputandi sunt. Quibus autem verbis promissio facta sit Abrahæ de futuro filio Isaac, supponit dicens : « Promissionis enim, etc. » Hæc sunt verba Angeli ad Abraham loquentis : « Secundum hoc tempus, » id est in tali tempore quale modo est, anno scilicet revoluto, « veniam, et erit Saræ filius, » id est per adventum, et operationem meam potius quam per naturam tunc Sara concipiet. Hæc autem sententia his verbis in *Genesi* est expressa[1] : « Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, et habebit Sara filium uxor tua. » Item infra[2] : « Visitavit Dominus Saram sicut promiserat, et implevit quod locutus est, concepitque, et peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat eis Dominus. » Ex quibus quidem verbis non satis liquet cum dicitur, « erit Saræ filius, » an de conceptu ejus sive partu sit intelligendum. Cum autem dicitur « in senectute sua, » patenter innuit quod dixit, filium hunc non tam esse carnis quam promissionis, id est non naturæ, sed gratiæ. Et licet dictum sit, « In Isaac vocabitur tibi semen, » non tamen in omnibus ex Isaac secundum carnem nascituris, cum ipse statim Esau reprobatus sit, et solus Jacob a Deo electus. Quod nunc prosequitur dicens : « Non solum autem illa, » id est Sara, subaudi promissionem habuit de prole a Deo, sed etiam Rebecca jam quidem habens in utero, antequam scilicet promissionem illam haberet, « habens » inquam in utero, « ex uno concubitu Isaac patris nostri » non tam per carnem quam per fidem. Et vere promissionem hanc eodem modo habuit, quam[3] istam de electione scilicet minoris filii, quod videlicet major serviret minori. Et hoc est, « Cum enim nondum nati essent, » illi videlicet quos ista habuit ex Isaac, « aut aliquid, » id est, nec aliquod adhuc meritum haberent ex bono vel malo opere suo. Potest quippe contingere ut more Hieremiæ vel Joannis Baptistæ in utero illuminati Deum cognoscerent, et jam eum diligendo vel non diligendo aliquid mererentur, ut[4]..... scilicet qui nondum aliquid promeruerant. « Maneret propositum Dei secundum electionem » ipsius in altero ipsorum, id est in Jacob, non in Esau, id est, secundum hoc quod Deus apud se proposuerat, et in altero providentia sua ab æterno disposuerat, maneret electio Jacob, id est, perseveraret immobilis ejus prædestinatio. « Non ex operibus, » id est, propter meritum aliquod operum ejus, qui electus est; sed tantum ex Deo « vocante eum, » id est, ex sola gratia ejus, qui eum per internam inspirationem postea ad se traxit.

« Dictum est ei, » id est Rebeccæ, quia « major, » id est Esau qui primogeni-

[1] *Genes.*, cap. XVIII, v. 10. — [2] *Genes.*, cap. XXI, v. 1 et 2. — [3] Amb. *Hanc quomodo habuit quia istam.* — [4]. Sic Amboes.

tus futurus erat, « serviet » posteriori fratri, id est Jacob. Quæ quidem servitus non tam in personis duorum fratrum quam in posteritatibus eorum accipienda est, id est, in populis qui ex ipsis nasciturі promittuntur, Domino ad Rebeccam dicente [1] : « Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori. » Si enim ad personas fratrum respicias, nunquam Esau deservisse, vel in aliquo subjectum extitisse Jacob reperies, imo magis Jacob semper Esau maxime timuisse, et ei se plurimum humiliasse. De populis autem planum est hoc accipi, cum etiam secundum præceptum legis interdictum sit Israelitis servos habere de populo suo, sed de gentibus tantum. Unde in *Levitico* scriptum est, cap. xxv [2] : « Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum, sed quasi mercenarius et colonus erit : usque ad annum Jubileum operabitur apud te, et postea egredietur cum liberis suis, et revertetur ad cognationem et possessionem patrum suorum. Mei enim sunt servi. Non veneant conditione servorum ; non affligas eum per potentiam. Servus et ancilla sint vobis de nationibus, hos habebitis famulos, et hereditario jure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum. » Vocante dico eum, « sicut scriptum est, » in Malachia scilicet Propheta, his quidem verbis [3] : « Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus, et dilexi Jacob, Esau autem odio habui, » id est hunc eligendo vocavi, illum autem respui. De quali quidem electione superius idem dicit Apostolus [4], « et quos vocavit hos et justificavit. »

« Quid ergo. » Congruam sumit Apostolus ex proxime dictis objectionem, quasi in accusationem et injuriam Dei, qui antequam aliquid Esau promereri posset, eum non prædestinando dignum odio suo judicavit, et quia alteri fratri dedit gratiam, qui similiter antea nil meruerat, ei subtraxit, qua ei subtracta constat eum bene agere non posse, atque ita non tam culpa Esau accidere videtur quod iniquus fuerit, quam ipsius Dei qui ei gratiam, qua bene operari posset, dare noluerit. Hujus autem objectionis ipsemet Apostolus postmodum solutionem ponit, ubi ait : « O homo tu quis es, etc., » usque illuc vero totum quod interpositum est, de objectione est. Continuatio. Quandoquidem Jacob electionem suam et vocationem non magis quam Esau ex meritis suis, sed ex arbitrio tantum vocantis obtinuit, neque Esau ex meritis antea suis illam amisit, quid diceremus, quid poterimus dicere, et ad hujusmodi objectionem respondere, quæ statim sequitur : « Numquid iniquitas est apud Deum, » id est qua ratione poterimus Deum a culpa defendere, atque astruere quod non sit reus iniquitatis, qui gratiam scilicet suam subtrahendo ei qui nondum meruit, eum reprobum fecit ? Sic enim

[1] *Genes.*, cap. xxv, v. 23. — [2] *Levit.*, cap. xxv, v. 39. — [3] Malach., cap. I, v. 2. — [4] *Rom.*, cap. VIII, v. 30.

dictum est : « Cum nondum nati fuissent aut aliquid boni, etc. » « Absit, » inquit statim Apostolus ex sua parte, ut videlicet ullo modo iniquitas credatur unquam in Deo esse. Sed prius quidem quam hoc ostendat quod propter objecta non sit Deus iniquus dicendus, ipsam adhuc objectionem more boni argumentatoris corroborat, ut quanto validior fuerit objectio, tanto difficilior ac mirabilior appareat postmodum solutio. « Moysi enim dicit[1]. » Ac si diceret : Bene quæsitum est ad propositam quæstionem, ut videlicet Deum a culpa defendere valeamus, et penitus ex ipsis quoque scripturæ testimoniis in talibus culpabilis atque inexcusabilis videtur Deus, cum habeat in potestate quibuscunque velit misericordiam impendere qua salventur, et sine ejus misericordia nemo salvari possit. Quod vero hanc habeat potestatem præmittit dicens : « Miserebor, etc. » Quod vero non nisi præveniente misericordia ejus quisquam salvari queat, statim adjungit dicens : « Igitur non volentis et currentis. » « Cujus misereor » prædestinando, antequam scilicet ullum sit hominis meritum, « miserebor, » postea vocando eum per internam inspirationem, et ei denique cujus miserebor vocando, « misericordiam præstabo, » in ipso scilicet supernæ vocationis bravio. Ergo, inquit Apostolus ex persona opponentis, subaudi, divinæ collatio misericordiæ, non est hominis quantumcumque eam « volentis neque currentis, » id est, quantumcumque festinantis atque nitentis ad eam obtinendam, sed tantum[2] « Dei miserentis, » id est, non est in potestate nostra eam accipere, sed in manu ejus eam dare, ut per hoc astruendum videatur neminem esse in culpa si ab ea sit alienus misericordia, nisi[3] eum qui largiri eam habuit nec voluit.

« Dicit enim. » Ostendit a contrariis quod miserentis est Dei quod homines salvantur : quod obdurantis est quod damnantur, sicut in Pharaone ex ipso Dei testimonio patet. Nec dicit tantum[4] obdurantis, sed quasi impellentis ad malum, cum ait : « Excitavi. » Et ut culpam Dei augeret, addit : « Ut ostendam in te, etc., » quasi ideo damnet alios Deus, ut se glorificet, et gloriam suam in morte aliorum quærat, quod iniquissimum videtur. « In hoc ipsum excitavi te, » id est ad affligendum populum vel persequendum, sive etiam me non exaudiendum, sicut scriptum est : « Indurabo cor Pharaonis. » « Excitavi te, » id est, resistendo tibi feci magis exardescere malitiam tuam contra me, ut, sicut scriptum est[5] : « Qui justus est amplius justificetur, » per quod quasi aurum in fornace tribulationis purgatur, « et qui in sordibus est amplius sordescat. » « Virtutem meam, » id est potentiam, tam in plagis scilicet Ægypti quam in submersione Ægyptiorum. « Ut per hoc annuntietur nomen meum, » id est dilatetur notitia potentiæ meæ ubique terrarum. Quod dicit « ut per hoc » magis effectivum esse quam causativum vide

[1] Amb. *Mors vero.* — [2] Amb. *Tamen.* — [3] Amb. *Non eum.* — [4] Amb. *Tamen.* — [5] *Apoc.*, cap. XXII, v. 11.

tur. Quomodo solet dici de aliquo : Exivit ut moreretur, id est exivit, et mortis consecutus est effectus : ita et hic dicitur : Excitavi te, ac per hoc postea ostendi in te virtutem meam, id est, in his quæ egi circa te et tuos.

« Ergo cujus vult. » Et ita apparet, inquit Apostolus, ex persona adhuc opponentis, quod cujus vult miseretur, et quem vult indurat, id est, pro velle ejus atque arbitrio potius quam pro meritis suis homines vel salvantur per ejus misericordiam, vel damnantur per ejus in peccatis suis indurationem, quam videlicet obdurationem ipse non miserando efficit, ut sic divino totum arbitrio de salvatione vel damnatione hominum tribuendum esse videatur. « Dicis itaque mihi, » inquit Apostolus ex propria persona, vel quorumlibet fidelium Deum in omnibus laudantium, id est, tu aliquis quicunque sis rationabiliter dicere videris et opponere, ut supradictis testimoniis et rationibus, id scilicet quod sequitur : « Quid adhuc queritur » Deus, id est, unde potest juste querimoniam ullam adversum nos movere, de offensis scilicet nostris, quia omnis videlicet culpa ejus sola vel maxime videtur accidere, cum, ut dictum est, quos vult induret, et, ut nunc dicitur, voluntati ejus nemo queat resistere. « Adhuc, » id est, post tam manifesta testimonia vel rationes in accusationem illius. « Voluntati ejus, » id est dispositioni, de qua scriptum est[1] : « Quæcunque voluit fecit. » Alio etiam modo dicitur Deus velle, non disponendo scilicet, sed consulendo nobis, ut faciamus per quæ salvemur, juxta illud[2] : « Quoties volui congregare, etc. » Et[3] « Qui vult omnes salvos fieri, » id est consulit ut faciant, etc.

« O homo tu. » Hoc loco Apostolus suprapositis objectionibus, quæ Deum penitus in culpam trahere videntur, ex sua parte respondet, easque sufficienter dissolvit congrua de figulo inducta similitudine. Dicit itaque quæstione quæstionem dissolvens et satisfaciens, o homo, id est carnalis et potius animalis quam spiritualis, qui hucusque in Deum invectus es, quasi eum de iniquitate arguendo, sicut ibi inceptum est : « Numquid iniquitas apud Deum? » et postea exemplis vel rationibus exaggeratum est. « Tu quis es, » inquam, « qui respondeas Deo, » id est qui justificas te, qui Deum modis supradictis accusas, ipsi responde ut teipsum defendas ab inconvenienti, si te ipse scilicet ita interroget, dicens : « Numquid dicit figmentum, » id est juste potest conqueri de figulo quod tale ipsum fecerit. « Figmentum, » id est vas de luto fictum, id est compositum. Fingere namque componere dicitur. « An non habet potestatem, » id est non licet figulo sine injuria aliqua quam vasi scilicet inferat, « aliud quidem vas facere in honorem, » id est, ad aliquod honorabile officium, « aliud in contumeliam, » id est ad aliquod vile et abjectum ministerium? Et hoc est, « Ex eadem massa terræ, » id est etiam si nulla

[1] *Psalm.* CXXXIV, v. 6. — [2] Luc. cap. XIII, v. 34. — [3] *I Tim.*, cap. II, v. 4.

sit hujus contumeliæ causa ex qualitate materiæ quæ est eadem. « Figulus luti, » id est formator humidæ et mollis terræ, non creator ipsius materiæ. Ex quo quidem apparet eum minus juris habere in opere suo quam Deus habeat in suo, qui non solum formator, sed etiam materiæ creator est. Quidquid ad proposita homo iste respondeat, quasi cornuto vulneratur stilo. Si enim respondeat quia non habet figulus hanc potestatem, penitus officium damnat figulorum, et utilitatem publicam, et commune commodum atque necessarium impudenter accusat. Sin autem quod manifestum est eligat, ut videlicet sine injuria aliqua quam vasis contumeliose inferat, ea faciat talia, liquet similiter, immo multo magis Deo licere quocunque modo voluerit creaturam suam tractare atque disponere, qui obnoxius nullo tenetur debito, antequam quidquam illa promereatur. Alioquin universa animalia ad laborem creata recte adversus eum murmurare et conqueri possent, quare ipsa scilicet tantum ad laborem et ad servitium hominum condiderit, cum hujusmodi afflictionem, quæ usque ad mortem perseverat, ipsa non meruerint. Quod si ad glorificationem sui, vel ad aliquam utilitatem hominum, hoc est ad laborem creata esse recte conceduntur, eadem profecto ratione concedendum est quibusdam merito Deum gratiam suam subtraxisse, nec eos ab iniquitate liberasse, cum nulla sit iniquitas qua Deus optime non utatur, et nihil accidere sine causa permittat, ipso etiam secularis sapientiæ judicio. Unde et Plato in *Timæo* suo : « Nihil fit, inquit, cujus ortum non legitima causa, et ratio præcedat. » Quis enim fidelium nesciat quam optime usus sit summa illa impietate Judæ, cujus execrabili proditione totius humani generis redemptionem est operatus ? Multo profecto utilius est operatus in nequitia Judæ quam in justitia Petri, et hujus opere malo quam illius bono longe melius usus est, non, inquam, quantum ad Judam pertinet, sed ad communem omnium utilitatem, quæ familiari semper est præponenda. Prædicatione quidem Petri et exemplo vitæ aliqui conversi sunt et salvati, sed illa Judæ traditio in salutem omnium conversa est, quæ a Patre quoque et Filio pariter facta est, sed intentione diversa. Ita etiam quantæcumque fiant malitiæ, divina dispositione optime ordinantur, et in omnibus quæ facit vel facere permittit, causas ipse novit, licet occultas nobis et ininvestigabiles, quia sic scilicet eum facere vel permittere conveniat. Alioquin quædam irrationabiliter faceret vel permitteret.

Recte autem quærendum arbitror, etsi injuriæ Deus argui non possit, quod aliquibus gratiam suam dare nolit : quomodo tamen iniquis hominibus quibus ipse gratiam dare noluit ut salvarentur, imputandum sit quod damnantur, ut videlicet sua culpa damnari dicantur. Aut si nulla eorum culpa est, quo merito suo ipsi damnari dicantur a Deo, qui unicuique reddit secundum opera ejus ? Sed quæ rursus culpa est hominis, si non salvetur, cui Deus gratiam per quam

salvaretur nunquam dare voluit, nec ipse sine illa potuit? Sed fortasse quis dicat, quod culpa ejus sit quod Deus gratiam ei illam dare noluerit, quam illi æqualiter obtulit sicut et justis, sed oblatam ipse accipere noluit. Ad quod respondeo, quod nec ipsum accipere sine gratia Dei potest esse. Quia quidem gratiam accipiendi oblatum donum cum Deus illi dare noluerit, nec ipse sine hac gratia queat illud accipere, falso id culpæ ejus ascribitur quod oblatam gratiam non accepit : veluti si medicus ad infirmum veniens potionem offerret qua curari ille posset, sed nequaquam infirmus ad suscipiendum medicamentum erigere se valeret, nisi ipse quoque medicus eum sublevaret : quæ est culpa infirmi si curationem oblatam non suscipit, aut quæ est commendatio medici in offerendo, si efficaciam medicaminis auferat non sublevando ? Dicimus itaque non esse necesse in singulis bonis operibus novam nobis gratiam a Deo impertiri, ut nequaquam scilicet bona operari vel velle possimus sine novo divinæ gratiæ præeunte dono, sed sæpe Deo æquale gratiæ suæ donum aliquibus distribuente, non eos tamen æqualiter operari contingit, immo sæpe eum minus operari qui plus gratiæ ad operandum susceperit. Ut enim de amore vel desiderio temporalium rerum evenit, ita de veris et æternis bonis accidit. Venit præpotens aliquis, et opes suas aliquibus egenis pariter exponit in mercede atque offert, si quod eis præcipit impleverint. Alius itaque ex eis desiderio ostensæ et promissæ sibi mercedis accensus, laborem operis arripit ac perficit. Alius autem cum piger sit ac magni laboris impatiens, tanto minus desiderio illo accenditur, quanto amplius laboris magnitudine deterretur, ac sæpe id evenit ut qui fortior est corpore, ignavior sit mente, et qui pauperior est pigrior existat. Quid est ergo quod cum æqualiter ostensæ sint et oblatæ pro mercede utrique divitiæ, alius desiderio earum accensus laborem tolerat ut ditetur, alius laborare negligit, et diutinam magis eligit paupertatem quam ad horam sustinere laborem ? Quid est hoc, quæso, nisi hujus probitas et illius ignavia? Quid amplius uni quam alteri dives ille fecit, qui utrisque pariter parem mercedem exhibuit et promisit ? In isto, inquies, tamen desiderium accendit, ut laboris eum patientem efficeret et consummatorem. Sed hoc, inquam, ex actione illa divitis consecutum est, non aliquid de ipsa actione est, id est non ejus aliqua pars est. Quod ergo impedimentum in altero habuit, quod similiter eum non permovit ? Nullum profecto ostendere poteris, nisi ejus ignaviam, qui laborem renuit. Sic et Deo nobis quotidie regnum cœlorum offerente, alius regni ipsius desiderio accensus in bonis perseverat operibus, alius in sua torpescit ignavia. Æque tamen Deus utrique offert illud, et quod suum est efficit, tantumque erga utrumque operatur, regni ipsius beatitudinem exponendo et promittendo, quod ad desiderium uniuscujusque accendendum sufficiat, absque nova alia gratia apposita. Quo enim ma-

jor esse merces cognoscitur, magis unumquemque naturaliter suo allicit desiderio, præsertim cum ad ipsam obtinendam sola sufficiat, multoque minori impensa vel sudore seu discrimine ab omnibus perveniri possit, quam ad acquisitionem terrenorum regnorum. Ad desiderium itaque nostrum in Deum accendendum, et ad regnum cœleste concupiscendum, quam præire gratiam necesse est, nisi ut beatitudo illa, ad quam nos invitat, et via qua pervenire possimus, exponatur atque tradatur? Hanc autem gratiam tam reprobis ipse quam electis pariter impertit, utrosque videlicet de hoc instruendo æqualiter, ut ex eadem fidei gratia, quam perceperunt, alius ad bona opera incitetur, alius per torporis sui negligentiam inexcusabilis reddatur. Hæc itaque fides quæ in isto per dilectionem operatur, in illo iners et segnis atque otiosa vacat, gratia Dei est quæ unumquemque electum prævenit, ut bene velle incipiat, ac rursus bonæ voluntatis exordium subsequitur, ut voluntas ipsa perseveret: nec necesse est ut per singula quæ quotidie nova succedunt opera, aliam Deus gratiam præter ipsam fidem exponat, qua videlicet credimus pro hoc quod facimus tantum nos præmium adepturos. Nam et negociatores seculi cum tot et tantos sustineant labores, una spe mercedis terrenæ, quam ab initio conceperunt, omnia tolerant, et cum diversa operentur, non diversa spe ad illa permoventur, sed una et eadem trahuntur.

« Quod si volens. » Ostendit Apostolus congrua similitudine inducta de figulo Deum nequaquam injuriæ argui posse, si aliquibus gratiam nolit dare, per quam salventur, sicuti Pharaoni vel Esau, de quibus objectio præcessit. Nunc vero ad ipsam Dei commendationem convertit hoc ipsum quod de eis actum est, ostendendo scilicet Deum multa patientia sua malitiam Pharaonis sustinuisse ut resipisceret, et cum illum incorrigibilem omnino monstrasset malitia ejus, vindicta ad communem aliorum utilitatem optime usum fuisse, ut videlicet populus ille liberatus, id est Judæus sive universus mundus hoc audiens, timore saltem pœnarum a malo coerceretur, et ad bonum invitaretur. Continuatio. Sicut ostensum est, non est arguendus injuriæ Deus, si quibuscunque velit gratiam suam non conferat, qua salventur. Neque tu homo, qui Deum primitus arguebas, habes quid ad eum respondeas de præsenti similitudine pulsatus; sed multo magis unde um laudes; cum in his etiam, in quibus tibi maxime crudelis videtur, ejus sit misericordia prædicanda. Et hoc est, « Quod si volens Deus ostendere iram. » Sed quid respondeas vel dicere poteris, cum ipse in hoc quod de Pharaone fecit « volens » ad alios impios deterrendos, « ostendere iram suam, » id est vindictam quam exercet in impiis, et potentiam suam in miraculis quæ fecit tam in plagis Ægypti quam in submersione Ægyptiorum, « sustinuit in multa patientia, » id est per multam suam patientiam « vasa iræ, » id est diu toleravit iniquos illos, cum ipsi penitus ab

eo deleri mererentur. Vasa iræ dicit eos, qui omnibus vitiis pleni sunt, quibus statim irascendum est. Et hoc est quod subdit determinans, « apta in interitum, » id est digna penitus deleri. « Sustinuit, inquam, » non sine causa, sed propter hoc ut secundum hoc quod abundat oppressionis malitia, abundaret in oppressis divinæ miserationis potentia, qua suos eruat ad glorificationem sui. « Divitias gloriæ, » id est excellentiam potentiæ suæ, qua glorificetur. « Vasa misericordiæ, » id est erga electos suos, quos misericorditer conservat, ne adversitatibus frangantur : bene vasa iræ et vasa misericordiæ dicit secundum propositam de vasis figuli similitudinem. Quæ scilicet vasa misericordiæ « præparavit in gloriam, » id est, prædestinavit ad æternæ vitæ beatitudinem, vel in gloriam suam, ut et ipsi eum laudando de misericordia percepta glorificent. « Quos et vocavit. » Juxta rei significationem, non præmissi nominis proprietatem, relativum nomen supponit dicens « quos, » masculino genere, non « quæ » neutro, cum tamen præmissum nomen quod est sit « vasa, » ad quod relatio sit neutri generis. Tale est et apud Virgilium mutatio generis secundum significationem, cum dicitur : « Præneste sub ipsa. » Quos scilicet et ipse vocavit, id est interna inspiratione ad se traxit, non per se ad eum venerunt, maxime et in istis quæ omnibus exhibuit, de Pharaone miraculis, sicut supradictum est, « ut annuntietur nomen meum in universa terra. » « Non solum ex Judæis » inquam vocavit eos, sed etiam « ex Gentibus, » cum videlicet audissent Gentiles quantum manum in Pharaonem exercuisset, sicut et Rahab receptis exploratoribus confitetur[1]. « Sicut in Osee, » id est, per Osee Prophetam dicit ipse, scilicet Dominus. De vocatione Gentium primo testimonium inducit, præterea de Judæorum ibi : « Isaias autem, etc. » « Vocabo, » id est Gentiles, qui prius mihi subjecti nullatenus erant, timore terribilium mihi subjugabo, quia initium sapientiæ timor Domini, sed consummatio caritas, cum de servis fiunt amici, sicut et mox adjungit dicens : « Et non dilectam dilectam, » id est, postmodum eos de servis in amicos transferam, sicut scriptum est[2] : « Jam non dicam vos servos, etc. » Vocabo, id est veraciter vocari faciam, « et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. » Multo plus est filium fieri quam misericordiam consequi. Illud quippe inchoationis est, hoc est perfectionis. Misericordiam consequimur cum nos Deo vocante, et nisi convertamur comminante, ad ipsum convertimur, ne ab ipso puniamur. Filii vero efficimur cum jam perfecta caritas foras mittit hunc timorem. Duobus itaque præmissis, duo hæc sigillatim referuntur, quasi confirmatio et expositio præmissorum. « In loco, » id est in terra Gentilium, ubi nec plebs mea primitus erat, hoc est nec etiam per timorem mihi subjecti « filii, » id est filiali

[1] Josue, cap. III, v. 6. — [2] Joan., cap. XV, v. 15.

reverentia servientes. « Dei vivi » dicit ad differentiam Deorum, quos scilicet antea gentilitas vario delusa errore, vel ex insensatis rebus, vel ex mortuis hominibus constituerat.

« Isaias autem. » Supradictam vocationem Gentium Osee prophetæ significat[1] Isaias aperte de futura conversione Judæorum. « Si fuerit. » Quamvis innumerabiles fuerint Judæi in sua sterilitate, id est, infidelitate perseverantes. « Sicut arena maris » quæ innumerabilis est et sterilis. « Tamen reliqui eorum salvabuntur. » Quos videlicet sibi Dominus reliquit, alios a gratia sua repellens atque abjiciens a se. Vel reliquias dicit populi simplices et idiotas, qui abjecti sunt inter eos, sicut Apostoli fuerunt, et multi de turba Christo adhærentes, sicut et ipsi profitentur impii dicentes[2] : « Numquid aliqui ex principibus crediderunt in eum? Sed turba hæc quæ non novit legem, etc. » Quia vero aliquis quæreret cujus prædicatione ista vocatio fiat utriusque populi, respondet prædicatione scilicet propria ipsius Domini incarnati. Et hoc est, « Quod faciet Dominus » per semetipsum « verbum breviatum super terram, » id est prædicationem compendiosam; scilicet quod dicitur sapienter paucis innotescit verbis. « Super terram, » id est, quæ superet omnem terrenæ, id est humanæ sapientiæ doctrinam, sicut et magnus ille Domini Joannes profitetur dicens[3] : « Qui de terra est, de terra loquitur, etc. » Quomodo autem superemineat hæc doctrina cæteris omnibus, præmittit dicens, quia « verbum consummans et abbrevians » videlicet faciet. Consummare est perficere, quando videlicet id quod inchoatum est ad perfectionem ducitur. Evangelica itaque prædicatio, quam per semetipsum Dominus attulit, ædificationem necessariam in veteri lege inchoatam consummavit, id est perfecit, addendo scilicet quæ ad plenitudinem justitiæ deerant, sicut ipsemet profitetur dicens[4] : « Nisi abundaverit justitia vestra, etc. » « Consummans in æquitate, » id est, supplens quod de æquitate minus fuerat, id est, quod de perfectione justitiæ atque virtutum defuerat. Et prætermissis innumeris observantiis carnalibus, abbrevians scilicet in duobus præceptis caritatis ipsam æquitatem, ubi videlicet diviti illi, qui de salute animæ suæ consuluerat eum, respondit[5] : « Hoc fac et vives. In his enim duobus mandatis tota lex pendet et Prophetæ. » Possumus etiam dicere quantum ad multitudinem verborum in novo testamento, quod vetus præceperit abreviatum, quia pauca sunt quæ in monte Dominus, cum novum traderet testamentum, Apostolis dixit, ad comparationem eorum quæ per Moysem præcepit : et parva sunt quatuor Evangeliorum volumina ad comparationem quinque librorum Moysis. Magna itaque est Evangelii commendatio, ut et

[1] Sic locum restituimus. Amboes. *Scilicet ita* pro *Significat*. — [2] Joan., cap. VII, v. 48. — [3] Joan., cap. III, v. 31. — [4] Matth., cap. V, v. 20. — [5] Luc., cap. X, v. 25.

in sententia sit perfectius, et in verbis brevius. « Et sicut prædixit idem Isaias, nisi Dominus sabaoth, » id est exercituum, qui adversum regnum diaboli suos quotidie dirigit bellatores, sicut scriptum est : « Terribilis ut castrorum acies ordinata[1]. » « Reliquisset nobis semen, » id est cum pro culpa sua nostrum populum, id est Judaicum excæcaret et a gratia sua removeret, et quasi ab arca sua corruptam annonam projiceret, retinuissetque sibi aliquos tanquam semen, sicut Apostolos et cæteros Ecclesiæ primitivæ fideles. « Sicut Sodoma fuissemus et sicut Gomorra. » Ubi pariter cum prole sua parentes sunt exterminati, ut nec semen relinquerent. In semine conservatur utilitas prioris annonæ, et antiqua reviviscunt et renovantur, et ex paucis multa procreantur. Sic in Apostolis et cæteris primitivæ Ecclesiæ membris præcedentium patrum utilitas est recompensata, et revixit religio, magnaque inibi divinæ messis per universum mundum pullulavit utilitas. « Quid ergo. » Quandoquidem non dilectam fecit dilectam, et nunc e converso videmus dilectam factam non dilectam, id est electo populo gentili totum fere Israel reprobatum esse, qua causa id accidisse dicemus, de reprobatione videlicet populi sui ? Et hoc est, quid dicemus super hoc, scilicet quod gentiles, qui primitus non noverant justitiam, id est fidem quæ ad justitiam perducit, nunc apprehendunt justitiam, illam scilicet veram animi justitiam quæ ex fide est, non quæ in exterioribus consistit operibus. « Israel vero, » id est populus Judæorum, « sectando legem justitiæ, » id est exercendo auctoritatem corporalis vindictæ, « non pervenit in legem, » id est, non recepit perfectam Evangelii doctrinam, quæ sola justificat. Quare hoc, inquit ? quia non apprehendit, subaudi justitiam, quæ ex fide est, sed quasi justitiam non vere justitiam, quæ ex operibus, id est, legis litteram occidentem sequens in exterioribus et carnalibus observantiis, spirituali et mystica intelligentia quæ ex fide Christi ædificat, non est justificatus, et justificatus sicut scriptum est : « Justus ex fide vivit. » Et hoc ideo quia « offenderunt in lapidem offensionis, » id est, per Christum scandalizati sunt, quem propter humanæ naturæ infirmitatem Deum minime crediderunt. Solent pedes impingere atque offendi in parvis lapidibus, qui præ parvitate sua vix adverti possunt. Sic et Christus pro parvitate suæ humilitatis quam mundo exhibuit, a Judæis contemptus, lapis ejus offensionis factus est, ut in eum Judæi non credentes, ad ea quæ diceret indignarentur. « Sicut scriptum est » in ipso videlicet Isaia. « Ecce pono. » Verba Patris sunt et promissio de Filio suo mittendo. « Ecce pono, » id est jam apud me ponendum delibero, in Ecclesia humile fundamentum, sed forte, id est Verbum incarnatum. Quia enim lapis est, forte : quia offensionis, humile, et ab offendentibus in eum conculcandum. « Omnis »

[1] *Cant.* c. VI, v. 3.

sive Judæus sive Gentilis. « In eum » non ei tamen, vel eum. « Non confundetur, » id est non erubescet frustratus sua spe. Ideo dicit lapidem offensionis, et petram scandali, et hoc in Prophetis frequenter evenit, ut in eadem sententia varientur verba. « Sion. » In speculo dicitur Ecclesia, quæ in altum se per desiderium attollens omnem suam sollicite quam habet actionem circumspicit, ne supernum ejus impediat desiderium.

« Fratres. » Ne videretur Apostolus qui a Judæis recesserat, ex aliquo odio magis quam ex studio corrigendi eos vituperasse, ostendit in effectu quantum caritatis affectum in eos et compassionem habeat, dicens se intente pro salute eorum Deum exorare. Cum enim dicit, «Voluntas cordis et obsecratio, » ex devotione cordis orationem procedere demonstrat, et magis eam in devotione quam in verbis consistere. Ac si dicat : Licet sic eos vituperem, tamen, o vos fratres, orare pro illis ut salventur non desisto. Unde et Ecclesia singulis annis specialem pro Judæis orationem habet, ut Deus auferat velamen a cordibus eorum, et agnita veritate quæ Christus est, ad ipsum convertantur. Fratres eos quibus scribit Apostolus, dicit, secundum quod Veritas ait[1] : «Unus est enim pater vester qui in cœlis est, » ut ejus correptionem quasi a fratre et compare, non superiore, libentius susciperent. Unde hæc et in Ecclesia inolevit consuetudo, ut in exordiis lectionum, quæ de Epistolis Apostolicis sumuntur, « fratres » prænuncietur. Quia autem pro Judæis orandum est, vel eorum maxime errori sit compatiendum, supponit dicens : « Testimonium enim perhibeo » ex me ipso qui olim similiter faciebam. « Æmulatio est non secundum scientiam. » Id est zelum habent in Deum non rationabilem nec bonum, quia erroneum, putantes scilicet quod non est, juxta illud Veritatis[2] : « Venit hora ut omnis qui interfecit vos arbitretur obsequium se præstare Deo, et hæc facient, quia non noverunt Patrem, neque me. » Zelus sive bonus sive malus dicitur fervor quilibet atque commotio accensi animi ad aliquid gerendum. Quomodo autem non secundum scientiam statim adjungit, dicens : « Ignorantes enim » quæ Deus approbat, « justitiam » quæ est videlicet ex fide Christi, « et suam, » id est quam ipsi pro justitia reputant et approbant, in observantiis scilicet carnalibus, « volentes statuere, » id est immobilem conservari, « justitiæ Dei, » id est illis Dei præceptis quæ obedientes justificant, « non sunt subjecti, » id est obedientes; quale est illud[3] : « Creditis in Deum? et in me credite. » « Finis enim. » Vere ignorantes Dei justitiam, quia fidem Christi non habent, qua unusquisque fidelis justificatur. Quod vero ex fide Christi quisque justificetur, et non ex sua justitia, legalium scilicet operum, sic dicit, quia « omni credenti, » id est unicuique

[1] Matth., cap. XXIII, v. 9. — [2] Joann., cap. XVI, v. 2. — [3] Joann., cap. XIV, v. 1.

fideli, « Christus, » id est fides Christi, « ad justitiam, » id est ad hoc ut per eam justificetur, vel finis legis, id est legalium operum. Qui autem[1] in illis operibus spem salutis constituunt, Christus eis non proderit. Unde et *ad Galatas* dicit[2] : « Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. » Et per semetipsum Christus dicit[3] : « Usque ad Joannem lex et Prophetæ. »

« Moyses enim. » Ostendit ipsius legislatoris Moysis testimoniis ex justitia legis impleta, in operibus scilicet illis carnalibus, neminem assequi vitam æternam, nec fuisse promissam, sed potius ex fide Christi. « Justitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo, » id est legalia opera impleverit, « vivet » super terram scilicet, « in ea, » id est propter ipsius legis observantiam vitæ hujus bonis fruetur, non æternæ. « Quæ autem ex fide est, » id est quoniam fides de non apparentibus est, vitam illam æternam quæ in Christo abscondita est, potius promittit, quam præsentem; et invisibilia potius, quam visibilia bona. Et hæc est illa justitia quæ ex fide est Christi, id est ipsa fides in Christum habita nos justificans. Sic loquitur ibidem, scilicet in *Deuteronomio*, per ipsum Moysem qui per eam vere justus erat, nos corroborans, ut in nullis deficiamus vel desperemus adversis. Hoc est, ipse ex illa justitia quam jam habebat, sicut dicit : « Ne dixeris in corde tuo, » id est ne cogites, tu homo quicunque, vel tu, popule Israel : « Quis ascendet in cœlum? » id est ne desperes de vita illa cœlesti, in qua fides Christi consistit, et cujus nos promissione maxime Christus allicit, quasi ad vitam illam conscendere humana minime possit natura, quia hoc esset, inquit Apostolus, ex sua parte Christum ipsum ab illa vita deducere, id est credere nec ipsum illuc ascendisse, in humana quam assumpsit natura. « Aut quis descendet in abyssum? » id est usque ad ipsum etiam infernum, ut quos videlicet non liberavit ad cœlestia secum perducat, quia hoc esset « Christum a mortuis revocare, » hoc est credendo reducere Christum sive retrahere ab illo descensu, quo fideles suos mortuos ab inferno liberavit et secum ad cœlestia transtulit. « Sed quid dicunt? » Id est, inquit Apostolus, attende quod ibidem subjunctum est ab ipso Moyse, hoc videlicet : « Prope est verbum, etc., » id est facile est te in Christo hoc profiteri completum vel credere, de assensu scilicet hominis ad cœlestia, et descensu hominis ad inferna. Ideo facile quia rationi non est adversum, sed maxime congruum divinæ clementiæ, hoc est, inquit Apostolus, « verbum fidei, » id est verbum de eo quod fides habet, et de eo quod creditum fideles facit. Quod verbum scilicet nos Apostoli prædicare missi sumus. Et merito, quia in hujus verbi confessione et fide salus nostra consistit.

[1] Sic locus restituendus esse videtur. Amb. *Quæ gaudium* pro *Qui autem*. — [2] *Galat.*, cap. v, v. 2. — [3] Luc., cap. xvi, v. 16.

« Et hoc est, » quia si tu quicunque sis, « confitearis. » Ore suo confitetur, qui quod enunciat intelligit. Corde suo credit qui cor et voluntatem suam applicat his quæ credit, ut ipsa videlicet fides eum ad opera trahat : veluti cum quis credendo Christum a mortuis resurrexisse, in vitam æternam satagit, prout potest, ut vestigia ejus sequendo, ad ejusdem vitæ beatitudinem perveniat. Notandum vero frequenter evenire, quod cum de veteri testamento aliqua in novo testimonia inducuntur, facile est inducta testimonia applicari ad id confirmandum ad quod inducta sunt, si per seipsa considerentur. Si vero loci illius unde sumpta sunt, circumstantias simul attendamus, et quomodo superiora scripturæ vel inferiora ei quod inde sumptum est cohærere queant, plurimum nostra angustatur intelligentia. Quod in hoc quoque ipso, quod nunc expositum est, contingit testimonio. Quod ut diligentius intueamur, ipsius Scripturæ verba latius replicemus. Scriptum est enim in *Deuteronomio* cap. XXX, cum post legem datam Moyses ad observantiam legis populum exhortaretur his verbis[1] : « Mandatum hoc quod ego tibi præcipio hodie, non supra te est neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere : Quis nostrum valet conscendere ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere impleamus? Neque trans mare positum, ut causeris et dicas : Quis ex nobis transfretare poterit mare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere quod præceptum est ? » Item cap. XXX[2] : « Sed juxta te est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum. » Ecce ex his verbis, si ea juxta litteram sequamur, hoc totum Judæos admonere videtur, ut non conquerantur de difficili intelligentia legis, quasi per ænigma aliquid obscure sit dictum, sed omnia ita aperte præcipi, ut per se queant intelligi, nec aliquam habere excusationem si præceptis differant obedire, quia ea non valeant intelligere. Sed quoniam Apostolum legis peritissimum maxime nos sequi convenit, oportet nos juxta ejus sensum ad fidem Christi quæ dicta sunt accommodare. Sciens itaque Moyses legem ipsam, quam dederat, mysticis et obscuris sensibus esse plenam, qui non nisi per adventum Christi, et ascensionem ejus aperiendi essent, sicut scriptum est[3] : « Et incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur eis scripturas; » et sicut ipse dicit[4] : « Nisi ego abiero, etc. » Et iterum[5] : « Paracletus autem, etc.; » admonet populum ne desperet de spirituali illa legis intelligentia tanquam aperienda, quasi non esset mundus habiturus qui de cœlo veniret, ut sensum Dei quem in lege habuerat aperiret, quia revera Filius Dei de cœlo venturus erat, et iterum ascensurus ut hanc mundo intelligentiam ministraret, tam per seipsum quam

[1] *Deuter.*, cap. XXX, v. 11. — [2] *Ibid.*, v. 14. — [3] Luc., cap. XXIV, v. 27. — [4] Joan., cap. XVI, v. 7. — [5] Joan., cap. XIV, v. 26.

per Spiritum sanctum, post ascensionem ad hoc ipsum mittendum. Notandum vero hoc quod adjunxit Apostolus : « Aut quis descendet in abyssum, » nequaquam in suprapositis Moysi verbis contineri, sed pro hoc ibi esse dictum : « Neque trans mare positum, etc. » Hæc itaque verba, vel ipse Apostolus sensum prosecutus adjunxit, vel forte juxta aliam, qua nunc utimur, translationem, ea tantum collegit quæ congruere propositæ sententiæ vidit. Potest quippe quod dicitur, « non est trans mare positum, » ita intelligi ut non sit in abysso, id est in inferno locatum : ut videlicet propter ipsum, illuc oporteat aliquem descendere, et mare hujus seculi ut ad illud profundum inferni perveniat penetrare, ut tale sit ultra mare. Ac si dicatur, deorsum post mare, id est in illa ulteriori amaritudine inferni, post miseriam præsentis vitæ.

« Corde enim. » Bene dixi, confitearis et credas, quia utrumque necessarium est, quia corde creditur ad hoc ut justificetur ipse qui credit, quia sine fide impossibile est Deo placere. Et postea confessio fit de hoc ipso quod credit, ut Ecclesiæ fidelis aggregetur, et sacramenta ejus participet. « Dicit enim scriptura, » ut superius in Isaia comprehensum est. « Non enim. » Dixi omnes, sive scilicet Judæos sive Gentiles, et merito quia ad hanc obtinendam salutem nihil refert diversitas populorum, dummodo una sit fides, quia in eum credimus potius quam ei vel eum, ut supra meminimus. « Dives in omnes, » id est sufficiens veris omnes ditare divitiis, « qui invocant, » non qui vocant. Vocatio quippe exteriorum sonus est verborum, de qua dicitur[1] : « Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum. » Invocatio vero est interior clamor, id est devotio animi ad Deum suspirantis, de qua Moysi dicitur[2] : « Quid clamas ad me? » « Omnis enim, » ab auctoritate Isaiæ, « nomen Domini, » id est notitiam ejus et manifestationem devotione postulat, de qua dicitur[3] : « Et manifestabo ei meipsum. » Et Psalmista[4] : « Satiabor, » inquit, « cum apparuerit gloria tua. » « Quomodo ergo. » Suum et aliorum Apostolorum officium commendat, ostendendo scilicet quam necessaria sit eorum prædicatio, ut credant homines et salventur. Continuatio. Quandoquidem qui invocaverit salvabitur, ergo invocandus est hominibus, ut salventur. « Sed in quem nondum crediderunt, » ergo quomodo invocabunt? « Quomodo credent ei? » Ac si aperte dicat, nullo modo. « Ei » id est non solum in eum, sed nec ei, id est præceptis vel admonitionibus ejus. « Quem non audierunt, » neque per seipsum prædicantem, neque per alium qui eum prædicaret. « Quomodo autem audient, sine prædicante, » vel ipso vel alio. « Aut quomodo prædicabunt » aliqui, « nisi mittantur, » sicut ipse Filius a Patre, et Apostoli ab ipso Filio, ita eis dicente[5] : « Sicut misit me Pater,

[1] Matth., cap. VII, v. 21.—[2] *Exod.*, cap. XIV, v. 15.—[3] Joan., cap. XIV, v. 21.—[4] *Psalm.* XVI, v. 15.—[5] Joann. cap. XX, v. 21.

et ego mitto vos. » Hic pseudo tangit Apostolos, qui non missi a Deo per sepsos ad prædicandum veniunt, de quibus ipsa Veritas[1] : « Omnes, inquit, quotquot venerunt, fures sunt et latrones, sicut scriptum est. » Origenes : « Exemplum hoc de Isaia videtur assumptum. » Ambrosius : « Hoc propheta dicit Nahum : « Apostolorum pedes speciosi fuerunt, » quia affectus eorum a contagio terrenæ cupiditatis mundi exstiterunt et puri in Deo, non quæ sua sunt de prædicatione quærentium, sed quæ Jesu Christi, nec ventri, sed Deo servientium. » Unde et bene eorum pedes a Domino abluti sunt, quos etiam propter hanc mysticam eorum speciositatem, calceamentis abscondi prohibuit, quia deforme est quod occultatur, et ubi male agitur lux absconditur. » « Evangelizantium pacem, » id est prædicantium atque docentium reconciliationem ad Deum. In quo etiam mysterio omni domui quam intrarent dicere præcipiuntur : Pax huic domui. « Bona, » scilicet vera, quæ nec oculus vidit, etc. In hac quidem vita pacem hanc et reconciliationem ad Deum per pœnitentiam jam assequimur, sicut scriptum est[2] : « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. » Bona vero illa postmodum in futura vita. Unde bene præmisit pacem, et postea bona. « Evangelio, » id est divinæ prædicationi.

« Quis credidit, » id est quis per hoc quod a nobis audivit, fidem habuit? Ac si diceret : Nulli vel pauci. « Ergo, » id est ex isto testimonio apparet, quod « fides habetur ex auditu, per verbum Christi » potius quam nostrum, quia non ex nobis loquimur, sed ex eo quod nos ipse docuit, ut ad ipsius gloriam vel offensam specialiter spectet quidquid de prædicatione nostra accidat. « Numquid non. » Id est potest se aliqua mundi pars excusare de infidelitate sua per ignorantiam, quasi ad omnes non venerit vel ventura sit Evangelica prædicatio ? Ac si diceret : Nequaquam. Quod statim testimonio Psalmistæ convincit, dicens : « Et quidem in omnem terram exivit, » licet non omnes obediant, « sonus eorum, » id est fama Apostolorum sive prædicatorum Evangelii, « et usque in fines orbis terræ verba » per quæ prædicabant. Dixi « in fines, » id est ad externas etiam partes mundi, quas incoli certum est a Gentilibus. Sed numquid ideo non cognoverunt Judæi, quod scilicet prædicatio transivit tam longe ad Gentes? id est numquid ideo se possunt excusare, quasi eis non fuerit oblata prædicatio, et hoc prædicantium culpæ imputare? Nec dicit tantum : Non audivit, sed etiam : Non cognovit, id est non advertit ipsius prædicationis veritatem. Ac si diceret : Revera fecit, licet malitiæ et invidiæ, seu terrenæ cupiditatis zelo resisteret. Unde et peccatum ejus irremissibile in Spiritum sanctum persistit. Et hoc ipsius Moysis testimonio astruit, qui sicut primus Prophetarum scripserit, ita et primus

[1] Joan., cap. x, v. 8. — [2] Zach., cap. i, v. 3.

hanc eorum malitiam scripto etiam prophetavit. « Ego, » verba sunt Dei, « ad æmulationem, » id est per me ipsum prædicando dicit Filius Dei : « Adducam vos » in invidiam et odium tam meipsius quam meorum. Cum autem invidia sit odium alieni boni, monstratur profecto eos scienter in Christum deliquisse. « In non gentem mittam vos per insipientem gentem, » id est per dispersionem vestram faciendam ab infidelibus Romanis, faciam vos non esse populum. Non enim recte populus vel gens dicitur, nisi hominum congregatio. « In iram vos mittam » aliorum hominum etiam dispersos, ut duris exactionibus vos semper opprimant atque affligant. « Isaias autem. » Non solum Moyses, sed etiam Isaias patenter de reprobatione eorum et electione Gentium sic audet dicere, etsi se ab eis occidendum prævideret. « A non quærentibus me » dicit Dominus, id est a Gentilibus. « Palam » quia multo amplius Ecclesia de Deo quam Synagoga erudita est. « Non interrogabant, » id est nihil etiam a me requirere noverant, quem penitus ignorabant. « Ad Israel autem, » id est Judæos, tota die, id est toto tempore prædicationis meæ, quæ vere dies et illuminatio mundi est dicenda, « expandi manus meas, » id est ad eos colligendos ultroneum me obtuli, per manus, id est opera eis quotidie exhibita, a via scilicet Gentium penitus declinans, ut eis omnino vacarem. « Sed contradicentem, » quod pejus est modis omnibus, me calumniantem.

« Dico ergo. » Quia tot auctoritatibus confutaverat Judæos et novissime Gentium electionem et eorum reprobationem manifeste prophetatam docuerat, ne hinc maxime occasionem gloriandi adversus Judæos Gentiles in sua altercatione præsumerent, quasi intelligentes populum illum penitus esse reprobatum : incipit etiam Gentilibus hanc gloriationem et Judæis desperationem auferre, et jam ad invectionem Gentilium redit, ut eorum quoque superbiam conterat. Continuatio. Quandoquidem tam manifestis testimoniis reprobatio Judæorum confirmata est, dico, id est arbitror, quærendum quod sequitur et solvendum. « Populum suum, » id est Judæos ex toto repulit, ut nullum inde ulterius assumat. « Israelita, » id est videns, non proselytus, et de genere Abraham, non Ismael vel Esau, descendens ; sed per Benjamin, nec de generatione maledicti Saul, cujus reprobata est a regno posteritas. « Plebem suam quam præscivit, » id est illos quos de populo illo quondam, scilicet peculiari suo prædestinavit. « In Helia, » id est ubi de Helia loquitur in libro *Regum*[1]. « Quemadmodum » scilicet ipse Helias, « interpellat Deum adversum Israel, » id est orando vel conquerendo provocat Deum ad vindictam in nequitia persequentium se Judæorum. « Occiderunt » subaudi Jesabel, « suffoderunt, » id est a fundamento penitus

[1] *Reg.* III, cap. XIX, v. 11.

everterunt, ut idola tantum colerentur. « Sed quid dicit? » id est putavit ita se solum remansisse, sed ipsius Dei testimonio errare comprobatur. « Reliqui mihi, » id est non abjeci a gratia mea. « Baal, » id est idolum Baal et Jesabel. « Sic ergo. » Quandoquidem de Helia exemplum induximus, ad quid inductum sit assignemus. Et hoc est quod dicit, sic etiam nunc, « reliquiæ, » id est illi quos non abjecit Dominus, « secundum electionem gratiæ Dei, » non merita ipsorum. « Si autem gratia, » id est per gratiam, subaudi salvæ factæ sunt, « jam non ex operibus, » id est ex meritis suis. Non dicit per merita, sed ex meritis, quia et gratia Dei merita Pauli et aliorum non excludit. Sed ex meritis esset, non ex gratia, si a meritis nostris procederet, nec gratia Dei præiret, quæ fidem saltem inspiraret, vel prædicatores dirigeret. « Alioquin, » id est si aliter, id est contrario modo quam dico evenisset, id quod modo est gratia, id est gratis collatum, non prævenientibus meritis nostris, gratia Dei « non esset gratia, » sed meritum solum. Convenienter ab Helia similitudinem ad tempus nostrum Apostolus induxit et convenienti exemplo temerarium judicium Gentium confutare incipit, cum etiam tantum virum de consimili præsumptione a Domino viderint reprehensum. Scimus Joannem Baptistam quasi alterum Heliam primum Domini adventum præcessisse, et populum Judæorum, quasi de eorum desperaret salute, graviter arguisse his verbis[1] : « Genimina viperarum, etc. » ut in hoc quoque tempore gratiæ de quo scriptum est, « usque ad Joannem lex et Prophetæ, » ea quæ nunc de Helia dicta sunt consonare videantur.

« Quid ergo. » Quandoquidem ex electione gratiæ Dei potius quam ex meritis suis, reliquiæ tantum Israel salvæ vel salvatæ factæ sunt, igitur quid, subaudi dicendum, sit patet, hoc scilicet quod sequitur quia « quod quærebat Israel, » id est requirebat a Deo quasi suum, et per opera sibi debitum, « non est consecutus, » vitam scilicet æternam, vel æternam hæreditatem. « Electio vero, » id est Pauli et eorum qui de populo illo per gratiam Dei electi sunt, quod quærebat, id est vitam æternam, « consecuta est : cæteri vero excæcati sunt » non solum non assecuti quod quærebant, sed ne ulterius credant penitus reprobati. « Sicut scriptum est[2] : Dedit illis spiritum compunctionis. » Origenes : « Ubi scriptum sit : « Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures « ut non audiant » usque in hanc diem hactenus invenire non potui : puto autem hoc modo dixisse Apostolum[3] : « Cæteri vero excæcati sunt, et sicut scriptum « est de illis, dedit eis spiritum compunctionis, » secundum ea quæ de cæcitate oculorum et de auditu aurium per Isaiam dicta sunt[4] : « Auditu audietis et non

[1] Matth., cap. XXIII, v. 33. — [2] Isai., cap. VI, v. 9. — [3] *Rom.*, cap. XI, v. 7. — [4] Isai., cap. VI, v. 9; Matth., cap. XIII, v. 14.

intelligetis, et videntes videbitis et non videbitis. Incrassatum est enim cor populi hujus, etc. » Nunc ergo sensum Isaiæ videtur Apostolus suis sermonibus protulisse. Similiter et de his faciendum quæ de David scriptura pronunciat : « Fiat mensa eorum, etc. » « Spiritum compunctionis, etc. » id est invidiæ et odii, quibus eorum mentes pungerentur, id est stimularentur adversus Christum et suos. « Oculos, » id est rationem per se videre non valentem, « et aures, » id est non alio docente intelligentes. « Fiat mensa eorum. » Quod ex Isaia vel ex David[1] videtur assumptum, in utroque unus sensus quodammodo exponitur. » Item : « Idem quod dixit « in captionem, » in Psalmo non habetur scriptum, neque in LXX, neque in Hebræo. Et rursum in Psalmo habetur « coram ipsis; » Apostolus autem non posuit « coram ipsis. » « Mensa eorum coram illis, » id est scriptura veteris Testamenti eis tradita, et ab eis frequentata, unde cibum animæ intelligentes sumunt, « in laqueum et in captionem, » id est ut laqueum, quo ipsi non alios capiant, sed capiantur et detineantur, ne via veritatis incedant, quæ ait[2] : « Ego sum via, veritas, et vita, » dum scilicet nihil ibi mystice accipiant, sed ad litteram quæ occidit, cuncta exponant, vel « in captionem, » dum sæpe Domino vel sanctis Doctoribus confligentibus cum eis, his quæ de scriptura eis objiciuntur testimonia ita capiuntur et constringuntur, ut se expedire ab objectis non valeant. Quale est illud quod Dominus eis opposuit dicens[3] : « Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, etc. » « In scandalum et in retributionem » hoc est in retributionem scandali animæ suæ, id est damnationis, non salutis, secundum[4] verbum Domini, quo ait[5] : « Est qui accuset vos Moyses, » et secundum quod Apostolus dicit[6] : « Et qui in lege peccaverint per legem judicabuntur. » Scandalum etiam lex eis facta est, offensæ et indignationis causa, cum multa Christum et suos vel dicere vel facere viderent, quæ legi contraria crederent. Unde illud est quod dixerunt[7] : « Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum. » « Obscurentur. » Unde scandalum hoc procedat vel illaqueatio, supponit, ex excæcatione scilicet ipsorum, et cupiditate terrenorum, quæ semper in Judæis maxima regnat. « Incurva. » Verbum est imperativum, ac si dicatur : Tu Deus, incurva dorsum eorum, ut cupiditate appetendi terrena, non erigantur ad cœlestia. Notandum vero hujusmodi verba quæ imprecationis videntur cum a sanctis dicantur, magis ad propheticam enunciationem quam ad desiderium vindictæ pertinere, ut videlicet cum dicitur : Fiat, tale sit ac si prædiceretur. Sicut enim quandoque futuro indicativi modi verbi

[1] *Psalm.* LXVIII, v. 23. — [2] Joan., cap. XIV, v. 6. — [3] Matth., cap. XXII, v. 43. — [4] Male Amb. *Non salutis. Sed verbum Domini.* — [5] Joan., cap. V, v. 45. — [6] *Rom.*, cap. II, v. 12. — [7] Joan., cap. XII, v. 34.

imperative utitur scriptura, ut « diliges Dominum » pro dilige ; « non occides, » pro non occide : ita e converso nonnunquam facit. Quid etiam obest si aliquis sanctus per Spiritum illuminatus, divino assentiens judicio, optet fieri de vindicta etiam malorum quod recte faciendum esse intelligit, et in divina præfixum videt esse sententia? Velle quippe fieri quod justum est fieri, quæ est injustitia? Alioquin quædam nobis displiceret justitia, et ipsam quoque Domini sententiam cognitam haberemus exosam. Sed de hoc diligentius *Theologiæ*[1] nostræ tractandum reservamus.

« Dico ergo. » Quandoquidem sic de eorum reprobatione prophetatum. « Numquid offenderunt Deum, » videlicet ut non tantum titubarent in fide, sed penitus « caderent, » id est sine recompensatione alicujus commodi damnarentur a Deo, qui omnibus malis bene utitur? « Sed illorum delicto. » Dum videlicet prædicationem Christi a se repellerent, et Apostoli ad Gentes transirent et tanto facilius a Gentibus essent recepti, quanto a Judæis summis earum inimicis repulsos eos et afflictos viderent, vel in hoc etiam quod dispersi per mundum in perpetuam captivitatem, pro peccato in Christum commisso, fidei nostræ plurimum attestantur et magna potentiæ Christi præconia præbent. « Ut illos æmulentur, » id est ut deinceps e converso Gentes faciant Judæis quod olim Judæi faciebant Gentibus in proselytis, id est zelo Dei illos ad imitationem sui convertant vel provocent. Æmulari aliquem est zelum, id est vehemens desiderium erga eum habere, ut is illum imitetur, vel ille eum e converso, juxta quod statim dicturus est, « si quomodo ad æmulandum provocem, etc. » Quod si æmulantur illos, et merito. Quod si delicto eorum tam bene usus est Deus, id est tanta inde consecuta est utilitas, ut universus inde mundus in Gentibus profecerit, quanta erit utilitas de ipsorum pariter conversione cum Gentibus? Et hoc est : « Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, » id est ex delicto illorum, et reprobatione populi mundus in cæteris spiritualiter est ditatus, « et diminutio eorum divitiæ Gentium, » id est quod minus in illis modo habet mundus, de spiritualibus bonis recompensatur in Gentibus, « quanto magis plenitudo eorum » erit, subaudi, divitiæ mundi, id est, si et ipsi pariter cum Gentibus mundum impleant bonis operibus, multo amplius ipse ditabitur. Et hoc est quidem istud, « Quod quidem, » sed adversativum, ad hoc scilicet quod primitus dixerat de eorum peccato, et nunc de conversione loquitur : ut sic videlicet juxta litteram continuetur ad præmissa : Ita delicto eorum ditatus est mundus in Gentibus. Quod si delictum illorum, etc. « Vobis enim. » Et quasi aliquis de hac plenitudine futura desperaret, jam penitus Judæos ulterius a Deo reprobatos esse,

[1] Non pervenit ad nos pars illa *Theologiæ* Abælardi in qua tractandam quæstionem hanc sibi proponebat.

ostendit proposito exemplo desperandum non esse, quia et ipse ad hoc quotidie laborat, cum sit Apostolus Gentium, ut etiam aliquos ex Judæis convertat. Quod quidem est officium suum prædicandi scilicet honorare, id est maxime commendare, cum ex abundanti hos etiam dicto lucretur, quorum Apostolus, id est prædicator, non est ipse constitutus « Apostolus gentium. » Et si videlicet minime Judæorum, « si quomodo provocem, » tam verbis quam exemplis, tam auctoritate quam ratione, tam aperta veritate quam utili simulatione vel dissimulatione, de qua alibi dicit, « factus sum Judæis Judæus, et omnibus omnia factus, ut omnes lucri faciam, » « carnem meam, » id est Judæos, qui de genere meo sunt, « ad æmulandum, » id est imitandum me in conversione, « et salvos faciam aliquos » saltem, si non multos. « Si enim. » Et merito in hoc persisto, ut etiam eos convertam, quia cum amissio illorum reconciliatio sit mundi in Gentibus, ac per hoc utilis, multo mirabilior et utilior erit assumptio eorum, quæ erit quasi mortuorum resuscitatio. Mirabilius est enim mortuum suscitare, quam illum qui non vixit animare, id est vitam reddere quam dare. Quotidie enim scimus in uteris matrum naturaliter carnes animari nec miramur, mortuos autem reviviscere miraculi esset potius quam naturæ. Gentes itaque conversas ad Deum, quarum populus antea per fidem non vixit, animari, id est vivificari potius dicere possumus quam resuscitari. Judæos vero, si redeant ad Deum, et convertantur corda patrum in filios, quasi mortui suscitantur, cum populus ille, scilicet antea per fidem vixerit. Et certe difficilius est istum cum lapsus fuerit suscitare, quam qui iniquus persistiterit ad justitiam trahere. Quod quotidie in ipsis conventibus Religionum experimur, cum eos qui de seculi malitia ad monachatum convertuntur, facile in bono perseverare videamus proposito : seculares vero monachos vix aut nunquam redire. Amissio Judæorum merito dicitur cum eos Deus per infidelitatem amiserit, quos prius subjectos per fidem tenebat. Mundi nomine Gentiles designat, qui magis inter insensibiles mundi partes sensu ac ratione carentes, dum idola colerent, quam inter homines rationales creaturas computandi fuerant.

« Quæ erit, » id est cujusmodi, scilicet « assumptio » Judæorum amissorum, « nisi vita ex mortuis, » id est nisi resuscitatio mortuorum in peccatis ? « Quod si. » Delibatio est degustatio alicujus partis sumptæ de toto, per quam explorari possit quale illud sit totum, id est cujus saporis. Semper autem in populo Judæorum fuit aliqua massa fidelium incarnationem Dei et passionem in suam redemptionem expectantium, quales Zacharias et Elizabeth, Simeon et Anna, Nathanael et Nicodemus, et nonnulli alii in tempore etiam Christi reperti sunt, quibus quidem revelata est persona ipsa divinitus et determinate ostensa, in qua promissum quod expectaverunt crederent esse complendum. Et fortasse

tales antea omnes sancti fuerunt Apostoli; unde tam facile vocantem Christum sequerentur, sive antea divinitus inspirati, sive testimonio Joannis edocti. Quorum unus Andreas, discipulus Joannis, Simoni fratri dixit[1] : « Invenimus Messiam. » Et Philippus Nathanael[2] : « Quem scripsit Moyses et Prophetæ in lege invenimus Jesum. » Ex quibus quidem verbis ostenditur eos ex lege et Prophetis instructos Christum expectavisse, sed nondum præfinitum tempus nec determinatam personam cognoscere. Ad quod quidem cognoscendum, sive etiam aliis manifestandum, divina eos gratia assumpsit, et eis assumptis de massa præcedentium fidelium, et tam facile ad unius jussionis vocem Christum secutis, omnibus sancta[3] quasi delibatio facta est, in qua possit ostendi cujus fidei massa illa extiterit. Unde ipsi quasi reliquiæ sunt assumpti ad hoc quod fide tenuerant, visibiliter vel reipsa exhibendum. Continuatio. Et quomodo, inquit Apostolus, ex tam nequam populo et tam rebelli semper possunt aliqui assumi? Bene, inquit Apostolus, et secundum suæ originis naturam facilius quam ex Gentibus, quia massam oportet ibi sanctam fuisse, unde delibatio facta est. Quia qualis delibatio, talis massa : et e converso, sicut mox adjungit : « Et si radix sancta, et rami. » Radicem quippe massam illam fidelium præcedentium dicit, ramos modo credentes dicit eos qui inde assumpti sunt. « Quod si quidam ex ramis, » id est aliqui de massa illa fidelium, quod antea recte crediderant adhuc futurum expectantes, « fracti sunt, » id est statum pristinum fidei, quem habebant, amiserunt; « tu autem » Gentilis scilicet, « cum oleaster esses, » id est sterilis naturaliter et silvestris, « insertus es in illis, » id est aliena operatione loco illorum substitutus, « et socius radicis » olivæ frugiferæ factus per fidem, et pinguedinis per caritatem. Pinguedo enim calidæ naturæ est, et ideo caritatis ignem significat, et fides radix est et fundamentum caritatis. « Noli gloriari adversus ramos, » id est eis insultare de suæ fractionis detrimento, et de suo superbire statu, id scilicet meritis vel virtuti tuæ tribuens. « Quod si gloriaris, » scias quod « non tu radicem portas, » id est a radice eorum processit ad te quod habes, non a te ad radicem, quia populus Judæorum fidelis asina est mater pulli, id est pariens in fide gentilem populum.

« Dices ergo. » Quia videlicet contra radicem non potes gloriari, vis te saltem ramis illis præferre, in hoc quod « fracti sunt » illi, ut tu inseraris, id est fracti sunt illi, et stas iterum tu insertus[4] loco eorum. Bene quidem dicit Apostolus, id est verum est quod dicis, sed non ideo potes gloriari, quia non sunt illi fracti propter bonum tuum quod ante haberes, unde te Deus eligeret inserendum,

[1] Joan., cap. I, v. 41. — [2] *Ibid.*, v. 45. — [3] Amb. *suis* pro *sancta*. — [4] Sic locus restitui posse videtur. Amb. *Et iterum situ inserti*.

sed propter malum suum, id est incredulitatem. « Noli altum sapere, » superbiendo, scilicet adversus eos, « sed time, » scilicet noli committere tale quid unde et tu frangaris. Et revera oportet te timere. Quid autem timeat subjungit : « Si enim non pepercit » a fractione scilicet, « ramis naturalibus, » illi videlicet suæ radici, ex qua erant, time subaudi « ne forte, etc. » Et ut hoc timeas sive exemplo aliorum correptus, sive susceptæ gratiæ amore succensus, attende memoriter bonitatem gratiæ et severitatem justitiæ, si non permanseris in ipsa bonitate suscepta, id est si culpa tua susceptam gratiam amiseris. Alioquin, id est aliter si erit quam moneo, « etiam tu excideris » a radice sancta in qua per accidens es insertus, non ex ea natus. « Sed et illi, » etiam post fractionem suam, inserentur loco tui excisi, sicut tu e converso prius loco illorum fractorum. Et quasi quæreretur, quid hoc possit facere, cum Deus pro culpa sua eos fregerit, dicit quia ipsemet per misericordiam suam id facere potest, qui eos fregit propter ipsorum culpam. Et hoc est quod dicit : « Potens est enim Deus iterum inserere illos, » id est post tuam insertionem, et suam fractionem. Dixi quia potens est Deus et illos inserere, nec mirum, quia multo id facilius et conducibilius naturæ videtur secundum suprapositam de oliva similitudinem, ut proprii rami inseri possint quam alieni. Et hoc est quod a minori ostendit, dicens : « Nam si tu Gentilis excisus es ex oleastro » tibi naturali, id est ex arbore infecunda Gentilis populi assumptus, « contra naturam, » id est consuetudinem inserendi. Neque enim infructuosæ arbores inseri solent fructuosis, nec silvestres domesticis, nec surculus fructum radicis ferre solet. Sed propriæ naturæ quanto magis, id est quam facilius secundum naturam suæ originis, « inserentur suæ origini, » ex qua videlicet nati fuerunt. « Nolo enim, » ac si diceret : Ideo commemoro toties, o Gentiles, vestræ electionis gratiam et reprobationis illorum justitiam, et postmodum conversionem ipsorum futuram. « Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, » id est divinæ dispensationis occultum judicium, quia videlicet « cæcitas contigit in Israel ex parte, » id est quidam Judæorum excæcati adventum Christi, per quem de fide illuminarentur, non recognoverunt, « donec plenitudo gratiæ intravit, » id est de universitate omnium Gentium multi convertentur, et spiritualem Dei civitatem, id est Ecclesiam intrabunt, et « sic » tandem post eorum introitum, « omnis Israel, » secundum singulas videlicet tribus, unde multi convertentur in fine per prædicationem Enoch et Heliæ, non tamen omnes, cum de Antichristo Veritas eis dicat[1] : « Alius in nomine suo veniet, illum accipietis, » ut nec in fine mundi, sicut nec in adventu Christi omnes Judæi convertantur, sed solæ Domini reliquiæ. Unde Hieronymus ad Ædibiam de quæstione

[1] Joan., cap. v, v. 43.

nona scribens : « Clamat Isaias pro Israel[1] : « Si fuerit numerus filiorum Israel, etc. » id est etiam si multitudo non crediderit, tamen pauci credent. » De fine autem seculi ita Isidorus loquitur lib. II *Contra Judæos*, cap. VI : « Malachias quoque ante finem mundi Heliam sic esse dicit mittendum ad conversionem Judæorum[2] : « Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, antequam veniat dies « Domini magnus et terribilis, et convertet corda patrum ad filios, et cor filiorum « ad patres eorum. » Item : « Hic est populus in novissimis convertendus, quem Jacob Patriarcha sub figura Benjamin lupum mane comedentem et vespere spolia dividentem prophetat, quia initio legem accepit, in vespera autem mundi crediturus dividet inter Novum Testamentum et Vetus. » Idem, cap. V Amos Prophetæ[3] : « Domus Israel cecidit, non adjiciet ut resurgat. » Ergo Israel projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam. Sequitur in eodem Propheta[4] : « Venit finis super populum meum Israel. » Quæ omnia pertinent ad carnale ipsius regnum vel observantiam, quia ultra in reprobabilia erunt. Nam illæ repromissiones reparationis, quas eorum sermo complectitur, illi parti promittuntur, quæ ex Judæis creditura est. Nam nec omnes Judæi redimendi sunt, nec omnes salvi erunt, sed qui fide electi fuerint salvabuntur. » Quod autem nonnulli sanctorum dicunt in fine per prædicationem Heliæ et Enoch convertendos esse, quibus et ipse Apostolus concordare videtur dicens : « Et sic omnis Israel salvus fiet, » aut secundum universitatem tribuum, non personarum, est accipiendum, ut diximus, aut fortasse hi qui primitus Antechristum susceperint ritus Judaicos reducentem, postea per prædicationem Heliæ et Enoch correcti, vel viso interitu ejus de quo Veritas dicit[5] : « Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, » conversi ad Christum salvabuntur. Gregorius in *Moralium* libro : « In extremo Israelitæ omnes ad fidem cognita Heliæ prædicatione, occurrent, et tunc illud eximium multiplici aggregatione populorum convivium celebratum. » Remigius in *Psalmum* XIII[6] : « Cum averterit « Dominus, etc. » Dum Judaica perfidia in sua crudelitate impœnitens extitit, duriori se captivitatis laqueo irretivit. Quæ tamen captivitas solvetur ad prædicationem Heliæ et Enoch, cum ad eorum prædicationem omnes in Christum Judæi crediderint. » Haimo : « Impietates a Jacob avertet pleniter, sicut scriptum est[7] : « Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus. » Et cum plenitudo Gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet. » « Ut non sitis vobis ipsis sapientes, » id est ideo nolo vos istud occultum ignorare, ne visa illorum excæcatione, de illuminatione sapientiæ quam habetis superbe illis insultantes, de

[1] Isai., cap. X, v. 22 : Si fuerit populus tuus Israel, etc. — [2] Malac., cap. IV, v. 5. — [3] Amos., cap. V, v. 1. — [4] *Amos.*, cap. VIII, v. 2. — [5] Matth., cap. XXIV, v. 22. — [6] *Psalm.* XIII, v. 7. — [7] *Psalm.* CXXIX, v. 8.

dono Dei quasi de vestro proprio gloriemini, quod esset sapientem esse sibi potius quam Deo, id est ad gloriam sui, non dantis sapientiam suam accommodare. Haimo : « Mysterium et res occulta, et secretum aliquod in se continens, quare Judæos quondam peculiarem populum abjecerit, et Gentiles peccatores per fidem sibi copulaverit. »

« Sicut scriptum est. » Origenes[1] : « In Isaia, unde testimonium istud Paulus assumpsit, scriptum est[2] : « Veniet propter Sion, » et quod ait hic : « Cum abstu- « lero peccata eorum, » ibi omnino scriptum non est. Apostoli tamen auctoritate præsumptum est. » Sion, id est Jerusalem pro Judæa ponit, partem videlicet quæ caput regni est, pro toto ipso. Et tale est quod dicit, « veniet de Judæa, » nascendo scilicet in ea, qui Judæos salvet, vel secundum Origenis verba, veniet propter Sion, id est salvandum, sicut determinat dicens : « Qui eripiat » eam, et liberet a captivitate diaboli sive jugo peccati, quod animam captivat a Deo. Et hoc statim aperiens dicit : « Et avertat impietatem a Jacob, » id est a populo Judæorum. Possumus etiam sic distinguere, eripiat scilicet a peccato cum quo nascimur originali, vel eo quod ipse in eis invenit, et avertat a reliquis quæ commissuri essent, nisi ipse illa averteret. Attende cum dicit eum nasciturum in Judæa, vel propter Sion venturum, quamdam in Judæis gloriam ascribere, qua superbam gentium insultationem reprimat. « Et hoc a me illis. » Ubi nos dicimus testamentum, in Hebræo dicitur pactum, id est firma promissio. « Dicit Dominus. » Nam et quæ testamento confirmantur maxime stabilia sunt : promissio, inquam, tunc implenda. « Cum abstulero, » id est remisero « peccata eorum. « Secundum Evangelium. » Isti duo nominativi plurales « inimici, » et « carissimi » unde pendeant secundum seriem constructionis non satis apparet, nisi longe superius ad præmissa referantur, ubi videlicet dictum est : « Quanto magis hi secundum naturam inserentur suæ olivæ, » ipsi quidem, inquam, subaudi etiam « inimici, » modo secundum Evangelium propter vos, etc. Et fortassis juxta Hebraicæ linguæ consuetudinem, nominativis sine verbo absolute usus est Apostolus, sicut ibi dicitur[3] : « In convertendo Dominus, » et « Dominus in cœlo sedes ejus. » In Epistola *ad Galatas* ipse Paulus de perniciosa simulatione Petrum arguens[4] : « Si tu, inquit, cum Judæus sis gentiliter vivis, et non Judaice, quomodo Gentes cogis judaizare ? » Item[5] : « Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior ? » Ex quibus apparet Paulum maxime et cæteros libertatis Evangelicæ prædicatores maximas a Judæis et conversis inimicitias sustinere propter onera legis, quæ Gentibus nolebant imponere,

[1] *Comm.*, lib. VIII ; *Opp.*, t. IV, p. 640. — [2] Isai., cap. LIX, v. 20. — [3] *Psalm.* CXXV, v. 1 ; *Psalm.* X, v. 5. — [4] *Galat.*, cap. II, v. 14. — [5] *Galat.*, cap. V, v. 11.

scientes jam legales illas observantias omnino inutiles, et Gentes vix aut nunquam in eas induci posse. Et hoc est quod nunc Paulus meminit, dicens : « Illi dico inimici, » id est adversantes mihi et consimilibus meis secundum Evangelium, id est sicut ex nostra patet prædicatione eorum gloriationi maxime infesta, cum onera legis penitus interdicat, et hoc propter vos, o Gentiles, quibus hæc onera imponere nolumus. « Sed tamen carissimi nobis, » id est præ cæteris nostro inhærentes desiderio, ut conversi salventur, « propter patres ipsorum » justissimos et magnæ auctoritatis, Patriarchas scilicet et Prophetas. « Secundum electionem » tamen Dei magis quam secundum propria eorum merita, qui eos per gratiam suam, Gentibus reprobatis, elegit, ac mirabiliter sublimavit. Nam et Deum ipsum erga filios propter patres gratiam suam exhibuisse non ignotum est, quem Salomoni idololatræ propter justum patrem pepercisse novimus, et Moysem veniam delinquenti populo propter merita patrum implorasse atque impetrasse.

« Sine pœnitentia enim. » Quasi aliquis diceret, quæ cura de illa electione antiquorum patrum, seu promissionibus vel beneficiis a Deo illis olim factis ; cum nunc prorsus appareat in malitia filiorum eorum quæ in patribus egerit Dominus ipsi displicere. Respondens Apostolus, immo, inquit, « sine pœnitentia sunt dona Dei et vocatio Dei, » id est nunquam ei displicet se alicui quidquam donasse, vel ad fidem quemquam vocasse, quia videlicet incommutabilis est omnino ejus voluntas, nec unquam quod semel faciendum esse judicat se illud fecisse improbat : quod utique esset de facto suo pœnitere. Alio tamen modo etiam Deus nonnunquam pœnitere dicitur, mutando scilicet vel dolendo quod fecerat, non improbando factum suum, id est non judicando illud fuisse malum, quod proprie pœnitentia diceretur, juxta illud Philosophi : « Pœnitentia enim malum factum comitatur. » In electis Dei dona ejus eorum vocationem præcedunt, dum eorum scilicet præperat voluntatem, ut vocanti eos ad se assentiant, et jubenti obediant. « Sicut enim. » Dixi plenitudine conversarum Gentium, etiam Judæos ad fidem convertendos. Nec mirum si fiat ita de illis, o vos Gentiles, sicut et de vobis factum est. Et hoc est : « Sicut enim, etc. » « Propter illorum, » id est dum videlicet illis repellentibus a se prædicationem Apostoli ad Gentes, transire cito compulsi sunt, « ita et isti, » id est Judæi « nunc non crediderunt in vestram misericordiam, » id est non receperunt prædicationem qua vos misericordiam a Deo consecuti estis, ut post vos ad fidem postmodum et ipsi veniant, et eo humiliores efficiantur quod ad fidem vos sequantur, quasi exempli vestri magisterio hinc edocti. « Conclusit autem, » id est cæcitate infidelitatis jam constringi omnes tam Judæos scilicet quam Gentes promisit, ut in omnium postmodum conversione magnam suam clementiam ostenderet, quibus videlicet ante fidem nullum inesse meritum constat, quia sine fide impossibile est placere Deo.

« O altitudo. » Exclamatio admirantis est super istam multam abyssum divini judicii, de prima scilicet electione Judaici populi, et reprobatione Gentilium, et de nova nunc electione Gentilium in conversionem multorum, et reprobatione Judæorum, tam paucis modo scilicet conversis, sed postmodum plenius convertendis : ut qui olim in fide Gentes præcesserant, postmodum sequantur, et fiant novissimi primi. « Altitudo, » id est profunditas occulta nobis divitis et copiosæ « sapientiæ » Dei, quantum ad præscientiam ipsius, et « scientiæ » quantum ad ipsius operis effectum, ex quo prævisa illa jam sciri possunt. « Quam incomprehensibilia, » id est quam impossibiles sumus ad causas illas cognoscendas dispensationum vel dispositionum ejus, quare videlicet sic decuerit agendum esse, antequam fierent, et post effectum operum, « investigabiles viæ ejus; » viæ quippe Dei, quibus videlicet ad cognitionem ejus venitur, ejus sunt opera, sicut idem Apostolus supra meminit, dicens[1] : « Invisibilia enim ipsius a creatura, etc. » Opera itaque Dei, quæ sensu quotidie experimur, investigabilia nobis sunt, quia occultas eorum naturas nondum discutere ratione suscipimus. Nec mirum. « Quis enim cognovit sensum Dei, » id est rationem quam habuit in sua præscientia de his quæ facturus erat, comprehendere per se potuit, aut quem de his quæ facturus erat consuluit, ut ejus instrueretur consilio quid vel qualiter agendum esset? « Aut quis. » Post summam incomprehensibilem Dei sapientiam ostendit summam ejus bonitatem, quia omnia nobis prius largitur quam a nobis quidquam accipiat. Deinde in actione gratiarum Apostolus admirationem suam terminans, ait : « Quoniam ex ipso sunt omnia, » id est quælibet substantiæ natura tanquam ab ipso creata ut esset, « per ipsum » scilicet conservata ut maneret, « in ipso » tanquam fine optimo consummata, dum eorum videlicet opifex optimus atque dispositor in ipsis glorificatur atque laudatur, propter quod ea condidit atque conservat, sicut in *Proverbiis* scriptum est[2] : « Universa propter semetipsum creavit Deus, impium quoque ad diem malum. » Ut quinto *super Genesim* B. meminit Augustinus, quælibet creaturarum, quantum in se vespera est, quantum vero ad laudem creatoris relata mane dicitur, et in se considerata quasi defectum habet, in laude vero Creatoris profectum. Quærat fortasse aliquis quomodo natura quælibet substantiæ conservetur et maneat, cum spiritus irrationalium animalium carne regi, et cum carne deficere penitus credantur. Sed profecto si illi quoque spiritus, sicut et nostri, substantiæ sunt, quædam scilicet raritas elementorum, ut quibusdam videtur, cum deserunt[3] esse spiritus, id est vivificare cessant corpora illa, non tamen deserunt esse substantiæ, sicut et caro, cum qua deperire dicuntur : cum caro deserit esse, non tamen

[1] *Rom.*, cap. I, v. 20. — [2] *Prov.*, cap. XVI, v. 4. — [3] Pro *deserunt* et *deserit*, forte legendum *desierunt* et *desinit*.

corporeæ substantiæ naturam amittit. Quæri etiam potest, cum Deus ipse propter se potius quam propter opera sua sit laudandus, quomodo dicat Apostolus, eum propter opera sua esse glorificandum, id est maxima laude dignum. Ex se ipse quippe bonus vel laude dignus est potius quam ex operibus suis, et propter ipsum opera ejus potius sunt laudanda vel bona quam ipse propter opera. Sed licet ex seipso potius quam ex effectis suis ipse bonus sit, vel dignus laude, actio tamen ipsa gratiarum vel effectus laudis nostræ, quam ei persolvimus ex operibus quæ per ipsum cognoscimus, consequitur, sicut et cujuslibet artificis laus in operibus ejus cognoscitur, et quamvis propter scientiam quam habet jam dignus sit laude, et notitiam tamen operum ejus laudatio ejus consequitur. Nec Apostolus hoc loco dicit Deum dignum laude propter opera quæ fecit, sed nos ad ejus hortatur laudem propter opera ejus quæ cognoscimus. « Ipsi gloria, » inquit, « sit, » id est optima et summa et late patens fama, « in secula, » id est per omnes successiones temporum. « Amen, » id est fiat, quod est adverbium optandi, aliquando etiam confirmandi, quando videlicet ponitur pro, « ita est, » vel « verum est. »

« Obsecro itaque[1]. » Quia videlicet talis vel tantus est, ex quo omnia, per quem, etc., obsecro ut vos ipsos ei hostiam præparetis potius, quam pecora vestra ipsi mactetis. Quasi adjurando eos coarctat, cum dicit : « Per misericordiam Dei, » ac si diceret : Sicut de misericordia ejus confiditis, ita et ad ipsam obtinendam quantum valetis vos præparetis. Corpora pecorum cum offerebantur in sacrificio, occidebantur ; nostra autem corpora cum Deo immolantur, vitiis ita moriuntur, ut vita non priventur. Et hoc est quod dicit, « hostiam viventem, » et tunc profecto immolationis nostræ obsequium rationabile est, si nos ipsos ita immolemus potius quam pecora nostra ei mactemus, vel nos ipsos propter eum interficiamus. « Conformari huic seculo, » id est seculares qui præsentem vitam diligunt imitari. « Sed reformamini, » id est studete reparare ac renovare humanæ rationis sensum peccatis jamdudum obtenebratum. « Ut sic probetis, » id est cognoscere valeatis, vel etiam aliis ostendere, et ratione probare possitis, « quæ sit voluntas Dei, » id est quid Deus a nobis fieri velit ut boni simus in nobismet ipsis, imo aliis quoque vel ipsi Deo beneplacentes, et tandem perfecte in virtutibus consummati, crescendo semper in melius, vel in cœlesti vita perfectæ beatitudinis. « Dico enim. » Dixi : « Nolite conformari huic seculo, sed reformamini, etc. » et merito id vos moneo, quia hoc dico « per gratiam quæ data est mihi, » id est per magisterium mihi super vos injunctum dicere compellor « omnibus qui sunt inter vos, » id est apud Gentes con-

[1] *Rom.*, cap. XII.

fusis, quare specialiter Apostolus sum destinatus : « Non plus sapere quam oportet, sed sapere usque ad sobrietatem. » Ille sapit plusquam oportet, qui mala ipsa non solum notitia rationis a bonis discernit, juxta illud philosophi, mali quippe notitia justo deesse non potest, verum etiam experientia didicit, secundum quam lignum scientiæ boni et mali dictum est. Et hic quidem est sensus seculi, id est secularium et carnalium hominum, ut experientia voluptatum, quasi quadam saporis dulcedine illecti, mala ipsa cognoscant. In qua quidem experientia sobriæ et honestæ vitæ terminos excedunt, dum voluptatibus suis turpiter inserviunt. « Et unicuique, » scilicet nostrum hoc ipsum dico, id est, non plus sapere, etc. « Sicut Deus divisit mensuram fidei, » id est prout credit faciendum esse, ita hoc impleat. « Sicut enim. Ac si aliquis quæreret : Estne in discretione boni et mali diversa existimatio infidelibus? Respondet Apostolus quod est, sed et divinæ gratiæ dona in eis sunt diversa, et hoc est quod competenti similitudine demonstrat, dicens : Sicut enim et non eumdem actum membra habent, id est non idem officium, ita multi nos, secundum personarum diversitatem, in uno corpore Christi et in eisdem sacramentis uniti sumus. « Alter alterius membra, » id est supplentes officium suum pro altero, et ei administrantes quod iste implere non potest. Tunc enim oculus quasi membrum manus efficitur, cum visum subministrat, ut illa operari queat : et similiter unusquisque fidelium donum gratiæ quod habet in alterum ministrare debet, ut maxime sibi invicem caritate colligantur fideles, cum sibi vicissim subveniunt, et unusquisque alterum esse recognoscit. Dixi : Singuli alter alterius membra, sed merito quia « habentes » dona diversa gratiæ Dei illis collatæ. Quæ statim dona subdividit dicens, « sive prophetiam, » scilicet habentes, id est gratiam interpretandi, id est exponendi verba divina, unde et *ad Corinthios*[1] dicit : « Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem. » « Secundum rationem fidei. » Prophetam habet qui in sua prædicatione secundum hoc quod credit auditoribus esse necessarium, verba sua moderatur, et quid his sive illis pro capacitate eorum prædicari oporteat discernit, ut modo lac parvulis, modo solidum cibum majoribus ministret, sicut et ipse Paulus ad eosdem Corinthios scribens proprio docet exemplo. Quam quidem Apostolorum discretionem Psalmista prævidebat cum diceret[2] : « Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. » Tale est ergo secundum rationem fidei suæ, ac si diceretur, secundum discretionem quam se credit habere, ubi forte si erraverit, caritas ejus ignorantiam eam excusat. « Sive ministerium in ministrando. » Per hæc omnia subaudiendum est « secundum rationem fidei, » ut videlicet omnia discrete faciamus, secundum quod faciendum

[1] I *Corinth.* cap. XIV, v. 3. — [2] *Psalm.* XVIII, v. 3.

esse credimus. Ministerium dicit corporalis operis officium, sicut est suendi vel fabricandi. Ministerium habet in ministrando aliis, qui inde majorem utilitatem aliorum quam propriam quærit, sicut idem Apostolus alibi ait[1] : « Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. »

« Sive qui docet in doctrina. » Id est doceat quæ docenda credit. Similiter « qui exhortatur, » id est ad persuadendum. Loquitur secundum rationem fidei, qui prophetiam quam superius intellexit per doctrinam et exhortationem non distinguit. Quisquis enim ad ædificationem loquitur, aut docendo aliquid, aut exhortando aliquid loquitur. Sic expone : Sive qui docet secundum rationem fidei, « in exhortando » sit discernens, scilicet quantum valet, quæ quibus hominibus persuadenda sint, sicut et docenda, juxta illud Veritatis[2] : « Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas ante porcos. » « Qui tribuit, » id est sua largitur egentibus, « in simplicitate » subaudi id faciat, id est non duplicem ibi habeat intentionem, tam pro temporali scilicet quam æterna remuneratione. Quod et alibi prohibet Dominus dicens[3] : « Cum facis elemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. » Aliter « in simplicitate, » id est non sit duplex finis in intentione, ut videlicet elemosynæ suæ finem tam in se quam in Deo constituat, sed tantummodo in Deo, vel ita ut non dolose id faciat, sicut hypocritæ faciunt, qui aliud simulant quam intendunt, cum se videlicet propter Deum id facere fingant, quod magis propter humanam gloriam agunt, vel sicut faciunt qui aliquid largiuntur alicui, amplius inde se recepturos sperantes, si id ex caritate facere simulant, quod ex cupiditate potius agunt. « Qui præ est » aliis, id est Prælati vicem gerit. « In solitudine » subaudis præsit, eorum scilicet lucra quærendo potius quam sua. De qua quidem sollicitudine Prælatorum erga subditos Salomon admonet, dicens[4] : « Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris sui, et captus es propriis sermonibus tuis. Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi. Discurre, festina, suscita amicum tuum. Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. »

« Qui miseretur, » id est ignoscit delinquentibus in se, lætus et sine omni rancore animi hoc faciat, non erubescentiam inferat pœnitenti, neque illi turpiter peccatum suum improperans, quasi magis tristem se ostendat de propria læsura quam hilarem de conversione peccatoris. « Dilectio » subaudis sit immutabilis, vera, non simulata : sicut alibi scriptum est[5] : « Filioli, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate. » « Odientes » vitia. « Adhærentes » virtutibus, vel recedentes conversatione seu moribus a perverso homine, et

[1] I *Corinth.*, cap. x, v. 24. — [2] Matth., cap. vii, v. 6. — [3] Matth., cap. vi, v. 3. — [4] *Prov.*, cap. vi, v. 1. — [5] I Joan., cap. iii, v. 18.

imitantes bonum, attendentes quod scriptum est : « Cum sancto sanctus eris, etc. » « Caritatem fraternitatis, » id est effectus fraternæ caritatis invicem exercentes, ut unusquisque aliis tanquam fratri subveniat, et Deo tanquam Patri obediat. Non solum de utilitate proximorum, verum etiam de honore ipsorum providendum admonet, dicens, « honore » scilicet alter alterum, scilicet « prævenientes, » id est inter vos hoc providentes, ut cum alius vos honorare voluerit, vos prius eum honoretis, et beneficium ejus vestrum præveniat, ut quasi debitum vobis reddatur potius quam tribuatur. Sunt autem qui nostris non egent beneficiis, et qui magis ad dilectionem honore quam utilitate trahuntur : ideoque post utilitatem beneficii de honore quo diligunt Apostolus providit. « Sollicitudine non pigri, » hoc est effectus providentiæ nostræ erga subjectos implere non differentes, sicut scriptum est[1] : « Quæcunque potest manus tua instanter operare, etc. » « Spiritu ferventes. » Ac si diceret : Et si non poteritis hæc supradicta penitus implere, zelo saltem caritatis ad hæc implenda ferveatis, et boni desiderii voluntas apud Deum sufficiet. « Domino servientes. » Post fraternam caritatem erga proximum, ad caritatem Dei, qua deservitur conscendit. Bene autem cum dicturus esset, « Domino servientes, » præmisit Apostolus, « spiritu ferventes, » ut hæc servitus filialis reverentiæ subjectio ex amore potius quam servilis ex timore intelligatur, Christiana magis quam Judaica. Soli Domino servimus, cuicunque servitium impendamus, si totum nostræ subjectionis finem in Deo constituamus, si videlicet solam reverentiam, quam Prælatis exhibemus, propter Deum, cujus vicarii sunt, et a quo prælationis potestatem acceperunt, eis exhibemus. Qui enim legato vel vicario alicujus prælati obsequium impendit, propter ipsum tantummodo prælatum, a quo destinantur, ipsi solummodo prælato in hoc deservire dicuntur, et ei soli propter quem tantum id agitur servitium vel honorem impendere. « Spe gaudentes, » ut videlicet sitis « in tribulatione patientes. » Unde et Apostolus Jacobus[2] : « Omne gaudium, inquit, existimate fratres mei, cum in tentationes incideritis, scientes quod probatio, etc. » Dicturus, « in tribulatione patientes, » bene præmisit, « spe gaudentes, » ut spes remunerationis præcedens fortes efficiat contra passiones, dum illud attendunt quod scriptum est[3] : « In paucis vexati, in multis bene disponentur, etc. » « Spe gaudentes, » id est expectatione futuræ beatitudinis, cum spes non nisi de bono sit et de futuro, et quia ex nostra virtute hanc in passione constantiam habere non possumus, ut orationem super hoc frequentemus, admonet, dicens : « Orationi instantes, » id est in oratione superstantes potius quam jacentes. Quasi enim jacentes sunt, qui se ad Deum per devotionem non eri-

[1] *Eccles.*, cap. IX, v. 10. — [2] Jacob., cap. I, v. 2. — [3] *Sap.*, cap. III, v. 5.

gunt, ut oratio suum consequatur effectum, et verba solummodo præparant, non corda : de quibus Dominus per Isaiam conqueritur[1] : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. » « Necessitatibus sanctorum communicantes, » id est fidelibus penuriam vel adversitatem patientibus ita compatientes, ut eorum penuriæ vel tribulationis participes efficiamur, dum videlicet quod nobis subtrahimus eis impendimus, vel pro ipsis etiam eripiendis seu defendendis periculum vel damnum incurrimus. Unde alibi dicit[2] : « Alter alterius onera portate. » «Hospitalitatem sectantes,» non solum impendentes, cum videlicet recedentes a nobis insequimur, ut etiam reluctantes ad hospitium trahamus, sicut Loth in susceptione Angelorum egit.

« Benedicite persequentibus vos » hoc est, illis etiam ut bene sit orate, ut sic in eis caritatem ædificetis, sicut scriptum est[3] : « Tunc enim carbones ignis congeres super caput ejus : » vel ideo ut oratio vestra tanto facilius effectum assequatur, quanto Deo gratior erit, qui ait[4] : « Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? » Quam quidem dilectionis perfectionem tam Dominus ipse quam Protomartyr ejus Stephanus in passionibus suis pro inimicis orando nobis exhibuerunt. « Benedicite et nolite maledicere. » Bis dicit, « benedicite, » ut tam in ore quam in corde benedictionem habeamus. Nec dixit, « ne maledicatis, » sed « nolite maledicere. » Cum enim aliquem pro suæ culpæ obstinatione excommunicamus, profecto in eum maledictionis sententiam intorquemus. Ipse etiam Paulus in *Actibus Apostolorum* ei maledixisse legitur cui ait[5] : « Destruat te Dominus, paries dealbate. » Sed quia zelo justitiæ compulsi talia sancti faciunt, maledictionis actionem habent, non voluntatem. Hoc uno loco non dicitur, ut penitus non maledicant, sed ut maledicere non velint, ut videlicet voluntas maledictionis, non actio prohibeatur, sicut et Dominus dicit[6] : «Nolite jurare. » Voluntatem potius jurandi interdicit quam actionem. Sic et judex cum aliquem lege sua coactus occidit, non voluntarie, ab homicidio excusatur, quia id ab eo voluntate non geritur, cui omnino displicet quod ille qui punitur illud commiserit, pro quo lex eum interfici præcipit, ut magis eum lex ipsa quam homo puniat, immo ipse Deus legem instituens qui ait[7] : « Ego occidam et ego vivere faciam, et mihi vindictam, ego retribuam, » quia ipse minister Dei. Non immerito quærendum videtur, cum ad corda potius Deus quam ad verba respiciat, cur tamen verbis etiam ipsum deprecemur. Sed duabus id causis geri existimo. Una quidem ad honorem Dei; altera est ad utilitatem nostram accommodata. Cum enim aliquid a Deo orando postulamus, ex ipsis

[1] Isai., cap. XXIX, v. 13. — [2] *Galat.*, cap. VI, v. 2. — [3] *Rom.*, cap. XII, v. 20. — [4] Matth., cap. V, v. 46. — [5] *Act. Apost.*, cap. XXIII, v. 8 : Percutiet te Deus, paries dealbate. — [6] Matth., cap. V, v. 34. — [7] *Rom.*, cap. XII, v. 19 ; *Deuter.*, cap. XXXII, v. 35.

verbis nostris ostendimus non nisi ab eo id nos posse habere, quod oramus. Ipsa verba quæ proferimus affectum nostrum et devotionem intellectu suo in Deum excitant, et commovent : ut tanto efficacior ipsa sit oratio, quanto in orante major est devotio.

« Gaudere cum gaudentibus. » Infinitivis pro imperativis utitur, dicendo scilicet « gaudere et flere » pro gaudete et flete, id est cum fidelibus de profectu eorum exultate, vel de ipsorum effectu compatiendo contristemini. Est enim falsa lætitia iniquorum, cui congaudendum non est, et falsa eorum tristitia, cui contristandum minime est. Unde Dominus[1] : « Mundus, inquit, gaudebit, vos autem contristabimini. » Et Salomon in *Proverbiis* de perversis[2] : « Qui lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis. » Cum autem idem Salomon alibi dicat[3] : « Non contristabit justum quidquid ei acciderit ; » et ipse Apostolus supra[4] : « Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, etc. ; » quid potest accidere electis unde flendum sit, aut quomodo rationabiles sunt illæ lacrymæ Rachel de interfectione filiorum, de miseria sic ad beatitudinem transeuntium ? Unde et de illo fletu fidelium in transitu B. Martini scriptum est : Cum sentiret magis esse gaudendum, si rationem vis doloris amitteret. Hieronymus *ad Tyrasium* de morte filiæ : «Tantas talesque tempestates vitæ, tot impugnationes diaboli, tot corporis bella, tot seculi clades evasit : et lacrymas fundimus, quasi ipsi nesciamus quid quotidie patiamur. Propter quod et Dominus sic admonet discipulos[5] : « Si diligeretis me, gauderetis utique, « quia vado ad patrem. » Plane mortuum Lazarum flevit, doluit non morientem, sed potius resurgentem, et flebat quem cogebatur pro salvandis aliis ad seculum revocare. Hanc vitam dans Dominus ingemiscebat, quam tu doles esse sublatam. Contra lacrymas ejus pugnant tuæ. Ille nolebat reddere laboribus quem dilexerat, et tu amare te credis, cui laborum volebas adhuc restare tormenta. De hostili patria migravit ad cœlum. Apostolus memorat[6] : « Quamdiu sumus in hoc « seculo, peregrinamur a Deo. » Unde ergo illæ lacrymæ Rachel ? unde compassio fidelium super interfectione justorum quæ finit in eis miseriam et confert gloriam ? vel etiam cum omnia quæ accidunt electis, eis, ut dictum est, cooperentur in bonum, vel quidquid eis accidat, non contristentur ? Unde nos super eos dolere convenit, vel ipsos de aliquo pœnitere, quos in alia vita licet suorum peccatorum memores, constat tamen nullo modo dolore pœnitentiæ affici : attendentes scilicet ipsa etiam peccata sibi in bonum fuisse cooperata. Denique cum omnia optime a Deo non dubitemus, adeo ut ipsa quoque mala bonum sit

[1] Joan., cap. XVI, v. 20. — [2] *Prov.*, cap. II, v. 14. — [3] *Prov.*, cap. XII, v. 21. — [4] *Rom.*, cap. VIII, v. 28. — [5] Joan., cap. XIV, v. 28. — [6] II *Corinth.*, cap. V, v. 6.

esse, et juxta Veritatis vocem necesse sit, ut veniant scandala; quid contingere potest ut rationabiliter doleant? Si enim, ut B. meminit Augustinus, bonum est malum esse, quisquis de malo dolet, de hoc profecto dolet quod bonum est esse: et quisquis vult ipsum non esse, utique vult non esse id quod bonum est esse : et ita tam divinæ dispositioni quam rationi contrarius esse videtur, et frustra dicit ad Deum[1] : « Fiat voluntas tua, » cujus scilicet voluntati seu dispositioni quantum in se est adversatur. Sed quia hæc discutere altioris est philosophiæ, perfectioni nostræ reservamus *Theologiæ*[2].

« Id ipsum invicem sentientes, » per caritatis videlicet affectum ita alios sicut seipsos reputantes, juxta illud Veritatis[3]: « Quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem illis facite; » et illud : « Quod tibi non vis, alii ne feceris. » Vel ita « idipsum cum alii sentientes, » quasi bona eorum sicut detrimenta nostra esse reputantes, vel idipsum de fide sentientes, ut nulla sint schismata in fide Catholica. Ad quod maxime pertinere videtur quod subditur : « Non alta sapientes, » id est non superbe aliquid per hæresim præsumentes, dum ex novitate aliqua quærimus gloriari. « Sed humilibus » quibus videlicet Deus dat gratiam, superbis resistens, « consentientes » in fidei scilicet unitate nos eis sociantes. Quod qualiter faciamus docet cum adjungit, « Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, » id est prudentiam vestram, si quam habetis, nolite ad gloriam vestram convertere, nec de illa in vobis gloriari. Vos etiam dico, « Nulli malum pro malo reddentes, » id est neminem quia nos læsit, sed potius quia justum est punientes. Possumus etiam quod dictum est, « Nolite esse prudentes, etc., » ita accipere, ut hoc illi competentius adjungatur; ille etenim prudens apud semetipsum dicitur, qui totus suo judicio nititur, ut quidquid istum esse decreverit, exequi velit : ut cum nemini irascenti sua ira videatur invisa, in quocunque offenditur ulciscendum putet. Cui quidem periculo occurrit, dicens : « Nulli malum pro malo reddentes. » Superius dixerat, « nolite maledicere persequentibus vos : » hic facta mala sicut etiam verba mala prohibet. « Providentes bona, etc., » id est nitentes quantum possumus ut opera nostra non solum Deo, sed etiam hominibus bona videantur, ut ea scilicet imitari velint, vel Deum inde glorificent, sicut et Veritas ait[4] : « Luceat lux vestra coram hominibus, etc. » « Si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habentes; » itaque, ut diximus, nulli videlicet malum pro malo reddentes, et providendo bona etiam coram hominibus. « Quod, » scilicet pacem habere cum omnibus, « ex vobis est, » id est ex propria natura habetis, ut videlicet eis maxime concordes sitis, quos per naturam affiniores conspicitis.

[1] Matth., cap. VI, v. 10. — [2] Quæstionem hanc quam Noster in *Introd. ad Theol.*, Lib. III, p. 123 et sqq., jam tetigerat, tractavit iterum, eisdem pene verbis, in *Theologia Christiana*, lib. V, sub finem. Vide infra. — [3] Matth., cap. VII, v. 12. — [4] Matth., cap. V, v. 16.

Unde alius dicit Apostolus[1] : « Qui enim proximum quem videt non diligit, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? » Quo enim natura magis sumus affines, amplius ipsa nos ad dilectionem invitat. Adeo, inquam, « cum omnibus pacem habentes, » ut si aliquem offendendo excesseritis, « non vosmetipsos defendatis, » id est proprias culpas excusetis, « sed date locum iræ, » id est cedite irato et offenso fratri patienter, scilicet ejus iram ferentes, non eum iterum per excusationem vestram commoventes. Tunc enim iræ ejus resisteremus, ut amplius æstuaret, vel in eo remaneret, non cederemus ut ab eo transiret.

« Scriptum est enim, » scilicet in *Proverbiis*[2], « mihi vindictam. » Ac si diceret : Ideo cum offenditis alios, debetis offensos patienter tolerare, et eorum iram quantum poteritis lenire, quia etiam si ab eis offensi essetis, hortatur vos Dominus ne vos inde vindicetis : sed ei vindictam reservetis dicenti : « Mihi vindictam, » subaudi reservate, « et ego retribuam » illam, ut scilicet ulciscar. Notandum quod si hoc intelligatur exhortatio ad perfectionem potius quam lex et præceptum[3], sicut et quod Veritas ait[4], « Et tua ne repetas : » potest et illud quod dictum est superius, « non nosmetipsos, etc., » ita exhortatio perfectionis intelligi, ut cum a persecutoribus defendere nos possimus, perfectius tamen dicat esse omnino non defendere, sed potius injuriam nobis illatam sustinentes, quam defendendo corpus animam nostram vulnerantes, eum videlicet per iram interficiendo, a quo fortasse nos aliter defendere non possumus. Sed sicut et illud superius pro præcepto exposuimus, potest forsitan et hoc pro præcepto intelligi : « Mihi vindictam, etc. » Sicut enim judex cum lege vel amore Dei qui legem instituit constrictus, reum interficit, non tantum ipse hoc facere dicitur quam lex vel Deus ipse qui hoc facere præcipit, et ad hoc faciendum tanquam instrumento utitur, ita et cum zelo justitiæ vel amore vindicta est imputanda. Quod itaque præcipit Deus, sibi vindictam reservari, ut ipse illam faciat, tale est ut nemo vindicare præsumat, nisi[5], ut dictum est, Deus hoc per ipsum agat, qui ait[6] : « Ego occidam, et ego vivere faciam. » Unde Augustinus *Quæstionum in Leviticum* cap. LXXI : « Cum homo juste occiditur, lex eum occidit, non tu. » Idem *de Civitate Dei* lib. I[7] : « Non occides, his exceptis quos Deus occidi jubet. Non autem ipse occidit qui ministerium debet jubenti, scilicet adminiculum gladio utenti. Tunc itaque homo occidit cum ex se id, non ex Deo agit. Cum vero ex divina institutione vel jussione id facit, Deus potius tanquam instrumentum id facit, quam homo ipse. Sic quippe quemlibet potentem aliquid ædificare vel facere dicimus, cum ad ejus imperium illud

[1] I Joan., cap. IV, v. 20. — [2] *Prov.*, cap. XXV, v. 21. — [3] Amb. *Quam vos. Et præceptum.* — [4] Luc., cap. VI, v. 30. — [5] Amb. *Nec pro Nisi.* — [6] *Deut.*, cap. XXXII, v. 39. — [7] Cap. XXI; *Opp.*, t. VII, col. 31.

geritur. Homini itaque, non Deo prohibitum est occidere. Sic et fortasse nostra repente prohibemus, quia videlicet nostra sunt, sicut et diligere eos qui nos diligunt, id est quia nos diligunt. Quæ enim propter nos habere non debemus, ut hujus scilicet possessionis in nobis finem constituamus, multo minus propter nosmetipsos repetere ablata debemus : quod videlicet fortasse Deus per alios melius quam per nos disponere vult, vel quod nobis nocitura prævidebat. Itaque repetere licet nos quæ Dei sunt potius quam quæ nostra sunt, id est propter Deum potius, ut secundum voluntatem ea disponamus, quam propter nos, et tunc potius Deus in nobis sua repetit, quam nos nostra, dum hoc videlicet agimus ut potius Dei faciamus esse quam nostra.

« Sed si. » Dixi : Non vindicetis vos, sed potius Deus, ut dictum est, sed e contrario benefacite male facientibus. Et hoc est, « sed si, etc. » « Hoc enim. » Reddit causam quare sic faciendum sit inimicis, quia propter hoc facile poterimus ad salutem trahere. Caput quidem principalis pars in corpore, tanquam in omnibus sensibus corporis ornatum, mentem sive animam nostram significat. Carbones ignis incendia sunt caritatis, vel lamenta pœnitentiæ quibus anima penitus excruciatur, et contra semetipsam indignationis flammis accenditur. Hos itaque carbones super mentem inimici nostri congeramus, ei benefaciendo; dum per hoc eum ad amorem erga nos vel ad pœnitentiam malorum, quæ nobis intulit, accendimus. « Noli vinci, » id est superari a vitio tuo, si videlicet ira tibi adeo dominatur, ut reddas malum pro malo : sed vince et reprime ipsam iram tuam per bonum malo recompensatum. Non enim malum est servire homini, sed vitio. Unde statim adjungit : « Omnis anima, » id est quælibet rationalis creatura, « subdita sit, » id est libenter obediat. Quod quidem adversus quorumdam fidelium opinionem dicit, quibus omnino injustum et inconveniens videbatur ut quislibet jam ad fidem Christi conversus terrenæ potestati amplius deserviret seu obediret : quasi tales omnino potestates a Deo constitutæ non essent. Unde et Dominus ipse pro seipso et Petro censum Cæsari persolvere dignatus[1], proprio ad hoc nos hortatus est exemplo. « Sublimioribus, » id est sibi prælatis a Deo, scilicet sicut statim annectit dicens : « Non est enim potestas, » sive bona scilicet sive mala videatur, « nisi a Deo, » id est per ejus dispensationem constituta. Cum enim principes boni sunt, divini muneris est; cum autem mali, vel ad vindictam perversorum hominum, vel ad purgationem seu probationem bonorum a Deo sunt instituti, qui quamlibet impietatem etiam bene disponit. Unde et potestas diaboli vel cujuslibet impii bona perhibetur, licet voluntas eorum sit pessima,

[1] Matth., cap. XXII, v. 17 et sq.

vel operatio perversa. Potestatem quippe a Deo accipiunt, a se vero voluntatem malam habent. Unde et iniquo Pilato Veritas ait[1] : « Non haberes in me potestatem, nisi datum tibi esset desuper. » Et diabolus in nullo aggredi Job poterat, donec hujus potestatis licentia sibi a Deo concessa. « Quæ autem sunt a Deo, » scilicet instituta, sed non tamen permissa. Nam et peccata Deus ipse permittit, non instituit. « Ordinata sunt, » id est rationabiliter instituta. « Itaque qui. » Quandoquidem omnis potestas a Deo est instituta. « Damnationem acquirit, » id est hoc faciendo damnari merentur, quia Deo potius quam homini resistunt. Aliud est autem resistere tyrannidi mali prælati, aliud justæ ejus potestati quam a Deo suscepit. Cum enim aliquid per violentiam agit quod ad ejus potestatem et institutionem non pertinet, profecto cum ei in hoc resistimus, tyrannidi magis quam potestati obviamus, homini potius quam Deo : quia hoc ex se præsumit, non ex Deo agit. Quando vero in his ad quæ legitime constitutus est ei resistimus, tunc potestati contraimus. « Nam Principes, » id est eorum potestas non est timenda his qui bene operantur, sed male. Quod statim ostendit dicens : « Vis » tu aliquis, « non timere potestatem » potius quam hominem, bene operare, et parcendo tibi approbabit opera tua, et te bene agere testificabitur. « Gladium portat, » id est non irrationabiliter ad occidendum etiam est instructus, quia videlicet in hoc Deo deservit, qui super hoc eum instituit, ut vinceret mala. Et hoc est : « Dei enim, etc. vindex in iram, » id est vindex irascendo male agenti potius quam homini, id est malitiæ potius ejus quam substantiæ. Ideo quia scilicet minister est Dei, obedientes ei estote tanquam Deo, et hoc « necessitate, » id est pro manifesta utilitate, quam ex ministerio principum percipitis, « non solum propter iram » eorum scilicet, « sed et propter conscientiam vestram, » id est non solum propter fortitudinem vindictæ ipsorum qui nos inobedientes sibi statim punirent, verum etiam quia vobismetipsis conscii estis eos vobis necessarios esse ad malitiam reprimendam. « Ideo enim. » Quia videlicet ita vobis necessarii sunt, vindicando scilicet de his qui male agunt, ut dictum est, « tributa » eis persolvitis, « in hoc ipsi, » scilicet Deo servientes, quod vindicant mala, ut de hoc ipso quod tributa suscipiunt officium suum implere valeant[2], quod nequaquam sine his expensis possent exercere, et ideo quia sic conscii estis, vel quia hic ita Deo militant.

« Reddite illis omnibus » quæ pro hoc debetis. « Cui tributum » scilicet debetis, « tributum » reddite. Origenes : « Tributa terræ vectigalia negotiationis. » Haymo : « Cui tributum debetis reddere, reddite : sicut et ipse conditor pro se et pro Petro didragma. Tributum dicitur a tribunis, et Tribuni a tribus, siqui-

[1] Joan., cap. xix, v. 11. — [2] Amb. *Valentes*.

dem Romulus in tres partes populum sibi subditum divisit, in Senatores scilicet qui et Consules vocabantur, in milites et agricolas, et unicuique parti principem unum constituit, qui etiam tribunus dicebatur eo quod uni ex partibus præesset. Census vero qui a subditis exigebatur tributum dicebatur. » « Cui vectigal. » Vectigal est tributum fiscale, et dicitur a vehendo, eo quod accipiatur de vecticiis, id est deportatis mercibus. « Cui timorem. » Iracundis maxime prælatis timor est exhibendus, ne ira commoti plus vindicent quam oporteat. Mansueti vero tanto amplius sunt honorandi, quo eos patientia digniores vel benigniores facit.

LIBER QUINTUS.

«Nemini quidquam debeatis,» id est ita ab omnibus debitis absolvite, ut nihil præter caritatem debere vos recognoscatis. Quæ sic semper est solvenda ut semper debeatur, et sic semper est impendenda, ut tunc maxime retineatur cum impenditur. Pecunia autem cum persolvitur, ei cui redditur accedit, et a reddente discedit. Diligere alterum est ei propter ipsum bene optare. «Invicem,» id est inter vos ut sit mutua dilectio. Proximum intellige omnem hominem qui humanitatis natura nobis conjunctus est, et ex eodem patre Adam communem nobiscum dicit originem : si enim Apostolus proximum intelligat Judæum tantum, secundum quod in lege dicitur[1] : « Non fœnerabis proximo tuo, sed alieno : » nequaquam stare potest quod ait, eum qui diligit proximum non adulterari, etc. cum videlicet hæc etiam committi in infidelibus possint. « Legem » Moysis dicit ubi quæ subjungit præcepta continentur. « Nam non adulterabis. » Adulterari sive mœchari pro omni illicito concubitu lex ponere videtur; alioquin nusquam illam fornicationem excluderet, quæ ab eis committitur qui conjugati non sunt. Cum itaque dicit, « non adulterabis, » speciem pro genere ponit, sicut e converso subdit : « Non occides, » genus pro specie. Non enim occidi ab homine bestiam, sed hominem vetat. Tunc autem homo hominem occidit, non Deus per eum, ut supra quoque innuimus, quando id propria gerit voluntate, non divinæ legis sanctione constrictus, de qua quidem injusta occisione Dominus Petrum instruens ait[2] : « Qui acceperit gladium, gladio peribit. » Qui per se acceperit ait, non cui a potestate traditur, ad justitiam scilicet exercendam, gladio perire dignus est. Tunc etiam ipse tantummodo absque Deo id facit, id est cum ad propriam voluntatem implendam, non ad justitiam exercendam, id agens, homicida sit. Unde Augustinus, *Quæstionum in Exodum* cap. xx : « Cum minister judicis occidit eum quem lex jussit occidi, profecto si id sponte faciat, homicida est, etsi eum occidat quem scit a judice occidi debuisse. » « Non furaberis, » id est non fraudulenter aliena tolles. Non enim Hebræi furtum fecerunt, cum jussu divino Ægyptios spoliaverunt ab his quæ Dei magis quam ipsorum erant. « Falsum testimonium, » contra conscientiam scilicet loquendo. « Non concupisces » aliena, scilicet non tantummodo non tolles. « Et si » mandatum subaudi dilectionis in hoc præcepto completur, « diliges, etc. » Aliud est dicere sicut te,

[1] *Deuter.*, cap. xxiii, v. 19. — [2] Matth, cap. xxvi, v. 52.

aliud est quantum te. Ibi quippe similitudo, hic æqualitas ostenditur. Unde et cum Veritas ait[1] : « Estote misericordes, sicut et pater vester cœlestis, » similitudinem potius misericordiæ quam æqualitatem expressit. Si autem unumquemque quantum me diligere deberem, omnes æqualiter a me diligendi essent. At vero cum nemo nisi propter Deum diligi debere videatur, tanto amplius quisque diligi dignus est, quanto Deo carior habetur et melior est. Si enim Deus quia melior est, super omnes est diligendus, quicunque post eum meliores sunt, amplius diligendi sunt quam alii. Aliter quippe caritas ordinata non est. Eum autem plus diligimus cui ut beatior sit optamus, licet ei de corporalibus bonis minus quam de nostra vel eorum qui specialiter nobis adhærent curam agamus. Tunc autem quemlibet sicut nos diligimus, cum eum ad beatitudinem sicut nos pervenire volumus, eadem scilicet intentione circa eum habita, quæ circa nos, quia videlicet hoc ei bonum existimamus esse sicut et nobis. Fortassis enim cum quis alium odit, eum in paradiso jam esse vellet, quo nil melius ei optare potest : nec tamen ideo eum diligit, cum id non tam propter eum quam propter se ab eo liberandum faciat. « Dilectio proximi. » Vere qui diligit proximum, non adulterabit, non occidet, etc., quia nullum penitus malum operatur. Unde apparet David, dum cum Betsabe fornicaretur vel Uriam ad mortem proderet[2], nequaquam proximum dilexisse; sed et cum alius dicat Apostolus[3] : «Qui enim non diligit proximum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? » utique nec Deum tunc dilexisse videtur. Quomodo etiam dici potest alterum diligere sicut semetipsum, cum nec semetipsum vere diligat, qui a morte animæ, sibi parcendo, non parcit? Scriptum quippe est[4] : « Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. »

« Plenitudo ergo. » Quandoquidem scilicet proximi etiam dilectio legem implet, ut dictum est : ergo multo magis de genere ipsius, quod est dilectio, id recipi constat. Cum vero tota meritorum nostrorum summa in dilectione Dei consistat et proximi, diligenter utraque, si possumus, a nobis est describenda, et insuper demonstrandum quomodo prætermissa Dei dilectione, quæ major est, ausus sit Apostolus dicere dilectionem proximi legem implere. Dilectio Dei ex toto corde in nobis est optima illa erga Deum voluntas, qua ei tanto amplius placere studemus, quanto amplius ei placendum esse recognoscimus. Ex toto autem corde seu ex tota anima id agimus, quando sic ad eum penitus nostræ dilectionis intentionem dirigimus, ut non tam quid nobis utile sit quam quid ei placitum sit attendamus. Alioquin nos potius quam ipsum dilectionis nostræ finem, id est finalem et supremam institueremus causam. Dilectio vero Dei erga nos est ipsa divinæ gratiæ de salute nostra dispositio. Proximum vero tanquam

[1] Luc., cap. VI, v. 36. — [2] *Reg.* II, cap. XI, v. 4, 14 et sq. — [3] Joan. I, cap. IV, v. 20. — [4] *Psalm.* X, v. 6.

se diligit qui propter Deum tam bonam erga eum voluntatem habet, ut sic se propter eum gerere studeat, ne ille de se juste conqueri possit, sicut nec ipse sibi ab illo vult fieri, de quo juste conqueri queat. Ad hanc autem proximi dilectionem illa duo naturalis legis præcepta pertinent. « Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris : » et « Quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis. » Quorum quidem præceptorum intelligentia quæ sit habenda, non fortassis omnibus patet. Sæpe enim aliis ex caritate honorem aut beneficium impendimus, quod ab aliis suscipere recusamus, vel sæpe alios pro justitia punimus, vel etiam interficimus, cum hoc ab aliis nullo modo pati velimus. Quis etiam nesciat nonnunquam nos velle ipsa nobis fieri quæ non convenit, non tamen ideo nos aliis ea facere debere? Ut, si velim mihi assentiri in malo, numquid aliis similiter assentiri debeo ad peccandum? Sæpe etiam Prælati de subditis exigunt talia obsequia quæ nequaquam convenit eos subditis reddere, et pauperes a divitibus multa sibi fieri volunt, quæ minime ipsi aliis facere possunt : ut videlicet hoc implere queant, « quæ vultis ut faciant vobis, etc. » nisi forte dicatur hoc non esse generale præceptum, sed his tamen hoc præcipi, qui vicem beneficiorum referre possunt, sicut et cum dicitur, « date eleemosynam » vel, « frange esurienti panem tuum, » iis tantum qui hoc possunt, injungitur. Ut autem breviter objectis respondeamus, cum dicitur, « Quod tibi non vis, etc. » et « quod vultis ut, etc. » sic accipi debent, ut illud de injuriis cavendis, istud de beneficiis impendendis intelligas, ac si dicatur : Sicut injuriari non vis, sic ab alienis abstine offensis, et sicut tibi in necessitatibus tuis vis misericorditer subveniri, ita et aliis subveni si possis in suis. Nemo autem bonus se id posse fatetur, qui sui juris non esse, vel sibi minime convenire credit. Cum autem Deus propter se tantum sit diligendus, proximus autem propter Deum, constat in dilectione proximi dilectionem Dei includi : cum videlicet sine dilectione Dei esse non possit. Unde et cum eam describeremus, provide propter Deum adjecimus. Dilectio vero Dei cum naturaliter prior sit dilectione proximi, sicut et Deus naturaliter prior est proximo, non ita e converso dilectionem proximi necessario comprehendit, ut sine proximo Deus diligi sicut esse possit. Unde bene dilectionem proximi, potius[1] quam dilectionem Dei legem adimplere videtur Apostolus dixisse. Non immerito quæri potest, si eos quoque diligere debeamus, qui in inferno sunt, vel qui prædestinati ad vitam non sunt, aut si sancti in alia etiam vita omnem proximum ita ut se diligant, tam eos scilicet quos damnatos jam vident vel damnatos, Deo revelante, prævident, quam electos. Sed cum in proximo, sicut diximus, omnis homo sit intelligendus, quomodo dilectionem

[1] *Potius* deest apud Amboesium.

proximi retinebunt, si quosdam non diligant, aut quomodo ibi quam hic perfectiores habentur, si in eis dilectio proximi sit contracta vel diminuta? Neque enim cum sanctos Angelos diligamus, perversos diligere debemus. Quomodo ergo rationabilis est vel eorum vel nostra dilectio, si in ipsa etiam diaboli membra complectamur? Numquid quia in hac vita qui prædestinati sint vel non sint ignoramus, ideo rationabiliter omnes diligimus, vel pro omnibus etiam oramus? aut si hoc fieri rationabile non est, quomodo id facere jubemur pro ipsis, et non potius pro nobis, cum nobis magis quam ipsis proficiat? Quomodo etiam recta intentio quæ erronea? Quia enim id eis profuturum esse credimus, id agimus, aut si nos adhuc ignorantia excusat, quid de hoc respondemus, quod cum non omnes salvandos esse sciamus, vel paucissimos, juxta illud Veritatis[1], « Multi vocati, pauci vero electi : » et[2], « Arcta est via quæ ducit ad vitam, etc. » tamen omnes salvari volumus, et pro omnibus oramus, scientes scilicet nec nostram voluntatem nec orationem effectum consequi debere? Sed dicis illud Augustini : « Habe caritatem, et fac quicquid vis. » Et recordaris illud Hieronymi, « Caritas mensuram non habet. » Unde sæpe caritas modum nos ita excedere compellit, ut fieri velimus quod fieri nequaquam bonum est, aut justum, et e contrario nolle fieri quod fieri bonum est, sicut interfici sanctos vel affligi, quæ etiam eis cooperantur in bonum. Sed hanc *Ethicæ* nostræ reservamus discussionem.

« Et hoc scientes. » Sic construe : Et hoc scientes tempus, quia « hora est jam nos de somno surgere, » abjiciamus opera tenebrarum, etc. de somno et negligentia vel torpore boni operis. Cum dicit, « hora » quæ modicum est tempus, non dicit vel hebdomadam seu mensem vel annum, sine dilatione nos id facere adhortatur. Quo enim brevius est tempus quo aliquid est agendum, citius hoc faciendum est. « Nunc enim. » Ideo celeriter surgendum nobis est a somno, quia nunc jam[3] fidei nostræ bonis operibus super additis propinquiores sumus ad percipiendum æternæ vitæ bravium, « quam cum[4] » primo « credimus, » in ipso scilicet nostræ conversionis exordio. Metaphora quæ ducitur a somno, jam nobis surgendum esse convenientibus prosequitur verbis, dicens jam noctem præcessisse, quæ dormitionis est tempus, et diem advenisse. Nox ignorantia salutis est, dies cognitio vel illuminatio. Non mirum, dum hac nocte premebamur, si pigri ad operandum eramus. Expulsa est cæcitas infidelitatis de cordibus, adveniente doctrina Christi qui ait[5] : « Ego sum lux mundi. » Nec tam nos ab hac nocte, quam ipsa a nobis recessit, nec tam nos ei quam ipsa nobis appropinquavit : quia nobis nequaquam id requirentibus divina sic operata est gratia, sicut de ipso scriptum est Domino : « Inventus sum a quærentibus me, etc. »

[1] Matth., cap. XXII, v. 14.—[2] Matth., cap. VII, v. 14.—[3] Amb. *Non jam.*—[4] Amb. *quia eam primo.*—[5] Joan., cap. VIII, v. 12.

« Abjiciamus ergo. » Quandoquidem scilicet nox ista jam præcessit, et dies appropinquavit. Nec dicit jam « abjiciantur » sed « abjiciamus, » quia jam per fidem illuminati operari valemus. « Opera tenebrarum. » Dicit mala opera, juxta illud Veritatis[1] : « Omnis qui male agit odit lucem, » vel opera infidelium et tenebrosorum, quibus nondum sol justitiæ ille ortus est, ut eorum illuminet corda. « Arma lucis » virtutes sunt fidelium quibus contra vitia vel diabolicas tentationes dimicant. Sic, inquam, induamur arma lucis, ut ita induti honeste ambulemus tanquam in die, quando pretiosioribus indumentis quisque induitur. « Non in. » Quæ sint abjicienda opera, prius docet. « Non in commessationibus, » subaudi ambulemus, id est pedes nostros qui affectus animi intelliguntur, in istis non ponamus. Commessatio dicitur convivium de diversis familiis congregatum, ubi quisque de suo aliquid[2] ponit, et ideo securius comedit tanquam de suo vescens atque avidius, ne quasi minus cibi consumens et æqualiter expendens injuriari videatur, et tanto licentius gulæ indulget, quando plurimorum exemplis incitatur. Dicitur itaque commessatio quasi corporis, ut dictum est, esus, a comedendo, id est simul edendo. Hieronymus : « Commessatio est mensæ collatio. Quales quidem commessationes et Salomon in *Proverbiis* interdicens ait[3] : « Noli « esse in conviviis potatorum, nec in commessationibus eorum qui carnes ad ves- « cendum conferunt, quia vacantes potibus et dantes symbola consumentur. » Haymo : « Commessatio dicitur mensæ alternatio : sunt enim convivia quæ celebrantur alternatim, et præparantur a sociis per dies et vices. Sunt alia quæ ex communione, quando unus affert panem, alius carnes, alius vinum, etc. Briam genere masculino dicimus calicem aptum potationi, a quo dicitur ebrietas, quæ est potatio nimia. » Quod autem hoc loco dicit Apostolus, « Non in commessationibus et ebrietatibus, » ad illud respicit quod in Evangelio Dominus ait[4], « videte ne graventur corda vestra crapula et ebrietate, » id est superfluo cibo et potu.

« Non in cubilibus. » Quæ commessationes et ebrietates sequantur, consequenter adjungit, ut eo amplius vitentur, quo ex eis pejora proveniunt. Cubilia proprie ferarum sunt, vel irrationalium animalium, quibus ebriorum lecti comparantur, in quibus, imagine Dei, id est ratione per ebrietatem extincta, facti sunt sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Ebrietatem quoque impudicitia sequitur. Unde et idem alibi adhortatur Apostolus[5] : « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. » Quod pessimo nobis exemplo Loth ebrietas exhibuit. Tale est ergo « in cubilibus et impudicitiis, » ac si diceret « in cubilibus impudicis, » ubi absque omni reverentia quasi pecudes ebrii luxuriantur. Ad has maxime commessationes et ebrietates impudicitiæ prædicator Ovidius fornica-

[1] Joan., cap. III, v. 20. — [2] Amb. *Aliud.* — [3] *Prov.*, cap. XXIII, v. 20. — [4] Luc., cap. XXI, v. 34. — [5] *Ephes.*, cap. V, v. 18.

rios venire adhortatur ut inde facile fornicationum suarum occasionem assumant. « Non in contentione. » Tumultuosa est ebrietas, et facile in contentionem prorumpit, ut litiget. Æmulationem dicit zelum malum, id est commotionem odii in alterum, quod maxime ex conviciis vel injuriis contentiones sequantur ; fere enim omnes et maxime liberales homines magis ex turpitudine verborum quam ex jactatione damnorum in odium accenduntur. Post opera tenebrarum, quæ abjicienda dicit, « arma lucis, » id est virtutes Christi quas induamur, supponit dicens : « Sed induimini. » Agnum vel leonem induere dicitur quicunque habitum mansueti vel crudelis assumit : sed et Christum qui plenitudo est omnium virtutum induere dicitur, qui ejus sequendo vestigia, omnibus pro posse suo studet se adornare virtutibus. Dicit idem Apostolus alibi de Christo[1] : « Qui factus est sapientia nobis a Deo, et justitia, et sanctificatio et redemptio. » Ac si aperte dicat eum nobis omnes virtutes fieri, ut cum virtutibus adornamur, Christum induere recte dicamur. Et ut specialiter Christum induere possitis, carnaliter ne vivatis, cum videlicet caro adversus spiritum concupiscat, id est Christum. « Curam ne feceritis in desideriis, » in desideriis, inquit, id est non in superfluitate voluptatum, sed in necessitate alimentorum. Oportet enim et corpori quoque nostro necessaria impendi, sicut superflua subtrahi : ut videlicet naturæ substantia conservetur, et vitiorum fomenta denegentur. Non ergo ait simpliciter, « carnis curam ne habueritis, » sed, « in desideriis, » id est in voluptatibus potius quam in necessitatibus. Non enim naturæ, sed vitiorum hostes esse debemus.

« Infirmum autem. » Cum superius dixisset, « Non in contentione, » hic præcipue cuidam perversæ contentioni in primitiva Ecclesia statim expositione finem imponere studet. Quidam enim ad fidem noviter conversi Judæi et nondum de libertate Christianæ fidei satis instructi, putabant adhuc etiam carnales observantias legis retinendas esse, et præcipue a carne porcina, et cæteris cibis quos lex interdixit, nobis[2] quoque abstinendum esse, eo maxime fortassis quod quidquid abstinentiæ esse videtur, virtuti deputatur. Sicut ergo superius superfluas commessationes interdixit, hic ita superfluis abstinentiis consulit, ne per hujus contentionis dissensionem infirma adhuc, id est imperfecta Judæorum conversorum a Deo scandalizaret, ut ad Judaismum redirent, si ab his scilicet interdicerentur abstinentiis, quas lex antea sanxerat, immo ipse Dominus per legem ; unde his qui inter Romanos perfectæ fidei vel doctrinæ jam erant, consulit Apostolus, ut si quis de noviter conversis Judæis adhuc infirmus, id est imperfectus in fide sit, nondum vel credens Christum seu Evangelicam

[1] I *Corinth.*, cap. I, v. 30. — [2] Amb. *Nostrum.*

doctrinam ad salutem sufficere sine carnalibus legis observantiis, non ideo eum abjiciant, sed assumant eum venientem scilicet ad conversionem, non disceptantes de cogitationibus ejus, id est de hoc quod in talibus credit, non contendentes : facile enim contingere potest ut qui in exordio suæ conversionis imperfectæ est fidei, paulatim postmodum instructus ad perfectionem perveniat. « Alius enim. » Unde disceptationes hujus sint exponit dicens, quia alius quam ille scilicet præmissus, qui imperfectæ est fidei, « credit se manducare omnia, » id est licere sibi quibuslibet cibis vesci, ut nullum videlicet inde reatum propter legem incurrat. « Qui autem. » Ac si diceret : Sed qui hoc non credit, abstineat ab his scilicet quos v[1].... cibis, ne videlicet contra conscientiam propriam agens peccet. Et hoc est : Qui infirmus est, in hac scilicet fide verborum, timens scilicet se contaminari quibusdam cibis, « olus manducet, » id est id ei consulo, ut eis utatur cibis, quos et facile possit habere, et minus scandali aliis inde præbere, et nonnullam etiam suæ religionis commendationem accipere. Si enim alias carnes ederet, alias non; facile judaizare convinceretur. Sed cum ab omnibus communiter abstinet, et vilioribus contentus est cibis, religioni potius quam errori fidei deputatur.

« Is qui. » Postquam dixit in talibus non esse contendendum, dicit etiam non ab altero in corde suo, ut quasi damnandum censeat, qui non manducat omnia, id est a quibusdam abstinet. « Et qui non manducat » scilicet omnia simpliciter, non ideo judicet, id est damnandum censeat manducantem, quasi legis transgressorem. « Deus enim illum, » tam scilicet qui manducat quam qui abstinet, assumit, non abjicit : multi etenim ad fidem conversi sunt in multis adhuc errantes, et postea paulatim inde correpti et edocti sunt. Nota quod ait « assumpsit, » potius a Deo quam per se venientem, juxta illud Veritatis[2] : « Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. » « Tu quis es. » Ac si diceret : Quem te esse existimas, qui præsumis servum alterius judicare, id est de his quæ agenda sunt ei pro tuo arbitrio disponere? Quod est dicere : Dimitte hanc ordinationem vitæ servi domino suo, qui vel per seipsum vel per vicarios suos de his, cum voluerit, eum instruat, non tu qui conservus es, nec venisti imperare, sed obedire, sicut et ille. « Suo Domino. » Id est arbitrio Domini sui stat[3] bonus ejus status in fide, unde lapsus in errorem relinquendus est, et ad ipsum tantummodo spectat utrumque, a quo ipse quod meruerit recepturus est. « Stabit autem. » Ac si diceret : Dixi : « Stat aut cadit. » Sed quia quæ dicta sunt in meliorem partem interpretari vel exponere debemus, dico potius « stabit, » id est non

[1] Hic aliquid in codice deesse Amboesius ipse punctis interpositis monet. — [2] Joan. cap. VI, v. 44. — [3] Amb. *Tam* pro *stat*.

propter hoc damnabitur, quod vel zelo legis abstinet, ne contra conscientiam peccet. « Potens est enim. » Ac si diceret : Ideo quidem melius esse opinor vel caritative assero, quia nil adversari videtur quin hoc sperandum non sit. Et hoc est : « Potens est Deus, etc. » Ideo enim Deus posse dicitur, quod ne ab eo fiat, nulla impediri ratione videtur, vel authoritate contradicitur. Tale est ergo, « potens est Deus, » ac si dicatur : Nulla ne hoc faciat contraire ratio videtur. « Nam alius. » Unde ita alii alios judicent vel reprehendant subjungit Apostolus, ex propriis scilicet conscientiis, cum alius scilicet censeat observandum in abstinentia supradictorum, « diem inter diem, » id est die aliqua alia die interposita, sicut modo quarta et sexta feria, quibus maxime ab omnibus quoque carnalibus abstineri solet, propter edomandam scilicet carnem, non propter aliquod legis mandatum; « alius omnem diem » scilicet observandum esse, ab his videlicet carnibus quas lex interdicit.

« Unusquisque, » in talibus his scilicet dijudicandis vel deliberandis, de quibus nulla adhuc discussio vel ratione vel authoritate facta est. « Abundet in suo sensu, » id est suam magis opinionem quam alterius sequatur. Nondum enim ab Apostolo vel aliis doctoribus manifesta ratio tradita Romanis istis fuerat, cur propter præceptum legis hæc abstinentia servanda non esset. « Qui sapit diem. » Ac si diceret : Ideo quisque nostrum in talibus adhuc prorsus judicio relinquatur, quia aliter contra conscientiam agendo peccaret, sicut postmodum scilicet dicitur, quia omne quod non est ex fide, peccatum est. Et hoc est, « Qui sapit diem, » hoc est credit aliquam observari debere, ad honorem Domini hoc facit, cui scilicet per abstinentiam hanc moderatam placere se credit. « Et qui manducat, » id est a nullis sibi unquam abstinendum credit, cum videlicet nullam rebellionem carnis quæ domanda sit sentiat, vel infirmitatem patiatur quæ abstinentiæ contraria sit. Nondum enim in tempore Apostolorum quadragesimæ vel sextæ feriæ sic institutam esse abstinentiam vel confirmatam credimus. « Domino manducat, id est ad honorem ejus similiter, propter hoc videlicet quod statim subjungit, quia « gratias ei agit, » id est laudem refert, de refectione scilicet ab eo sibi præstita. Ex quo perpendendum est, quantæ sit culpæ has grates post cibum Domino non referre. « Et qui non manducat, » id est penitus abstinet propter legem ab his quæ ipsa prohibet, ad honorem Domini non manducat, id est abstinet. Non enim hanc obedientiæ reverentiam legi exhibet, nisi propter Deum qui eam dedit, et cum abstineat insuper de perceptione alterius cibi concessi, et a Deo præstiti, gratias agit. « Nemo enim. » Ideo et manducans et abstinens ad honorem Dei hoc agit, quia semper tam vivendo scilicet quam moriendo electi Dominum honorant atque glorificant : vivendo

quidem glorificant, juxta illud Veritatis[1], « Luceant opera vestra bona, ut glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. » Mors quoque justorum Dominum glorificat, sicut de Petro dicitur[2] « significans qua morte clarificaturus esset Deum, » quando nec in exitu quoque suo justus a bonis operibus et oratione et a laude sui creatoris cessat. Tanto enim sollicitus quisque se præparat, quanto amplius ad coronæ suæ perceptionem propinquat. Sibi vivere vel sibi mori dicitur, qui ad commoda sua vel propter gloriam potius quam ad honorem Dei disponere intendit. Multi etenim morte quoque sua magnitudinem animi sui ostentantes, gloriam sibi acquirere cupierunt, vel sibi etiam inferentes manus morte cruciatus suos finiendos esse crediderunt.

« Sive ergo. » Quandoquidem scilicet nos electi, Deo, non nobis, ut dictum est, vivimus aut morimur. Ac per hoc « sive vivimus, etc. » id est tam vita nostra quam mors Deo potius, ad cujus honorem fit, quam nobis est ascribenda, id est ejus potius pro hoc dicenda est quam nostra. « In hoc enim. » Ac si diceret : In hoc quod mortuus est, pro nobis scilicet et propter justificationem nostram, sicut idem supradixit Apostolus, meruit tam morti nostræ quam vitæ dominari, ut sicut utrumque fecit pro nobis, ita tam moriendo quam vivendo non nisi ei obedire et ejus voluntatem implere quæramus. Aliter enim mortuorum Dominus non est, sed quasi hostis puniendo, nisi etiam usque ad mortem in ejus obedientia persistamus, parati animam, non solum propter ejus confessionem, sed etiam pro fratribus ponere. « Tu autem qui, » Postquam dixit, « Tu qui es qui judicas alienum servum, » addit nunc, « fratrem tuum, » ut si hoc videlicet injuria quam facit Domino suo non dimittit, saltem pro fraterna dilectione, ne scilicet fratrem suum scandalizet, eum sic judicare desistat. Aut si non judicas, quare « spernis » in talibus ubi magis intentio quam actio discutienda est, cum nondum videlicet inde certa sit prælata sententia. Pro talibus enim et similibus diffiniendis unde Romani altercabantur, in ipso *Epistolæ* suæ principio Apostolus dixit se ad eos desiderare venire, ut aliquem in eis sicut et in cæteris gentibus fructum haberet. « Quis enim. » Ac si diceret : Non ita præsumatis dubia judicare, qui de cæteris a Deo cum aliis omnibus hominibus estis judicandi : sed ei potius hoc judicium reservate, qui omnibus habet judicare. Et hoc est : « Omnes enim, etc. » Unde et Veritas, recte[3] : « Nolite judicare, et non judicabimini, » id est non appetatis judicare, ne hinc quoque judicemini atque damnemini. Et ipse alibi dicit Apostolus[4] : « Nolite ante tempus judicare quoadusque, etc. » Si autem diligentius consideremus, sicut Dei est potius occidere

[1] Matth., cap. v, v. 16. — [2] Joan., cap. xxi, v. 19. — [3] Matth. cap. vii, v. 1 : Nolite judicare, ut non judicemini. — [4] I *Corinth.*, cap. iv, v. 5.

quam nostrum, sic et judicare. Et postremo sicut omnia ad gloriam ejus debemus facere, ita ipse potius per nos cuncta hæc operari debet quam nos ipsi. Tunc vero Deus judicium facit potius quam homo, quando ipse vel per legem aliquam vel inspirationem internam quid dicendum sit nos instruit, ut a nobis recitandum postea sit ejus judicium, non faciendum. Tribus itaque modis de aliquo prius dubio judicari videtur, per Dominum videlicet ipsum, sicut exposuimus, per aliquam rei manifestationem, per hominem de sua scilicet opinione præsumentem. Cum autem aliquo eventu rei quod dubium fuerat manifestatur, ipsa res judicare, non homo dicitur. In dubiis itaque tantum homo judicare dicitur, quod omnino prohibetur, quando videlicet propriam tantum existimationem sequens, præsumit definire, cum nec per Deum adhuc, nec per ipsam rei experientiam contingit eum certum esse. « Stabimus, » dicit, quasi erecti, ut cognosci ab omnibus possimus, « ante tribunal, » id est sedem judiciariam Dei potius qui falli non potest, et justus est, quam hominis. Hanc quidem sedem Dei hominem a Verbo assumptum intellige. Pater enim omne judicium dedit Filio, quia Filius ejus est. In hoc quippe homine assumpto Filius Dei tam mortuus est quam resurrexit, sicut nunc diximus, et inde maxime judicium damnationis imminet, si mortuo pro nobis, ut dictum est, et resuscitato pro nobis tam mors nostra quam vita inseparabiliter non adhæreat, atque ad obediendum parata sit.

« Scriptum est enim. » Isaiæ testimonio [1] probat quod omnes a Deo sint judicandi. « Vivo ego. » Ac si diceret, per memetipsum indeficienter viventem juro. Genu flectitur judici, quando suppletur ejus sententia; exspectatur cui resisti non potest. Omnis lingua in illo judicio confessionem laudis Deo faciet, quia nullius conscientia contra illius judicis rectitudinem murmurare poterit. Unde mali quoque pœnitentiam inter se agentes et ingemiscentes, hoc ipso quod facient attestabuntur justam se damnationis accipere sententiam. In illo itaque judicio tam judicantes quam judicandi, vel qui jam etiam judicati sunt, genu flectent, quoniam omnes vel timore pœnarum vel perceptæ gratiæ beneficio sub tanto se judice humiliabunt. « Itaque, » quia videlicet ita omnes astabimus ante tribunal tanti judicii. « Rationem reddet, » id est, quantum ratio exegerit recipiet a Domino de pœna vel præmio. « Non ergo. » Quia videlicet ipse ita de omnibus et maxime de his quorum dubia est intentio judicare habet. « Amplius, » id est post admonitionem hanc nostram seu præceptionem. « Invicem, » alter videlicet alterum pro talibus damnandum esse reputando. « Sed hoc magis, » id est, potius observandum censete. « Ne ponatis offendiculum fratri, » id est ne aliquid faciatis, cujus exemplo corruptus ipse corruat, vel scandalizatus et exasperatus reprehen-

[1] Isai., cap. XLV, v. 24.

sione vestra a fide recedat. Et quoniam tota hæc contentio ex cibis lege interdictis nascebatur, dicit neminem ex qualitate ciborum contaminari, sed ex conscientia tantum transgressionis, si eis contra conscientiam vescatur. Et hoc est: « Scio, » id est non ex me, sed confidenter hoc dico ex doctrina Domini qui ex his solummodo quæ de corde exeunt, non ex his quæ intrant in os, coinquinari hominem dicit. Et mittens ad prædicandum discipulos ait[1]: « Edentes et bibentes quæ apud illos sunt, » quia nullus cibus communis et immundus est per ipsum, id est ex semetipso, sed potius ex conscientia comedentis. Et hoc est, « Nisi ei. » Ac si diceret : Sed ei qui existimat aliquem cibum esse immundum, id est, animam suam inde pollui, illi immundus est, quia contra conscientiam suam illum comedendo peccat. Quæ communicantur sive publicantur, tanto amplius immunda sunt quanto minus custodiuntur : ideoque commune pro immundo ponitur. Unde et in *Actibus Apostolorum*[2], inquit Origenes, Dominus dicit ad Petrum : « Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris. » Marcus etiam Evangelista communicare pro coinquinari ponens ait[3]: « Non intelligitis quod omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare, quia non introit in cor ejus, sed in ventrem vadit. Quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. » « Si enim. » Dixi : Non ponatis offendiculum fratri, quia quisquis es, « si propter cibum tuum, etc., » id est, si sustines eum sic offendere, etc. « Noli. » Post offendiculum vetat etiam scandalum, quia offensus facile recederet a fide, « pro quo » scilicet salvando, « etiam Christus. » Ac si diceret : Ne parvi pendas salutem ejus, pro quo tantum pretium datum est.

« Non ergo » generaliter admonet nos vitare blasphemiam omnem, per quam videlicet a nostra fide alios repellamus, ac si dicat : Quia videlicet exemplo Christi lucrandi sunt potius homines nobis quam perdendi, caveamus facere, quantum possumus, per quod bona nostra fides blasphemetur. « Non est, » id est, nullo genere cibi vel potus promereamur ut Deus in nobis regnet vel habitet. Quæcunque enim exterius bene fieri videntur, et maxime quæ ad abstinentiam pertinent, æque reprobis ut electis communia sunt, et hypocritis sicut veris fidelibus. « Sed justitia » æquitas illa per quam quod tibi non vis fieri, alteri ne facias, « et pax » inde, id est, proveniens a concordia cum fratribus, et deinde « gaudium » spirituale hinc exortum, « in hoc » scilicet quod dixi, ut scilicet scandalum fratris vitet et justitiam sectetur et pacem, ut dictum est, « servit Christo » hoc est, ei hoc præcipienti obedit, « et probatus est ; » id est, hominum quoque judicio probatur, laudatur atque commendatur. « Itaque, » id est et ita, scilicet, ut dixi scandala vitando prius quæ ad pacem pertinent, ut dixi « sectemur, » id est,

[1] Luc., cap. x, v. 7. — [2] *Act. Apost.*, cap. x, v. 15. — [3] Marc., cap. vii, v. 18

maxime studeamus concordiam teneri cum fratribus quoque, ut dictum est, infirmis, et sic postmodum quæ sunt ædificationis « invicem custodiamus, » id est, alter qui perfectioris est fidei, alterius imperfectam adhuc fidem instruat, et ad perfectionem promovere intendat. « Noli » tu, scilicet, qui perfectiorem habens fidem omnia comedis, scandalizando noviter conversum, et adhuc infirmum fratrem, « opus Dei, » id est, illud fidei quod jam habet in eo destruere. « Omnia quidem. » Ac si diceret : Revera tecum assentimur, quia nulla genera ciborum esu suo polluunt animam, sed damnosum est tamen hoc scienter comedere, ubi offenditur frater. « Bonum est homini. » Ac si diceret : Ita ut dixi, comedere malum est, sed e contrario penitus abstinere propter offendiculum fratris vitandum salubre est; exemplo Daniel qui a vino quoque infidelis regis abstinebat, Judæi etiam conversi ab omni vino infidelium abstinendum censebant. « Offenditur » penitus a fide recedendo, vel saltem scandalizatur, id est, apud se perturbatur quasi talem fidem, ad quam conversus sit, judicans legi contrariam et perversam. « Aut infirmatur, » in fide scilicet suæ professionis, de ipsa dubitando si non penitus eam damnando. « Tu fidem. » Ac si diceret : Tu quidem qui omnia credis manducanda, « habes fidem apud te, » id est, hoc est tuo judicio approbatum, sed, « habe illam et coram Deo, » id est, ut ei placeat et ejus judicio approbetur. Ea enim quæ coram nobis sunt videre possumus atque cognoscere, et ea Deus scire dicitur quæ approbat, et nescire quæ reprobat.

« Beatus, » est subaudi « qui non judicat semetipsum, » hoc est, qui non acquirit sibi damnationem ex his quæ ipse potius quam Deus probat, id est approbat, vel non improbat esse facienda : ac si diceret : Qui tantæ discretionis est, ut etiam de his quæ credit licite fieri ita provideat, ne ipsa indiscrete faciendo damnationem vel iram Dei incurrat. Ut enim Salomon ait [1], « sunt viæ hominis quæ videntur rectæ, novissima autem illarum deducunt ad mortem. » Et ad Cain Dominus ait : [2] « Nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti ? » « Qui autem. » Ac si diceret : Sicut ille beatus est, qui a licitis abstinet, ne his indiscrete utendo ad scandalum, scilicet fratris damnationem incurrat, ita e contrario ille qui contra conscientiam suam illicitis utitur, peccat. Et hoc est : « Qui autem discernit, » id est, distinguit quosdam cibos edendo, eos scilicet propter prohibitionem legis non esse comedendos, et tamen contra conscientiam suam eos comedit, dum videlicet credit ab ipso non debere comedi, reus per hoc statuitur, quia non ex fide est quod facit, immo contra fidem suam agit, id est contra hoc quod credit agit. Credit enim non esse comedendum, et tamen comedit, ac per

[1] *Prov.*, cap. XIV, v. 12. — [2] *Genes.*, cap. IV, v. 7 : Nonne si bene egeris recipies; sin autem male statim in foribus peccatum aderit?

hoc peccat. « Omne enim. » Ac si diceret : Quia quidquid contra hoc quod creditur fit, sive in esu, sive in aliis, « peccatum est. » Deus enim qui cordis inspector est, non tam quæ fiunt quam quo animo fiunt attendit. Non immerito autem quæri potest de his qui interficiebant fideles quos seductores putabant, juxta illud Veritatis[1] : « Venit hora ut omnis qui interfecit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo, » utrum in hoc peccaverint. Si enim credebant eos seductores animarum, et ideo dignos morte, quomodo contra conscientiam suam eis parcere debebant? Quippe si parcerent, contra conscientiam suam agerent, et ita peccarent. Sed rursus cum interficiunt innocentes, immo electos Dei, quod iniquum est, dicemus eos non peccare, aut eos in hoc bonam intentionem habere, quia maxime erat, ideoque bona æstimatur potius esse quam sit? Quomodo etiam ignorantia excusat eos a peccato, cum constet nonnulla etiam peccata ignorantiæ dici? Alioquin quomodo Psalmista diceret ad Deum[2] : « Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt. » Et Veritas de persecutoribus suis[3] : « Pater, ignosce eis, quia nesciunt quid faciunt. » Ubi enim culpa non præcessit, quid est opus ignoscere? Si enim ignorantia vel etiam fidei error excuset penitus a culpa, unde Judæi aut Gentiles, vel quilibet infideles de infidelitate sua damnandi sunt, cum unusquisque fidem suam rectam esse putet? Quis enim sponte in ea persistat fide, quam erroneam credat, ut sibi partem eligat deteriorem? De talibus tamen Veritas ait[4] : « Qui non credit, jam judicatus est. » Sed hujus rei discussionem *Ethicæ*[5] nostræ reservamus.

Quærendum quoque arbitror cur hoc loco Apostolus consulat alimentis et cibis propter scandalum infirmorum fratrum abstinendum, cum in Epistola *ad Galatas* dicat se in hoc Petro restitisse[6] « quia reprehensibilis erat; » sed hoc definiendum illi loco reservamus. Quærendum etiam si juxta ipsum Apostolum, omnia munda mundis, et nil rejiciendum in cibis quod cum gratiarum actione percipiatur. Cur enim Apostoli vel sancti Patres quædam nobis in cibo sicut etiam lex interdixerunt? Unde etiam in *Actibus Apostolorum* continetur[7] : « Surrexerunt quidam de hæresi Pharisæorum qui crediderunt, dicentes quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque legem Moysi. Surgens Petrus dixit ad eos : Quid tentatis Dominum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu credimus salvari quemadmodum et illi. » Item respondens Jacobus et dicens[8] : « Notum a seculo est Domino opus suum, propter quod ego judicio non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis

[1] Joan., cap. XVI, v. 2. — [2] *Psalm.* LXXVIII, v. 6. — [3] Luc., cap. XXIII, v. 34. — [4] Joan., cap. III, v. 18. — [5] Vide infra *Ethic.* I, c. XII et sqq. — [6] *Galat.*, cap. II, v. 14. — [7] *Act. Apost.*, cap. XV, v. 5 et sq. — [8] *Ibid.*, v. 18.

et sanguine. Moyses enim a temporibus antiquis habetur in civitatibus singulis quæ eum prædicent in synagogis ubi per omne sabbatum legitur. » Origenes in hac Epistola supra ubi scriptum est : « Si igitur præputium legis [1], etc. Vis autem videre usque sanguis est ipsius, » quod invenies superius in II quaternione. » Ambrosius in Epistolam *ad Galatas* de Apostolis [2] : « Præterea cum legem dedissent non molestari eos qui ex Gentibus credebant, sed ut ab iis tantum observarent, id est a sanguine et fornicatione et idololatria. Non utique ab homicidio prohibiti sunt, cum jubentur a sanguine observare ; sed hoc acceperunt quod Noe a Deo didicerat, ut observarent se a sanguine edendo cum carne. Quæ sophistæ Græcorum non intelligentes, scientes tamen a sanguine abstinendum, adulterarunt scriptum, quartum mandatum addentes, et a suffocato observandum, quia jam supra dictum erat quod addiderunt. » Hieronymus *in Ezechiel* : « Omne morticinum èt captum a bestia de avibus et pecoribus non comedunt Sacerdotes, et juxta litteram omni generi electo, regali scilicet et sacerdotali, quod proprie ad Christianos refertur, qui uncti sunt oleo spirituali, de quo scriptum est [3] : « Unxit te Deus oleo exultationis præ participibus tuis, » hæc præcepta conveniunt, ut morticinum non comedant tam de avibus quam de pecoribus, cujus nequaquam sanguis effusus est ; quod in *Actibus* Apostolorum dicitur « suffocato, » et quia necessario observanda Apostolorum epistola monet, et capitur a bestia, quia et ipse similiter suffocatus est. » Ex *Pœnitentiali* Theodori : « Animalia quæ a lupis seu canibus lacerantur non sunt comedenda, nec avis nec capra, si mortui inventi fuerint, nisi forte ab homine adhuc viva occidantur prius, sed porcis et canibus dentur. Aves vero et animalia cætera si in retibus strangulentur, non sunt comedenda, nec si oppresserit accipiter, et si sic mortua inveniuntur, quia in *Actibus* Apostolorum præcipitur abstinere a fornicatione, a sanguine suffocato, et idololatria. » Item : « Si porci vel gallinæ sanguinem hominis comederint, mox occidantur, et penetralia projiciantur, et cætera caro manducetur : si autem tardentur occidi, non comedantur : si autem cadavera laceraverint mortuorum, macerentur, et post anni circulum comedantur. Si autem porci occiderint hominem, statim interficiantur, et sepeliantur. » Item : « Qui manducat carnem immundam aut morticinam aut dilaceratam a bestiis, quadraginta dies pœniteat. Si autem necessitate famis contingat, multo levius est. » Item : « Qui sanguine vel quocunque immundo polluitur, si nescit quod manducat, leve est. » Item : « Qui sanguinem aut semen biberit pro aliqua re, quatuor annis pœniteat. » Item : « Piscis mortuus inventus in flumine non est edendus. Si vero piscando tactus fuerit et ipso die inventus, qui non hæsitat

[1] *Rom.*, cap. II, v. 26. — [2] *Opp.*, t. II, in append., col. 214 et 215. — [3] *Psalm.* XLIV, v. 8.

manducet : qui autem dubitat, non manducet. » Ex Concilio Gangrensi, post Nicenum Concilium, cap. II : « Si quis carnem manducantem ex fide cum religione, præter sanguinem et idolis immolatum et suffocatum, crediderit condemnandum tanquam spem non habentem qui eam manducat, anathema sit[1]. » Augustinus *de Fide* ad Petrum[2] : « Firmissime tene, et nullatenus dubites omnem creaturam Dei bonam esse, et nil rejiciendum esse quod cum gratiarum actione percipitur : et Dei servos qui a carnibus aut vino abstinent, non tanquam immunda quæ a Deo facta sunt respuere, sed a fortiori cibo et potu pro sola corporis castigatione abstinere. » Sed si hæc in Apostolis et Apostolicis viris quæ contraria videntur, diligenter in ipsa radicis intentione discutiamus, reperiemus hæc et illa, pro tempore et loco, modo prohibenda esse, modo concedenda, et nonnunquam in aliquibus prohibendis magis de honestate vitæ quam de religione fidei prævisum esse. Sic enim in *Hexameron* B. Ambrosius allium quod ad medicamen sumi concedit, ad cibum sumi interdicit : quod scilicet fœtore ipsius honestus vir facile scandalizetur. Sic et de nonnullis aliis vilibus cibis propter honestatem conservandam fieri credimus. Nec mirum etiam si ea discretione, qua Apostolus ait a cibis quibusdam esse abstinendum, propter scandalum scilicet infirmorum fratrum, et Jacob in primitiva Ecclesia quæ infirmæ adhuc fidei erat, eorum interdixit esum, in quibus fideles tunc maxime offendi considerabat. Nam et Apostolus ipse cum penitus circumcisionem interdicat, ad horam tamen ei cessit, Timotheum circumcidi permittendo, vel seipsum etiam in ritu Judaico cum quibusdam conversis Judæis consecrando. Quod ergo aliqui sanctorum Patrum in quibusdam locis vel temporibus, propter scandalum eorum cum quibus convivebant, rationabiliter prohibuerunt, postmodum alii fide nostra jam optime roborata laudabiliter concesserunt. Alioquin Moysi Apostolus inveniretur contrarius, si videlicet quod uno tempore prohibitum est vel permissum, semper esset tenendum. Nonnulla etiam quæstio esse potest de Judæis seu proselytis ante adventum Christi per legis observantias professionem suam seu votum facientibus, utrum postmodum ad fidem conversi, votum illud vel in cibis vel in aliis transgredi queant. Tunc quippe statum suum adhuc lege retinente, legitime factum fuisse votum hujusmodi videtur. Unde nequaquam violandum esse videtur, nec ille qui tunc illud fecit, postea factus Christianus ab abstinentia illa ciborum absolutus esse videtur : maxime cum remissius vivatur a nullis abstinendo, quam a quibusdam : nec votum legitime votum bene quis

[1] *Decret.* P. 1, dist. 30. Locus iste omnino mutilus apud Amboesium sic legitur : « Si quis carnem manducans ex fide cum religione præter sanguinem et idolis immolatum et suffocatum ediderit, condemnandus tanquam spem non habens quid eas manducat, anathema sit. » — [2] *Reg.*, XXXIX, *Opp.*, t. VI, col. 1134.

intermittat, nisi ad majora conscenderit, quæ illud tenere impediant. Ad quod quidem respondendum arbitror, quod si hoc non tam pro antistante lege observet [1], quam pro voti sui dispositione, nequaquam culpandus est, nec ab hoc absolvendus est voto, nisi forte propter aliquorum scandalum eum adhuc in hoc Judaizare credentium, quasi nunc quoque statum suum legitime retinere crederet, et ob hoc abstineret. Videtur nec tale votum legitime vel rationabiliter tunc esse factum, sed per errorem ab eo in professionem illud promissum esse, cum legem scilicet in pristino vigore suo perseveraturam crederet.

« Debemus. » Dixi superius nil esse commune, immo omnia munda fidelibus, sed tamen debemus eorum qui aliter credunt et infirmiores sunt in fide debilitatem tolerare, et « non nobis placere, » id est non nostram de eis voluntatem implere, ipsos scilicet repellendo, sed eorum quærere salutem, eos scilicet tolerando. « Placeat, » id est placere studeat in eo quod culpabile non est, propter « ædificationem » scilicet ipsius. Aliter enim a nobis ædificari non poterit nisi nostram doctrinam susceperit, et hoc exemplo Christi faciamus. Et hoc est, « Etenim. » Id est homo ille assumptus a Verbo, qui secundum ejus unctionem specialiter Christus dicitur, non tam humanæ quam divinæ voluntatis placitum implere studuit. Unde et ipsemet ait [2]: « Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me. » Voluntas quippe hominis ea proprie dicitur, quæ ex infirmitate vel passibilitate carnis illata, eam naturaliter quietare appetit, quæ nullis affligatur molestiis, sed ab omni penitus pœna sit immunis, sicut et primis parentibus ante peccatum concessum est, et in futura vita plenius nobis concedendum est. Sicut enim miseriæ pœnam, sic quietem constat esse, et sicut quod beatitudinis vel quietis est quisque appetit, sic quod miseriæ vel laboris est, refugit. Talis itaque appetitus humana in nobis voluntas dicitur, quam voluntatem quisque obediendo sequitur. At inquies, Quomodo Christus non sibi placuit, si placuit Deo patri? Numquid alteri placere potest quod alteri displiceat? Numquid omnes justi Christo placent sicut et Patri? An voluntas Patris est alia quam voluntas Christi? Quid itaque est, Christus non sibi placuit, vel non venit facere voluntatem suam, nisi quod nunquam homo ille assumptus aliquid facere appetivit, quod hic sibi suave esse speravit, sed quia hoc Deo placere credidit? Omnes vero alii quantumcumque sint sancti, quia omnino expertes peccati non sunt, nonnulla ex infirmitate vel passibilitate carnis appetunt, non alia de causa, nisi ut ipsi infirmitati satisfaciant, et præsentem passionem vel afflictionem evitent. Quod quidem est sibi placere, aut suam

[1] Amb. *Antistante legis non observet*, male ut opinor. — [2] Joan. I, cap. VI, v. 38.

voluntatem facere, id est ad tantum vel præcipue agere, quia sibi credat illud esse suave, in seipsis scilicet hujus actionis suæ finem constituentes. Quod a Christo longe penitus fuit. Tale est ergo, Christus non placuit sibi, sed videlicet Deo Patri, quia nil homo ille appetivit quod suave ipsi esset, sed quia hoc Deum approbare sciret, vel ejus in hoc præceptum haberet. Cui et ipsemet ait[1]: « Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias tuas. » Quam quidem passionis aut laboris pœnam propter obedientiam susceptam Apostolus statim adjungit, ut videlicet per hoc ostendat eum Patri magis quam sibi placuisse, sed sicut scriptum est in *Psalmo* 78[2]: « Improperium, etc. » Quisquis enim exprobrat nuntio alicujus, vel eum in aliquo deturpat seu dehonorat, non tam ei qui mittitur, quam ei qui mittit, imputandum est. Unde et Saulo dicitur[3]: « Saule, Saule, quid me persequeris? » me, inquam, potius quam meos, quia propter me potius quam propter ipsos. Quid autem improbare Deo Patri, nisi irridere generationem esse in divinitate, quam carnaliter eorum intelligentia capere non poterat? Hæc ergo irrisio super Christum cecidit, quia dum hanc generationem prædicaret, vel se Filium Dei diceret, Patris in hoc gloriam, non propriam quærendo, non solum irrisioni inde est habitus, sed ad mortem quoque traditus, sicut scriptum est[4], « Deum se Patrem habere gloriatur, videamus si sermones illius veri sint, etc. » Et in Evangelio[5], « Confidit in Deo, liberet eum nunc si vult. Dixit enim quia Filius Dei sum. »

« Quæcunque scripta sunt. » Ac si diceret: Quid ad nos novæ legis professores testimonium veteris Testamenti, maxime cum ejus opera respuamus? Respondet quia quæcunque scripta sunt, tam in veteri scilicet quam in novo Testamento, « ad nostram, » id est Christianorum, « doctrinam scripta sunt. » Non enim illi in veteri Testamento docentur, sed excæcantur, qui litteram occidentem ibi sequuntur, sed illi maxime qui frangentes exteriorem crustam, mica interiore saginantur. Sed et seculares litteras non nisi ad doctrinam aliquam vel morum vel litteraturæ, vel ut in aliquo sacræ scripturæ opitulentur, Deus scribi permisit, licet hoc illarum scriptores ignorarent. « Ut per. » Ad hoc inquam eis instruimur et docemur, ut per « patientiam » videlicet in adversis, « et consolationem » in scripturis factam de bravio videlicet æternæ beatitudinis, spe per omnia corroboremur in Deo, scientes quia si compatimur et conregnabimus[6], et « in patientia vestra possidebitis animas[7]. » Hæc autem spes illa est, de qua superius dictum est[8], « Spes autem non confundit. » Bene autem cum de adversitatibus præmisisset dicens[9], « Improperia improperantium, etc. » patientiam contra illa scilicet ne-

[1] *Psalm.* XVI, v. 4. — [2] *Psalm.* LXXVIII, v. 12. — [3] *Act. Apost.*, cap. IX, v. 4. — [4] *Sap.* cap. II, v. 16. — [5] Matth. cap. XXVII, v. 43. — [6] II *Tim.*, cap. II, v. 12. — [7] Luc., cap. XXI, v. 19. — [8] *Rom.*, cap. V, v. 5. — [9] *Rom.*, cap. XV, v. 3.

cessariam et consolationem scripturarum apposuit. Cum autem in exordio hujus Epistolæ prædixisset omnem scripturam divinam aut docere aut movere intendere, quomodo nunc dicit, « quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta esse? » Sed profecto ea etiam quæ admonent ad doctrinam scripta sunt, non quidem ut doceant quod fiat, sed ut doctrina efficaciam habeant, id est ut implere velimus quod edocti sumus. « Deus autem, » id est sicut Christus non placuit sibi, sed Deo, nec propriam gloriam, sed Patris quæsivit : « ita ipse Deus, cujus est et patientiam et consolationem dare, det vobis idipsum sapere in alterutrum, » id est inter vos hoc quærere, ut alter alteri placeat in bonum, « secundum Jesum Christum, » id est, ejus, ut dictum est, exemplo, « ut unanimes, » id est communiter tam infirmi in fide quam firmi, concordi « ore » laudetis, « Deum » de misericordia scilicet redemptionis nostræ per Filium suum nobis exhibita. Unde et cum dixisset Deum, addit eumdem, et « Patrem Domini nostri Jesu Christi. » Qui non solum ad gloriam suam, sed ad nostram etiam salvationem habere talem filium gloriatur, ut per eum etiam noster sit pater, qui descendit quærere fratres. « Propter quod, » ut videlicet ita communiter ab omnibus honorificetur Deus, « suscipite » vos invicem, id est non abjiciat vel exasperet alter alterum, sed qui firmior est in fide atque perfectior, infirmum toleret. Et hoc exemplo Christi facite, qui nos videns et duræ cervicis non solum infirmos fide, sed mortuos in infidelitate non repulit, sed suscepit; immo etiam traxit ad glorificandum Deum scilicet et laudandum, tam de nostra scilicet conversione quam de aliorum per nos. « Ministrum fuisse circumcisionis, « id est Judæorum, quibus solis per semetipsum prædicando verbum vitæ ministravit, sicut et ipsemet ait[1] : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. » « Propter veritatem Dei, » id est ut promissio Dei consisteret, qui specialiter et frequenter eis se mittere salvatorem promiserat. Et hoc est quod subdit « ad confirmandas, » id est ut firmæ et inconcussæ permaneant promissiones illæ antiquis patribus factæ de Christo eis mittendo. Voluit enim debitorem se teneri promittendo, ut solutor fieret propitiando.

« Gentes autem. » Ac si diceret : Dico Christum ministrum, etc., sed et Gentes dico, subaudis, « super misericordia » sibi a Deo impensa, præcipue nunc « honorare Deum. » Qui videlicet quanto amplius olim per idololatriam a Deo remoti fuerant, tanto nunc ad cultum Dei majori copia propinquaverunt, ut ubi abundavit peccatum, superabundaret et gratia. Et nota quod superius propter promissionem Judæis factam non tam misericordiam dixit quam debitum intellexit. In Gentibus vero tanto rectius misericordiam vocavit, quanto eis pro

[1] Matth., cap. xv, v. 24.

multiplici sui erroris culpa minus debebatur. « Sicut scriptum est, » in Psalmista loquente scilicet ad Patrem in persona Christi dicentis Patri[1], « Confitebor tibi in Gentibus, » id est laudari te faciam etiam a Gentibus conversis, et tibi per me acquisitis. Quarum quidem primitiæ Magi fuerunt, sive Samaritani etiam illi, quibus per Samaritanam illam innotuit, et fortasse etiam Gentiles illi, qui circa passionem per Philippum et Andream, ad eum accesserunt, eum videre cupientes : de quibus ait[2] : « Nunc clarificatus est Filius hominis. » « Et nomini tuo » ad honorem tuum videlicet et tuam dilatandam notitiam spiritalibus canticis eos vacare faciam. Quod vero ait propterea superius, continuatur in Psalmo ubi præmissum est[3], « Et ab insurgentibus in me erue me, etc. » Exaltatus quippe est per ipsos qui eum crucifigentes nomen ejus delere crediderunt, de qua quidem exaltatione ipse quoque prædixerat[4], « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum, » non solum videlicet Judæos, sed et Gentes convertendo. « Et iterum » per Isaiam[5] scilicet, prævidens Ecclesiam tam ex Judæis quam ex Gentibus congregandam, hortatur communiter utrosque ad exultandum et laudandum Deum de sua conversione. Plebem Dei et quondam peculiarem populum ejus Judæos dicit. « Et iterum » per ipsum David « magnificate » id est bonis operibus glorificate, « omnes populi, » id est quælibet fidelium multitudo, non solum ex Gentibus congregata. « Erit radix. » Aliud testimonium de conversione Gentium post incarnationem scilicet Domini ab eo regendarum, et in eo sperandarum, sicut radix residuum est arboris incisæ, et si in terra sit recondita, multas ramusculorum emittit propagines. Ita Jesse patre David olim defuncto, et tanquam arbore de vita præsenti abscisso, quasi radicem et residuum sui Christum habuit longe postea de semine suo nasciturum. Radix hæc in terra recondita est, dum in ipsa carne sua, quæ terrenæ substantiæ est, sepultus juxta quod de semetipso ait[6], « sicut fuit Jonas in ventre ceti, etc. » in multam propaginem fidelium resurgendo pullulavit, secundum illam ipsius parabolam[7], « Nisi granum frumenti, etc. » Scimus autem et tunc maxime radicem quamlibet generari, et quasi impinguari, ut multiplicetur, si ei fumus adhibeatur, et stercora, juxta illud Dominicæ parabolæ[8], « Dimitte et hoc anno, ut mittam stercora. » Quid autem fumus vel stercora sunt huic radici admota, nisi sordes peccatorum nostrorum quæ suscepit et portavit in corpore suo, ut de ipso tanquam radice et omnium origine innumeri propaginis fructus in Ecclesia nascerentur ? Nil quippe nasci profuit, nisi redimi profuisset. Hoc itaque Spiritus per Isaiam promittens, ait[9] : « Erit radix Jesse, » id est eo defuncto, supererit

[1] *Psalm.* XVII, v. 50. — [2] Joan., cap. XIII, v. 31. — [3] *Ps.* XVII, v. 49. — [4] Joan., cap. XII, v. 32. — [5] Isai., cap. XI, v. 10. — [6] Matth., cap. XII, v. 40. — [7] Joan., cap. XII, v. 24. — [8] Luc., cap. XIII, v. 8. — [9] Isai., cap. XI, v. 10.

ei de suo semine posteritas per quam restauretur uberius in prole quod deperiit in arbore, quia plures fideles orientur quam antea de Jesse extiterant. « Et qui. » Ac si diceret : Et ille erit ista radix, « qui exurget » conscendendo vehementer, donec ejus corpus quod est Ecclesia ubique dilatetur, cujus regimini ipse semper tanquam caput præerit, sicut et promittit dicens[1], « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. » De quo etiam regimine idem Propheta alibi dicit[2], « Et puer parvulus minabit eos. » « In eum, » id est de gratia ejus, non de lege vel suis viribus confident. Hoc est radix, de qua idem etiam quodam loco dicit Propheta[3], « Radix Jesse quæ stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulchrum ejus gloriosum, » de quo scilicet sepulchro radix illa exurgens in magnam crevit ramorum fructicem. « Deus autem. » Dixi, « lætamini gentes, » et « in eum gentes sperabunt, » et hoc in vobis Romanis ipse impleatur. Et hoc est « Deus spei, » de cujus gratia sperandum est omnibus; soli electi omne gaudium habere possunt tam in hac scilicet vita in spe quam vel in illa in re. « Et pace, » removendo scilicet a vobis superbam illam contentionem, pro qua sedanda hæc scripta est Epistola. « In credendo ut. » Ac si diceret : Ut ex fide, per quam creditur, et quæ omnium bonorum est fundamentum, proficiatis in spe et caritate, quæ naturaliter inde sequuntur. Virtutem quippe Spiritus sancti amorem Dei in nobis dicit qui contra omnia fortis est, sicut scriptum est[4], « Valida est sicut mors dilectio. » Et iterum, « Omnia suffert, omnia sustinet. » « Certus sum. » Quos culpando diu terruerat, laudando ne desperent in fine mitigat, dicendo scilicet etiam apud eos esse qui et dilectione et scientia pleni sunt, ut scilicet alios instruere velint et possint. Et hoc est, « certus sum, » ac si diceret : Ac si ita corrigam vel moneam, « et ipsi, » id est sicut in quibusdam personis pleni estis superba contentione vel ignorantia, ita et ipsi in quibusdam pleni, etc. « Omni scientia ita ut, » id est ad hoc sufficientem habetis scientiam, ut possitis invicem vos adhortari ad bene operandum. « Audacius autem ex parte, » id est aliquantulum majori fiducia scripsi vobis, qui in loco mihi commisso estis, qui scilicet doctor specialiter sum tam Gentium quam Judæorum. Et hoc est quod exponit, dicens, ut pote sollicitus de vobis, « propter gratiam, » id est officium Apostolatus prædicandi Gentibus mihi injunctum, de qua quidem gratia ipsemet ait[5], « Gratis accepistis, gratis date. » Minister Christi prædicator est, dum non sua lucra, sed Christi quærit, et quia nonnulli bene prædicantes male vivunt, addit, « sanctificans, » id est vita quoque mea commendans prædicationem quam de Deo facio, ut oblatio, id est oratio etiam mea quam pro ipsis facio, « fiat accepta Deo, » id est « sanctificata in Spiritu sancto, »

[1] Matth., cap. XXVIII, v. 20. — [2] Isai., cap. XI, v. 6. — [3] *Ibid.*, v. 10. — [4] *Cant.*, cap. VIII, v. 6. — [5] Matth., cap. X, v. 8.

id est per Spiritum sanctum, qui ut supra dictum est, docet nos quid orandum sit et postulat pro nobis gemitibus.... [1] id est sanctum consequatur effectum ut nos omnes sanctos efficiat.

« Habeo ergo. » Quia videlicet ita facio quæ Christi sunt quærendo, habeo « gratiam » hinc pro Christo, cui in hoc deservio, ad quod « Deum, » id est pretium, divino judicio, si non humano, hinc acquiro. Quod quidem dicendo exemplo suo ad fraternæ dilectionis sollicitudinem eos adhortatur. « Non enim. » Ostendit quomodo sanctificet vel commendet prædicationem suam, dicens se non præsumere aliquid loqui, id est sibi imputare per jactantiam, quorum non habeat efficaciam, sicut pseudo Apostoli faciebant. « In obedientia Gentium, » id est propter hoc ut obedientiam inter Gentes traham, hæc efficit inquam, « in verbo, » id est per verbum suum, « et factis, » id est per miracula. Quæ statim facta subdividit dicens, « in virtute, » id est per potentiam mihi collatam, « signorum et prodigiorum, » id est signorum mirabilium. Sunt enim signa quædam naturalia, de quibus non miramur, sicut de planetis scriptum est, ut sint in signa et tempora. Quæ vero contra naturam, id est usitatum naturæ cursum veniunt, ut leprosos mundare, vel mortuos suscitare, hæc prodigia, id est admiratione digna dicuntur. Unde prodigium quasi prodendum digito dicitur. « Virtute Spiritus sancti, » id est ex potestate per gratiam Dei mihi collata, ad differentiam scilicet miraculorum Antichristi seu magorum. Origenes : « Signa appellantur, in quibus cum sit aliquid mirabile indicatur quoque aliquid futurum. Prodigia vero in quibus tantummodo mirabile aliquid ostenditur. Scriptura interdum abusive et prodigia pro signis, et signa pro prodigiis ponit. Signa et prodigia pro uno accipiuntur hoc loco. » « Ita ut. » Gloriam, inquam, habeo apud Deum, tantum scilicet de labore meo, ut totam illam terram ab Jerusalem usque ad Illyricum repleverim prædicatione Evangelii, ut videlicet ostendat dignum se a Romanis exaudiri, qui a tot et tantis sit exauditus. Haymo : « Illyricum Provincia est finis Asiæ ad principium Europæ. » « Sic autem. » Scilicet verbo et factis et virtute signorum in his locis, ubi prius de Christo nil omnino auditum fuerat, ut videlicet non sit mirabile si apud vos jam Christum confessos prædicatio mea locum habeat. « Ne super. » Ac si diceret : Hoc scilicet mihi contingente, ut non ædificium fidei collocarem super aliorum prædicationem præcedentem, quæ quasi meæ prædicationis fundamentum esset. In quo difficilius ostendit quod ibi fecit, quam quod apud Romanos facere cupit. « Scriptum est, » in Isaia,

[1] Sic Amboesius. *Gementibus* pro *gemitibus* legendum esse videtur. Conjicimus quoque quod sequitur *id est sanctum consequatur effectum* referri ad *fiat accepta Deo*, textumque ita restitui posse : *Et postulat pro gementibus.* « *Fiat accepta Deo*, » *id est sanctum consequatur effectum*, etc.

id est ut per me contingeret quod per illum prophetatum est « de eo, » id est Christo, « videbunt » scilicet intelligendo. Quod statim exponens ait: « Et qui, etc. » « Propter quod, » quia videlicet ad tot penitus ignaros intendebam convertendos. « Impediebar. » Ut pseudo apostolorum commenta excludat dicentium eum ad tales vel tantos accedere non audere, eis maxime præsentibus, vel ut se rationabili causa excuset, « plurimum » dicit, id est maxime, quia et aliæ nonnullæ potuerunt hujus impedimenti esse causæ. « Locum, » scilicet prædicandi vel causam morandi omnibus bene confirmatis. Origenes : « Videtur hoc in Achaia positus dicere apud Corinthum. » « In Hispaniam. » In transitu se eos videre promittit, quasi innuens apud eos qui jam conversi erant non diu sibi immorandum esse, sicut et in exordio Epistolæ eos in aliquibus confirmandos dixit potius quam convertendos; decet etiam quemquam bonum virum minus promittere quam facere, et boni doctoris tanto gratior mora fit, et amplius desideratur, quanto brevior speratur. Prævenit ita illos, ut in adventu suo se præparent, et de quibus instrui velint prævideant. « Spero. » Nil videlicet ex meipso de me præsumens, sed totum Deo committens. « Et a vobis. » Vult enim eos comites itineris sui esse, tum ut auctoritate Romanorum cæteræ gentes facilius subjectæ convertantur, tum etiam ut adversus pseudoapostolos et quoslibet ei detrahentes prædicationem ejus quam ipsi audierint valeant attestari, et eis diu secum in prædicatione circumeuntibus, sic saltem recompenset quod in transitu eos viderit. Bene dicit deduci se ab illis, quasi tutum se ostendens per conductum eorum qui cæteris imperant. In quo et eos de mora sua apud illos consolatur, quasi in eorum arbitrio hanc constituens. « Si vobis. » Haymo. « Frui est aliquid cum delectatione possidere, vel amplecti et videre. » Et attende quod cum proprie Dei frui sit, ut Beatus meminit Augustinus, hic non dicit frui simpliciter, sed frui ex parte, sicut et ad Philomenem cum diceret, « fruar te, » adjunxit statim « in Domino. » Deo quippe omnino fruimur, dum illum propter se tantum obtinere cupimus, proximo vero fruimur ex parte, dum sic eum propter utilitatem ipsius per amorem amplectimur, ut tamen hujus fruitionis finem, id est finalem et supremam causam in Deo ponamus. Partim quippe proximus in causa est, sed causa Deus suprema est. Ex parte itaque fruimur proximo, sed ex toto fruimur Deo, quia ipse fruitionis suæ tota est causa, proximus vero non tota suæ fruitionis, ut diximus, causa est, cum sit superior Deus, cum videlicet de proximo quoque propter Deum cogitemus. Nota quod dicit « proficisci cœpero, » quia cum ad Romanos propter ipsos veniat, non sibi imputat proficisci ad Hispaniam, nisi cum ab ipsis recesserit, quando videlicet propter Hispanos totum egerit. Et attende quod cum dicit, « si vobis primum, » iterum eorum benevolentiam captat, quasi necessarium sibi judicet, nec se aliter de Hispanis facere posse, nisi prius eos visitet.

« Nunc ergo. » Quia videlicet hic ultimus non habeo locum. « Nunc, » id est antequam venirem ad vos, cum in Gentibus specialiter apostolatum accepissem. Unde et solus doctor Gentium appellatus quantam etiam de Judæis conversis habeat curam ostendit quod alibi ait, « sollicitudo omnium Ecclesiarum[1]. » Quod etiam fortassis ad excusationem quamdam sui prætendit, si ad eos scilicet venire differat. « Ministrare sanctis, » id est illis qui ibi sunt fidelibus ex Judæa conversis, cibum ad necessitatem eorum a me collectum illis deferre. Habebat quippe in consuetudine Apostolus, sicut sæpe testatur de illa Hierosolimitana Ecclesia per ipsum Christum olim et per Petrum et Jacobum cæterosve Apostolos conversa, in corporeis necessitatibus maximam sollicitudinem, ut eis saltem corporalem cibum ministraret, quibus aliorum prædicatio spiritualem. Præcipue vero eis subveniendum putabat pluribus de causis. Plurimam quoque auctoritatem fidei nostræ dabat populus ille conversus, qui ocius[2] a Deo legem suscipiens peculiaris ejus populus vocatus est, et cum primo credidisset, quasi in nostræ fidei fundamento et cæteris exemplo positus, plurimum ne deficeret sustentandus erat. Denique sicut in *Actibus Apostolorum* legitur[3], tanta devotione conversi sunt ut omnino proprium relinquentes, omnia quæ habebant ad pedes Apostolorum ponerent; et sicut ipse in Epistola *ad Hebræos* meminit[4], majorem violentiam Judæorum in amissione suarum rerum sustinuerant. Hinc autem præcipue formam et exemplum episcopis Apostolus[5] proponit, ut cum pauperes ecclesias seu monasteria conspexerint, eorum prædicatio eis alimenta colligat. « Probaverunt enim. » Vide quam caute Romanos aliorum exemplo ad hanc eleemosynam similiter Hierosolymitanis faciendam invitet, dicens eos qui hanc tribuant, per seipsos id faciendum probasse, id est laudasse, potius quam aliqua coactione vel exhortatione Apostoli. Unde et dicit, « probaverunt, » id est quasi suo id judicio approbantes ad hoc me compulerunt. Haymo : « Isti qui scientiam prædicandi non habebant, ut ad prædicandas Gentes possent ire, erant in Jerusalem vacantes orationibus et jejuniis. Quibus etiam Apostoli de singulis provinciis et locis in quibus prædicabant, quidquid pecuniarum, argenti et auri et frumenti et vestimentorum accipiebant, eis mittere satagebant; maxime tamen Paulus, qui pluribus gentibus prædicabat. Unde dicunt doctores, quod aliquando amplius quam tres aut quinque modios argenti eis mittebat. » Item : « Macedonia et Achea, quæ Achaia vocatur, a qua et populi ejus dicuntur Achei, provinciæ sunt nobilissimæ Græcorum sibi adjacentes, quas Apostolus Ecclesiis replevit. Cum dicitur Macedonia et Achaia, continens ponitur pro contento, id est no-

[1] II *Corinth.*, cap. XI, v. 28. — [2] Sic forsan legendum. Amb. *Locus*, quod sensum non habet. — [3] *Act. Apost.*, cap. IV, v. 34, 35. — [4] *Hebr.* cap. X, v. 33. — [5] Male Amboesius *epistolis*.

mina terrarum pro nomine habitatorum, sicut et potum calicem appellamus. » « Collationem, » quam symbolum Græce dicimus, ubi scilicet diversa conferuntur a diversis, sicut in commessationibus fieri solet. Isti vero substantias, sed paupertim commessationes de suo congregabant. « Placuit enim. » Ac si diceret, « bene dixi, » « Probaverunt, » ut hoc voluntarii potius quam coacti agant, quia ex eorum voluntate magis quam ex nostra concitatione id geritur; et merito placuit, quia scilicet « debitores sunt. » Quod statim a minori convincit dicens: « Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent et in carnalibus ministrare eis, » id est cum spiritualium bonorum quæ illi habebant, sicut legis, Prophetarum, vel etiam orationum et obsequiorum divinorum, quæ quotidie ibi pro salute Gentium celebrant. « Hoc ergo. » Quia videlicet illis sicut justum est placuit.

« Cum consummavero, » id est perfecero hanc legationem, et perveniens illuc « assignavero eis fructum hunc » videlicet eleemosynæ, hoc est, distinxero qui bene eis mittant, ut pro eis tanquam benefactoribus suis orent, « proficiscar, etc. » Quamvis dicat Apostolus se profecturum in Hispaniam, incertum est adhuc utrum id fecerit, propter diversorum opiniones. Hieronymus *in Isaiam* lib. IV[1]: « Volabunt in navibus alienigenarum, et mare simul deprædabuntur. » Quod de unius Pauli Apostoli intelligamus exemplo, qui per Pamphyliam et Asiam et Macedoniam et Achaiam, et diversas insulas atque provincias ad Italiam quoque, et, ut ipse scribit, ad Hispanias alienigenarum portatus est ratibus. Cassiodorus super hanc ipsam Epistolam Pauli: « Proficiscar per vos in Hispaniam, » quod frequenter dicit, sed nunquam legimus fuisse completum. Unde desideratur quod dicitur, sed non prophetali veritate completur. Nemo tamen Apostolum reum mendacii arguat, si hoc quod credidit non implevit. « Non enim per duplicitatem locutus est, ut videlicet aliud diceret quam intenderet, id est ore quam corde. » « Scio autem quoniam veniens ad vos, » id est spiritu revelante didici, quamvis scilicet me transitum per vos habere dixerim. In quo quidem notandum est, quod dum hoc sibi revelatum dicit, ut sciat, innuit illud quod de Hispania præmisit ex opinione potius quam ex assertione protulisse. « In abundantia benedictionis Christi veniam, » ut videlicet, sicut de Joseph legitur, ad introitum meum Dominus largam vobis cœlestis gratiæ benedictionem infundat, id est in spiritualibus multiplicet. « Obsecro ergo vos fratres, » ut videlicet quod volo possim. « Per Dominum nostrum Jesum Christum et per caritatem Spiritus sancti, ut adjuvetis me, » si videlicet in eo amplius perficere vultis, et dilectionem Dei habetis. « In orationibus ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui

[1] Isai., cap. XI, v. 14.

sunt in Judæa, et obsequii mei. » Multorum enim princeps fidelium quamvis imperfectorum multum apud Deum obtinere credit. « Ab infidelibus, » dum ita scilicet pro fidelibus qui ibi sunt laboro. « Obsequii mei, » id est mei ministerii[1] ab his qui per me hoc mittunt, vel etiam a Domino qui me ministrum sive dispensatorem Ecclesiæ constituit. « Oblatio, » eis tanquam ad altare Dei sacrificium per me delatum, « accepta fiat in Ierosolyma sanctis, ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, » id est placens et læta. Si enim mihi grave aliquod ibi propter hoc acciderit, maxime contristabuntur. « Refrigerer vobiscum, » tum a longo labore requiescendo, tum desiderium meum implendo. « Deus autem, » sive scilicet veniam sive non, « pacis sit cum omnibus vobis. Amen, » id est vos invicem a superba contentione pacificans. Quod quidem in fine epistolæ reservans, ad quod præcipue ipsa tendat epistola insinuat, et quæ in ea finalis sit causa sive intentio.

« Commendo autem vobis Pheben, » scilicet precibus vestris. Phebe per quam hanc epistolam Romanis de Corintho mittere creditur, dives quædam et nobilis mulier dicitur, quæ de facultatibus suis vel aliorum, fidelibus illis qui erant Cenchris, necessaria ministrabat, exemplo scilicet sanctarum feminarum, quæ Domino seu Apostolis fecisse memorantur. Hæc autem negotium quoddam habebat, pro quo Romam venire necesse habebat. Pro hac ergo Romanos Apostolus adhortatur et rogat, ut eam honorifice suscipiant, et in suo negotio quantum possint adjuvent. « Sororem nostram, et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit » fide, non carne. « Ministerio, » id est obsequium illorum fidelium qui sunt Cenchris, id est in eo loco qui sic vocatur, et dicitur esse portus Corinthi. « Suscipiatis » hospicio, « in Domino, » id est amore Dei, et ita honorifice ac benigne suscipiatis, prout dignum est atque conveniens sanctis suscipere sanctam. « Et assistatis ei, » id est adjuvetis eam. « Et enim ipsa quoque assistit multis et mihi ipsi. » Quod enim debetur ex multis ejus præcedentibus meritis, ut non tam hoc ei tribuatur quam reddatur. Origenes : « Apostolica auctoritate docet etiam feminas in ministerio Ecclesiæ constitui, in quo officio positam Pheben apud Ecclesiam, quæ est Cenchris, magna cum laude et commendatione prosequitur, quia in necessitatibus apostolicisque laboribus astiterit. Locus hic duo docet, et haberi feminas ministras in Ecclesia, et tales debere assumi in ministerium, quæ astiterint multis, et per bona officia usque ad apostolicam laudem meruerint pervenire. » Hieronymus : « In ministerio Ecclesiæ et nunc etiam in orientalibus locis, Diaconissæ mulieres in suo sexu ministrare videntur in baptismo sive in ministerio verbi, quia privatim docuisse feminas invenimus, sicut Priscil-

[1] Sic forsan legendum. Male omnino Amboesius : *id est mihi inimica ab his.*

lam cujus vir Aquila vocabatur. » Idem in Epistola *ad Timotheum*[1] : « Adolescentiores autem viduas devita in ministerio diaconatus præponere. » Sanctus Epiphanius Joanni Ierosolimitano : « Nunquam ego ordinavi Diaconissas et ad alias misi provincias, neque feci quidquam, ut Ecclesiam scinderem. Quas itaque antiquitus Diaconissas, id est ministras, nunc Abbatissas, id est matres vocamus. » Cassiodorus super hunc eumdem locum : « Pheben significat Diaconissam fuisse matris Ecclesiæ, quod in partibus Græcorum hodie quasi militiæ causa peragitur, quibus et baptizandi usus in ecclesia non negatur. » Claudius quoque in expositione hujus Epistolæ : « Hic locus docet etiam feminas in ministerio Ecclesiæ constitui, in quo officio positam Pheben apud Ecclesiam, quæ est Cenchris, Apostolus cum magna laude et commendatione prosequitur. »

« Salutate Priscam et Aquilam adjutores meos. » In fine epistolæ quosdam nominatim salutando plurimum commendat, ut eorum præcipue consilio et auctoritati qui perfectiores erant cæteri acquiescant. Priscam hic appellat Apostolus, quæ in *Actibus Apostolorum* Priscilla nominatur, pulchra quadam fortassis nominis allusione, ut eam scilicet sensu et moribus matrem insinuet. Erat autem Priscilla uxor Aquilæ, et ambo de Judaismo conversi ad Christum. « In Christo Jesu qui, » id est pro Christo adjutores in multis fuerunt, quas olim cum cæteris Judæis per Claudium Roma expulsas Apostolus Corinthum veniens ibi invenit, et quia ejusdem artis erat peritus, id est scenefactoriæ, junxit se illis, ut simul operarentur. Unde Beda *in Actus Apostolorum :* « Erant enim scenefactoriæ artis, quasi exules et peregrini tentoria sibi quibus in via utantur ædificant. Scenæ enim Græce tabernacula dicuntur, etymologiam ab obumbrando ducentia, apud quos umbra scena dicitur. Scenæ enim vel scenomata quasi umbracula sonant, quæ ex lineis aut laneis aut cilicinis, sive ex arborum frondibus, aut virgultis veteres esse ponebant. Mystice autem sicut Petrus piscando nos a fluctibus seculi extraxit, ita Paulus umbracula protectionis erigendo ab imbre nos criminum, ab arbore tentationum, et a ventis insidiarum verbo factisque defendit. » Chrysostomus in epistola *ad Hebræos*, serm. I : « Qui est splendor gloriæ et character substantiæ ejus, apostolica sententia, magis autem Spiritus sancti miranda gratia. Non enim ex intellectu proprio hæc loquebantur. Unde enim ille hoc? Num et ex scalpellis, aut pellibus, hæc operatio majestatis? Non enim has intelligentias sua mente procurabant, quæ tunc erat tam debilis et extrema, ut nil amplius haberet a plebeis et populis. Quomodo enim aliquid divinum posset ille sentire, qui circa pretia vendendi et circa confectionem pellium totam suam vitam, totumque suum studium

[1] *Tim.*, cap. v, v. 11.

continebat? » Ambrosius de Priscilla et Aquila[1] : « Hi credentes facti sunt socii laboris Apostoli, ut etiam ipsi exhortarentur cæteros ad fidem. Denique et Apollo quamvis fuerit exercitatus in scripturis, ab his tamen viam Domini diligentius instructus est. Ideo socios laboris sui dicit eos in Christo Jesu. Cooperarii enim ejus fuerunt in Evangelio. Unde præcipue docet quantum obedire eis Romani debeant. » Origenes[2] : « Potest autem fieri, ut quia illo tempore, pulsis ex urbe Judæis per præceptum Cæsaris, Corinthum venerunt, rursus edicti cessante sævitia, regressi salutarentur a Paulo. Quos tamen apparet Judæorum insidiis, Paulo periclitante, semetipsos objecisse, ut ille liber abscederet. » « Qui pro anima mea suas cervices supposuerunt, quibus non ego solus gratias ago, sed et. » Id est vita conservanda morti se opposuerunt. « Cunctæ Ecclesiæ. » Quarum videlicet Apostolus prædicator seu doctor specialiter dicitur. « Domesticam eorum Ecclesiam. Salutate Epænetum dilectum mihi qui est. » Id est totam ipsorum familiam ad fidem similiter conversam. « Primitivus Asiæ in Christo. Salutate Mariam. » Haymo : « Sive quia prius omnium credidit, seu etiam quia magnæ dignitatis atque nobilitatis erat, ut ostenderet nobiles etiam ad fidem venire, ac per hoc invitaret primos Romanorum ad fidem. « Quæ multum. » Origenes[3] : « Docet etiam debere etiam feminas laborare pro Ecclesiis. Laborant cum docent adolescentulas omnia quæ de officiis mulierum scripta referuntur. » « Laboravit in nobis. Salutate Andronicum et Juliam. » Ambrosius[4] : « Ad exhortationem illorum. » Haymo : « Laboravit, officium scilicet prædicationis feminis sui sexus impendendo per domos. Nam in Ecclesia non docebant mulieres. » « Cognatos. » Ambrosius : « Etiam juxta carnem et S. Spiritum. » « Concaptivos meos qui sunt nobiles. » Haymo : « Isti sunt exules effecti propriæ sedis ob gratiam Dei, sicut et Paulus. » « In Apostolis qui et ante me fuerunt, » id est inter prædicatores. Videtur hoc loco etiam feminam Apostolicam dicere, nisi forte istum « qui » ad Andronicum tantum et supradictos viros violenter referamus. « In Christo. Salutate Ampliatum dilectum mihi in Domino. Salutate Urbanum adjutorem nostrum in Christo et Stachin, » id est in fide Christi. « Nostrum, » mei scilicet et aliorum. « Dilectum meum salutate » et si non ita adjutorem, « Apellen. » Origenes : « Puto hunc Apellen post multas tribulationes transisse sapienter, et ideo pronunciari probum, secundum quod ipse in aliis dixit, quia operatur patientia probationem. Videndum est ne ipse sit qui in *Actibus Apostolorum* Apollo nuncupatur, Alexandrinus, in scripturis

[1] *Comm. in Epist. ad Rom.*, *Opp.* II, *Append.*, col. 108. — [2] *Comm. in Epist. ad Rom.* lib. X, p. 681. — [3] *Ibid.* p. 682. — [4] *In Epist. ad Rom.* col. 109. Locus sic restituendus : « Commonet hos nomine Mariæ, quam intelligimus ad exhortationem illorum impensius laborasse, ut gratias illi agant. »

eruditus. » Ambrosius : « Hunc Apellem non quasi amicum aut principem operis salutat, sed propterea quod tentationibus probatus est, in Christo fidelis inventus. » Haymo : « Licet quidam faciant ex hoc duo nomina propria, dicentes ita : Salutate Apellem et Probum, id est probatum in fide, et laude dignum. » « Aristoboli domo. Salutate Herodionem. » Fortasse hic jam defunctus erat, quem satis laudat, familiam ejus salutando, et fidem ejus in ea commendando. Ambrosius : « Iste congregator intelligitur fuisse fratrum in Christo. » « Cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex. » Ambrosius : « Quem cognatum tantum appellat ostendit devotum in caritate, non tamen vigilantiam ejus designat. » « Narcissi domo, qui sunt in Domino. Salutate Tryphænam et Tryphosam quæ. » Origenes[1] : « Neque dilectos neque probos neque adjutores nominat ; sed forte nil utile habebant in meritis ; idcirco eos solo titulo salutationis honoravit. « Ex Narcissi domo. » Videntur plures fuisse ex Narcissi domo vel familia, sed non omnes in domo fuisse. Ambrosius : « Narcissus hic illo tempore presbyter dicitur fuisse, sicut legitur in aliis codicibus ; et quia præsens non erat, salutat sanctos qui ex ejus erant. Hic ergo Narcissus Presbyter peregrini officio fungebatur, exhortationibus firmans credentes. « Laborant in Domino. Salutate Rufum. » Origenes : Multi laborant, sed non in Domino. » Ambrosius : « Has uno ore dignas declarat in Christo. Laborant scilicet ministrando sanctis. » « Quæ multum. » Origenes : « Videtur hic magis laudari et in exhortatione et in ministerio sanctorum, et in pressura, et in egestate propter Christum, quia et domus suas relinquebat fugatis, et opprobrio erat infidis. » « Electum in Domino, et matrem. » Haymo : « Id est, promotum ad sacerdotium ejus. » « Et meam. » Sic prius legi matrem ejus et matrem meam, ut duæ sint, vel ut eadem sit illius scilicet mater secundum carnem, Apostoli secundum beneficium, quod fortassis eum olim alibi de sua substantia tanquam mater aleret, vel pro reverentia sanctitatis eam matrem suam dicit, cui scilicet tanquam matri honor sit deferendus. « Asyncritum et Phlegontem, Hermam, Patrobam, et qui cum eis sunt fratres. Salutate Philologum et Juliam, Nereum et sororem ejus, et Olympiadem, et omnes qui cum eis sunt sanctos. Salutate. » Ambrosius : « Hos simul salutat, quia sciebat eos esse concordes in Christo, » id est, unitos in amicitia Christiana, et fideles in amicitiis. « Hermam. » Origenes : « Puto quod Hermas iste sit scriptor libelli illius qui *Pastor* appellatur, quæ scriptura mihi valde utilis videtur, et, ut puto, divinitus inspirata. Quod vero nil laudis scripsit, illa, opinor, est causa, quia videtur, sicut scriptura illa declarat, post multa peccata ad pœnitentiam fuisse conversus. Intelligitur quod simul habitaverint hi quorum salutatio sociata est. » *Ecclesiastica Historia*,

[1] *In Epist. ad Rom.*, p. 683.

lib. III, cap. I : « Et libellus Hermæ qui appellatur *Pastoralis*, cujus Paulus in Epistolis suis meminit, a plurimis non est receptus, ab aliis autem necessarius judicatus est, propter quem primi ad fidem institutionis imbuuntur. Unde et in nonnullis ecclesiis legitur, et multi veterum scriptorum usi sunt testimonio ejus. » Hieronymus *de Illustribus viris*, cap. X : « Hermam, cujus Apostolus Paulus ad Romanos scribens meminit, « salutate Phlegontem, Hermam, » asserunt auctorem esse libelli qui appellatur *Pastor*, et apud quasdam ecclesias Græciæ publice legitur. Revera utilis liber, multique de eo veterum scriptorum usurparunt testimonia. Sed apud Latinos pene incognitus est. » « Philologum et Juliam. » Origenes : « Potest fieri ut conjuges fuerint, cæteri domestici eorum. » Hieronymus : « Suo exemplo nos docet quales debemus nostris litteris salutare non divites seculi facultatibus honoratos, sed gratia Dei et fide locupletes. Ideo paulo ante primitivos Ecclesiæ Asianæ istos omnes quos salutat intelligimus, vel ex omnibus fuisse peregrinos, quorum exemplo atque doctrina non absurdum existimat credidisse Romanos. « Invicem in osculo, » scilicet nos ipsos. Quia sigillatim omnes salutare non poterat, præcipit ut ex parte ejus et loco ejus, mutuo se salutent, sicut ipse faceret si adesset, et sic invicem sibi osculo reconciliati, superbam finiant contentionem. Osculo salutant vos non luxurioso aut subdolo, quale fuit Judæ proditoris, sed quod nos in amore fraterno conciliet. « Omnes Ecclesiæ Christi, » id est, congregationes Christianorum, ad differentiam scilicet Ecclesiæ malignantium, quam Psalmista denotat, eodem affectu dilectionis quo ego, optant vel orant vobis salutem. Qui enim alterum salutando dicit ei : Salve, profecto ut salvus sit precatur.

« Rogo autem vos fratres ut observetis eos qui. » Pseudo apostolos tangit, ut ab ipsis caveant, ne fides eorum per illos corrumpatur. « Observetis, » id est, discernatis. « Dissensiones, » id est pericula errorum in fide. Illi dico existentes, « præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, et declinate ab illis. Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et per. » Id est mollitiis carnalibus intenti. « Dulces sermones, » id est adulationes. Hieronymus *in Amos*, lib. II : « Pulchre adulator apud philosophos definitur blandus inimicus, vertens amara. Unde Apostolus [1] : « Inimicus vobis factus sum, veritatem dicens. » Obsequium amicos, veritas odium parit. Quapropter et Pascha cum amaritudinibus comedamus. Vas electionis docet Pascha celebrandum cum veritate et sanctitate. « Benedictiones seducunt corda, » quasi dona Spiritus sancti per manuum impositionem vel consignationem conferentes, « innocentium, » id est, simplicium vel imperitorum, qui eos deprehendere non valent.

[1] *Galat.*, cap. IV, v. 16.

« Vestra enim obedientia in omni loco divulgata est. » Ideo, id vos rogo, quia tanto periculosior esset seductio vestra, quanto fidei vestræ obedientia magis est divulgata, tanquam in capite scilicet mundi constituta. « Gaudeo igitur in vobis, sed volo vos sapientes esse in bono. » Quia, videlicet ita est divulgata, in bono scilicet discernendo. « Et simplices in malo, » id est, quasi nescientes cuiquam ilud machinari, juxta illud Veritatis, « prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. » « Deus autem pacis conterat. » Ac si diceret : Ego quidem ita rogo, ut fiat, sed Deus pacis potius quam dissensionis, ita ut postulo, efficiat. « Satanam, » id est, omnem animæ vestræ adversarium, « conterat sub pedibus vestris velociter, » id est, quasi impotentem vobis subjiciat, ut ei per omnia prævalere possitis, et eorum omnia machinamenta conculcare, sicut ea quæ sub pedibus premuntur. « Velociter » scilicet in adventu meo. Quos iterum, sicut deprecor, observetis. « Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Salutat vos Timotheus. » Quamvis dixerit : Salutant vos omnes Ecclesiæ, specialiter tamen et nominatim ex parte illorum quos habebat, præcipuos salutare ipsos decrevit, ut tantorum testimonio virorum scripta epistola roboraretur. « Adjutor meus, et Lucius et Jason. » In prædicatione scilicet tanquam Coepiscopus, ut ait Ambrosius. Hic est ille discipulus Pauli, filius cujusdam mulieris Judææ, fidelis ex patre gentili, quem ipse Paulus circumcidere compulsus est, sicut in *Actibus Apostolorum* continetur. Origenes : « Lucium quidam perhibent esse Lucam, qui Evangelium scripsit, pro eo quod soleant nomina interdum secundum patriam declinationem Græcam Romanamque proferri. Jason ille est, de quo etiam in *Actibus Apostolorum* scribitur, quod Thessalonicam pro Paulo et Syla seditionem commoventibus turbis, semetipsum dederit, ut Apostolis discedendi faceret libertatem. » « Sosipater, cognati mei. Saluto vos ego. » Origenes : « Suspicor quod ipse sit qui in *Actibus Apostolorum* scribitur Sosipater Pyrrhi Beroensis. Qui litteras Pauli considerat, movebitur quomodo Paulus ex Hebræis Timothei consanguineus dicatur, vel Jasonis vel Sosipatris. Nunc vero cum cæteris nequaquam hoc nomen indulgeat, certum est eum aliam quamdam cognationem nominare quam cognationem vel consanguinitatem sine dubio sciat. » Ambrosius : « Cognatos dicit partim generis, partim fidei causa. » « Tertius, qui scripsi Epistolam in Domino. Salutat vos Caius. » Hoc est primum nomen ejus qui dictante Paulo, hanc epistolam scribebat, tanquam notarius Apostoli, sicut nunc est Cancellarius Apostolicus, quod fortasse divino quodam factum est præsagio, ut videlicet ille tertius diceretur nomine, qui tertius erat in operatione. Spiritus quippe sanctus inspirabat quæ Apostolus dictabat seu proferebat, quæ iste qui Tertius dicitur, ut dictum est, sua manu scribebat. Ambrosius : « Hic est scriba epistolæ cui Apostolus concessit suo nomine salutare populum Roma-

num. Quia nec immerito factum est, ut propriis scilicet ille uteretur verbis, quæ humano tantum sensu probata sunt. » « Hospes meus. » Origenes : « Videtur indicare de eo quod vir fuerit hospitalis, qui non solum Paulum receperit, sed et ecclesiæ universæ in domo sua conventiculum præbuit. Fertur traditione majorum, quod iste Caius primus episcopus fuerit Thessalonicensis. » Ambrosius : « Hic est Caius, ut arbitror, ad quem scribit Joannes Apostolus exultans in caritate ejus, quam exhibebat, fratribus præbens sumptus illis necessarios. » Haymo : « Iste est Caius etiam captivus qui baptizatus est ab Apostolo, sicut dicit in epistola *ad Corinthios*[1] : « Neminem vestrum baptizavi nisi Crispum et Caium. » « Et universa Ecclesia. Salutat vos Erastus. » Ambrosius hic nominativum pluralem intelligit, ac si diceretur : Salutant vos universæ Ecclesiæ. Sed melior est, secundum Origenem, genitivus singularis, ut dictum est, ut videlicet ita intelligatur : Hospes meus, et hospes universæ Ecclesiæ. Cum enim jam superius dixisset Apostolus : « Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi, » quid opus erat ut hoc repeteret : Salutant vos universæ Ecclesiæ? « Erastus arcarius civitatis. » Origenes : « Puto esse Erastum quem dicit, quia remansit Corintho, arcarium eum, id est dispensatorem illius civitatis, cujus conditor est Deus. » Secundum Hieronymum, vocatur archarius civitatis, secundum hoc quod olim fuerat, non modo. Haymo : « Archarius, id est princeps vel dispensator qui præerat archæ, ubi census ponebantur regis tributorum et vectigalium. » « Et Quartus frater. » Proprium nomen est, sicut et Tertius. « Gratia Domini nostri. » Hieronymus : « Hæc est scriptio manus ejus in omnibus epistolis, ut in ea etiam commemoret beneficia Christi. » Haymo : « Gratia dicitur gratis data, et nomine gratiæ debemus intelligere quidquid boni gratis accipiunt electi a Deo, ut videlicet spem, caritatem, remissionem peccatorum. »

« Ei autem qui potens est vos. » Capitulum hoc Marcion, a quo scripturæ Evangelicæ atque Apostolicæ interpolatæ sunt, de hac Epistola penitus abstulit. Sed et ab eo loco ubi scriptum est, « Omne autem quod non est ex fide, peccatum est, » usque ad finem cuncta dissecuit. In aliis vero exemplariis quæ non sunt a Marcione temerata, hoc ipsum capitulum vel diverse positum invenitur. In nonnullis etiam codicibus post eum locum, « Omne autem quod non est ex fide peccatum est, » statim habetur : « Ei autem qui potens est vos confirmare. » Alii vero codices in fine id ubi nunc est positum continent. Consummata salutatione eorum, terminat Epistolam suam in actione gratiarum, quasi de expleto opere suo ei grates referens, qui hoc ei inspiravit. Ac si ita continuet : Vobis, inquam, sit gratia, sed ei qui potens est, etc. perpes sit gloria. Et no-

[1] *Corinth.* I, cap. 14.

tandum quod cum dictum sit, « ei qui potens est, » videtur superfluere ad sensum vel constructionem, quod in fine subposuit, « cui, » cum in principio scilicet dixisset « ei, » nisi forte propter longam interpositionem id fieri dicatur. Multa quippe sunt interposita inter illud « ei, » quod est præmissum, et hoc quod in fine subjungitur, « honor et gloria. » Ideoque quasi oblitus sit imperitus lector cui adjungatur honor et gloria, suppositum est « cui. » Ut ergo litteræ constructio quoquomodo texatur, ita hujus versiculi principium fini conjunge. « Ei autem qui potens est vos, etc. » honor et gloria sit, subaudi et rursus, « cui, » subaudiatur « est, » ac si videlicet dicatur : Ei sit honor et gloria, cujus est, ac si dicatur sicuti revera est, sit inquam per Jesum Christum, per quem glorificandus est Pater. Ex hac quidem fine epistolæ arbitror ecclesiasticos doctores expositiones et sermones suos consimili fine concludere, in actione videlicet gratiarum Dei. « Confirmare » in fide scilicet quæ est omnium bonorum fundamentum, « juxta Evangelium meum et prædicationem Jesu Christi, » secundum doctrinam meæ prædicationis, quæ est etiam Jesu Christi, non alia prædicatio, quia idem quod ille prædico Evangelium meum, sive prædicationem Jesu Christi dico factam, « secundum revelationem mysterii » vel confirmari secundum revelationem meam. Mysterium dicitur secretum et occultum. Unde et mystica locutio dicitur significativa, quæ non est aperta. Mysterium quod nunc patefactum est, ipse est redemptionis nostræ modus, qui olim latebat in propheticis scriptis nondum expositis, sed nunc ipsis tam a Christo quam a nobis expositis, revelatus est. De Christo quippe scriptum est, quia « incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur, etc. » « Taciti æternis temporibus, quod nunc patefactum est per scripturas prophetarum secundum præceptum æterni Dei ad obedientiam fidei » id est absconditi usque nunc semper, nec per expositionem revelati unquam ulterius. Quippe cum ipsi quoque septuaginta interpretes in suis translationibus quæ de Filio Dei dicuntur maxime reticuisse, vel velasse credantur, « prophetarum » dicit potius quam legis, quia maxime hoc mysterium in prophetis continetur, ubi apertius sive plenius de Christo erat prophetatum. Patefactum est dico in omnibus Gentibus secundum præceptum æterni Dei, id est Christi dicentis[1] : « Euntes in mundum universum, etc. » Dei dico, « æterni, » licet secundum hominem initium habuit. Ad hoc, inquit, est patefactum, non solum ut credant omnes gentes, sed magis ut ei obediant, id est secundum fidem operentur, « Ei, inquam, cognito nunc per Jesum Christum soli sapienti Deo, » id est qui nunc singulariter sapiens apparet ex hoc quod per Christum egerit in hoc redemptionis nostræ mysterio,

[1] Marc., cap. XVI, v. 15.

de quo ait Joannes : « Ex prudentia sua percussit superbum. » Solus sapiens dicitur in cujus comparatione nullus est sapiens dicendus, sicut et bonus juxta illud Veritatis : « Nemo bonus nisi solus Deus. » Solus quoque sapiens dicitur, quia solam illam et singularem habet sapientiam quam nil latere potest. « Honor et gloria, id est gloriosus et singularis honor. « Amen. »

MAGISTRI

PETRI ABÆLARDI

THEOLOGIA CHRISTIANA.

Theologiam Christianam ediderunt primum Martene et Durand in Tomo V Thesauri Anecdotorum, p. 1156-1359, ex manuscripto Codice Majoris Monasterii, qui nunc est in Bibliotheca Turonensi.

Pauca nobis dicenda sunt de libro ipso in quo, præter addita quædam vel mutata quæ non habent multum momenti, Introductio ad Theologiam sæpe ad litteram veluti transcripta est. Nec dubium est quin ibi sint duo isti libelli qui in manus Guillelmi Abbatis S. Theodorici venerunt, et qui, ut ipse scripsit ad S. Bernardum [1], « idem pene continebant, nisi quod in altero plus, in altero minus aliquando inveniretur. »

Theologiam Christianam suspicamur susceptam fuisse in Abbatia S. Gildasii, nec aliud primo fuisse quam exhortationes quasdam ad monachos hujus abbatiæ edocendos habitas. Nempe Abælardus haud semel hac compellandi formula, *Fratres*, utitur; imo et in quibusdam locis oratoris vehementia deprehendi potest. Adde quod in Fragmento ex Libro incerto [2] memorat, « Exhortationem ad Fratres et commonachos de fide philosophorum atque vita, sive etiam disciplina morum. » Illud potest referri ad orationem habitam in die festo S. Joannis Baptistæ, in qua talem materiam Abælardus obiter attingit; sed si ejus verba attentius perpenderis, tibi probabile videbitur ibi secundum Theologiæ Christianæ librum potius designari. Conjicimus Abælardum Divi Gildasii monachos concione sacra alloquentem usum fuisse adhortationibus e sua Introductione ad Theologiam fideliter expressis; eas autem postea in corpus iterum redegisse, ordine totius operis et simul quibusdam locis paululum immutatis; unde novum exisse quemdam libellum pleraque alterius referentem, ita tamen ut inter utrumque sit illud discriminis, quod inter primam secundamque ejusdem operis editionem reperiri solet.

An Theologia Christiana absoluta fuerit nescimus, cum desit in Codice Turonensi finis libri, nec usquam codex alius occurrat in quo perfectum opus inveniatur.

[1] Bernardi opera, Parisiis, 1690, in-fol., t. I, p. 326. — [2] Vide infra.

LIBRORUM CAPITULA.

Primus liber continet quid velit distinctio trium personarum in Deo, vel quid sonent in ipso hæc nomina personarum, Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Testimonia tam prophetarum quam philosophorum de S. Trinitate, nec non et quare Sapientia Dei vocetur Verbum, aut Benignitas ipsius dicatur Spiritus sanctus. In quo etiam ea quæ de anima mundi a philosophis dicta sunt, de Spiritu sancto intelligi monstrantur.

Secundus liber adversus calumnias fidelium de admixtione philosophicorum testimoniorum totus scribitur. In quo de vita et virtutibus et doctrinis philosophorum plurima commendatio fit, ut digni illi videantur quibus etiam Deus suæ fidei arcana revelare dignaretur.

Tertius continet invectiones in dialecticos, et eos omnes qui Deum quoque humanis comprehendi rationibus volunt, nec eadem fide suscipienda censent quæ humanis rationibus adstrui vel defendi non valeant. Proponit etiam summam fidei circa unitatem ac Trinitatem, et objectiones adversus proposita, et quot modis idem sive diversum accipiatur, et quot modis persona dicatur.

Quartus continet solutiones adversus objecta, et generationem Verbi ex Patre, id est divinæ Sapientiæ ex divina Potentia, et qua similitudine divina Potentia dicatur Pater, vel divina Sapientia dicatur Filius. Continet insuper processionem Spiritus, et quomodo Plato animam mundi quam Spiritum sanctum intellexit, vult creatam esse, hoc est initium habere, et quod fidem Trinitatis omnes homines naturaliter habeant.

Quintus est de ratione credendi unum Deum non plures, et de perfectione et incommutabilitate hujus summi boni, quod in nullo crescere vel minui possit aut variari.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Summi boni perfectionem, quod Deus est, ipsa Dei Sapientia incarnata Christus Dominus describendo, tribus nominibus diligenter distinxit, cum unicam et singularem individuam penitus ac simplicem substantiam divinam, Patrem et Filium et Spiritum sanctum tribus de causis appellaverit.

Ambrosius de Fide ad Gratianum imperatorem : « Quod unius est substantiæ, separari non potest; et si non sit singularitatis, sed unitatis. Singularitas ad personam pertinet, unitas ad naturam. »

CAPUT II.

Patrem quidem, secundum illam unicam majestatis suæ potentiam, quæ est omnipotentia, qua scilicet efficere potest quidquid vult, cum nihil ei resistere queat; Filium autem eamdem divinam substantiam dixit, secundum propriæ sapientiæ discretionem, qua videlicet cuncta veraciter dijudicare ac discernere potest, ut nihil eam latere possit quo decipiatur. Spiritum sanctum etiam vocavit ipsam, secundum illam benignitatis suæ gratiam, qua omnia quæ summa condidit sapientia, summa ordinat bonitate, et ad optimum quæque finem accommodat, malo quoque bene semper utens, et mirabiliter quantumlibet perverse facta optime disponens, quasi qui utraque manu pro dextera utatur, et nesciat nisi dextram. Unde in *Enchiridio* B. Augustinus[1] : « Non enim, inquit, Deus omnipotens, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret et de malo. » Idem in XI *de Civitate Dei*, de bonitate Dei et malitia Diaboli loquens, ait[2] : « Deus sicut naturarum bonarum optimus creator est, ita malarum voluntatum justissimus ordinator, ut cum ille male utatur naturis bonis, ipse bene utatur etiam voluntatibus malis. » Item idem ibidem de Diabolo[3] : « Deus cum eum conderet, futuræ malignitatis ejus non erat

[1] Cap. xi, *Opp.*, t. VI. — [2] Aug., *de Civitate Dei*, lib. XI, cap. xvii. *Opp.*, t. VII. — [3] *Ibid.* cap. xviii.

ignarus, et prævidebat quæ bona de malis ejus esset ipse facturus. » Item post aliqua : « Neque enim Deus ullum, non dico angelorum vel hominum creasset, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commodaret. » Hinc est et illud Platonicum[1] : « Omne, inquit, quod gignitur, ex aliqua causa necessaria gignitur. Nihil enim fit, cujus ortum non legitima causa et ratio præcedat. » Ex summa itaque illa bonitate sua Deus, qua juxta Moysen cuncta valde bona condidit, et juxta etiam Platonis assertionem, optimus ipse omnium conditor, a quo invidia relegata longe est, cuncta sui similia, prout cujusque natura capax beatitudinis esse poterat, effici voluit : volens si quidem Deus bona quidem omnia provenire, mali porro nullius, prout eorum quæ nascuntur natura fert, reliquit propaginem, nec fas sit bonitati præstanti quidquam facere, nisi pulcherrimum. Ex hac, inquam, tanta bonitate sua Deus, qua singula quantum potest et decet bona efficit, ac bene disponit etiam mala altissimo suo et incomprehensibili nobis consilio, Spiritus sanctus, ut supra meminimus, ipse est appellatus. Tale est ergo tres personas, hoc est Patrem et Filium et Spiritum sanctum in divinitate confiteri, ac si commemoraremus divinam Potentiam generantem, divinam Sapientiam genitam, divinam Benignitatem procedentem. Ut his videlicet tribus commemoratis, summi Boni perfectio prædicetur, cum videlicet ipse Deus et summe potens, id est omnipotens, et summe sapiens, et summe benignus ostenditur. De genitura autem hujusmodi seu processione in sequentibus, prout poterimus, et ipse Dominus annuerit, immo gratia sua dederit, aliquid per quascumque similitudines assignare tentabimus. In his itaque tribus, Potentia scilicet, Sapientia, Benignitate, tota Boni perfectio consistit, ac parvipendendum est quidlibet horum sine duobus aliis. Qui enim potens est, si id quod potest juxta modum rationis conducere nescit, exitialis ac perniciosa ejus potentia. Si autem sapiens sit et discretus in agendo, sed minime possit, efficacia caret. Et si etiam potens sit et sapiens, sed nequaquam benignus, tanto ad nocendum fit pronior, quanto ex potentia et astutia sua ad efficiendum quod vult est securior, nec spem beneficiorum suorum ceteris præstat, qui benignitatis affectu non commovetur. In quo autem hæc tria concurrunt, ut videlicet et possit implere quæ voluerit, et bene velit, utpote benignus, nec exinde sapientia modum rationis excedat, eum profecto vere bonum esse et in omnibus perfectum constat, atque in ejus regimine cuncta quæ optime condidit, optime conservari : quippe qui et possit, et sciat, et velit. Unde non solum hæc Trinitatis distinctio ad summi Boni perfectionem describendam convenit, verum etiam ad persuadendam hominibus

[1] *In Timæo.*

divini cultus religionem plurimum proficit : ut ob hoc præcipue ipsa Dei Sapientia Incarnata in prædicatione sua eam rectissime decrevisset assumere. Duo quippe sunt quæ nos omnino Deo subjectos efficiunt, timor videlicet et amor. Potentia quidem et Sapientia maxime timorem incutiunt, cum eum et posse punire errata, et nihil latere cognoscimus. Benignitas autem ad amorem pertinet, ut quem benignissimum habemus, potissimum diligamus. Ex qua etiam certum est impietatem ulcisci velle, quia quo plus ei placet æquitas, magis displicet iniquitas, sicut scriptum est[1]. « Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem. » Nomine vero Patris, ut diximus, Potentia designatur, nomine Filii Sapientia, et nomine Spiritus sancti Bonus effectus erga creaturas. Causas autem horum nominum in sequentibus assignabimus, quare videlicet hæc nomina ad hæc distinguenda in Deo translata sunt a consuetis significationibus. Sed prius hanc divinæ Trinitatis distinctionem, non a Christo incœptam, sed ab ipso apertius ac diligentius traditam esse ostendamus, quam quidem divina inspiratio et per Prophetas Judæis, et per philosophos gentibus dignata est revelare, ut utrumque populum ad cultum unius Dei ipsa summi Boni perfectio agnita invitaret, ex quo omnia, per quem omnia, et in quo omnia, et facilius hæc fides Trinitatis tempore gratiæ susciperetur ab utroque populo, cum eam a doctoribus quoque antiquis viderent esse traditam.

CAPUT III.

Primum ipsa legis exordia occurrant, ubi legislator Moyses fidem catholicam de Unitate pariter et Trinitate tamquam omnium bonorum fundamentum anteponit. Cum enim dicitur[2] : « In principio creavit Deus cœlum et terram, » pro eo quod apud nos dicitur Deus, hebraica veritas habet « Heloym, » quod est plurale hujus singularis quod est « Hel. » Quare ergo non dictum est « Hel, » quod est Deus; sed « Heloym, » quod apud Hebræos Dii sive Judices interpretatur, nisi hoc ad multitudinem divinarum personarum accommodetur, ut videlicet eo modo insinuetur pluralitas in Deo, quomodo et trinitas; et quodammodo dicatur multiplex Deus, quomodo et trinus, non secundum quidem[3] substantiæ diversitatem, sed secundum personarum proprietates? Nam et ibidem de unitate substantiæ demonstranda caute provisum est, cum dicitur « Creavit, » non creaverunt. Ubi et statim in sequentibus distinctionem personarum adnectit, quasi ad determinandum quod ad hanc denotandam

[1] *Psalm.* XLIV, v. 8. — [2] *Genes.*, cap. I, v. 1. — [3] Alit. *Quamdam.*

«Heloym» pluraliter dixerit. Spiritus quippe sancti æternitas patenter ostenditur, cum dicitur[1], «Spiritus Domini ferebatur super aquas.» Verbum vero, id est Filius simul et Pater insinuantur, cum dicitur[2], «Dixit Deus, fiat,» hoc est in coæterna Sapientia sua Pater ordinavit facienda. Non enim de corporali locutione hoc accipi potest, sicut postmodum convincemus. In eo quoque quod scriptum est[3], «Et vidit Deus quod esset bonum,» Bonitas Dei, quam Spiritum sanctum dicimus, insinuatur, sicut in eo quod dicitur, «Dixit Deus,» intelligitur Verbum et Pater. Tale enim quod dicitur, «Vidit Deus quod esset bonum,» ac si dicatur intelligendo quia opus quod fecerat bonum esset, amavit illud eo ipso quod bonum erat. Ex quo et ipse bonus esse liquide demonstratur. Bene autem ad astruendam fidem operum, et ad commendationem eorum; commemoratio fit divinarum personarum, hoc est Omnipotentiæ Dei, et Sapientiæ ejus et Bonitatis, ut videlicet quia hoc potest et bonus est, credatur ea fecisse quæ et potuit et voluit. Rursus elegantia operum per sapientiam et bonitatem artificis ostenditur, ut quia summe bonus est artifex et perfecte solers, excellentissimum opus componat. Quid etiam apertius ad documentum Trinitatis esse potest, quam illud quod postea in creatione hominis subjungitur, dicente Domino[4] «Faciamus hominem, etc.?» Quid enim pluraliter dictum est, «Faciamus,» nisi ut cooperatio totius Trinitatis exprimatur? quippe quos cohortaretur Deus ad creandum hominem, aut ad se in aliquo juvandum, ut ipse solus eum creaturus sit? Scriptum quippe est[5]: «Quis adjuvit Spiritum Domini, aut consiliarius ejus fuit, cum quo iniit consilium, etc.?» Bene autem ad imaginem et similitudinem Trinitatis, hoc est ad expressam quamdam similitudinem trium personarum homo fieri dicitur: qui et Patrem per potestatem, quam in ceteras creaturas accepit imitatur, et Filium per rationem, et Spiritum sanctum per innocentiæ benignitatem, quam post modum per culpam amisit. Ad hanc quoque pluralitatem divinarum personarum illud attinere videtur, quod in sequentibus per serpentem dictum est[6], «Eritis sicut dii,» quod ut superius dictum est, in Hebræo sonat «Heloym,» necnon et illa dominica increpatio[7]: «Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.» Et rursus illud quod Dominus ait[8]: «Descendamus et confundamus linguas[9] eorum,» cum hoc solus Deus compleverit: unde et subditur: «Atque ita divisit eos.» Nunc autem post legem ad prophetarum testimonia transeamus.

Ait itaque maximus ille prophetarum et regum David, qui suam ceteris intelligentiam præferens dicit[10]: «Super omnes docentes me intellexi, super senes

[1] *Genes.*, cap. I, v. 2. — [2] *Ibid.*, v. 3. — [3] *Ibid.*, v. 4. — [4] *Ibid.*, v. 26. — [5] Isai., cap. XL, v. 13. — [6] *Genes.*, cap. III, v. 5. — [7] *Ibid.*, v. 22. — [8] *Ibid.*, cap. XI, v. 7, 8. — [9] In nostra Vulgata legitur in singulari *linguam*. — [10] *Psalm.* CXVIII, v. 99.

intellexi; » ait, inquam, distinctionem Trinitatis patenter insinuans[1] : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris eorum omnis virtus eorum, » qui et alibi unitatem pariter cum Trinitate insinuat dicens[2] : « Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ. »

Cassiodorus: « Deus sermo græcus est, qui latine interpretatur timor. Pro qua re, ut arbitror, majores nostri Deum a timore appellandum esse voluerunt : unde quidam ait Gentilium[3] poetarum : « Primus in orbe Deos fecit timor. »

Trina quippe confessio Dei, trinitatem exprimit personarum, Patris videlicet, Filii, et Spiritus sancti. Bene autem Filium designans addidit « noster, » quasi eum a Patre nobis esse datum ostendens, cum per Incarnationem Verbi divina nos Sapientia illuminaverit. De quo etiam Verbo Apostolus ait[4] : « Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. »

Augustinus *Quæstionum* LXXIV, cap. XLIV[5] : « In principio erat Verbum. » Quod græce Logos dicitur, latine autem et rationem et verbum significat, sed hoc loco melius Verbum interpretatur. Significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quæ per Verbum facta sunt. Ratio autem, etsi nihil per illam fiat, recte ratio dicitur. » Cap. XLV : « Dei Sapientia Christus et in utero MARIÆ fuit, et in cœlis, quo modo Verbum hominis, quod etsi multi audiunt, totum audiunt singuli. »

Unitatem vero divinæ substantiæ Psalmista in eodem aperit, cum post trinam divini nominis prolationem, unum tantummodo Deum in tribus personis intelligens, non subjunxit eos pluraliter, sed eum singulariter. Huic et illud consonat Isaiæ, qui dicit se vidisse Seraphim et audisse clamantia[6] : « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. »

Recte autem vocabulo « Domini » usus est propheta ad potentiam designandam, quia dominorum est præesse; quæ videlicet potentia plerumque etiam hoc nomine « Deus » assignatur, eo videlicet quod Theos græce, id est Deus, teste Isidoro, timor interpretatur, et potestas quælibet timor est subjectorum.

CAPUT IV.

Verbum ideo Sapientia vocatur, translato scilicet de effectu ad causam vocabulo, quod maxime ex verbis uniuscujusque intelligentia ipsius et cujus scientiæ sit manifestatur. Unde scriptum est in Ecclesiastico[7] : « In lingua enim agnos-

[1] *Psalm.* XXXII, v. 6. — [2] *Psalm.* LXVI, v. 7. — [3] In editis *Geraram*, quæ vox ne latina quidem est. — [4] *Rom.*, cap. VIII, v. 32. — [5] *Lib. de diversis Quæstionibus LXXXIII*, cap. LXIII, *Opp.*, t. VI, col. 38. — [6] Isai., cap. VI, v. 3. — [7] *Eccli.*, cap. IV, v. 29.

citur Sapientia, et sensus et doctrina in verbo sensati. » Hinc etiam per semetipsam Veritas[1], « ex abundantia, inquit, cordis os loquitur. » Sicut igitur visionem mentis et oculorum dicimus, ita locutionem seu verbum cordis quodammodo dicimus, sicut et oris, juxta illud Psalmistæ[2] : « In corde et corde locuti sunt. » Et illud libri *Sapientiæ*[3] : « Dixerunt impii apud se cogitantes non recte, » quale et illud est in Evangelio[4] : « Dixerunt intra se, Hic blasphemat, » hoc est cogitaverunt. Et Veritas[5], « Non quod intrat in os, inquit, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore. » Et post pauca, « Quæ autem procedunt, inquit, de ore, de corde exeunt, et hoc coinquinat hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, etc. » Juxta hanc igitur consuetudinem Scripturæ, locutionem cordis, id est ipsam cogitationem, seu intelligentiam animi verbum mentis hoc loco dicimus. In Deo autem ipsa ejus cogitatio seu intelligentia hoc ipsum dicitur quod ratio ejus seu Sapientia, quæ est verbum Patris, hoc Filius Dei. Unde et Moyses, ut supra meminimus, cum in diversis rerum creationibus faciendis præmittit « Dixit Deus, » et ad dictum statim effectum adjungit dicens, « et factum ita[6], » cuncta Deum condidisse in Verbo, hoc est in Sapientia sua ostendit, id est nihil subito temere, sed omnia rationabiliter provide. De quo et alibi Psalmista ait[7] : « Dixit et facta sunt, » id est ratione et providentia præeunte cuncta condidit sive ordinavit. Qui etiam hoc verbum alibi apertius demonstrans non esse verbum audibile et transitorium, sed intelligibile ac permanens ait[8] : « Qui fecit cœlos in intellectu, » hoc est ad modum illum quo eos primum ordinaverat in verbo mentis, id est in conceptu suæ perpetuæ omnia providentis intelligentiæ, de quo quidem verbo, scilicet intelligibili, beatus Gregorius in *Homilia* Evangeliorum VII[9], ita loquitur, distinguens scilicet ipsum intelligibile verbum a verbo audibili, quod est vox : « Scitis, inquit, quia Unigenitus Verbum Patris vocatur, Johanne attestante, qui ait[10] : « In principio erat Verbum. » Ex ipsa vestra locutione cognoscitis quia prius vox sonat, ut verbum postmodum possit audiri. Johannes vero vocem se esse asserit, quia verbum præcedit. » Idem in *Homilia* XXIII[11] de Johanne Baptista : « Ego vox clamantis in deserto. » Ideo vox, inquit, propheta vocatus est, quia verbum præibat, » quod est dicere : Sicut verbum audibile in auditore præcedit intelligibile, quia videlicet prius vox sonat, ut postmodum ex ea intellectus concipitur, ita Johannis prædicatio anteibat adventum Domini annunciando. Verbum itaque dicit conceptum mentis, et quamdam intelligentiæ locutionem, quæ in mente formatur, ad cujus similitudinem unigenitus Dei Verbum dicitur,

[1] Matth., cap. XII, v. 34.— [2] *Psalm.* XI, v. 3.— [3] *Sap.*, cap. II, v. 1. — [4] Matth., cap. IX, v. 3. — [5] *Ibid.*, cap. XV, v. 11. — [6] *Genes*, cap. I, v. 7.— [7] *Psalm.* XXXII, v. 9. — [8] *Psalm.* CXXXV, v. 5.— [9] S. Greg, *Hom.*, VII num. 2. — [10] Joan., cap. I, v. 1. — [11] Greg., *Hom.*, XX; num. 3.

et quasi quædam ejus intellectualis ac perpetua locutio, in cujus providentia omnium ab æterno præfixa consistit operatio atque ordinatio. Hanc autem intellectualem Dei locutionem, id est æternam Sapientiæ ordinationem Augustinus *de Civitate Dei*, lib. XXVI [1], cap. vi, describens : « Dei, inquit, ante factum suum locutio ipsius sui facti est incommutabilis ratio, quæ non habet sonum strepentem atque transeuntem, sed vim sempiterne manentem et temporaliter operantem. » Idem in lib. *Contra V Hæreses* [2] : « In principio erat Verbum, » melius Græci *Logos* dicunt; Logos quippe verbum significat et rationem. » De quo etiam Verbo in viii *de Trinitate* ait : « Verbum idcirco Filium nuncupavit, ut ostenderet de se illum extitisse. » Quod autem Verbum Dei ipsa ejus Sapientia sit intelligendum, aperte in *Ecclesiastico* monstratur his verbis [3] : « Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. Sapientiam præcedentem omnia quis investigavit? Prior omnium creata est sapientia, et intellectus sapientiæ ab ævo. Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, etc. » Ne mireris si, ut dixerim, ipse quoque conceptus mentis verbum dicatur, translato de effectu ad causam vocabulo, cum e converso de causa ad effectum factis plerisque utamur translationibus. Unde et ipsum eleemosynæ beneficium, quo impenso maxime caritas dantis innotescit, caritatem nonnumquam appellamus, et ipsam pœnitentis satisfactionem nomine pœnitentiæ designamus, cum recte caritas non dicatur, nisi dilectio; nec pœnitentia, nisi ipse animi dolor, licet etiam ipsum nostræ mentis conceptum ipsius sermonis tam effectum quam causam ponere, in proferente quidem causam, in audiente effectum, quia et sermo ipse loquentis ab ejus intellectu proficiscens generatur, ut eumdem rursus in auditore generet intellectum. Pro hac itaque maxima sermonum et intellectuum cognatione non indecenter in eorum nominibus mutuas fieri licet translationes : quod in rebus quoque et nominibus propter adjunctionem significationis frequenter contingit. Hæc de translatione hujus nominis « Verbum » hoc loco facta, et significatione ejus dicta nunc sufficiunt. Filius autem Dei Patris hoc ipsum Verbum, hoc est ipsa ejus coæterna Sapientia dicitur, secundum illum generationis modum, quo divina sapientia ex divina est potentia, sicut in sequentibus assignare conabimur, prout Dominus dederit. Quod vero nomine Patris divina specialiter exprimatur potentia, Maximus quoque episcopus in *Expositione symboli* quod dicitur Apostolorum, quæ legitur in quinta quadragesimæ dominica, his verbis insinuat : « Credis, inquit, in Deum Patrem omnipotentem? In Deo natura innascibilis, in Patre Unigeniti

[1] *Leg.*, lib. XVI. *Opp.*, t. VII, col. 420. — [2] Cap. vi. Hic liber, etsi antiquissimi scriptoris, non est tamen S. Augustini; propterea fuit rejectus in appendicem editionis monach. Ord. S. Benedicti. — [3] *Eccli.*, cap. i, v. 1.

veritas, in omnipotente plenitudo virtutis ostenditur. Est namque per unigenitam Deitatem omnipotens, et per omnipotentiam Pater, » ac si aperte dicat, in eo quod est Deus ingenitus, hoc Deus Pater, hoc quasi proprie et specialiter habet quod sit omnipotens, sicut Filius in eo quod Filius est, quod sapiens sive sapientia; vel Spiritus quod sit benignus, immo benignitas ipsa. Non enim ita ut solus Deus sit omnipotens, et non vel Filius, vel Spiritus sanctus, vel solus Filius sit sapiens, aut solus Spiritus sanctus sit benignus; sed quod juxta cujusque personæ distinctionem quædam specialiter ad unam attinent personam, et ei maxime tribuuntur : quædam ad aliam, ut cum Pater ex omnipotentia, sicut supra meminimus, dictus sit, quemadmodum Filius ex sapientia, vel Spiritus sanctus ex benignitate, tale sit quod dicitur per ingenitam Deitatem omnipotens, et per omnipotentiam Pater, ac si diceret ad proprietatem seu distinctionem personæ Dei Patris omnipotentiam specialiter attinere, cum ipsa scilicet omnipotentia generans Sapientiam expressa sit Patris proprietas, sive idem penitus cum ipso Patre, atque hoc nomen Pater in hac persona, ita ipsam divinam potentiam, quæ omnipotentia, simpliciter exprimat, ut neque sapientiam nec benignitatem in ea distinguere habeat, sed tantum contentum sit ipsam omnipotentiam ex qua sapientia gignitur designare. Et notandum quod juxta sanctorum Patrum auctoritatem solam personam Patris dicamus ingenitam, sicut et Patrem videtur hic idem esse ingenitum, quod est a semetipso esse, non ab alio, cum unaquæque videlicet aliarum personarum ab ipso Patre sit; sola vero persona Patris non sit ab aliqua aliarum. Sicut ergo juxta philosophos, omne id genitum dicitur quod est ab alio, unde et genituram mundi legimus secundum quod scilicet ipse mundus opus Dei dicitur, non tamen filius ejus esse; et Deum genitorem universitatis Plato dicit, a quo scilicet universa alia habent esse; ita e contrario hoc loco solum Patrem dicimus ingenitum, secundum hoc scilicet quod ipse solus non habet ab alio esse. Quare et B. Augustinus Spiritum quoque ipsum negat esse ingenitum, sicut et genitum. Sic quippe ait in *Quæstionibus* ab Orosio propositis et ab ipso expositis capitulo III[1] : « Spiritum sanctum neque genitum neque ingenitum fides certa declarat : quia si dixerimus ingenitum, duos Patres affirmare videbimur. Sin autem genitum, duos Filios credere culpamur. Sed quod certa fides tenet, nec ingenitus est, nec genitus, sed ab utrisque procedens, id est a Patre et Filio. » Gennadius *de Orthodoxa fide* ecclesiasticorum dogmatum[2], « Pater ergo, inquit, principium Deitatis, a quo Filius natus, a quo Spiritus sanctus non natus; quia non est filius, nec ingenitus, quia non est Pater. « Hunc Beatus papa

[1] *Dialogus quæst. LXV*, cap. II, *Opp.*, t. VI. — [2] Gennadius, *de Dogm. Eccles.*, cap. I.

Gregorius secutus in *Symbolo* epistolis suis præscripto meminit dicens Spiritum vero sanctum nec genitum nec ingenitum, sed coæternum de Patre et Filio procedentem. Isidorus quoque *Etymologiarum* libro VI exponens [1] quare solus Pater dicatur ingenitus, ait : « Pater solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus. » Et notandum quod secundum hoc quod ingenitum dicimus solum Patrem, in eo scilicet quod non est ab alio, videtur id quoque quod dicitur ingenitus non incongrue ad potentiam maxime vergere, quasi summus ipse ostendatur, non aliqua quidem dignitate, sed subsistendi possibilitate, cùm videlicet ipse solus, ut dictum est, a se ipso habeat esse, aliæ vero duæ personæ nullatenus, nisi ab ipso sint, esse queant, ipse vero solus non alio egeat, a quo esse ducat, quasi ipse solus suæ sufficiat existentiæ, qui a seipso, non ab alio habet esse. Sic enim et Philosophi existentem naturam aiunt ex summo Deo quem *Togaton* [2] vocant, id est Filium ex Deo Patre summum in eo vocant quod ab alio non est, qui etiam cum ipsum Patrem *Protapanton* etiam appellant, id est principem omnium, omnipotentiam ipsi quasi proprie et specialiter ascribunt, eo videlicet quod ab ipso non solum creaturæ, verum etiam et ceteræ duæ personæ habeant, ut dictum est, esse, non quidem per creationem, sicut aliæ res, sed per generationem vel processionem. Unde et Pater ipse per hoc potestatem in omnibus quasi specialiter ac naturaliter habere videtur, quod ab ipso sint omnia, et quasi quodam naturali jure sua, quomodo et quilibet filius sui patris jure naturali propriæ existentiæ suæ dicitur esse. Unde et sacra pagina maxime hoc nomen Omnipotens cum nomine Patris proferre consuevit, quamvis et utraque aliarum personarum æque sit omnipotens. Cum itaque superius dixerit Maximus, quod si Deus per ingenitam Deitatem omnipotens talis est, ac si dicat Deo ingenito, id est Deo Patri, ex hoc ipso quod ingenitus est, hoc est a seipso, non ab alio existens, maxime et quasi specialiter omnipotentiam esse tribuendam, cum ipse quidem sicut a seipso est non ab alio, omnia vero alia ab ipso, ita a seipso non ab alio, omnia posse, nulli alii in aliquo obnoxius, quasi ab eo vel esse, vel posse, vel facere aliquid habeat qui summus est omnium existentiæ naturarum, et in omnibus aliis tamquam naturaliter suis jure potestatem, ut dictum est, obtinere videatur, tamquam in his quæ ab ipso esse habeant, quæ id quoque quod possunt ab ipso ex necessitate accipiunt, a quo et esse trahunt. Ipse vero solus sicut in existentia summus est, hoc est non ab alio; ita et summa in eo dicitur potestas, quod a se ipso non ab alio posse habet sicut et esse. Ceteræ vero personæ sicut ab ipso sunt, ita et ab ipso habent quod possunt vel faciunt, unde et Filius ipse perhibet quod nihil a se-

[1] In editis *Imponens*. — [2] Τὸ ἀγαθόν.

ipso faciat, sicut nec a se ipso loquatur. Eum quippe qui sui ipsius non est Verbum, sed Patris, profecto necesse est et hoc ipsum quod facit habere a Patre, qui hoc ipsum quod est ab ipso habeat. Summus itaque quodammodo per Potentiam videtur Pater, sed non major, qui a seipso, ut dictum est, omnia possit, qui a seipso non ab alio subsistit, quod est ei quasi proprie quodammodo vel specialiter omnipotentiam esse tribuendam, qui sic omnia potest, ut hoc a se habeat, non ab alio accipiat. Quod vero ait in hoc nomine Deus ostendi naturam innascibilem, tale est ac si diceret substantiam non factam aut creatam, sed æternam.

CAPUT V.

Nomine vero Spiritus sancti affectus benignitatis et caritatis exprimitur, eo videlicet quod spiritu oris nostri et anhelitu maxime affectus animi patefiant, cum aut præ amore suspiramus, aut præ laboris vel doloris angustia gemimus. Spiritus sanctus pro affectu bono ponitur juxta illud libri *Sapientiæ*[1] : « Benignus est spiritus sapientiæ, et non liberabit maledicum[2] a labiis suis; » atque illud Psalmistæ[3] : « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, etc. » De quo et B. Augustinus in primo *super Genesim*, eo loco quo scriptum est : « Spiritus Domini ferebatur super aquas, » ait : « Egenus atque indigens amor ita diligit, ut rebus quas diligit subjiciatur, propterea cum commemoraretur Spiritus Dei in quo sancta ejus benevolentia dilectioque intelligitur, superferri dictus est, ne facienda opera sua per indigentiæ necessitatem potiusquam per abundantiam beneficientiæ Deus amare putaretur. » Huic et illud Apostoli plane congruit[4] : « Deus caritas est, » quia teste Gregorio, Spiritus ipse amor est. Unde et Paulus in salutationibus suis quas epistolis præscribere consuevit dicens : « Gratia vobis a Deo Patre et Domino Jesu-Christo, » nomine gratiæ Spiritum ipsum congrue designavit, quem etiam Donum Dei vocamus, quam quidem gratiam, id est quem Spiritum ab eisdem dari optime prædicitur, a quibus et procedit, hoc est a Patre et Filio. Bene itaque Spiritus sanctus tam in columba, quam in igne revelari elegit, cum ipsa, ut dictum est, divina benignitas seu caritas nomine Spiritus sit expressa. Nam et columba mitissima esse creditur et benignissima omnium avium, quæ et felle carere dicitur, et ab iracundiæ stimulis maxime esse remota, et igneæ quodammodo et calidissimæ esse naturæ, cum ignis ipse amor dicatur, de quo Veritas[5], « Ignem veni, inquit, mittere in ter-

[1] *Sap.*, cap. I, v. 6. — [2] In editis *Maledictum*. — [3] *Psalm.* XLII, v. 10. — [4] Joan. I, cap. IV, v. 16. — [5] Luc., cap. XII, v. 49.

ram, » id est caritatem prædicare atque plantare, potius quam timorem, qui frigori comparatur, unde et frequentius quam ceteræ aves, generare ac parere columbæ sufficiunt, cum sint videlicet calidioris naturæ. Nec vacat etiam quod binos pariunt; etiam sociales sunt, et simul commorantes. Duo quippe sunt caritatis rami, unus in Deum, alius in proximum; et quicumque caritatem habet, unitatem concordiæ servat. Et est hoc loco Spiritus sanctus proprium nomen unius personæ, cum in alia significatione acceptum sit commune trium personarum, secundum hoc scilicet quod divina substantia spiritualis est et non corporea, et etiam sancta. De hoc etiam Augustinus libro videlicet *De Trinitate* meminit dicens[1] : « Spiritus sanctus secundum id quod scriptum est, quoniam Deus spiritus est, potest quidem universaliter dici, quia et Pater spiritus, et Filius spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus. » Et post pauca : « Spiritus sanctus quædam Patris Filiique communio est, et ideo fortasse sic appellatur, quia Patri et Filio potest eadem appellatio convenire. Ut ergo ex nomine quod utrisque convenit, utriusque communio significetur, vocatur donum amborum Spiritus sanctus. » Idem in XV[2] : « Multis exemplis doceri potest multarum rerum vocabula et universaliter poni, et proprie quibusdam rebus adhiberi. Hoc ideo dixi, ne quisquam propterea nos inconvenienter existimet caritatem appellare Spiritum sanctum, quia et Deus Pater, et Deus Filius potest caritas nuncupari. Sicut ergo unicum Dei[3] Verbum vocamus proprie nomine Sapientiæ, cum et Spiritus sanctus et Pater ipse Sapientia : ita Spiritus sanctus proprie nuncupatur vocabulo caritatis, cum sit et Pater et Filius caritas. » Frequenter quippe contingit, ut nomen commune multarum rerum ad unam earum quasi proprium transferatur; cum ceteræ res habeant propria nomina, per quæ scilicet ad invicem distent, hæc vero non habeat nomen; differentiæ sit hujus proprium quod prius commune erat omnium, veluti cum clericos appellamus ad differentiam monachorum, cum tamen et monachi clerici sint, et confessores dicimus ad differentiam martyrum, cum præcipue martyres, id est testes, dicendi sint confessores, qui usque ad mortem etiam in confessione divini nominis perseverant. Multa quoque alia sunt prophetiarum loca, ex quibus aperte Trinitatis discretio traditur.

Generationem quidem Filii æternam ex Patre ipse David aperte docuit, ubi personam Filii introducit loquentis sic[4] : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, etc. » Tale est autem quod ait : « Ego hodie genui te, » ac si diceret : Æternaliter ex ipsa

[1] Similia habet Augustinus, lib. XV, cap. XIX, *Opp.*, t. VIII. — [2] Cap. XVII, v. 30, *Opp.*, t. VIII. — [3] In editis *Tum* pro *Dei* legitur. — [4] *Psalm.* II, v. 7.

mea substantia es. Nam quia in æternitate nihil est præteritum aut futurum, sed tantummodo præsens, idcirco adverbio temporis præsentis pro æternitate usus est, dicendo « hodie » pro æternaliter. Bene autem ad « hodie » addidit « genui, » quasi præsenti præteritum, ut videlicet ipsam generationem per « hodie » præsentem semper, per « genui » perfectam esse indicaret, numquam scilicet aut cessare aut incœptam esse. Quippe quæ præterita sunt jam completa sunt et perfecta : ideoque præteritum quasi pro perfectione posuit, ostendens scilicet Filium ex Patre semper gigni et semper genitum esse. Qui et alibi apertius æternitatem Filii protestatur dicens[1] : « Permanebit cum sole et ante lunam in generatione et generationem. » Et rursum[2] : « Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te. » De hac etiam ineffabili et æterna generatione, sive etiam temporali, quarum utraque mirabilis est, Isaias admirans ait[3] : « Generationem ejus quis enarrabit? » ac si aperte diceret : Non est hoc disserere humani ingenii, sed solius Dei, cujus tamen Spiritus in his fidelibus quos vult loquitur, ipso attestante, qui ait[4] : « Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. » Hieronymus etiam *super Ecclesiasten* eo loco quo dicitur[5] : « Quis scit spiritus[6] filiorum hominum si ascendat sursum, et spiritus pecoris descendat deorsum in terram? » Illud quod dictum est « Generationem ejus quis enarrabit? » ad exemplum difficilis non impossibilis trahit dicens, adjiciendo « Quis, » difficultatem rei voluit demonstrare. Pronomen enim « Quis » in scripturis sanctis non pro impossibili, sed pro difficili semper accipitur, ut ibi « Generationem ejus, » id est Christi, « quis enarrabit? etc. » Hæc etiam Sapientiæ coæternitas cum Patre plane in *Proverbiis* monstratur his verbis[7] : « Ego sapientia habito in consilio. Dominus possedit me initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum antequam terra fieret; necdum erant abyssi, et ego jam concepta eram. Necdum montes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole constiterant, ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat et cardines orbis terræ; quando præparabat cœlos, aderam; quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore. » Quid enim apertius ad æternam generationem Verbi, quam id quod ipsa Sapientia perhibet, se ante mundi constitutionem conceptam esse et parturiri, et se cum Patre æternaliter permanentem semper ludere coram eo, quippe quod conceptum parturitur, utique in ipso est a quo generatur. Et Sapientia in ipsa substantia sive essentia potentia est, cum ipsa scilicet quædam sit poten-

[1] *Psalm.* LXXI, v. 5. — [2] *Psalm.* CIX, v. 3. — [3] Isaiæ LIII, v. 8. — [4] Matth., cap. X, v. 20. — [5] *Eccles.*, cap. III, v. 21. — [6] In vulgata : *Spiritus filiorum Adam.... et spiritus jumentorum.* — [7] *Prov.*, cap. VIII, v. 12 et sqq.

tia, sicut posterius ostendemus. Tale est ergo Sapientiam conceptam parturiri a Deo, ac si dictum sit, ipsam Sapientiam ex ipsa Patris substantia, in qua est, gigni. Tale est Sapientiam ludere coram Patre et cum ipso cuncta componere, ac si dixerit, ipsam divinam Potentiam omnia in Sapientia pro bonitatis suæ arbitrio disponere, ut in ipso ludo ipsum bonitatis affectum intelligamus : de quo scriptum est[1] : « Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. » Quod vero ait Sapientiam coram Deo Patre semper assistere, tale est, ipsam omnipotentiam nihil efficere, nisi præeunte ratione et ducatu Sapientiæ. Item idem in eisdem *Proverbiis* de Filio Dei et ineffabili nomine ipsius quoque Filii manifestissime scribit, quasi induens personam admirabilis cujusdam prophetæ hanc inenarrabilem generationem prophetantis et admirantis. Dicit quippe sic[2] : « Visio quam locutus est vir cum quo est Deus, et qui Deo secum morante confortatus ait : Quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen ejus, et quod nomen Filii ejus? » Quam firmum etiam, quamque apertum fidei nostræ testimonium in *Ecclesiastico* occurrit, ubi quidem Sapientia Dei et se primogenitam ante omnia dicit, secundum divinitatis naturam, et postmodum creatam secundum naturæ nostræ assumtionem, cum ipsa videlicet ad imperium Patris per incarnationis habitum visitavit Israel. Scriptum quippe est ibi[3] : « Sapientia in multitudine electorum habebit laudem et inter benedictos benedicetur, dicens : « Ego ex ore altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Ego in cœlis feci ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuivi sola, etc. » Et post pauca[4] : « Tunc præcepit, et dixit mihi creator omnium, et qui creavit me requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi : « In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. » In eodem quoque libro apertissime peccatorum remissionem consistere in Incarnatione divinæ Sapientiæ, quæ Christus est, prophetat, dicens peccata David per Christum purgata esse. Ibi enim cum de laude David plurima dicerentur, summa totius laudis in hoc uno collecta est, quo subdicitur[5] : « Christus purgavit peccata ipsius, et exaltavit in æternum cornu ejus, et dedit illi testamentum regum, et sedem gloriæ in Israel. »

Michæas quoque de hac æterna Verbi generatione ex Patre, necnon et de temporali ex matre ait[6]: « Et tu Bethleem Effrata parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis. » Dicant rebelles et increduli Judæi, de quo nascituro in Bethleem

[1] *Psalm.* XXXII, v. 6. — [2] *Prov.*, XXX, v. 1. — [3] *Eccli.*, cap. XXIV, v. 4. — [4] *Ibid.*, v. 12. — [5] *Ibid.*, cap. XLVII, v. 13. — [6] Mich., cap. V, v. 2.

hoc dictum sit, quod videlicet egressus ejus ab initio sit a diebus æternitatis. Æternum quippe est quod origine caret. Quod si hoc referant ad Messiam, illum scilicet maximum prophetam, ut aiunt, quem expectant, qui tamen secundum eos homo purus erat, non etiam Deus; ostendant quis egressus ejus æternus sit, vel unde æternaliter egrediatur. Si autem dicant eum æternaliter egredi ex Bethleem, eo quod ejus nativitas in eo loco futura ab æterno provisa sit a Deo et prædestinata : hoc utique modo cujuslibet hominis, vel cujuslibet rei nativitas æterna est, quia videlicet ab æterno provisa. Discant itaque æternam generationem esse, quam et scriptam legunt, et legendo profitentur, et profitentes non credunt. Respondeant etiam mihi, cum audiunt prophetam dicentem[1] : «Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum,» quid per Verbum Domini, quid per os ejus, vel per Spiritum ejus intelligant. Unum quippe omnium aliarum rerum principium Deum esse constat; et omne quod est, aut Deus est, et ideo æternum, aut ab æterno illo principio manet creatum. Scriptum præterea est[2] : « In principio creavit Deus cœlum et terram :» unde ante hæc nihil creatum esse volunt. Verbum itaque illud quo cœli firmati sunt, et ideo prius est his quos constituit, creatum non est, immo creator, ipse qui Deus est, quo cœli firmati sunt. Si autem hoc verbum locutionem aliquam Dei transitoriam appellent, sicut et verbum hominis, eo videlicet quod scriptum est[3] : « Dixit Deus et facta sunt; » atque ita Deus quoque sicut homo modo loquitur, cum ait : « Fiat lux, » modo conticet, profecto permutabilis est divinitatis æternitas, cum non semper dicat[4] « fiat lux, » et cetera quæ jam condita sunt. Quid etiam opus Verbo audibili fuit ante mundi constitutionem, cum nondum esset cui loqueretur, vel qui audiret? Numquid mane Verbum non protulit, si opus verbo non fuerit? præsertim cum sola voluntas sufficeret, nec adhuc aliquis esset qui audito instrueretur. Quo etiam proferendo verbum emitteret, cum nullus adhuc locus creatus esset, nec aer adhuc conditus ex quo verba formantur? Quibus etiam instrumentis verba formaret, cum nec os, nec pars aliqua inesse possit ei qui omnino simplex est et indivisibilis? omne quippe quod partibus constat, posterius est naturaliter his ex quibus constat, et quorum conventu proficitur, cum ex ipsis esse suum contrahat ex quibus est constitutum. Omne etiam, inquit Plato, quod junctum est, natura dissolubile est. Quod si Spiritum Domini ventum intelligant, sicuti ibi accipere volunt[5] : « Spiritus Domini ferebatur super aquas, » eo, ut aiunt, quod ventus in aquis quas commovet maxime appareat, quomodo Spiritus, id est flatus oris Domini esse dica-

[1] *Psalm.* xxxii, v. 6. — [2] *Genes.*, cap. i, v. 1. — [3] *Psalm.* xxxii, v. 9. — [4] *Genes.*, cap. i, v. 3. — [5] *Ibid.*, v. 2.

tur, cum videlicet, neque os, neque aliquam partem, ut dictum est, habeat? Quomodo etiam per ventum virtus cœli et terræ subsistit? Intelligant ergo hunc esse illum Spiritum Domini, cujus septiformem gratiam Isaias describens ait[1] : « Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, etc. » Et alibi[2] : « Et nunc Dominus misit me, et Spiritus ejus. « Et rursus[3] : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me. » De quo etiam in *Sapientia* dicitur[4] : « Sanctus Spiritus disciplinæ effugiet fictum. Benignus est enim Spiritus Sapientiæ, etc. » De quo iterum cum subditur[5] : « Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis,» aperte ipse Spiritus Deus esse perhibetur, cum omnia continere dicatur. Et iterum ad Deum loquens Sapientia dicit[6] : « Sensum autem tuum quis scivit, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis? » Et rursum[7] : « O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in nobis. » Hic etiam cum ipse Spiritus Sapientiæ describeretur, verus Deus plane prædicatur, cum inter cetera de eo scriptum sit in *Sapientia* sic[8] : «Omnem habens virtutem, omnia prospiciens, » et quod capiat omnia Spiritus. Quem etiam Heliud in libro Job creatorem profitetur dicens[9] : « Spiritus Domini fecit me, et spiraculum omnipotentis vivificavit me. » Cui et Filius ipse Dei in Evangelio æqualem sibi et Patri dignitatem adscribens ait[10] : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. » Necnon et Apostolus, teste Augustino, cum templum Spiritus sancti nominat, aperte eum esse Deum pronunciat, cum solius Dei templum esse dicatur. Scriptum quippe est in Apostolo[11] : « Nescitis quod templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis? » Ubi aperte insinuat Deum ipsum cujus est templum, et Spiritum Dei quem inhabitare dicit, idem esse. Sic et B. Petrus in *Actibus Apostolorum* Spiritum sanctum Deum esse profitetur, dicens[12] : « Ut quid mentitus es Spiritui sancto, Anania? non es mentitus hominibus, sed Deo. » De quo iterum Spiritu in eisdem *Actibus* continetur[13] : « Hæc dicit Spiritus jubens : Separate mihi Barnabam et Paulum, etc. » Et rursum[14] : « Placuit Spiritui sancto et nobis. » Et Psalmista Spiritum Dei ubique esse tanquam incircumscriptum profitetur dicens[15] : « Quo ibo a Spiritu tuo? » Qui et statim ut ipsum Spiritum Dei, quem ubique esse profitetur, idem esse cum ipso Deo, ad quem loquitur, insinuet, per hoc patenter ostendit, quod statim Spiritum ubique esse assignat per ipsum Deum, quem ubique astruit dicens[16] : « Si ascendero in cœlum, tu illic es, etc. » Sed et cum

[1] Isai., cap. II, v. 2. — [2] *Ibid.* v. 48, v. 16. — [3] *Ibid.*, cap. LXI, v. 1. — [4] *Sap.*, cap. I, v. 5. — [5] *Ibid.*, v. 7. — [6] *Sap.*, cap. IX, v. 17. — [7] *Sap.*, cap. XII, v. 1. — [8] *Sap.*, cap. VII, v. 23. — [9] Job., cap. XXXIII, v. 4. — [10] Matth., cap. XXVIII, v. 19. — [11] *Corinth.* I, cap. III, v. 16. — [12] *Act. Apost.*, cap. V, v. 3. — [13] *Act. Apost.*, cap. XIII, v. 2. — [14] *Act. Apost.*, cap. XV, v. 28. — [15] *Psalm.* CXXXVIII, v. 7. — [16] Matth., cap. XII, v. 32.

Veritas ipsa perhibeat peccatum in Spiritum non esse remissibile, cum peccatum in Patrem et in Filium remissibile dicat, cui aperte non insinuet Spiritum ipsum non minorem esse Patre et Filio, ac per hoc ipsum etiam Deum plenum esse, sicut est Pater ipse, vel Filius? Liquet itaque ex supra positis tam Verbum Dei, quam Spiritum ejus Deum esse, sicut et ipse cujus est Verbum vel Spiritus. Intelligant igitur, ut dictum est, hoc Verbum Domini, id est Filium Dei, non transitorium verbum, non audibile, sed intellectuale, hoc est ipsam rationem sive Sapientiam coæternam Deo, quam dici convenit omnisapientiam, sicut et dicimus omnipotentiam. Unde et scriptum est[1] : « Omnis Sapientia a Domino Deo est et cum illo fuit semper, et est ante ævum. » Qui etiam in libro *Sapientiæ* verus Dei Filius et consubstantialis monstratur, ad differentiam scilicet adoptivorum filiorum, de quibus per prædicationem ejus Deo acquisitis scriptum est[2], « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. » Sic quippe cum ejus passio in *Sapientia* manifeste prophetaretur, inter cetera ab impiis dictum est[3] : « Si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum, et liberabit de manu contrariorum. » Hanc et aperte generationem profitetur sancta anima per Deum liberata, cum in *Ecclesiastico* dicit[4] : « Invocavi Dominum Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ. »

Nunc autem post testimonia prophetarum de fide Trinitatis, libet et testimonia philosophorum supponere, quos ad unius Dei intelligentiam tum ipsa philosophiæ ratio perduxit, qua juxta Apostolum[5], « invisibilia ipsius Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, » tum ipsa continentissimæ vitæ sobrietas quodam eis merito id ipsum adquisivit. Oportebat quippe ut tunc etiam in ipsis præsignaret Deus per aliquod abundantioris gratiæ donum, quam acceptior sit ei qui sobrie vivit, et se ab illecebris hujus mundi per contemtum ejus subtrahit, quam qui voluptatibus ejus deditus spurcitiis omnibus se immergit. Quantæ autem abstinentiæ et continentiæ philosophi fuerint, sancti etiam doctores tradunt, qui et eorum vitam ad nostram increpationem inducunt, et pleraque ex documentis eorum moralibus vel testimoniis fidei ad ædificationem nostram assumunt : quod qui ignorat, legat saltem Hieronymum *Contra Jovinianum*, et viderit quanta de eorum virtutibus vel ceterorum gentilium referat, ad impudentiam scilicet illius hæretici conterendam. Maxime autem et nos hoc opere testimoniis seu rationibus philosophorum niti convenit, in quo adversus eos præcipue agimus, qui fidem nostram philosophicis nituntur oppugnare documentis, præsertim cum nemo, nisi per ea quæ recipit,

[1] *Eccles.*, cap. I, v. 1. — [2] Joan., cap. I, v. 12. — [3] *Sap.*, cap. II, v. 18. — [4] *Eccles*, cap. LI, v. 14. — [5] *Rom.*, cap. I, v. 20.

arguendus sit, aut convincendus, et ille nimia confusione conteratur, qui per eadem vincitur, per quæ vincere nitebatur.

Philosophos autem unum tantummodo Deum cognoscere, unus ex ipsis Tullius in primo *Rhetoricorum* perhibet dicens : « Eos qui philosophiæ dant operam non arbitrari Deos esse, » ac si aperte dicat : immo Deum unum, non deos plures. De quibus etiam Apostolus, teste Augustino, cum Atheniensibus loquens rem magnam dixisset, et quæ a paucis posset intelligi, quod in illo scilicet « vivimus, movemur et sumus, » adjecit, « sicut et vestri quidam dixerunt[1]. » De talibus rursum idem Apostolus ad Romanos scribit[2] : « Quod notum est Dei, manifestum est illis : Deus enim illis manifestavit : invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas : ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis. » Nec mirum cum et Salomonis illa sapientia per concupiscentiam carnalesque voluptates devicta, idolatriæ consenserit, divino cultu, quem in suis et docebat et prædicabat, derelicto. Ad quem etiam cultum Dei magnificandum, ipse jussu Dei templum ædificavit, a quo pater ejus justus inhibitus fuit. Deus autem reprobis etiam et infidelibus nonnumquam maxima dona distribuit, quæ aliorum doctrinæ vel usui necessaria fore videt, necnon et per reprobos multa miracula operatur, de quibus in Evangelio Veritas[3], « Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia non novi vos. Discedite a me qui operamini iniquitatem. » Cum autem per reprobos Deus aut miracula ostendit, aut prophetias loquitur, aut quælibet magna operatur, non ad utilitatem ipsorum agitur, quibus utitur tamquam instrumentis; sed potius aliorum, quos instruere per istos intendat, qui et per indignos ministros gratiæ suæ dona non deserens quotidie sacramenta Ecclesiæ ad invocationem sui nominis specialiter conficit in salutem credentium. Bene autem et per indignos seu infideles maxima Deus operatur, qui verbis asini prophetam docuit[4], ne si per magnos tantum magna operaretur, virtutibus meritisque hominis magis quam divinæ gratiæ hæc tribuerentur.

Primus autem nunc ille antiquissimus philosophorum et magni nominis occurrat Mercurius, quem præcellentia sua Deum quoque appellaverunt : cujus quidem testimonium de generatione Verbi Augustinus *Contra quinque hæreses*

[1] *Act. Apost.*, cap. XVII, v. 28. — [2] *Rom.*, cap. I, v. 19. — [3] Matth., cap. VII, v. 22. — [4] *Num.*, cap. XXII, v. 28. Scriptura ariolum vocat, non prophetam.

disputans inducit dicens[1] : « Hermas qui latine Mercurius dicitur, scripsit librum qui Logostilcos appellatur, id est Verbum perfectum; audiamus quid loquatur de Verbo perfecto. « Dominus, inquit, et omnium factor Deorum secundum « Dominum fecit. Hunc fecit primum et solum et verum. Bonus autem ei visus « est et plenissimus omnium bonorum. Lætatus est, et valde dilexit eum tamquam « unigenitum suum. » Item alio loco dicit : « Filius benedicti Dei atque bonæ « voluntatis, cujus nomen non potest humano ore narrari. » Augustinus quem primo factum dixit, postea unigenitum appellavit. Quantum plenissimus sit Johannes Evangelista dicit[2] : « De plenitudine ejus omnes accepimus. » Deos autem, hoc est animalia rationalia immortalia philosophi planetas seu etiam mundum ipsum vocare consueverunt, unde et Propheta solem et lunam et cetera militiam cœli vocat, morem gentilium secutus, qui eis tamquam rectoribus suis et protectoribus suis immolabant. Horum autem deorum excellentiores juxta Platonem summus Deus de creatione hominis facienda alloquitur, quasi omnia quæ in terra deorsum fiunt a superioribus per occultas planetarum ac siderum naturas administrentur. Ita enim dicit[3] : « Dii deorum, quorum opifex idem paterque ego, opera vos siquidem mea dissolubilia natura, me tamen ita nolente indissolubilia, etc. » Ad hoc et illud pertinet quod in octavo *de Civitate Dei* de Platonicis dicitur[4] : « Omnium, inquiunt, animalium in quibus est anima rationalis tripertita divisio est, in deos, homines, dæmones. Deorum sedes in cœlo, hominum in terra, in aere dæmonum. » Et Boetius *super Porphyrium :* « Quandocumque, inquit, Deum subponimus animali, secundum opinionem eam facimus, quæ solem stellasque atque hunc totum mundum animatum esse confirmat, quos etiam deorum nomine appellaverunt. » Beatus autem Augustinus, quod dicitur de sole et ceteris cœlestibus luminaribus nequaquam refellere audet, sed sibi incertum esse profitetur, utrum videlicet quidam rectores spiritus illis insint, per quos etiam vivificentur, et quod mirabile dictu videtur, dicit etiam se ignorare, utrum hæc quoque pertineant ad societatem eorum, quos nos christiani angelos vel cœlestes spiritus dicimus, unde in *Enchiridio* ita dicit[5] : « Utrum Archangeli appellentur Virtutes, et quid inter se distent Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt. Ego me ista ignorare profiteor. Sed nec illud certum habeo, utrum ad eamdem societatem pertineant sol et luna et sidera, quamvis nonnulla lucida esse corpora, non cum sensu vel intelligentia videantur. Ne quis forte sacris eruditus litteris abhorreat Hermetis philosophi

[1] *Contra quinque hæreses*, cap. III. *Opp.*, t. VIII. — [2] Joan., cap. I, v. 16. — [3] *In Timæo.* — [4] Aug. *de Civitate Dei*, lib. VIII, cap. XLV. — [5] August. *Enchiridion*, cap. LVIII. *Opp.*, t. VI.

verba, quibus videlicet ait de Deo patre quod secundum fecerit dominum, hoc est genuerit filium, cum profecto Deus Filius a Deo Patre nec factus nec creatus, sed tantum sit genitus; sciat etiam a catholicis et sanctis doctoribus multa de eadem generatione similiter abusive prolata, cum nonnumquam Patrem auctorem Filii, vel eum procreasse, vel Filium a Patre formatum, vel ipsius Patris esse effectum abusive pronuncient. » Unde Hilarius *de Trinitate* lib. III[1] : « Secundum Apostolum[2] quia « in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter » sed incomprehensibiliter, inenarrabiliter, ante omne tempus et sæcula, Unigenitum ex his quæ ingenita in se erant procreavit, omne quod Deus est per caritatem atque virtutem nativitati ejus impertiens : ac sic ingenito, perfecto, æternoque Patri unigenitus et perfectus et æternus est Filius. Ea autem quæ ei sunt secundum corpus quod assumsit, bonitatis ejus ad salutem nostram voluntas est. » Idem in XI[3] : « Verba quæ loquor vobis non a me loquor[4]. » Nam dum non a se loquitur, auctori eum necesse est debere quod loquitur. » Item[5] : « Ad id quod agit secundum nativitatem sibi pater auctor est. » Rursus idem libro XII, de non nato Deo Patre et nato ab eo Filio loquens ait[6] : « Neque ipsum non natum atque nasci, quia illud ab altero, hoc vero a nemine est, et aliud est sine auctore esse semper æternum, aliud quod Patri, id est auctori est æternum. Ubi enim Pater auctor est, ibi et nativitas est. At vero ubi auctor æternus est, ibi et nativitatis æternitas est, quia sicut nativitas ab auctore est, ita et ab æterno auctore æterna nativitas. » Item : « Quod ex æterno natum est, id si non æternum natum, jam non erit et Pater auctor æternus. Si quid igitur ei qui ab æterno Patre natus est, ex æternitate defuerit, idipsum auctori, qui Pater est, non est ambiguum defuisse : quia quod gignenti est infinitum, infinitum est etiam nascenti. » Item : « Ex æterno nihil aliud quam æternum, quod si non æternum, jam nec Pater, qui generationis est auctor, æternus. » Item : « Ex te natus ostenditur, ut nihil aliud quam te sibi significet auctorem. » Idem in Psalmo CXXXVIII[7] : « Tu formasti me et posuisti super me manum tuam[8], » utrumque significat, ut quod formavit antiquum sit, quod superposuit manum, novissimum sit. Quod enim secundum naturam divinitatis formatus sit, Apostolus docet dicens[9] : « Qui cum in forma Dei esset, » quod enim in forma est, formatur in forma, et ei Pater naturæ et divinitatis est, ut referri possit ad Patrem, et formatus ab ipso sit. » Augustinus *Quæstionum veteris et novæ legis* cap. LVII[10] : « Deus pater de se filium generavit, in quo ipse videtur, qui nihil ab eo distaret, ut magnitudini suæ congruus responderet effectus. » Item : « Simillimum itaque suum Filium creans

[1] Hil. *de Trinit.*, lib. III, cap. III. — [2] *Coloss.*, cap. II, v. 9. — [3] Hilar. *de Trinit.*, lib. II, cap. XII. — [4] Joan., cap. XIV, v. 10. — [5] Hilar. *de Trinit.*, lib. II, cap. 21. — [6] Lib. XII, cap. 21. — [7] Hilar. *in Psalm.* CXXXVIII, v. 5. — [8] *Psalm.* CXXXVIII, v. 5. — [9] *Phil.*, cap. II, v. 6. — [10] *Quæst. ex nov. Testam.*, 48. *Opp.*, t. III, app. col. 61.

edidit ex se quasi alterum se. » Idem in eodem : « Habuit itaque ante mundum creatæ sobolis principatum, ut pater rerum futurus ante esse debuerit pater proprius, hoc est proprii sui fætus. » Quid itaque mirum cum in verbis quoque ecclesiasticorum ac sanctorum doctorum nonnulla tam abusive proferantur ad generationem Verbi demonstrandam, ut Deus Pater auctor esse Filii sui et eum procreasse, vel Filius ab eo creatus, vel ejus esse dicatur effectus, secundum id scilicet quod ab eo est genitus potius quam creatus vel factus, et ille tantum genitor potius quam creator vel auctor; quid, inquam, mirum si prædictus philosophus Hermes videlicet nullis ecclesiasticis imbutus disciplinis, abusitionem verborum non caverit, dicendo scilicet fecisse pro genuisse? Quod etiam eum secundum à Patre Filium dixerit, a verbis quoque sanctorum alienus non extitit. Unde et Hilarius *de Trinitate* in XII : « Filius ex te Deo Patre Deus verus, et a te genitus post te ita confitendus ut tecum, qui æternæ originis suæ auctor æternus es. Nam dum ex te est, secundus a te est, secundus inquam, ex modo subsistendi, non ex differentia dignitatis. Hic quippe a Deo Patre quasi primo loco subsistit, cum Spiritus tanquam tertio loco ab utrisque sit. » Unde et Patrem Hieronymus principalem Spiritum ad Filium nominat opere illo suo *de Tribus virtutibus* ita loquens[1] : « David in psalmo tres Spiritus postulat, dicens[2] : « Spiritu principali confirma me. Spiritum rectum innova in visceribus meis. « Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. » Qui sunt isti tres Spiritus? Principalis Spiritus, Pater est; rectus Spiritus, Christus est; Spiritus sanctus, Spiritus sanctus est. » Augustinus *Veteris et novæ legis* cap. LVIII[3] : « Spiritum sanctum qui tertius sit a Patre, secundus autem a Christo secundum numeri ordinem. »

Revolvatur et ille maximus Philosophorum Plato ejusque sequaces, qui testimonio sanctorum Patrum, præ ceteris gentilium philosophis fidei christianæ attendentes, totius Trinitatis summam post prophetas patenter ediderunt, ubi videlicet Mentem, quam Noym vocant, ex Deo natam atque ipsi coæternam esse perhibent, id est Filium quem Sapientiam Dei dicimus ex Deo Patre æternaliter genitum; qui nec Spiritus sancti personam prætermisisse videntur, cum animam mundi esse astruerint tertiam a Deo et Noy personam. Ac primum ea diligenter consideremus quæ a Platone de hac anima dicta sunt, a quo ceteri philosophi, qui[4] de anima ipsa dixerunt, habuisse creduntur. Hanc itaque mundi videlicet animam quasi tertiam a Deo et Noy personam distinguens, prolixiori ac diligentiori descriptione prosequens, eam tam in se ipsa quam in effectis suis integerrima designatione declarat. Juxta quod et nos Spiritum sanctum modo

[1] Inter opera S. Hieronymi nullum extat opus de tribus virtutibus. — [2] *Psalm.* L, v. 14. — [3] *Quæst.* LXXXVIII. *Opp.*, t. III, col. 80. — [4] Forsan legendum *Quæ*.

secundum effecta operum suorum dicere solemus, modo secundum naturalem bonitatis suæ affectum, quem in seipso ab æterno habuit, sicut diligentius postmodum distinguemus. Nunc autem illa Platonis verba de anima mundi diligenter discutiamus, ut in eis Spiritum sanctum integerrime designatum esse agnoscamus. Dicit itaque hanc ante mundi constitutionem factam sive genitam a Deo esse, in quo Spiritus sancti perpetuam processionem, qua ex Deo Patre est, nobis, ni fallor, insinuat. Solent quippe philosophi factum ex Deo sive genitum dicere omne quod a Deo habet esse. Unde et Hermes superius Filium Dei factum a Deo dixit, pro hoc quod ab ipso habet esse tamquam æternaliter genitus, non temporaliter ab ipso factus aut creatus. Plato quoque omne quod a Deo esse habet genitum ex ipso dicit, non tamen omne quod a Deo est filium ejus esse, velut ipsum mundum et cetera ejus opera. Ait autem sic, cum de mundo antea locutus ad animam mundi pervenisset[1]: « Nec tamen, inquit, eo quo nos ad præsens loquimur ordine ortum animæ Deus annuit, junioremque ac posteriorem corporibus eam fecit. Neque enim decebat rem antiquiorem a postgenita regi[2]. » Item : « Deus tam antiquitate quam virtutibus præire animam naturæ corporis jussit; dominamque eam et principali jure voluit esse circa id quod tueretur. » In quo etiam notandum est quod dum eam præesse regimini mundi ut dominam dicit, profecto eam omni præfert creaturæ, et Deum esse astruit, cum postmodum his verbis animam mundi vocavit : « Hoc dixit et demum reliquias prioris concretionis, ex qua mundi animam commiscuerat, etc. » Bene autem Spiritum sanctum animam mundi quasi vitam universitatis posuit, cum in bonitate Dei omnia quodammodo vivere habeant, et universa tamquam viva sint apud Deum, et nulla mortua, hoc est nulla inutilia, nec ipsa mala quæ etiam optime per bonitatem ipsius disponuntur, juxta quod tam apud Evangelistam, quam apud Platonicos scriptum esse meminimus[3], « quod factum est in ipso vita erat, » ac si aperte dicatur, omnia temporaliter facta per ipsum, hoc est per ipsam Dei bonitatem condita, in ipsa Dei bonitate quodammodo perenniter vivebant, cum apud divinam providentiam omnia ab æterno per ejus bonitatem optime essent ordinata, ut tam bene singula procedere vellet quantum oporteret. Huic non incongrue illud Apostoli consonare videtur, quod perhibet philosophorum quosdam dixisse, quod in Deo[3] « vivimus, movemur, et sumus, » ac si hanc animam mundi ipsum intelligerent Deum. Quod vero dicit Deum excogitasse tertium animæ genus, quod animam mundi dicimus, tale est ac si tertiam a Deo et Noy personam astruat esse Spiritum sanctum in illa spirituali divina substantia. Excogitare dicitur Deus, hoc est ex integro

[1]*In Timæo.* — [2] In editis *Rei.* — [3] Joan., cap. I, v. 3. — [4] *Act. Apost.*, cap. XVII, v. 8.

percipere hujus personæ discretionem, quam condigne cogitare atque ab ipso Patre et Filio plene distinguere non sufficimus. Tantumdem etiam valet aliquid a Deo excogitari aliquo modo, quam illud se habere illo modo, hoc est ita veraciter esse. Deinde statim hujus tertiæ personæ, quam animam mundi collocat, diligentem adhibet descriptionem, cum animam ipsam ex individua et incommutabili substantia consistere perhibet, ac rursus ex dividua secundum quod scilicet seipsam anima scindere per corpora putatur. Nam et Spiritus sanctus et in seipso simplex omnino substantia est, et ex natura divinitatis omnino invariabilis atque incommutabilis in seipso perseverat, atque idem Spiritus per effecta multiplex quodammodo vocatur, et septem Spiritus nonnumquam dicitur, secundum septiformis gratiæ suæ efficaciam : unde et in laude divinæ Sapientiæ Spiritus ejus et unicus et multiplex et discurrens et stabilis esse describitur. Dicit itaque Philosophus animam ipsam esse ex individua semperque in suo statu perseverante substantia. Itaque anima[1] quæ inseparabilis comes corporum, per eadem se corpora scindere putatur, quia Spiritus sanctus et hujusmodi est, quod ex suo statu, quem in seipso non in effectis suis habet, omnino simplex est atque incommutabilis, et quodammodo multiplex esse secundum effecta putatur, quod est seipsum in corpora scindere, secundum quod ipsa videlicet anima inseparabilis comes est corporum, cum hanc scilicet multiplicitatis scissuram nullo modo quantum ad seipsam habere possit, sed solummodo quantum ad effecta. Egregie quoque putari dictum est et non esse, quia si vere ac proprie loquamur, non est hæc multiplicitas Spiritus, sed effectorum ipsius, cum eum videlicet in hoc uno multiplicem dicamus, quia multiplicia facit, quod est effecta ejus magis esse diversa, quam ipsum. Cum itaque in ipsa anima mundi individua et dividua, sive ut dictum est eadem et diversa concurrit substantia, addit his duobus in ipsa anima sibi concurrentibus quamdam mixturam effici ex individuo scilicet et dividuo, sive ex eodem et diverso, hoc est incommutabili et commutabili. In qua quidem, ut ita dicam, mixtura Spiritus sancti proprietas diligenter et integre videtur expressa, tam in seipso scilicet, quam in effectis, ut dictum est, suis. Dicit itaque quia Deus hoc tertium substantiæ genus ita, ut dictum est, mixtum, locavit medium inter utramque substantiam; individuam scilicet et dividuam, quia cum sit ipse quoque Spiritus ex Deo tamquam ex ipso procedens, utrumque horum ab ipso habet a quo esse habet : et hoc est dicere quod Deus locavit hoc ipsum animæ genus inter utraque supradicta quasi medium eorum, hoc est mixtum ex eis, ac si diceret, quod ab ipso Deo, a quo ipsa est anima, tam hoc quam illud

[1] Sic legendum conjicimus. Ap. Martene *Itaque per alia;* Introd. ad Theol. supra, p. 38. *Itemque alia.*

habet, ut videlicet et individua sit in sua substantia et dividua secundum effecta. Quod autem dictum est locavit, congrue dictum est juxta metaphoram locutionis, qua dictum est medium quasi inter aliqua circumstantia collocatum. Postquam autem designavit mixturam animæ, ex individuo ac dividuo, transit ad mixturam ex eodem et diverso, dicens eamdem animam, eodem modo ex eodem et diverso consistere, sicut ex individuo consistit atque dividuo. Cujus, inquit, pars idem, pars diversum vocetur, cum videlicet Spiritus ipse et idem sit in substantia cum Deo et Noy, id est cum Patre et Filio, et diversus in proprietate personæ. Possumus etiam eumdem, hoc est incommutabilem in se, eum dicere et diversum quodammodo per effecta esse, cum non solum ipse ea quæ diversa sunt fecerit, secundum quod superius dictum est, ex individua constare substantia, verum etiam ea per temporum successionem mutat ac variat: prout opportunum esse judicat, juxta illud Boetii: « Stabilisque manens dat cuncta moveri. » Et jam quidem superius incommutabilem esse assignaverat, cum ait, « semperque in statu suo perseverante substantia, » sed quod variabilis per effectuum suorum mutationem esset, nondum addiderat, quod nunc facit. Bene itaque dicit animam ipsam quoddam medium esse, id est mixtum ex individua in se substantia et dividua per conjunctionem corpoream, id est conjunctionem ipsius ad corpora, quando scilicet ipsa ad res quaslibet creandas vel regendas atque disponendas se applicat, sicut quælibet anima corpori suo sua impertiens beneficia, cui etiam Philosophus totam vim et concordiam proportionalem numerorum tribuit, ut in divinæ gratiæ bonitate universarum rerum concordiam consistere doceat. Omnis quippe ordo naturæ et concinna dispositio numerorum proportionibus vestigatur atque assignatur, et omnium perfectissimum exemplar numeris occurrit quod rebus congruit universis, quod quidem eos non latet qui philosophiæ rimantur arcana. Hinc est etiam quod arithmetica, quæ tota circa proportiones numerorum consistit, mater et magistra ceterarum artium dicitur, quod videlicet ex discretione numerorum ceterarum rerum vestigatio doctrinaque pendeat. Cujus etiam ut ineffabilem exprimerent benignitatis dulcedinem, totam ei musicarum consonantiarum ascribunt harmoniam, qua et ipsum jugiter resonare firmamentum, et superiores mundi partes repleri perhibentur. Nihil quippe est quod ita oblectet, et nimia suavitate sui alliciat animos, sicut melodia. Nihil est ita pronum ad eos componendos vel commovendos vel pacandos, ut juxta illud primi capituli Boetianæ musicæ scirent philosophi, quod nostræ tota animæ corporisque compago musica coaptatione conjuncta sit : adeo quod ut iracundias insaniasque melodia sedaret, et gravissimarum infirmitatum dolores curari animadverterent atque efficerent : quod qui ignorat, nec adhuc experimento didicit, legat

prædictum musicæ capitulum, et inveniet quomodo Pythagoras ebrium adolescentem sub Phrygii modi sono incitatum, spondæo succinente reddidit mitiorem, et sui compotem. Nam cum scortum, inquit, in rivalis domo esset clausum, atque ille furens domum vellet amburere, cumque Pitagoras stellarum cursus, ut ei mos nocturnus, inspiceret, ubi intellexit sono Frigii modi incitatum, multis amicorum admonitionibus a facinore noluisse desistere, mutari modum præcepit atque ita furentis animum adolescentis ad statum mentis pacatissimæ temperavit. Inveniet etiam quod cum vinolenti adolescentes tibiarum etiam cantu, ut fit, instincti, mulieris pudicæ fores frangerent, ammonuisse tibicinam, ut spondæum caneret, Pitagoras dicitur : quod cum illa fecisset, tarditate modorum et gravitate canentis illorum furentem petulantiam consedasse. Videbit ibidem et quomodo Terpander atque Ario Lesbios atque Iones gravissimis morbis cantus eripuere præsidio ; necnon et qualiter Ismenias Thebanus Boetiorum pluribus, quos sciatici doloris tormenta vexabant, modis fertur cunctas abstersisse molestias. Ubi etiam Empedocles cum ejus hospitem quidam gladio furibundus invaderet, inflexisse modum canendi dicitur, atque adolescentis iracundiam temperasse. In tantum vero, inquit Boetius, priscæ philosophiæ studiis vis musicæ artis innotuit, ut Pitagorici cum diurnas in somno resolverent curas, quibusdam cantilenis uterentur, ut eis lenis et quietus sopor irreperet. Itaque experrecti aliis quibusdam modis stuporem somni confusionemque purgabant. Id nimirum scientes quod nostræ tota animæ corporisque compago musica coaptatione et juncta sit. Nam ut sese corporis affectus habet, ita etiam pulsus cordis motibus incitantur, quod scilicet Democritus Ypocrati medico tradidisse fertur, cum eum quasi insanum, cunctis civibus id opinantibus, in custodia medendi causa viseret. Sed quorsum istic? quia non potest dubitari quin nostræ animæ et corporis status eisdem quodammodo proportionibus videatur esse compositus, quibus harmonicas modulationes posterior disputatio conjungi copularique monstrabit. Quod si parum fidelibus videantur quæ juxta philosophos de virtute diximus harmonica, nisi et sacræ id scripturæ testimonio confirmemus ; occurrat memoriæ qualiter spiritu malo in Saul irruente, actum est virorum prudentium consilio vim harmonicæ suavitatis non ignorantium, ut vesaniæ tantæ stimulis Davidici moduli mederentur. Unde et postmodum vir Deo plenus cum ad divini cultus religionem amplificandam templum ædificare disponeret, psalmos qui decantarentur composuit, et omnium musicorum instrumentorum genera congregavit, ut tam vocum quam sonorum consonantiis rudem alliceret populum, per quæ antea diabolicum in reprobo rege mitigarat tormentum. Ex quo præcipue traditur quam naturalis animæ sit harmonica modulatio, quæ ita naturam ejus suavitate sui componere

ac reparare valet, ut maligni quoque spiritus tormenta eam perturbare non queant. Bene itaque philosophi, immo Dominus per eos id forsitan ignorantes, tam ipsi animæ mundi, quam superioribus firmamenti partibus nimiam ac summam harmonicæ modulationis suavitatem assignant, ut quanta pace, quanta fruantur concordia, quam diligentius possent exprimerent, et quam concorditer cuncta in mundo divina disponat bonitas, quam illi animam mundi, Veritas Spiritum sanctum, ut dictum est, nominat. Quis etiam si diligenter attenderit, non animadvertat quod de cœlesti dixerunt harmonia, quæ in superioribus mundi partibus incessanter resonat, cum cœlestes videlicet spiritus ex assidua divinæ majestatis visione, et summa invicem concordia ligentur, et in ejus quem conspiciunt laudes jugi et ineffabili exultatione illud decantent quod juxta Isaiam Seraphim die ac nocte conclamare non cessant[1]: « Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, etc.? » Superiores itaque cœli, id est firmamenti, partes beatos hos spiritus vel eorum mansionem intelligimus, quos etiam septem planetarum nomine, propter excellentiam claritatis ipsorum, quos spiritualiter divina gratia, quæ septiformis dicitur, illuminat, non incongrue designasse videntur, qui et bene apud Isaiam Seraphim, id est incendium, ex speciali illuminatione gratiæ nuncupantur. Superior autem eorum mansio tam dignitate, quam positione dicenda videtur, atque hi qui superbierunt in hunc caliginosum et densum aerem detrusi dicuntur, qui loci quoque positione inferior sicut et inhabitatione deterior, inferni nomine non inconveniente accipi potest. Bene etiam beati spiritus illi, sive superna illorum mansio firmamento comparatur, qui ceteris per superbiam corruentibus, hoc in suæ fidelitatis et humanitatis remunerationem acceperunt, ut sic in contemplatione divinæ majestatis firmarentur, ut omnino ulterius labi non queant. Unde Gregorius in *Job* libro XXVI : « Prius, inquit, cœlum factum dicitur, et hoc idem postmodum firmamentum vocatur, quia natura angelica et prius subtilis est in superioribus condita, et post ne umquam posset cadere, mirabilius confirmata. » Idem *super Ezechielem* homilia : « Creavit Deus cœlum, quod postmodum vocavit firmamentum. Cœlum ergo fuerunt hi qui prius bene sunt conditi, sed postmodum firmamentum appellati sunt, quia ne omnino jam caderent, virtute incommutabilitatis acceperunt. » Illud quoque quod ait Plato, animam locatam esse a Deo in medietate mundi, eamque per omnem globum terrestris orbis æqualiter porrigi, pulcre designat gratiam Dei omnibus communiter oblatam, cuncta, prout salubre est vel æquum, benigne in hac magna domo sua seu templo disponere. His autem illud libri *Sapientiæ* aperte concinit[2] : « Spiritus Domini replevit

[1] Isai., cap. VI, v. 3. — [2] *Sap.*, cap. I, v. 7.

orbem terrarum, etc. » Atque illud Psalmistæ[1] : « Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. »

Hieronymus in Epistola Pauli *ad Ephesios* lib. II : « Diversitas autem omnium in quibus dicitur unus Deus et Pater omnium, qui super omnia et per omnes et in omnibus diversam intelligentiam sapit. Super omnia est enim Deus Pater, qui auctor est omnium : per omnes Filius qui cuncta transcurrit, vaditque per omnia in omnibus Spiritus sanctus, et nihil absque eo est. Tale quid de creaturis et Deo etiam Xeno cum Stoicis suspicatur, quem secutus Virgilius, « Deum namque ire per omnes terrasque tractusque maris, » et reliqua. Et[2] :

> Principio cœlum et terras camposque liquentes,
> Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra,
> Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
> Mens agitat molem, et magno se corpore miscet. »

Quod vero totum mundum unum animal Plato dicit, maximam concordiam universorum Dei operum demonstrat, quasi diversorum membrorum in uno corpore animalis, quibus omnibus una præest anima, singulis tota præsens, et in diversis una et eadem operans diversa. Sic et Apostolus cum totius Ecclesiæ concordiam unitatemque demonstrat, eam unum corpus Christi appellat, per quosdam nexus et compagines fidei et caritatis ex diversis fidelibus conjunctum, ita sibi invicem servientibus vel administrantibus, quasi diversa membra in uno corpore, ex quibus alterum alterius eget obsequio. Huic et involucro de positione scilicet animæ in medio mundi locatæ, hoc est de divina gratia omnibus communiter oblata, ipsa etiam divina facta manifeste concordant, cum videlicet doctrinam suam et veræ religionis cultum propagaturus Dominus in mundo, Jerusalem quæ in medio terræ est, elegit, quam quasi caput regni sui constituit, in qua primum ad magnificandum cultum suum ædificari sibi templum quasi regale palatium voluit, ubi etiam uberrimam Spiritus sancti gratiam apostolis infudit, qua per eos totus spiritualiter vegetaretur mundus. Unde scriptum est[3] : « Deus autem rex noster operatus est salutem in medio terræ. » Et rursus[4] : « De Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem. » Medium autem mundum et quasi umbilicum terræ super illum Ezechielis prophetæ locum quo scriptum est[5], « Hæc dicit Dominus : Ista est Jerusalem, in medio gentium posui eam et in circuitu ejus terras, » Hieronymus ascripsit his verbis[6] : « Jerusalem in medio mundi sitam hic idem propheta testatur, umbilicum terræ eam esse demonstrans. Et Psalmista exprimens Domini pas-

[1] *Psalm.* XXXII, v. 6. — [2] Virgil., *Æneid.*, VI, v. 724 et sq. — [3] *Psalm.* LXXIII, v. 12. — [4] Isai., cap. II, v. 3. — [5] Ezech., cap. V, v. 5. — [6] *Opp.*, t. III, col. 726.

sionem[1], « oparatus est, ait, salutem in medio terræ. » Hic plantata est vinea quæ extendit palmites suos usque ad mare, cum hinc vitis vera Christus, apostolis suis quasi palmitibus per universum orbem directis, universum mundum ubertate doctrinæ spiritualis inebriavit. De hac autem vegetatione et vivificatione Spiritus sancti sanctus Salvianus episcopus ad S. Salonium episcopum libro primo *de Gubernatione Dei* Pitagoricum testimoninm inducit, dicens : « Pitagoras philosophus, quem quasi magistrum suum Philosophia ipsa suscepit, de natura et beneficiis Dei disserens, sic loquitur : « Animus per omnes mundi « partes commeans atque diffusus, ex quo omnia quæ nascuntur animalia vitam « capiunt. » Quomodo igitur mundum negligere Deus dicitur, quem hoc ipso satis diligit, quod ipsum semper totum mundi corpus intendit? » De Salvanio autem isto Massiliensis ecclesiæ episcopo, et de libro ejus ad Salonium episcopum, et aliis operibus ipsius, Gennadius Massiliensis presbyter *de Illustribus viris* scribens, inter illustres viros et eorum opera mentionem facit. Qui etiam post Pytagoræ testimonium, Tullium inducens, Deum ipsum quem Pytagoras animum vocat, mentem a Tullio appellari commemorat, dicens : « Tullius quoque : « Nec vero Deus, ipse, inquit, qui a nobis intelligitur, alio modo « intelligi potest, quam mens soluta et libera quædam, et segregata ab « omni concretione mortali, omnia sentiens et movens. » Alibi quoque : « Nihil est, inquit, præstantius Deo. » Ab eo igitur mundum regi necesse est. Nulli igitur naturæ obediens aut subjectus Deus ; omnem ergo regit ipse naturam. »

Augustinus libro IV *de Civitate Dei*, cap. xxxiv, de Varrone loquens ait[2] : « Dicit autem idem auctor acutissimus atque doctissimus, quod ii soli ei videantur animadvertisse quid esset Deus, qui crediderunt eum esse animam motu ac ratione mundum gubernantem ; ac per hoc etsi nondum tenebat quod Veritas habet : Deus enim verus non anima, sed animæ quoque est conditor, tamen unum Deum colendum fatetur, atque suadet. » Item libro XXII[3] : Deum certe volens, sicut poterat, diffinire Cicero, tantus auctor ipsorum : « Mens quædam « est, inquit, soluta et libera, secreta ab omni concretione mortali, omnia sen- « tiens et movens, ipsaque prædita motu sempiterno. » Hoc autem repperit in doctrina magnorum Philosophorum.

Mentem itaque, id est animum sive animam Deum dixerunt, secundum hoc quod totius mundi regimini quasi anima corpori præest : unde et per sapientem quemdam, adhortando nos digna Deum excolere mente, id est a vitiis purgata

[1]*Psalm* LXXIII, v. 12. — [2] Leg., cap. XXXI. *Opp.*, t. VII. — [3] Sic in editis, male profecto nam Ciceronis locus quem Abælardus affert legitur apud Salvianum, *de Gubernatione Dei*, lib. I, cap. I.

et virtutibus adornata, pulchre in ipso suæ adhortationis et disciplinæ exordio dictum est[1],

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipue fit pura mente colendus.

Ac sia perte filium instruens dicat : Cum Deus sit animus, hoc est vera et spiritualis vita, sicut et ipsa perhibent scripta poetarum, velut illa Virgilii verba, quæ super hoc ipsum Macrobius inducit, sicut postmodum ostendemus, hunc præcipue, scilicet Deum bene vivendo glorifica. Bene etiam cum animal esse Plato mundum dixerit, ipsumque intelligentem, hoc est rationale animal esse perhibuit, secundum hoc scilicet, quod ejus anima quanto cæteris præstantior existit, tanto rationabilius in ipso cuncta agit atque disponit. De cujus quidem summæ rationis ordinatione cum subditur quod hæc ipsa mundi videlicet anima, causas omnium quæ proveniunt providet, divinam ei omnium naturarum providentiam assignat, et divinæ plenitudinem scientiæ, ex quo ipsa etiam Deus esse innuitur, metiri ac deliberare ea quæ futura sunt ex præsentibus dicitur, quia juxta ea quæ jam sunt oportet futura præparari, ut eis congrua ordinatione cohærere possint atque aptari. Quod autem subditur ex reliquiis concretionis mundanæ animæ nostras id est humanas animas esse confectas, tale est ac si diceret eas animam mundi in potentiis ac virtutibus imitari, sed longe in hoc ipso a dignitate ejus abscedere. Congrue etiam dicit animam mundi, nec alicujus rei in mundo, sicut et animam hominis dicimus, nec alicujus membri humani. Anima quippe ab animando dicta est, nec aliquid proprie animari dicitur, nisi id in quo tota vis vegetationis ita consummatur, ut nihil corpori illi vegetato adhærere extrinsecus necesse sit ad vegetationem quam habet in se ipso conservandam. Cum itaque mundus juxta philosophos universa concludat, ut nihil extra ipsum divinitus disponendum relinquatur, recte anima mundi dicta est, sicut et anima hominis, cum universa vis animæ in eo consummetur : adeo quidem, ut nec ipsum mundum oculos vel cætera sensuum instrumenta habere oportuerit, sicut et ipse perhibet Plato, cum nulla extra ipsum remaneant ad quæ ista opportunitatem aliquam habeant.

His ex Platone breviter collectis, atque ad nostræ fidei testimonium satis, ut arbitror, diligenter expeditis, consequens existimo ad sequaces ejus commeare, ut ea quæ ab ipsis quoque de anima mundi dicta sunt, nulla ratione convenienter accipi posse monstremus, nisi Spiritui sancto per pulcherrimam involucri figuram assignentur. Hoc quippe loquendi genus philosophis quoque

[1] *Catonis Disticha*, v. 1.

sicut et prophetis familiarissimum est, ut videlicet cum ad arcana prophetiæ pervenerint, nihil vulgaribus verbis efferant, sed comparationibus similitudinum lectorem magis alliciant. Quæ enim quasi fabulosa antea videbantur, et ab omni utilitate remota, secundum litteræ superficiem, gratiora sunt cum magnis plena mysteriis postmodum reperta, magnæ in se doctrinæ continent ædificationem. Ob hoc enim, teste Augustino, teguntur, ne vilescant, qu secundo quidem libro *de Doctrina christiana*, cum causas difficultatis et facilitatis sacræ Scripturæ aperiret, ait[1] : «Obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt, quod totum provisum esse divinitus non dubito, ad edomandam labore superbiam, et intellectum a fastidio revocandum, cum facile investigata plerumque vilescunt.» Item[2] : «Qui prorsus non inveniunt quod quærunt, fame laborant; qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastidio sæpe marcescunt. Igitur salubriter Spiritus sanctus ita scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret.» Quasi ergo in latebris Dominus quiescere gaudet, ut quo magis se occultat, gratior sit illis quibus se manifestat, quo magis ex difficultate Scripturæ laboratur, meritum lectorum augeatur. De quo Psalmista[3], «Posuit, inquit, tenebras latibulum suum.» Et rursum[4] : «Tenebrosa aqua in nubibus aeris,» quia, inquit Gregorius, obscura est scientia in prophetis. De quo et scriptum est in lege[5] : «Accessit Moyses ad caliginem in qua erat Deus.» Et Salomon in *Paralipomenon* ait[6] : «Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine.» Idem in *Proverbiis*[7] : «Gloria Dei est celare verbum, et gloria regum investigare sermonem.» Qui etiam ad scripturarum obscuritates quasi ad latebras, in quibus inveniatur Deus, perscrutandas invitat nos in *Proverbiis* dicens[8] : «Sapiens animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientium et ænigmata eorum;» quæ quidem tanto cariora sunt intellecta, quanto in his intelligendis major operæ facta est impensa. Hinc et illud Hieronymi ad Magnum oratorem scribentis super hoc ipsum quod in exordio *Proverbiorum* Salomon modo dixerit : «In exordio, inquit, *Proverbiorum* commonet ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas, et obscurum sermonem, dicta sapientium, et ænigmata quæ proprie dialecticorum et philosophorum sunt.» Quantum etiam semper philosophia arcana sua nudis publicari verbis dedignata sit, et maxime de anima, et de diis, per fabulosa quædam involucra loqui consueverit, ille non mediocris philosophus et magni philosophi Ciceronis expositor Macrobius diligentissime docet. Remotis enim generibus figmentorum

[1] *De doctr. Christ.*, lib. II, cap. VI. — [2] *Ibid.* — [3] *Psalm.* XVII, v. 12. — [4] *Ibid.* — [5] *Exod.*, cap. XX, v. 21. — *Paral.* II, cap. VI, v. 1. — [7] *Prov.*, cap. XXV, v. 2. — [8] *Prov.*, cap. I, v. 6.

sive fabulosorum quæ philosophos non decent, superposuit illud quod honestissime assumunt. Ait namque quod « quando sacrarum rerum notio sub pio figmentorum velamine, honestis et tecta rebus, et vestita nominibus enuntiatur, hoc est solum figmenti genus quod cautio de divinis rebus philosophantis admittit. » Idem post pauca : « Sciendum est, inquit, non in omnem disputationem philosophos admittere fabulosa, sed his uti solent, cum vel de anima, vel de æthereis potestatibus loquuntur. Cæterum cum ad summum Deum et principem omnium, qui apud Græcos Tagaton, qui et Prothopanton [1] nuncupatur, tractatus se audet attollere, et ad mentem quam Græci Noyn appellant, originales rerum species, quæ ideæ sunt, continentem, ex summo natam et profectam Deo, cum de his, inquam, loquuntur summo Deo et mente, nihil fabulosum penitus attingunt ; sed si quid de his assignare conantur, quæ non sermonem tantummodo, sed cogitationem quoque superant humanam, ad similitudines et exempla confugiunt. »

Cassiodorus in psalmo L « *Redde mihi lætitiam,* etc. » « A nonnullis patribus corporalium et simul existentium rerum talis similitudo proponitur : invenimus in sole tres proprietates : prima est ipsa substantia corporalis, qui sol est, deinde splendor ejus qui in ipso permanet, tertia calor, qui ab splendore ejus usque ad nos pervenit, quæ hoc modo, si tamen tantæ rei potest similitudo aliqua reperiri, arbitror æstimanda, ut quod est in sole substantia corporalis, intelligatur in Trinitate quodammodo persona Patris ; et quod est splendor, hoc persona Filii, sicut Apostolus dicit[2] : « Splendor gloriæ ejus ; » quod autem calor, hoc persona Spiritus sancti, sicut legitur[3] : « Quis se abscondit a calore ejus ? » Datur et aliud exemplum incorporalium rerum. Anima est substantia incorporea, in qua est intellectus et vita. Quod ergo est in anima substantia, hoc intelligitur, si dici fas est, in Trinitate persona Patris : quod autem in anima virtus est et scientia, hoc intelligitur Filius, qui est Dei virtus et Dei sapientia ; et quod est in anima vivificandi proprietas, hoc intelligitur Spiritus sanctus, per quem vivificandi opus multis locis prædicatur impleri, sicut ait Petrus apostolus in epistola[4] : « Mortificatus carne, vivificatus autem spiritu. » Item Apostolus [5] : « Littera occidit, spiritus autem vivificat. » Et in Evangelio Dominus ait[6] : « Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. » Sic Plato cum de Tagaton esset loqui animatus, dicere quid sit non est ausus, hoc solum de eo sciens, quod sciri qualis sit ab hominibus non possit. Solum vero ei simillimum solem de visibilibus reperit, et per ejus similitudinem viam ser-

[1] *In somn. Scip.* I, II : « Qui apud Græcos τ'ἀγαθόν, qui πρῶτον αἴτιον nuncupatur. — [2] *Hebr.*, cap. I, v. 3. — [3] *Psalm.* XVIII, v. 7. — [4] Petr I, cap. III, v. 18. — [5] *Corinth.* I, cap. III, v. 6. — [6] Joan., cap. VI, v. 63.

moni suo attollendi se ad non comprehensibilia patefecit : ideo et nullum ejus simulacrum, cum diis aliis constitueretur, fixit antiquitas, quia summus Deus et nata ex eo mens, sicut ultra animam, ita sunt supra naturam, quo nihil fas est de fabulosis pervenire. De diis autem, ut dixi, cæteris, et de anima non frustra se, nec ut oblectent, ad fabulosa convertunt, sed quia sciunt inimicam esse naturæ apertam nudamque expositionem sui, quæ sicut vulgaribus hominum sensibus intellectum sui vario rerum tegmine operimentoque subtraxit, ita a prudentibus arcana sua voluit per fabulosa tractari. Sic ipsa mysteria figurarum cuniculis operiuntur, ne vel hoc adeptis....[1] talium natura se præbeat; sed summatibus tantum viris, Sapientia interprete, sui arcani consciis, contenti sint reliqui ad venerationem figuris defendentibus a vilitate secretum. Juxta quod Veritas ipsa de integumento parabolarum suarum apostolis loquitur dicens[2] : « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant. » Ex hac itaque Macrobii traditione clarum est, ea quæ a philosophis de anima mundi dicuntur, per involucrum accipienda esse; alioquin summum philosophorum Platonem summum stultorum esse deprehendemus. Quid enim magis ridiculosum, quam mundum totum arbitrari unum esse animal rationale, nisi hoc per integumentum sit prolatum? Animal quippe esse non potest, nisi sensibile sit, cum sit nota diffinitio, animalis substantia animata sensibilis. Quis autem ex quinque sensibus mundo inesse poterit, nisi forte tactus, qui omnibus est communis animalibus? Desunt quippe ei ceterorum sensuum instrumenta, ipso attestante Platone, ubi videlicet ostendit, quare ei aut oculi, aut aures, aut ceteræ partes humani corporis necessariæ non fuerint : aut quæ est pars corporis mundi, qua ipse, si tangatur, sentire queat magis quam arbores vel plantæ, quas terræ radicitus affixas eadem anima vivificari dicunt? Nam quid ex effossione terræ potius sentiet mundus, quam arbores ex frondium avulsione, vel totius corporis sui abscissione? Arbores tamen et quaslibet plantas insensibiles esse constat, ideoque ad exclusionem earum in definitione animalis post animatum ponitur sensibile. Præterea cum dicant animam mundi singulis infusam corporibus, ea animare quæ ad animandum apta reperit, quid opus erat creatione nostrarum animarum, quas postea factas esse Plato commemorat? Aut quid opus est animam mundi his corporibus inesse quæ non animat? Quid enim evidentius est, quam corpora nostra ex propriis animabus humanis magis quam ex anima mundi vitam animalem habere? His quippe animabus præsentibus statim animata sunt, et eisdem absentibus inanimata, licet, ut aiunt, in eis

[1] Sic in editis. — [2] Marc., cap. IV, v. 11.

anima mundi etiam post mortem perseveret, quæ in omnibus tota est corporibus, etiam in his in quibus vacat. Quid etiam est quod absentibus humanis animabus, anima mundi corpora nostra, licet eis insit, animare non sufficit, cum ipsa, teste Platone, cunctis invisibilibus præstantior a præstantissimo auctore facta sit? Numquid minoris efficaciæ est in nobis quam cæteræ animæ, aut jam corpora nostra defuncta non sunt idonea ad animandum, sicut antea erant, præsentibus humanis animabus? Potest ex uno corpore innumeros vermes vivificare, cum jam ipsum corpus non valet animare, quæ deest aptitudo defuncto corpori, ne nunc quoque animetur, nisi tantum præsentia animæ humanæ, quæ et præsens corpus vivificat, et recedens ipsum mortificat? Quod si ad involucrum etiam ista deflectamus, quæ de anima mundi a philosophis dicta sunt, facile est rationabiliter cuncta accipi, nec a sacræ fidei tenore exorbitare.

Conferant humanæ animæ corporibus nostris animalem vitam; conferat anima mundi quam, ni fallor, Spiritum sanctum intellexerunt philosophi, ipsis animabus nostris vitam spiritualem, distributione scilicet suorum donorum, ut sint singulæ animæ vita corporum, Spiritus autem sanctus vita animarum, quas vegetando ad profectum bonorum operum promovet, quodam itaque modo animæ nostræ corpora quædam Spiritus sancti dicendæ sunt, quas ipse per aliquod gratiæ suæ donum, quasi templum inhabitat, et virtutibus vivificat. Sed et illud quod aiunt, animam totam singulis corporibus infusam omnia vivificare, atque animare, quæ ad animandum idonea reperit, nulla ipsorum duritia vel densitatis natura impediente, pulchrum est involucrum, quia caritas Dei, quam Spiritum sanctum dicimus, cordibus humanis per fidei sive rationis donum primitus infusa, quædam vivificat, ad bonorum operum fructum nos promovendo, ut vitam assequamur æternam, et in quibusdam ipse Spiritus vacare dicitur, pravitatis eorum duritia repugnante. Hanc autem animæ videlicet mundanæ doctrinam præcipue diligentissimus philosophorum in expositione Macrobius posteris reliquit. Cujus quidem verba si subtiliter inspiciamus, totam vere fidem nostram de Spiritu sancto in ipsis expressam inveniemus, cum hanc ipsam animam et creatorem nominet, atque ex Deo Patre et Noy, hoc est Deo Filio eam esse astruat, eamque etiam ad unitatem substantiæ adsignandam, quam habet cum Filio, a quo ipsa est, nonnumquam Noyn ausus sit appellare. Unde et verba Virgilii exponens dicit de mundana loquens anima[1]: « Nam et mundo animam dedit, et ut puritati ejus attestaretur, mentem vocavit. » Item : « Et ut illius mundanæ animæ assereret dignitatem, mentem esse

[1] *Comment. in somn. Scipionis*, I, cap. XIV.

testatus est. » Ac si diceret eam esse ejusdem substantiæ cum ipso Verbo, a quo ipsa est. Puritas mentis dicitur subtilitas rationis, quæ universas discutiendo penetrat naturas. Hæc autem sunt illa quæ proposuimus Macrobii verba : « Anima ergo, inquit, creans sibi condensque corpora, nam ideo ab anima natura incipit, quam sapientes de Deo et mente Noym nominant, ex illo purissimo fonte, quem nascendo de originis suæ hauserat copia, corpora cœli et syderum quæ condidit prima animavit. » Et post aliqua, cum ipse ipsius animæ vires distingueret, quas in corporibus exercet, secundum quas omnium animatorum ordinata est natura, ut alia scilicet aliis præsint, adjecit dicens : « Hunc rerum ordinem, et Virgilius expressit[1]. Nam et mundo animam dedit, et ut puritati ejus attestaretur, mentem vocavit. Cœlum enim, ait, terras et maria, et sydera Spiritus alit intus, id est anima; et ut illius animæ assereret dignitatem, mentem esse testatus est : « Mens agitat molem. » Necnon ut ostenderet ex ipsa anima constare et animari universa quæ vivunt, addidit :

Hinc hominum pecudumque genus, etc.

Utque asseveraret eumdem esse in anima semper vigorem, sed usum ejus hebescere in animalibus corporis densitate, adjecit :

Quantum non noxia corpora tardant.

Hæc quidem omnia tam Virgilii quam Macrobii verba facile est juxta propositum nostrum ad nostræ fidei tenorem accommodare; non aliter ea convenit exponi. Quod itaque ait usum animæ hebescere in animalibus corporis densitate, tale est Spiritus sancti gratiam suorum beneficiorum efficaciam minus habere in carnalibus et bestialibus hominibus, qui magis sensibus quam ratione reguntur, carnalibus scilicet dediti voluptatibus, ut ipsam densitatem corporis carnalium illecebrarum magnitudinem intelligamus. Qui etiam ubi ait ipsam animam creare sibi corpora et condere, eam creatorem rerum, et per hoc Deum esse astruit, et creatarum rerum ordinatorem, et præparatorem ad bona opera, donorum suorum distributione, ut sibi eas dignum habitaculum efficiat. Ab anima naturam dicit incipere, quia per gratiam Spiritus sancti nascimur spiritualiter, ut simus filii Dei magis quam servi. Sicut enim subtracta hac gratia moreremur in vitiis, ita et ea collata nascimur in veram virtutum vitam, quas per naturam habemus, et contra naturam vitia, cum sit vitium corruptio naturæ. De

[1] *Æneid.* VI, v. 727 et sq..

Deo et mente anima nominatur, quia tam Patris quam Filii idem est Spiritus, cum ab utroque procedat : unde etiam, ut ait Augustinus in XV *de Trinitate*, cap. XIX[1], « quia ipse Spiritus communis est ambobus, id vocatur ipse proprie quod ambo communiter, cum videlicet tam Pater etiam ipse, quam Filius, Spiritus sit et sanctus. » Cum autem de Deo et Noy nasci vel creari voluit, sive fieri anima quandoque a philosophis dicitur, abusio est verborum magis quam error sententiæ. Creari namque vel fieri recte non dicitur, nisi in his quæ incœperunt, hoc est æterna non sunt. Nasci vero, hoc est de substantia ipsa Patris existere, proprium est Filii, de quo suo loco postmodum disseremus. Creari tamen, sive nasci, sive fieri, pro esse ex aliquo philosophi nonnunquam ponunt. Unde et Macrobius, tam Noyn ipsam a Deo, quam animam a Noy creatam dicit, hoc est ex ipso esse. In eadem quoque significatione nasci hoc loco abutitur. Hermes vero superius cum dixerit quod Deus secundum fecit Dominum, Filium ipsum ex Deo Patre ejus ostendit. Fontem Sapientiæ purissimum ipsam Noyn appellat, hoc est sapientiam Patris, quam nihil quantumcumque obscurum sit latere potest. De copia hujus fontis ipsa Dei bonitas animavit primum corpora cœli ac syderum, hoc est ipsos angelos vel cœlestes spiritus, qui ante hominem conditi sunt, secundum quod scriptum est[2], « De plenitudine omnes accipimus. » Cœli ac syderum dictum est, secundum dignitatum differentiam, cum alios spiritus aliis prælatos et superiores credamus. Unde angelos atque archangelos dicimus seu dominationes. Corpora summi spiritus dici possunt etiam angeli ab ipso, ut dictum est, spiritualiter vivificati. Vel etiam corpora dicit secundum hoc quod omnem creaturam Augustinus corpoream dicit, hoc est circumscriptam. Sic enim dicit in libro *de Orthodoxa fide*[3], cap. x : « Nihil incorporeum et invisibile in natura credendum est, nisi solum Deum, qui ex eo incorporeus creditur, quia ubique est, et omnia implet, et ideo invisibilis omnibus creaturis, quia incorporeus est. Creatura omnis corporea, angeli et omnes cœlestes virtutes corporeæ, licet non carne subsistant. Ex eo autem corporeas esse credimus intellectuales naturas, quod localiter circumscribuntur, sicut et anima humana, quæ carne clauditur, et dæmones qui per substantiam angelicæ naturæ sunt corporei. » Bene autem dictum est ex ipsa sapientia eos esse animatos, quia hæc est vita æterna ut cognoscamus sicut et cogniti sumus, facie ad faciem Deum videntes. Haurit Spiritus de illo fonte, cum nos de divinæ sapientæ intelligentia imbuit, secundum quod dictum est[4], « De meo accipiet et annuntiabit vobis, » unde et Spiritus sapientiæ, sive intellectus, seu scientiæ dictus est. Quod vero dictum est : « Mens agitat molem, »

[1] Lib. V, cap. II. *Opp.*, t. VIII. — [2] Joan., cap. I, v. 16. — [3] Leg. cap. XI et XII. — [4] Joan., cap. XVI, v. 14.

hoc est totius mundanæ fabricæ quantitatem, quasi cuncta in mundo vivificet aut moveat, secundum hoc accipe, quod optime cuncta disponit,

Stabilisque manens dat cuncta moveri[1].

Vivere etiam in Deo cuncta dicuntur, secundum quod in ipso nulla sunt mortua, hoc est inutilia, sed omnia utiliter aut convenienter facta, sive ordinata. Unde scriptum est[2] : « Quod factum est in ipso vita erat, » hoc est in ipsa, antequam fierent, providentia divinæ sapientiæ commodissime erant ordinata. Hinc rursus dicitur « Deus cui omnia vivunt » : et Apostolus inquit[3] : « In quo vivimus, movemur, et sumus. » Tam homines quam pecudes vivificat, cujus dona aliqua ad vitam tam sapientissimi quam simplices atque idiotæ habent. Unde et in *Ecclesiaste* dicitur[4] : « Quis novit spiritus filiorum Adam si ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum? » Hoc est qui sint prædestinati ad vitam, qui deputati ad mortem de sapientissimis et idiotis. Hæc de Macrobio collecta sufficiant. Si quis autem me quasi importunum ac violentum expositorem causetur, eo quod nimis improba expositione ad fidem nostram verba philosophorum detorqueam, et hoc eis imponam quod nequaquam ipsi senserint, attendat illam Caiphæ prophetiam, quam Spiritus sanctus per eum protulit, longe ad alium sensum eam accommodans, quam prolator ipse senserit. Nam et sancti prophetæ, cum aliqua Spiritus sanctus per eos loquitur, non omnes sententias, ad quas se habent verba sua, intelligunt; sed sæpe unam tantum in eis habent, cum Spiritus ipse qui per eos loquitur, multas ibi provideat, quare postmodum alias aliis expositoribus, et alias aliis inspirat. Unde Gregorius in *Registro* ad Januarium episcopum[5] Caralitanum scribens loquitur : « In intellectu sacræ Scripturæ respui non debet quidquid sanæ fidei non resistit. Sicut enim ex uno auro alii murenulas, alii annulos, alii dextralia ad ornamentum faciunt : ita ex una Scripturæ sacræ sententia expositores quique per innumeros intellectus quasi varia ornamenta componunt : quæ tamen omnia ad decorem cœlestis sponsæ proficiunt. » Ipse præterea Macrobius ea quæ de anima mundi a philosophis dicta sunt, mystice interpretanda esse supra meminit. Quæ etiam cum exponi veraciter aut convenienter nullatenus queant, ut supra meminimus, ipsa nos littera ad expositionem mysticam compellit. Pluribus quoque sanctorum testimoniis didicimus Platonicam sectam catholicæ fidei concordare, unde non sine

[1] *Consol. Philos.*, lib. III. — [2] Joan., cap. I, v. 3. — [3] *Act. Apost.*, cap. XVII, v. 28. — [4] *Eccles.*, cap. III, v. 21. — [5] Leg. *ad Domitianum metropolitanum. Epist.*, lib. III, ep. 67.

causa maximus Plato philosophorum præ cæteris commendatur ab omnibus, non solum a peritis sæcularium artium, verum etiam a sanctis. De quo Augustinus in libro VIII *de Civitate Dei*[1]: «Mirantur, inquit, quidam nobis in Christi gratia sociati, cum audiunt vel legunt Platonem, eum de Deo ista sensisse, quæ multum congruere veritati nostræ religionis agnoscuntur. Unde nonnulli putaverunt eum, quando perrexit in Ægyptum, Jeremiam audisse, vel scripturas propheticas in eadem peregrinatione legisse. Sed diligenter computata temporum ratio, quæ chronica historia continetur, Platonem indicat a tempore quo prophetavit Jeremias, centum ferme annos postea natum fuisse; qui cum octoginta et unum vixisset, ab anno mortis ejus usquequo Ptolomeus rex Ægypti scripturas propheticas per septuaginta Hebræos, qui etiam linguam græcam noverant interpretandas habendasque curavit, anni reperiuntur ferme sexaginta; quapropter in illa peregrinatione sua Plato nec Jeremiam videre potuit tanto ante defunctum, nec easdem scripturas legere in græco, quæ non fuerant in græcum translatæ, nisi forte, quia fuit acerrimi studii, sicut ægyptias, ita et istas per interpretem didicit.» Adeo autem ipsa Platonis dicta verbis Domini atque ejus prædicationi consonare videntur, ut sicut B. Augustinus in secundo *de Doctrina christiana* profitetur[2], quidam lectores ac dilectores Platonis ausi sunt in tantam prorumpere dementiam, quod dicerent omnes Domini nostri Jesu-Christi sententias, quas mirari et prædicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse. Hinc etiam Tholomeus rex in Platonis dogma[3] eadem videre, ni fallor, dictus est, quod Deum et mentem, id est Patrem et Verbum ex platonicis scripturis didicerat. Unde septuaginta Interpretes cum ei legem transferrent, arcanum divinæ generationis prudenti, ut Judæi dicunt, consilio penitus tacuerunt, ne si id quoque apud Hebræos prædicari audiret, duplicem divinitatem esse deprehenderet, qui antea tantum unius Dei cultor extiterat, nec propter Platonicum dogma ab unitate Deitatis deviaverat, licet ibi plures distingui personas audierit, unius tantum deitatis singularitate servata. Hinc Hieronymus in prologo *Pentateuci* meminit dicens « a prædictis Septuaginta multa hujusmodi reticeri, ut est illud[4]: « Ex Ægypto vocavi Filium meum, » et similia. Ex quo liquidum est Platonicam sectam fidei sanctæ Trinitatis plurimum semper assentire, et eam diligentius ceteris omnibus philosophis a Platone et sequacibus ejus distingui ac describi. Unde et non immerito in ejus laudem Valerius Maximus his prorupit verbis[5]: « Platone parvulo dormiente in cunis, apes mel inseruerunt ejus labellis. Qua re audita, prodi-

[1] Lib. VIII, cap. II. *Opp.*, t. VII, col. 199. — [2] Lib. II, cap. XXVIII. *Opp.*, t. III. — [3] Nonne legendum? *In Platone dogmata.* — [4] Osee, cap. II, v. 1. — [5] *Val. Max.*, lib. I, cap. VI.

giorum interpretes singularem eloquii suavitatem ore emanaturam dixerunt. » Excellentius autem et convenientius id interpretandum esse non dubito, si ad divinæ dignitatis gloriam hoc miraculum referatur, ut hoc ei Deus insigne præsagii conferret, qui divinitatis suæ per eum diligentius arcana revoluturus esset. Oportebat quippe ut summæ sophiæ quæ Christus est, Verbum videlicet et Sapientia Dei Patris, summus philosophus ejusque sequaces plurimum attestarentur. Unde et juxta B. Augustinum, Apostolus Atheniensibus loquens, ut supra meminimus, cum rem magnam dixisset, et quæ a paucis posset intelligi, quod in illo scilicet[1] : « Vivimus, movemur et sumus, » adjecit, « sicut[2] vestri quidam dixerunt; » Platonem quippe Atheniensem fuisse constat. Illud autem in quo non mediocriter errasse Plato et videtur et dicitur, illud, inquam, quod animam mundi factam esse dicit, hoc est initium habuisse, et quod supra Macrobius cum de anima mundi loqueretur asseruit, Deum et Noyn ultra animam esse, quasi superiores dignitate, cum constet apud omnes vere catholicos tres personas in Divinitate per omnia sibi coæquales et coæternas esse, si diligentius attendatur, a veritate non exorbitat, sicut postmodum ostendemus de processione Spiritus disserentes. Non enim sine causa hic philosophus præ ceteris commendatur ab omnibus tam fidelibus, ut supra meminimus, quam infidelibus. Cum itaque in omni doctrina philosophiæ Platonica secta enituerit, juvat etiam quorumdam Platonicorum testimonia inferre, quæ idem pater Augustinus in septimo *Confessionum* commemorat in scriptis eorum se reperisse[3], in quibus quidem tota fere fidei nostræ summa circa divinitatem Verbi apertissime continetur, sicut ipsa postmodum tradita est a summis scriptoribus novi Testamenti, Johanne scilicet et Paulo. Ait quippe Augustinus ibidem ad Deum sermonem intendens : « Procurasti mihi per quemdam hominem immanissimo typo turgidum quosdam Platonicorum libros, ex græca lingua in latinam versos, et ibi legi, non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis et multiplicibus suaderi rationibus quod[4] « In principio erat Verbum, « et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud « Deum, omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil, quod factum « est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et « tenebræ eum non comprehenderunt. » Et quia hominis anima, quamvis testimonium perhibeat de lumine, non est tamen ipsa lux, sed Verbum Deus est lumen verum, quia illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et quia in hoc mundo erat, et mundus per eum factus est, et mundus eum non co-

[1] *Act. Apost.*, cap. XVII, v. 28. — [2] In *Actibus Apostolorum* legitur *vestrorum poetarum*. — [3] Lib. VII, cap. IX. — [4] Joan., cap. I, v. 1.

gnovit. Quia vero in sua propria venit, et sui eum non receperunt, quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine ejus, non ibi legi. Item legi ibi, quia Verbum Deus non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natum est. Sed quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, non ibi legi. Indagavi in litteris illis multis modis dictum, quod sit Filius in forma Patris, non rapinam arbitratus esse æqualis Deo, quia naturaliter id ipsum est. Sed quia[1] « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens in similitudinem « hominum factus et habitu inventus ut homo est; humiliavit semetipsum factus « obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus ipsum « exaltavit a mortuis et donavit ei nomen quod est super omne nomen, ut in « nomine ejus omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et « omnes confiteantur quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris, » non habent illi libri. Quod enim ante omnia tempora, et super omnia tempora incommutaliter manet Filius tuus coævus tibi, et quia de plenitudine ejus accipiunt animæ, ut beatæ sint, et quia participatione manentis in se sapientiæ renovantur, ut sapientes sint, est ibi. Quod autem pro impiis mortuus est, non est ibi. »

At vero ne aliquis sexus inter homines sapientiæ fama ceteris præstantes fidei nostræ testimoniis desit, illa etiam famosa Sybilla inducatur, quæ divinitatem Verbi, nec humanitatem, nec utrumque adventum, nec utrumque judicium Verbi describendo prætermisit; primum quidem judicium quo Christus injuste judicatus est in passione, et secundum quo juste judicaturus est mundum in majestate. De quo Augustinus *Contra quinque hæreses*[2] : « Audiamus quid etiam Sybilla vates eorum de eodem dicat. Alium, inquit, dedit Dominus hominibus colendum. Item : Ipse tuum cognosce Dominum Dei Filium esse. Alio loco Filium Dei Symbolum appellat, id est consiliarium vel consilium. Et propheta dicit[3] : « Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius. » De quo rursus idem pater Augustinus in octavo decimo *de Civitate Dei*[4] : « Eo, inquit, tempore nonnulli Sybillam Erytream vaticinatam ferunt, quam quidam magis credunt esse Cumanam, et sunt ejus XX et VII versus qui, sicut eos quidam latinis versibus est interpretatus, hæc continent :

Judicii signum, tellus sudore madescet,
E cœlo Rex adveniet per sæcla futurus,
Scilicet in carne præsens ut judicet orbem, etc.

Quorum quidem versuum primæ litteræ in græco conjunctæ id sonant Jesus-

[1] *Philip.*, cap. II, v. 7. — [2] Lib. *Contra quinque hæreses*, cap. III. — [3] Isai., cap. IX, v. 6. — [4] *De Civit. Dei*, lib. XVIII, cap. XXIII.

CHRISTUS DEI FILIUS SALVATOR. Infert etiam Lactantius quidem de Christo vaticinia Sybillæ[1].

In manu, inquit, infidelium postea veniet,
Dabunt Deo alapas manibus incestis,
Et impurato ore expuent venenatos sputos.
Dabit vero ad verbera suppliciter sanctum deorsum,
Et colaphos accipiens tacebit. Ne quis agnoscat
Quod Verbum vel unde venit, ut inferis loquatur,
Et spinea corona coronetur.
Ad cibum autem fel, et ad sitim acetum dederunt.
In hospitalitatem hanc monstrabunt mensam.
Ipsa enim insipiens gens tuum Deum non intellexisti
Ludentem mortalium mentibus, sed spinis
Coronasti, fel miscuisti.
Templi velum scindetur, et in medio die
Nox erit tribus horis, et morietur
Tribus diebus somno suscepto;
Et tunc ab inferis regressus ad lucem veniet.
Primus resurrectionis principio ostensus. »

Hoc profecto Sybillæ vaticinium, ni fallor, maximus ille poetarum nostrorum Virgilius audierat atque attenderat, cum in quarta *Egloga* futurum in proximo sub Augusto Cæsare, tempore consulatus Pollionis, mirabilem cujusdam pueri de cœlo ad terras mittendi, qui etiam peccata mundi tolleret, et quasi sæculum novum in mundo mirabiliter ordinaret, præcineret ortum, admonitus, ut ipsemet ait, Cumæni carminis vaticinio, hoc est Sybillæ quæ Cumana dicitur. Ait quippe sic quasi adhortans quoslibet ad congratulandum sibi et concinendum, seu scribendum de hoc tanto puero nascituro, in comparationem cujus omnes alias materias quasi infimas et viles reputat dicens[2]:

Sicelides musæ, paulo majora canamus;
Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ:...
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas;
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

Et post pauca

Teque adeo decus hoc ævi, te consule inibit,
Pollio; si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

Itemque de puero

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem, etc.

Quæ apertissimam de Incarnatione Filii Dei continent prophetiam, ipso

[1] Lactantius, *Divin. Instit.*, lib. IV, cap. XVIII. — [2] *Bucol.*, IV, v. 1 et sq.

fortassis poeta ignorante quid in Sybilla vel in eo Spiritus sanctus loqueretur, sicut et de Caipha contigit dicente[1] : « Quia expedit ut unus moriatur pro populo, et non tota gens pereat. » Ubi et subditur[2] : « Hoc autem a semetipso non dixit. » Facillime autem ex subsequentibus convinci potest, hanc eglogam de nullo veraciter aut convenienter accipi posse, nisi de incarnato Unigenito Dei typice more prophetico dicantur, cum apertissime falsa et omnino impossibilia deprehendantur esse, si ad litteram exponantur, nec saltem commode in adulationem, ut quibusdam videtur, afferri, quæ statim judicio omnium tamquam incredibilia respuuntur, ut magis commoveant contra nos auditorem ad indignationem, quam ad benevolentiam trahant. Sed hæc diligentius alibi nobis ostendenda seu exponenda occurrent, cum de Incarnatione scilicet Verbi, magis quam de divinitate ejus testimonia conferemus.

Nunc itaque ad proposita de divinitate Verbi testimonia revertamur, et cum Davide et Salomone regibus Israel tertium adhibeamus gentium regem ad summi vaticinium Regis. Quid enim apertius illo testimonio Nabuchodonosor de Filio Dei[3]? « Ecce, inquit, video viros solutos quatuor ambulantes in medio ignis, et species quarti similis Filio Dei. »

Juvat autem Dindimi regis Bragmanorum inferre testimonium, ut in quatuor regum auctoritate nostræ assertio fidei præemineat; duorum quidem Judæorum et duorum Gentilium; David scilicet et Salomonis, Nabuchodonosor et Dindimi; sintque hi quatuor reges quasi quatuor rotæ nobilis quadrigæ summi Regis, per quas videlicet fides quatuor evangelistarum de sancta Trinitate per universum deferatur mundum, et tanto regum auctoritas sit firmior, quanto potestas sublimior; et qui edicta populis legesque proferunt, sacræ quoque fidei dogmata tradant. Ait itaque Dindimus in prima ad Alexandrum *Epistola*, ait, inquam, sic : « Inter cetera religionis vel fidei suæ gentis insignia, non suscipit Deus sacra sanguinea, cultum diligit incruentum, spernit funesta libamina, verbo propitiatur orantibus, quod solum ei cum homine est, suaque nimis similitudine delectatur. Nam Verbum Deus est, hoc mundum creavit, hoc regit atque alit omnia, hoc veneramur, hoc diligimus, ex hoc spiritum trahimus. »

Ex *Epistola* quarta Senecæ ad Paulum : « Profiteor bene me acceptum lectione litterarum tuarum quas Galathis, Corinthiis, Achæis misisti. Spiritus quoque sanctus in te supra excelsos sublimior satis venerabiles sensus exprimit. »

Si quidem Deus ipse spiritus atque mens est, atque ideo non terrenis divitiis, nec largitate munifica, sed religiosis operibus et gratiarum actione placatur.

[1] Joan., cap. II, v. 50. — [2] *Ibid.*, v. 51. — [3] *Dan.*, cap. III, v. 92.

Quantæ autem religionis seu abstinentiæ populus Bragmanorum fuerit, ut illis Deus supra universas nationes fidei sacræ intelligentiam inspirare deberet, *Epistola* Dindimi ad Alexandrum continetur, quibus quidem epistolis, si fides adhibenda sit, nulla hominum vita quantumcumque religiosorum, innocentiæ atque abstinentiæ Brachmanorum æquiparanda videtur. Hos autem in exemplum abstinentiæ beatus quoque Hieronymus nobis proponit, de quibus inter cetera in secundo *Contra Jovinianum* meminit dicens : « Bardesanes vir Babylonius in duo dogmata apud Indos Gymnosophistas dividit, quorum unum appellat Brachmanas, alterum Samoneos, qui tantæ continentiæ sunt, ut vel pomis arborum juxta Gangym fluvium, vel publico orizæ et farinæ alantur cibo; et cum rex ad eos venerit, adorare illos solitus sit, pacemque provinciæ suæ in illorum precibus arbitrari sitam. » Ad quos etiam divina gratia prædicationem Evangelii directam, ipsa ejusdem *Epistola* ad magnum oratorem perhibet his verbis : « Pantenus Stoicæ sectæ philosophus, ob præcipuæ eruditionis gloriam a Demetrio Alexandriæ episcopo missus est Indiam, ut Christum apud Brachmanas et illius gentis philosophos prædicaret. »

Restat denique ad maximum illum latinorum philosophum, Boetium scilicet descendere, qui omnes fere liberalium artium disciplinas scribendo vel transferendo, seu etiam exponendo latinis tradidit, ac diligenter sanctæ Trinitatis fidem Symmacho socero suo et compatricio scribendo edisserens, de unitate quoque personæ Christi ac diversitate naturarum quæ in ipso sunt, divinæ scilicet et humanæ, ad Johannem diaconum, qui postea papa effectus est, scribendo contra Eutichem et Nestorium optime disputavit, fidemque nostram et suam ne in aliquo vacillaret, tam de divinitate quam de divinitatis Incarnatione tractando, inexpugnabiliter astruxit. Constat hunc egregium senatorem Romanum, consulem quoque atque patricium, tempore prædicti Johannis papæ floruisse a Silvestro papâ vigesimi, et eum in illa persecutione Christianorum, qua in Johannem papam ceterosque christianos Theodericus sæviit, una cum prædicto Symmacho occubuisse. De quo in *Gestis Pontificum*, necnon in libro *Miraculorum* B. Benedicti scriptum est, qualiter videlicet ambos Theodericus rex Gothorum interfecit. In *Gestis* quidem ita scriptum reperies : « Rex hæreticus Theodericus duos senatores et consules et patricios gladio interfecit, Boetium et Symmachum, quorum etiam abscondi corpora præcepit. » In libro autem *Miraculorum* prædicti sancti ita continetur : « Theodericus post Odoacrem Gothorum principatum cum regio nomine suscipiens, homo pestilens Arianæ sectæ, denique inter cetera facinora, Johannem papam corporali inedia maceratum necavit, duosque senatorii ordinis viros et exconsules, Symmachum videlicet atque Boetium in carcere gladio transverberavit. » Cum itaque Dominus

et per prophetas Judæis, et per præstantes philosophos seu vates Gentibus catholicæ fidei tenorem annuntiaverit, inexcusabiles redduntur tam Judæi quam Gentes, si cum in ceteris doctores habeant, in salutem animæ, cujus fundamentum est fides, ipsos non audiant. Et quidem multi ex Gentibus, nonnulli ex Judæis in hoc quoque a doctoribus populi sui instructi fidem Sanctæ Trinitatis recognoverunt in uno corpore Ecclesiæ quasi duo parietes conjuncti. Ex Gentibus quidem primo Græci, ex quibus prædicti philosophi fuerunt. Post Græcos Latini, qui sicut in disciplinis sæcularium artium imitati sunt Græcos, ita et in vera fidei doctrina ab ipsis exempla sumpserunt, cum eos christianam fidem suscepisse audissent, quos ingeniorum subtilitate præditos, omnibus philosophiæ rationibus armatos esse cognoverant.

LIBER II.

Operis parte superiori testimonia quædam tam prophetarum quam philosophorum collegimus, quibus sanctæ Trinitatis fidem astrueremus. Ubi quidem dum philosophorum infidelium assertiones sicut et sanctorum patrum quasi in auctoritatem induximus, multorum detractionibus corrodendos patere præsensimus, atque a nonnullis [1] nobis id improperandum quod beato Hieronymo a multis olim legimus objectum, cum non solum ille ethnicorum, verum etiam hæreticorum testimonia suis insereret scriptis. Unde et adversus calumnias magni oratoris urbis Romæ epistolam scribens, ita exorsus ait [2] : « Quod quæris cur in opusculis nostris scholarium litterarum interdum ponamus exempla, et candorem Ecclesiæ ethnicorum sordibus polluamus : nunquam hoc quæreres, si scripturas sacras legeres, si interpretes earum evolveres. Quis enim nesciat et in Moyse ac Prophetarum voluminibus quædam assumpta de Gentilium libris, et Salomonem philosophis Tyri et proposuisse nonnulla et aliqua respondisse ? Unde in exordio *Proverbiorum* commonet ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas, et obscurum sermonem, dicta sapientium et ænigmata, quæ proprie dialecticorum et philosophorum sunt. Sic et Paulus apostolus Epimenidis poetæ abusus versiculo est scribens ad Titum [3] : « Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. » In alia quoque epistola Menandri ponit senarium [4] : « Corrumpunt mores bonos confabulationes malæ. » Et apud Athenienses in Martis curia disputans Aratum testem vocat [5] : « Ipsius enim et genus sumus. » Parum hoc est, ductor christiani exercitus et orator invictus pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam, arte torquet in argumentum fidei. Didicerat enim a vero David [6] extorquere de manibus hostium gladium, et Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare. Legerat in *Deuteronomio* [7] mulieris captivæ radendum caput, supercilia, omnes pilos, et ungues corporis amputandos, et sic eam habendam conjugio. Quid ergo si et ego sapientiam sæcularem propter eloquii venustatem, et membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiva Israelitam facere cupio ? Si quod in ea mortuum est idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præ-

[1] In editis *ante in illis* pro *a nonnullis*. — [2] Epist. 83, Opp., t. IV, p. II, col. 654. — [3] *Tit.*, cap. I, v. 12. — [4] *Corinth.* I, cap. XV, v. 33. — [5] *Act. Apost.*, cap. XVII, v. 28. — [6] Reg. I, cap. XVII. — [7] *Deuter.*, cap. XXI.

cido, vel rado, et mixtus purissimo corpori vernaculos ex ea genero Domino. » Item : « Cyprianus, vir eloquentia pollens et martyrio, Formiano narrante mordetur, cur adversus Demetrianum scribens, testimoniis usus sit prophetarum et apostolorum, quæ ille ficta et commentitia esse ducebat, et non potius philosophorum ac poetarum, quorum auctoritati ut ethnicus contraire non poterat. » Item : « Josephus duos libros scribit contra Apionem Alexandrinum, et tanta sæcularium præfert testimonia, ut mihi miraculum subeat, quomodo Hebræus ab infantia sacris litteris eruditus cunctam Græcorum bibliothecam evolverit. » Item : « Extant et Juliani Africani libri et Theodoreti, viri apostolicorum signorum atque virtutum ; et Dionysii Alexandrini episcopi, Anatolii quoque, Pamphili, Pierii, Luciani, Malchionis, Eusebii Cesariensis episcopi, etc. qui omnes in tantum philosophorum doctrinis atque sententiis suos referserunt libros, ut nescias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem an scientiam scripturarum. » Idem ad Vigilantium presbyterum : « Eadem absenti significo quæ præsenti quoque locutus sum, me ita Origenem legisse vel legere, ut Apollinarem, ut ceteros tractatores, quorum in quibusdam libros ecclesia non recipit ; quia operis mei est et studii multos legere, ut ex plurimis diversos flores carpam, non tam probaturus omnia, quam quæ bona sunt electurus. Assumo multos in manu, ut a multis multa cognita cognoscam, secundum quod scriptum est[1] : « Omnia legentes, quod bonum est retinentes. » Unde satis miror te voluisse Origenis mihi objicere dogmata. Origenes hæreticus, quid ad me, qui illud in plerisque hæreticum esse non nego ? Erravit de resurrectione corporis, de animarum statu, de diaboli pœnitentia, et, quod his majus est, Filium et Spiritum sanctum in Commentariis Isaiæ Seraphim esse testatus est. » Item : « Neque enim ita debemus bona ejus recipere, ut mala quoque suscipere cogamur. Si igitur quæ bona sunt transtuli, et mala vel amputavi, vel tacui, vel correxi, arguendus sum, cur non per me Latini bona ejus habeant, et ignorent mala ? Si hoc crimen est, arguatur confessor Hilarius, qui Psalmorum interpretationem et Homilias in Job ex libris ejus transtulit. Sit in culpa Vercellensis Eusebius, qui omnium psalmorum commentarios hæretici hominis vertit in nostrum eloquium, licet hæretica prætermittens. » Hæc quidem Hieronymus adversus eorum calumnias reddit, qui ob id catholicos tractatores reprehendendos autumant, quod scriptis suis infidelium testimonia vel dicta inserere præsumant, quasi eis auctoritatem tribuant, qui nulla digni sunt auctoritate, et quasi maculare sacras sententias possit veritas per infideles prolata. Noverat quippe vir discretissimus grana in paleis, et margaritam ceteris quan-

[1] *Thessal.* I, cap. v, v. 21.

doque pretiosiorem in sterquilinio deprehendere, quam in ornamento regio tamquam sapiens aurifaber valeat componere; et tenebat certissime dona Dei per quodcumque malum contaminari non posse, nec divina sacramenta contactu pravorum inquinari, cum aut in nomine Trinitatis infideles baptizant, aut pessime quique verba divina prædicant, aut prophetias loquuntur, et nonnunquam miracula faciunt. Quæcumque enim bona sunt, a Deo esse necesse est, nec ea quorumlibet malitia contaminari possunt. Unde nec prophetia Balaam gentilis atque arioli sacra reprobavit auctoritas, qua postmodum Magi primitiæ Gentium incitati creduntur, ut nova apparente stella novum statim regem quærerent, nec Sybillæ vel Virgilii vaticinia spiritualis doctor Augustinus sanctorum prophetis inserere timuit, attendens illud Apostoli[1] : « Et nemo potest dicere, Dominus Jesus : nisi in Spiritu sancto, » nec prophetiam Caiphæ commendare Evangelista veritus est dicens[2] : « Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit. » Nec ipsorum dæmonum testimonia Evangelium reticuit, cum ad eorum expulsionem Domino veniente, eum Jesum Christum seu Filium Dei inclamarent ac confiterentur. Quippe cujus virtutem sive nascentis, seu morientis, sive resurgentis, vel ascendentis, aut miracula facientis ipsa etiam insensibilia quodammodo sensisse, ut ei testimonium suo modo præberent, perhibet beatus Gregorius; angelis quidem et stella statim in ortu ipsius apparentibus, in morte vero sole obscurato, petris et velo templi scissis, et monumentis apertis sanctorum resurgentium multisque apparentium, in resurrectione terræ motu facto cum visione angelorum, et in ascensione nube eum suscipiente, etc. Cujus quoque potentiam atque sapientiam universus mundi ornatus annuntiare non cessat ac prædicare et suo modo laudare et commendare, ex ipsa sui mirabili compositione ac dispositione. Unde Apostolus[3] : « Invisibilia, inquit, ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas, etc. » Hinc et Psalmista insensibilium quoque creaturarum laudibus applaudens, omnes pariter ad laudes Dei creaturas invitat, quasi ex omnibus optime conditis laudes Dei a nobis exigat, qui pro nobis in mundo condidit universa. Unde et a summitate cœli et sublimitate angelorum exorsus usque ad dracones et serpentes atque abyssos divinas extendit voces cum dixit[4] : « Laudate Dominum de terra dracones et omnes abyssi. » Et iterum[5] : « Serpentes et volucres pennatæ, » qui nec aliqua reptilia prætermisit alibi dicens[6] : « Laudent illum cœli et terra, mare, et omnia reptilia in eis. » Legimus etiam in vita Pauli

[1] *Corinth.* I, cap. XII, v. 3. — [2] Joan., cap. II, v. 51. — [3] *Rom.*, cap. I, v. 20. — [4] *Psalm.* CXLVIII, v. 7. — [5] *Ibid.*, 10. — [6] *Psalm.* LXVIII, v. 35.

Eremitæ a beato scripta Hieronymo, Satyrum beato Antonio apparuisse, qui adventum Salvatoris protestans, ait sancto viro : « Legatione fungor gregis mei, precamur ut pro nobis communem Deum depreceris, quem in salutem mundi olim venisse cognovimus, et in universam terram exiit sonus ejus. » Cujus Satyri videlicet confessionem ac testimonium de Christo longævus viator admirans, et gravius quod etiam monstra Christum prædicarent, ac vehementer indignatus super duritia et cæcitate Alexandriæ, baculo statim humum percutiens aiebat : « Væ tibi, Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris! Quid nunc dicturi estis? Bestiæ loquuntur Christum. » Ac si aperte clamet dicens : Conterat impudentiam vestram saltem confessio monstrorum. Quæ quidem confessio tanto fortasse mirabilius gloriam atque potentiam Dei prædicat, quanto majori miraculo est habenda, et tanto verior ejus assertio videtur, quanto a doctrina hominum remotior est, et tota suggestioni sancti Spiritus imputanda. Unde et verba asinæ Balaam, et voces in aere factæ, sicut de baptizato vel transfigurato Domino legimus, cum aliquid astantibus annuntiaverunt, tanto facilius ad fidem auditores commovebant, quanto mirabiliores omnibus apparebant : quod de philosophis quoque, vel quibuscumque Gentilibus, quantumvis infidelibus seu nostræ fidei inimicis, manifesta docetur ratione. Quo enim fidei nostræ magis essent adversi, minus in laude ejus invenirentur suspecti, et probabilius in laude cujuslibet testimonium est inimici quam amici, sicut e converso in crimine. Unde et cum Josephi Judæi testimonium de Christo vel de sanctis ejus legimus, plurimum ad fidem in eo commovemur : et cum audimus Philonem Judæum vitam monasteriorum Ægypti probasse atque commendasse, plus nobis fortasse satisfecit, quam si aliquis noster eam commendaret, ex quo et utrique inter illustres viros a beato Hieronymo connumerari et scribi meruerunt.

Quid etiam magis necessarium ad defensionem fidei nostræ, quam ut adversus omnium infidelium importunitatem ex ipsis habeamus, per quod ipsos refellamus? ut si nos impetunt philosophi, per ipsos convincantur doctores suos atque philosophos : et si nos impetunt hæretici, aliquibus sacræ paginæ testimoniis refellantur, atque ita, juxta Apostolum[1], « omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo. » Quis etiam hæreticos longe deteriores esse philosophis et quibuslibet Gentibus ignoret? Juxta namque Petri apostoli assertionem, melius esset eis non nosse viam veritatis, quam post cognitam retro abire. Si ergo propter infidelitatem Gentilium hi qui aliquibus eorum testimoniis vel dictis nituntur arguendi sunt, multo amplius illi qui Origenis tot et tantis

[1] *Rom.*, cap. III, v. 19.

hæresibus irretiti expositiones atque sententias tam studiose ad nostram transtulerunt atque induxerunt ædificationem, cum ex infidelitate damnabiliores omnibus, ut dictum est, constet esse hæreticos. Cujus quidem innumeras ac supra modum abominandas hæreses silentio deperire non sustinuerunt, quasi et in his retractandis aliquam præviderent utilitatem : ac si ab eis adsignatis atque damnatis ceteri facilius sibi providerent, aut quibus eas rationibus dissolverent, si quis in eis illaquearetur, addiscerent. Unde et B. Hieronymus epistolam ad Avitum presbyterum direxit, ubi hæretica illa quæ in libris Periarchon [1] Origenes innumera posuerat, ex parte manifestat. Quis etiam me pro testimoniis philosophorum inductis recte arguat, nisi et in culpam mecum sanctos doctores in hoc ipso trahat? Quæ enim superius ex philosophis collegi testimonia non ex eorum scriptis quæ numquam fortasse vidi, immo ex libris B. Augustini collegi. Numquid et Apostolum arguere præsument, qui, ut ait ipse Augustinus in VIII *De Civitate Dei*, Atheniensibus loquens, cum rem magnam de Deo dixisset, et quæ a paucis possit intelligi, quod « in illo vivimus, movemur, et sumus, » adjecit « sicut et vestri quidam dixerunt, » ipsorum videlicet philosophorum, quorum studiis gloriosa illa civitas extiterat, testimonium ad persuasionem inducens, de quibus, ut in eodem ipse Augustinus præmisit, ad Romanos scribens ait quia [2] « quod notum est Dei, manifestum est illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus ac divinitas, etc. » Ex quibus aperte Apostolus docet eis quoque mysterium Trinitatis fuisse revelatum. Sed hæc quidem verba Apostoli nobis in sequentibus exponenda occurrent. Nunc autem adversus tam hæreticorum quam philosophorum objectiones pluribus de fide sanctæ Trinitatis collectis atque expositis testimoniis, superest aperire quibus rationibus defendi possit quod testimoniis confirmatum est. Omnis quippe controversia, ut in *Rhetoricis* suis Tullius meminit, aut in scripto aut in ratione versatur, et beato attestante Augustino, in omnibus auctoritatem humanæ anteponi rationi convenit, maxime autem in his quæ ad Deum pertinent tutius auctoritate, quam humano nitimur ingenio. Hinc est illud, quod ait capite primo libri *de Moribus Ecclesiæ contra Manichæos* [3]: Naturæ quidem adscribunt.

Quomodo una penitus permanente substantia, tres in ea personæ distingui queant, quarum nullatenus una sit alia? Deinde quomodo hæc persona genita, illa procedens dicatur?

[1] Περìἀρχῶν. — [2] *Rom.*, cap. I, v. 19. — [3] S. Augustini textum hic non profertur in codice quem Edm. Martene habuit in manibus. Locum invenias in lib. *de Moribus Ecclesiæ*, cap. II ; cum autem verba Augustini parum cohæreant cum sequentibus, doctissimus editor suspicatur ea secundo loco hic superaddita fuisse.

Primo itaque disserendum occurrit quot modis personæ nomen accipi soleat, ut diligenter a ceteris hoc signo distinguatur. Aliter autem in rhetorica, aliter in grammatica, atque aliter in theologia personam accipimus. Quod enim dictum est « Invisibilia Dei eis fuisse revelata, » ad personam Spiritus non incongrue applicatur, qui hoc ipso quod Spiritus dicitur, ex ipso nomine invisibiliter insinuatur. Et quia ipsum donum Dei vocatur, et secundum septiformem gratiam multiplex, et septem Spiritus quasi VII dona nonnumquam dicitur, non incongrue dictum est pluraliter « Invisibilia Dei, » hoc est Spiritum ejus septiformis gratiæ donorum distributorem. Verbum autem Patris Christum Dominum Dei virtutem et Dei Sapientiam Apostolus clamat. Unde et hoc loco cum dicitur : « Sempiterna quoque Dei virtus, » persona Filii exprimitur, ut et cum subditur « et Divinitas, » quia, ut supra meminimus, maxime nomine Dei vel Domini potestatis majestas exprimitur, persona quoque Patris expressa est. Quod si adhuc nec ipsius Apostoli, nec sanctorum Patrum auctoritas mihi satis suffragari videtur, nec ea quoque, quam supra prætendimus, ratio, quod in præsenti videlicet opere maxime adversus philosophorum discipulos agimus, qui nos philosophicis impetunt rationibus, quorum et penitus auctoritate ipsi nituntur, superest ut hostilis malitiæ jacula pluribus retundamus rationibus, et per singula eorum respondentes objectis, eorum compescamus latratus, ne quod ad fidei nostræ defensionem sincera conscripsimus intentione, inde eorum invida sive erronea criminatione vilescat fidelibus, unde magis patet infestum infidelibus ; et quoniam infidelitatis philosophos, utpote gentiles arguunt, omnemque eis quasi damnatis per hoc fidei auctoritatem adimunt, in hoc nostra plurimum intendat defensio, in quo tota eorum nititur impugnatio.

Gentiles fortasse natione, non fide, omnes fuerunt philosophi, sicut de Job et amicis ejus dicitur. Quomodo enim infidelitati ac damnationi eos deputaverimus, quibus, Apostolo quoque testante, ipse fidei sui arcana, ac profunda Trinitatis mysteria revelavit, et mire eorum virtutes et opera a sanctis quoque doctoribus prædicantur, quamvis eorum nonnullos per elationem excæcatos, atque ad idolatriam et ignominiosam vitam devolutos esse idem perhibeat Apostolus, sicut et de Salomone ipso legimus, et de multis contigit fidelibus? Quis etiam asserat nullis eorum fidem Incarnationis revelatam esse, sicut et Sybillæ, licet in eorum scriptis non expressa? quæ neque a Job et nonnullis prophetarum aperte prædicatur, cum et Septuaginta Interpretes legem ethnicis transferentes, omnia fere fidei arcana tacuerint, quæ forte rudi populo revelata magis scandali offensionem parerent, quam ædificationem. Quod si ad allegoriam dicta quoque philosophorum accipi fas esset, quis non convenienter ad mysterium

redemptionis mundi animadvertat deflectendum esse, quod Plato asserit, Deum in ipsa mundi compositione duas longitudines in speciem χ chi græcæ litteræ sibi invicem applicuisse, curvasseque in orbem, ut ipsum mundi perficeret globum, quasi mystice perhibeat universorum hominum salutem, quam ipsius mundi veram intelligimus constitutionem, in ipsa Dominicæ Crucis passione consummatam fuisse? Quod si sacramenta non susceperunt, qui ante adventum Salvatoris extiterunt, cum neque de Job gentili id credere cogamur, nec ita lex omnibus data videatur, sicut Evangelium fuit, sed soli Israeli, qui solus ex omnibus populis primo vocatus est, lege accepta, ut non ita generalis intelligatur legis institutio, sicut est Evangelium; aut prima vocatio, sicut est secunda. Unde Moyses capite *Deuteronomii* xv ad Israel dicit[1] : « Interroga de diebus antiquis ex die quo creavit Deus hominem, si facta est aliquando hujuscemodi res, ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti et vidisti, si fecit Deus ut ingrederetur, et tolleret sibi gentem de medio nationum per signa atque portenta, videntibus oculis tuis, ut scires quoniam ipse est Deus, et non alius de cœlo te fecit audire vocem suam, ut doceret te, quia dilexit patres tuos, et elegit senes eorum post eos. » Item idem capite XXIII[2] : « Populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram, etc. » Hinc et illud est Psalmistæ[3] : « Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit illis. » Nulla itaque ratione cogendi videmur, ut de salute talium diffidamus gentilium, qui ante adventum Redemtoris nullo legis scripto instructi, naturaliter, juxta Apostolum, ea quæ legis sunt facientes, ipsi sibi lex erant, qui ostendebant opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Sicut namque scriptum est in epistola *ad Romanos*[4] : « Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur : cum enim gentes quæ legem non habent naturaliter, quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum. » Et post aliqua[5] : « Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis. An Judæorum Deus tantum? nonne et Gentium? Immo et Gentium : quoniam quidem unus Deus qui justificat circumcisionem ex fide et præputium per fidem. » Item : « Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam. » Et rursum : « Dicimus quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo reputata est? In circum-

[1] *Deuter.*, cap. IV, v. 32. — [2] *Deuter.*, cap. VII, v. 6. — [3] *Psalm.* CXLVII, v. 20. — [4] *Rom.*, cap. II, v. 13. — [5] *Rom.*, cap. III, v. 28. — [6] *Rom.* IV, v. 3.

cisione, aut in præputio? non in circumcisione, sed in præputio, et signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium. » Et iterum : « Si enim qui ex lege heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur : ubi enim non est lex, nec prævaricatio. » Et in sequentibus[1] : « Peccatum, » inquit, « non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces. Occasione vero accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat; ego autem vivebam sine lege aliquando, sed cum venisset mandatum, peccatum revixit; ego autem mortuus sum, et inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. » Ex quibus quidem verbis Apostoli apte monstratur justitiam a naturali lege incepisse, et omnino sine lege scripta per fidem homines justificatos esse, ubi etiam adnectitur, quia facile ad gravissima peccata post legis scriptæ prohibitiones inclinarentur homines, juxta illud poeticum[2] : « Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. » At fortasse inquies non posse cassari illud circumcisionis decretum postquam datum fuit Abrahæ primum[3] : « Masculus cujus præputium caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. » Sed si diligenter consideremus præcedentia, inveniemus hoc nonnisi Abrahæ et semini ejus fuisse injunctum, hoc est his qui de Isaac, non de Ismael egressuri erant. Unde et Abrahæ dictum est[4], « In Isaac vocabitur tibi semen. » Legimus etiam in utero sanctificatos esse Jeremiam et Johannem, antequam corporalia perciperent sacramenta. Absit itaque ut ita generale esse profiteamur sacramentum circumcisionis sicut et baptismi, sed juxta Ambrosium, potiora semper dicamus et perfectiora sacramenta Ecclesiæ quam Synagogæ, cum hæc omnibus, illa quibusdam, ut dictum est, data sint, et sine his jam nulla remissio vel sanctificatio speranda sit. Hæc idcirco induximus, ne quis post legem etiam datam usque ad adventum Christi de salute fidelium gentilium desperet, si sine perceptione sacramentorum sobrie ac juste vixerint : inter quos quidem philosophi tam vita quam doctrina claruisse noscuntur. Quanta vero abstinentia, quanta continentia, quantis virtutibus non solum philosophos verum et sæculares atque illitteratos homines lex naturalis amorque ipse honestatis olim sublimaverit, multorum didicimus testimoniis, quos nonnumquam ad increpationem negligentiæ nostræ sancti quoque doctores, sicut et beatum Job inducere curaverunt, et utrumque eorum sexum quasi in exemplum imi-

[1] *Rom.*, cap. VII, v. 7. — [2] *Ovid. Amor.*, III, IV, v. 17. — [3] *Genes.*, cap. XVII, v. 14. — [4] *Genes.*, cap. XXI, v. 12.

tandæ religionis impudentiæ nostræ proponere, qui utriusque testamenti paginis et innumeris sanctorum scriptis instructi, per omnia deteriores existimus, cum nec sic obtemperare volumus. Qui et juxta Gregorium, una cum B. Job illud nobis improperant propheticum[1] : « Erubesce Sidon, ait mare. » Unde et bene Dominus ante scriptæ legis traditionem vel miraculorum suorum exhibitionem, quosdam in utroque sexu nobis virtutibus imitandos præmisit, tum ut per eos nostra inexcusabilis appareat negligentia, tum etiam ut obedientium major conservetur humilitas, si post tot documenta tam miraculorum quam scriptorum, post tot exempla sanctorum, aliqua bona habeamus opera; cum illi sine scripto legis, sine admonitione prædicationis, tantis virtutibus, tanta etiam morum disciplina claruerint, tamque constanti animo in reprehensione vitiorum præstiterint, ut pro veritatis defensione mortem nonnulli subierint. Quæ jam per singula subjectis testimoniis et exemplis confirmemus. Fidem itaque, ut diximus, philosophi prædicant, et immortalitatem animæ tradunt, futuramque pro meritis retributionem animarum sive ad pœnam sive ad gloriam : unde et ad bona nos maxime cohortantur opera, spe videlicet cœlestis beatitudinis et comminatione infernalis supplicii, de quibus plura Macrobius loquitur. Hinc et Hieronymus ad Heliodorum episcopum in *Epitaphio* Nepotiani, «Taceo, inquit, de Græcis, Hebræis et Latinis, quas nationes crucis suæ titulo Dominus dedicavit. Immortalem animam et post dissolutionem corporis subsistentem, quod Pythagoras somniavit, Democritus credidit, in consolationem damnationis suæ Socrates disputavit in carcere. » Qui etiam quantis claruerint virtutibus, ipsa eorum tam vita quam doctrina perhibet : qui nequaquam, ut arbitror, tam diligenter virtutes describerent, dum moralia tradunt instituta, nisi eas in seipsis certis cognoscerent experimentis; quas quidem descriptiones virtutum sancti et doctores ab ipsis assumere non sunt dedignati, cum aut justitiam aut fortitudinem, aut ceteras virtutes eisdem nobis exprimunt verbis, quasi et ipsos Spiritu eodem locutos fuisse non ambigant. Quorum quidem unus cum honestatis formam traderet, egregie ait[2] :

Oderunt peccare boni virtutis amore :

Ac si aperte doceat a turpitudine vitiorum magis abstinendum ipsius virtutis amore, quæ dicitur honestas, quam supplicii timore, quo ingrati coercentur servi. Quod si id minus videtur esse ad meritum salvationis quod dicitur amore virtutis, et non potius amore Dei, ac si virtutem, vel aliquod bonum opus habere possimus, quod non secundum ipsum Deum

[1] Isai., cap. XXIII, v. 4. — [2] Horat., *Epist.* I, XVI, v. 52.

ac propter ipsum sit : facile est et hoc reperiri apud philosophos, quod summum bonum quod Deus est, omnium tam principium, id est originem et causam efficientem, quam finem, id est finalem causam constituunt, ut omnia scilicet bona, amore ipsius fiant, cujus ex dono proveniunt; unde ipsum Alpha et Omega, hoc est principium et finis, recte nominamus, a quo sunt omnia, et propter quem omnia. Hunc Plato optimum et ineffabilem omnium naturarum conditorem asserit, qui cum omnia possit, et ab eo longe relegata sit omnis invidia, omnia tam bona condidit, quantum singulorum natura permittebat, vel ipse ordo et concinnitas rerum postulabat. Dixit et Moyses omnia a Deo valde bona esse facta[1]; sed plus aliquantulum laudis divinæ bonitati Plato assignare videtur, cum tam bona facta dicit singula, quantum eorum natura permittebat, vel opportunum erat; ubi etiam adjecit ipsam Dei voluntatem recte omnium creatarum rerum causam arbitrari. Ac si omnia ideo facta atque optime facta intelligat, quia optimus artifex ita facienda decrevit, cujus ad omnia sufficit voluntas, quæ nullatenus cassa esse potest. Hic autem cum de Deo loquens sic præmisisset : « Itaque consequenter cuncta sui similia, prout cujusque natura poterat esse capax beatitudinis, effici voluit, » adjecit statim atque ait[2] : « Quam quidem voluntatem Dei originem rerum certissimam si quis ponit, recte eum putare consentiam. » Quem et beatus secutus Augustinus in *Enchiridio* cap. IX : « Satis est, inquit, christiano rerum creatarum causam nonnisi credere bonitatem Creatoris, qui est Deus unus, nullamque esse naturam quæ non aut ipse sit, aut ab ipso. » Hanc etiam causam et magister ipsius Socrates assignatam reliquerat, ut videlicet omnium factarum naturarum causæ penes ipsius Creatoris incommutabilem voluntatem incommutabiliter permaneant, et stabiliter vivant, sicut[3] dictum est[4], « Quod factum est in ipso vita erat. » Ubi etiam et de inquirendis causis ac primordiis rerum apud physicam disciplinam Socratica sanxit auctoritas, nullam adipisci nos posse certitudinem, nisi illuc contemplatione mentis conscendamus, ubi causæ omnium, ut dictum est, incommutabiliter fixæ manent, in ipsa scilicet voluntate creatoris, quo nec posse conscendi perhibet, nisi mente a vitiis purgata, juxta illud Veritatis[5] : « Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. » Unde et propter ipsam quoque physicæ vel cujuslibet philosophiæ perceptionem, quæ nonnisi in discussione occultarum causarum consistit, primum purgandæ bonis moribus vitæ censebat instandum, ac si ethica in omni philosophia primum præfigeret gradum, ut quos amore Dei ad

[1] *Genes.*, cap. I. — [2] *In Timæo.* — [3] In editis *sicut quod dictum.* — [4] Joan., cap. I, v. 3. — [5] Matth., cap. V, v. 8.

vitæ honestatem allicere non posset, saltem cupiditate philosophiæ aliquatenus ad hoc eos initiaret. Quem quidem Augustinus in VIII *de Civitate Dei* talibus digne effert præconiis[1] : « Socrates magister Platonis universam philosophiam ad corrigendos componendosque mores flexisse memoratur. Hic animum intendit ad hoc quod esset beatæ vitæ necessarium, propter quam unam omnium philosophorum invigilasse ac laborasse videtur industria. Nolebat immundos terrenis cupiditatibus animos se extendere in divina conari, quandoquidem ab eis causas rerum videbat inquiri, quas primas atque summas nonnisi in unius veri ac summi Dei bonitate esse credebat. Unde nec eas putabat nisi mundata mente posse comprehendi, et ideo purgandæ bonis moribus vitæ credebat instandum, ut deprimentibus libidinibus exoneratus animus naturali vigore in æterna se attolleret, naturamque incorporei atque immutabilis luminis, ubi causæ omnium factarum naturarum stabiliter vivunt, intelligentiæ puritate conspiceret. » Et post pauca : « Socrates, inquit, reliquit plurimos suæ philosophiæ sectatores, quorum certatim studium fuit in quæstionum moralium disceptatione versari, ubi agitur de summo Bono, sine quo fieri beatus nullus potest[2]. » Ubi quidem et de platonica disciplina quam diligenter Deum investigaverit, et ipsum summum Bonum esse definierit, in quo tota beatitudinis summa consistit, et quam recte philosophari determinaverit amare Deum, ut omnium quoque bonorum finem amorem Dei constituat, placet nunc subinferre ex eodem scilicet VIII *de Civitate Dei*[3] : « Fortassis, inquit, qui Platonem ceteris philosophis Gentium longe recteque prælatum acutius atque subtilius intellexisse atque secuti esse fama celebriore[4] laudantur, aliquid tale de Deo sentiunt, ut in eo inveniatur et causa subsistendi, et ratio intelligendi, et ordo vivendi : quorum trium unum ad naturalem, alterum ad rationalem, tertium ad moralem partem intelligitur pertinere. Si enim homo ita est creatus, ut per id quod in eo præcellit, attingat ad illud quod cuncta præcellit, id est unum, verum, optimum Deum, sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina[5] instruit, nullus usus expetit : ipse quæratur, ubi nobis secura sunt omnia; ipse cernatur, ubi nobis certa sunt omnia; ipse diligatur, ubi nobis recta sunt omnia. Si ergo Plato Dei hujus imitatorem, cognitorem, amatorem dixit esse sapientem, cujus participatione fit beatus, quid opus est excutere ceteros ? » Item[6] : « Viderunt ergo isti philosophi, quos ceteris non immerito fama atque gloria prælatos videmus, nullum corpus esse Deum; et ideo cuncta corpora transcenderunt quærentes Deum. Viderunt quidquid mutabile est non esse summum Deum, et ideo ani-

[1] Lib. VIII, cap. III. — [2] Ap. August. *Quo fieri homo beatus potest.* — [3] Cap. IV. — [4] Sic Ap. Augustinum. Male in editis : *Intellexisse assecuti laudantur.* — [5] In editis *creatura* pro *doctrina.* — [6] Lib. VIII, cap. VI.

mam omnem mutabilesque omnes spiritus transcenderunt, quærentes summum Deum. » Item de Philosophis[1] : « Hi vero, quos merito ceteris anteponimus, discreverunt ea quæ mente conspiciuntur, ab his quæ sensibus attinguntur, nec sensibus adimentes quod possunt, nec eis dantes ultra quam possunt. Lumen autem mentium esse dixerunt, ad discernenda[2] omnia, Deum a quo facta sunt omnia. » « Reliqua est pars moralis[3], quam græco vocabulo dicunt ethicam, ubi quæritur de summo bono, quo referentes omnia quæ agimus, quod non propter aliud, sed propter seipsum appetentes idque adipiscentes, nihil quo beati simus ulterius requiramus : ideo quippe et finis est dictus, quia propter hunc cetera volumus, ipsum autem nonnisi propter ipsum. » Item : « Nunc satis commemorare Platonem determinasse finem boni esse propter virtutem vivere, et ei soli evenire posse qui notitiam Dei habeat et imitationem[4], nec esse aliam ob causam beatum. Ideoque non dubitat hoc esse philosophari amare Deum. Unde colligunt tunc fore beatum studiosum sapientiæ, id est philosophum, cum Deo frui cœperit. Quisquis ergo fruitur eo quod amat, verumque et summum bonum amat, quis eum beatum nisi miserrimus negat? » Ipsa quoque Platonis documenta didicimus ex ipsis philosophiæ studiis et investigatione rationum veri philosophos[5] ut Deo placeant intendere. A quo quidem præmissa prece in quibuslibet rationibus ut veritatem percipere ac disserere possent, atque hinc etiam ipsi placere supplici obsecratione postulabant : in tantum ut eos omnes pro furiosis et inexpiandis haberent, qui omnibus recte agendis divinam non invocarent opem. Ex quo plurimum et eorum intentio manifestatur, et humilitas commendatur, cum et propter Deum omnia recte agi velint, ut hinc ei supplicetur[6], et ei omnia tribuant bona a quo postulant universa. Hinc est illud Platonis, ubi introducta Socratis et Timæi persona, scriptum est[7] : « Socrates. Ergo age, Timæe, deliba cœptum, vocata, ut mos est, in auxilium divinitate. Timæus. Vere, mi o Socrates. Nam cum omnibus mos sit et quædam quasi religio, qui de maximis vel de minimis rebus acturi aliquid sunt, precari[8] ad auxilium divinitatem, quanto nos æquius est, qui universitatis naturæ substantiæque rationem præstituri sumus, invocare divinam opem, nisi plane sævo quodam furore atque implacabili raptemur amentia? Sit ergo meis precibus comprehensum, maxime quidem ut ea dicantur a nobis quæ placeant Deo, tum ut nobis quoque ipsis consequenter propositoque operi decenter proferamus. » Quis etiam illam Pythagoræ non satis admiretur humilitatem, qui se more antiquorum non sustinuerit appellari sophum, hoc est sapientem,

[1] Lib. VIII, cap. VII. — [2] Ap. August. *ad discenda*. — [3] *Ibid.*, cap. VIII. — [4] In editi *mutationem*. — [5] Sic in editis. Forsan legendum : *Ipso quoque Platonis documento didicimus ex ipsis philosophiæ studiis et investigatione rationum moveri philosophos*. — [6] Ed. *Suppleatur*. — [7] *In Timæo*. — [8] In edit. *Prædicari*.

sed magis philosophum, hoc est amatorem sapientiæ, quasi non in homine, sed in solo Deo vere sapientiam Dei prædicaret, cujus se participatione desidem potius quam habilem[1] profiteretur? Hinc est illud Augustini in VIII *de Civitate Dei*[2] : « Duo philosophorum genera traduntur; unum Italicum ex parte Italiæ, quæ quondam magna Græcia nuncupata est : alterum Ionicum, in eis terris, ubi et nunc Græcia nominatur. Italicum genus auctorem habuit Pythagoram Samium, a quo et fertur ipsum philosophiæ nomen exortum. Nam cum antea sapientes appellarentur, qui modo quodam laudabilis vitæ aliis præstare videbantur; iste interrogatus quid profiteretur : philosophum se esse respondit; » id est studiosum vel amatorem sapientiæ, quando sapientem profiteri arrogantissimum, videbatur. Huic profecto minime necessaria videbatur illa Veritatis admonitio[3], « Ne vocemini magistri, unus est enim magister vester qui in cœlis est. » Minus quippe ei esset sapientis nomen quam magistri sibi arrogare. Notanda sunt ipsa Augustini verba, quibus sophum sive philosophum solere appellari dicit, ex laude vitæ potius quam scientiæ. Sicut enim nunc, ait, qui modo quodam laudabilis vitæ aliis præstare videbantur. Unde et Boetius in editione II *super Porphyrium* philosophiam describens dicit : « Philosophia est rerum humanarum divinarumque cognitio cum studio bene vivendi conjuncta. » Et Isidorus *Etymologiarum* libri VIII capite vi : « Est, inquit, philosophus qui divinarum et humanarum rerum scientiam habet, et omnem bene vivendi tramitem tenet. Non itaque aut sophus id est sapiens, aut philosophus dicebatur, ex quantacumque scientia, si deesset vitæ munditia. Aliud quippe est astutia sive calliditas in sola cognitione scientiæ, aliud sapientia in rectitudine etiam vitæ. Quam quidem sapientiam Tullius in *Rhetorica* eloquentiæ conjungendam dicit, ut prodesse civitatibus eloquentia velit, secundum quod orator a Victorino describitur : Vir bonus dicendi peritus, etc. Bonus quidem rectitudine sapientiæ, ut bene velit, peritus scientiæ rhetoricæ, ut bene possit. Quem et B. Hieronymus tamquam præceptorem suum in rhetorica secutus, in illa quam ad Oceanum scribit epistola, « Definiunt, inquit, rhetores oratorem qui sit vir bonus, dicendi peritus. Ante vita, sic lingua irreprehensibilis, quæritur ut doctus merito suscipiatur. Perdit auctoritatem dicendi, cujus sermo opere destruitur. » De hac quoque sapientia benignitatis seu bonitatis, qua videlicet dulce nobis sapit per desiderium quod recte capimus per intellectum, Augustinus in *Enchiridio*, cap. i loquitur, dicens : « In libro S. Job legitur quod ipsa sapientia dixerit homini : « Ecce pietas est sapientia. »

[1] Sic in editis. Forsan legendum. *Cujus se participationem desiderantem potius quam habentem*. — [2] Cap. ii. — [3] *Matth.*, cap. xxiii, v. 10.

Quod si post fidem ac moralem doctrinam philosophorum finemque seu intentionem recte vivendi ab eis assignatum, vitam quoque ipsorum inspiciamus, et quam diligenter reipublicæ statum instituerint, atque ipsorum civium simulque conviventium vitam ordinaverint, reperiemus ipsorum tam vitam, quam doctrinam maxime evangelicam seu apostolicam perfectionem exprimere, et a religione christiana eos nihil aut parum recedere, quod nobis tam rationibus morum, quam nomine ipso juncti[1] reperiuntur; nomine quidem, cum nos a vera sophia, hoc est sapientia Dei Patris, quæ Christus est, christiani dicamur, vere in hoc dicendi philosophi, si vere Christum diligimus. Fide quoque et spe, morumque et honestatis rationibus, secundum caritatis libertatem, quod in gratia vocati sumus, non secundum servitutem Judaicam, ex timore pœnarum et ambitione terrenorum, non ex desiderio æternorum, nobis plurimum philosophos certum est assentire : quibus, ut diximus, et fides Trinitatis revelata est, et ab ipsis prædicata, et spes immortalis animæ et æternæ retributionis expectata, pro qua mundum penitus contemnere, et terrenis omnibus abrenuntiare, et seipsos dura macerare inedia non dubitaverunt, ponentes nobiscum amorem Dei finem et causam omnium, ut supra satis meminimus. Hinc quidem facilius evangelica prædicatio a philosophis, quam a Judæis suscepta est, cum sibi eam maxime invenirent adfinem, nec fortasse in aliquo dissonam, nisi forte in his quæ ad Incarnationis vel sacramentorum vel resurrectionis mysteria pertinent. Si enim diligenter moralia evangelii præcepta consideremus, nihil ea aliud quam reformationem legis naturalis inveniemus, quam secutos esse philosophos constat; cum lex magis figuralibus, quam moralibus nitatur mandatis, et exteriori potius justitia, quam interiori abundet. Evangelium vero virtutes ac vitia diligenter examinat, et secundum animi intentionem omnia, sicut et philosophi, pensat. Unde cum tanta, ut dictum est, evangelicæ ac philosophicæ doctrinæ concordia pateat, nonnulli Platonicorum, ut supra olim meminimus, in tantam proruperunt blasphemiam, ut Dominum Jesum omnes suas sententias a Platone accepisse dicerent, quasi philosophus ipsam docuisset sophiam.

Nunc autem præter diligentem virtutum descriptionem a philosophis datam, juvat et eorum de activæ vitæ rectitudine doctrinam inspicere, quam[2] rectis rationibus vivendi civitatum et eorum rectorum instituerint[3] vitam, deinde quantum ipsi quoque suis de rectitudine vivendi obtemperaverint dictis, vel amplius fecerint quam aliis imponerent, juxta quod et de vera scriptum est sophia, quæ[4], « cœpit Jesus facere et docere : » ac si diceret, primum facere, deinde

[1] In editis *Juncti sunt reperiuntur*. — [2] In editis *Cum*. — [3] In editis *Instituerent*. — [4] *Act. Apost.*, cap. I, v. 1.

docere. Instituerunt autem, juxta evangelicam prædicationem, tam conjugatorum, quam rectorum, quam continentium vitam, cum et civitatibus quasi conjugatorum conventibus modum vitæ assignaverunt, et quales ipsi reipublicæ rectores esse oporteret diffinierunt, et in seipsis continentium atque abstinentium vitam expresserunt, quam nunc clerici sive monachi profitentur. Civitatum autem conventus tanta proximi caritate junxerunt, ut omnibus in commune redactis, nihil civitas nisi fraternitas videretur, et nihil aliud rectores civitatis, quam reipublicæ dispensatores dicerentur, ut jam tunc illam primitivæ ecclesiæ apostolicam præsignarent vitam, de qua in *Actibus apostolorum* dicitur[1] : « Quod erant eis omnia communia, et nihil suum dicebat aliquis, sed unicuique distribuebatur prout cuique opus erat. » Cujus nunc vitæ se professores monachi dicunt, cum hæc omnibus recte conviventibus philosophi jure assignaverint, juxta illam de æquitate caritatis regulam : « Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. » Quid etiam amplius omnem interdixit proprietatem, et omnia in commune redegit, quam illud Socratis dictum in *Timæo* Platonis inductum, quo uxores quoque communes fore instituit, ut nullus proprios recognoscat liberos ? Numquid hoc, fratres, ad aliquam turpitudinem inclinandum est, ut tantam ac manifestam atque abominabilem obscœnitatem tantus institueret philosophus, a quo totum moralis disciplinæ studium et investigatio summi Boni sumsit exordium : et cum non solum a philosophis, verum et a poetis, et ab omnibus naturalis legis hominibus adulteria damnentur, immo et a nonnullis ardor libidinis in uxorem propriam adulterio deputetur ? Unde Hieronymus *Contra Jovinianum* libro primo : «Sextus[2] in sententiis : Adulter est, inquit, in suam uxorem amator ardentior. In aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu. Reget impetus voluptatis, ne præceps feratur in coitu[3]. Nihil est fædius, quam uxorem amare quasi adulteram. Certe qui dicunt se, causa reipublicæ et generis humani, uxoribus jungi, et liberos tollere, imitentur saltem pecudes, et postquam uxoris venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores uxoribus se exhibeant, sed maritos. » Cum itaque Socrates uxores quoque publicandas esse instituerit, de communitate quarum nihil omnino tenendum esse videbatur, profecto nihil penitus reliquit proprium, quod videlicet ad communitatem non reduceret. Uxores itaque vult communes esse, secundum fructum, non secundum usum ; hoc est ad utilitatem ex eis percipiendam, non ad voluptatem in eis explendam, ut videlicet tanta sit in omnibus caritas propa-

[1] *Act. Apost.*, cap. IV, v. 32. — [2] Ap. Hieronymum *Xystus;* sed mss. legunt *Sextus.* — [3] Ap. Hieronymum. *Nec præceps feretur.*]

gata, ut unusquisque omnia quæ habet, tam filios quam quæcumque alia, nonnisi ad communem omnium utilitatem possidere appetat. Quod diligenter ille attendebat, de quo Valerius Maximus inter cetera commemorat, dicens[1] : « Aulus Fulvius filium suum pravo consilio amicitiam Catilinæ secutum, inque castra ejus temerario impetu ruentem, medio itinere abstractum, supplicio mortis affecit, præfatus non se illum Catilinæ adversus patriam, sed patriæ adversus Catilinam genuisse. » Et hos fortasse omnes tales veros reipublicæ rectores intellexit, qui ea scilicet quæ possidere videntur, non sibi, sed communi deputant utilitati. Et hæc quidem vere dicenda est respublica, cujus administratio ad communem geritur utilitatem : et hi vere dicendi sunt concives, qui sic in unum tam corpore quam devotione inhabitant, ut in eis completum videatur, quod de perfectione primitivæ Ecclesiæ, quam nunc monasteriorum conventus imitantur, per Psalmistam dicitur[2] : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. » Et hinc eorum unanimis convictus recte civitas est appellandus, ubi par æquitatis censura unicuique quod suum est servat, et in omnibus æqua dispensatio tenetur, et prout cuique opus est, et facultas permittit, omnia dispensantur, et ad unum exitum, hoc est ad communem civitatis incolumitatem, quæ omnia fiunt intenduntur, ut in omnibus sine murmuratione sincera caritas conservetur [a]. Unde Clemens ad Jacobum scribens ut in communi vivendum esse adhortaretur : « Denique, inquit, Græcorum quidam sapientissimus hæc ita sciens esse, ait : Sicut non potest aer dividi, neque splendor solis ; ita nec reliqua, quæ communiter in mundo hoc omnibus data sunt ad habendum dividi debere, sed habenda esse communia. Alioquin non est in proximum caritas perfecta, quæ non quærit quæ sua sunt, sed amici sui commoda. »

Ad hanc profecto æquitatis censuram illa civitatum definitio spectat, de qua verba Tullii Macrobius exponens ait : « Illa autem definitione quid pressius potest esse, quid cautius de nomine civitatum, quam concilia, inquit, cœtusque hominum jure sociati, quæ civitates appellantur ? » Secundum quam quidem

[a] Hieronymus ad Heliodorum episcopum in Epitaphio Nepotiani : « Quid memorem Romanos duces, quorum virtutibus, quasi quibusdam stellis, Latinæ micant historiæ? Pulvillus Capitolium dedicans, mortuum ut nunciabatur filium, subito se jussit absente sepeliri. Lucius Paulus septem diebus inter duorum exequias filiorum triumphans, Urbem ingressus est[3].

[1] Val. Max., lib. V, c. 8. — [2] *Psalm.* CXXXII, v. 1. — [3] In codice Turonensi quem fideliter Benedictini expresserunt editores, locus iste et quidam alii non ipsi textui ex ordine inseruntur, sed leguntur adversa parte, quasi quædam auctoris additamenta ; quos quidem omnes cuique paginæ, ut occurrunt, subjecimus.

definitionem, conventus quilibet christianæ religionis proprie civitates dicendi sunt, et concives proprie fratres, in quo per gratiam renati. Unde et Veritas de societate Ecclesiæ dicit[1] : « Non potest abscondi civitas supra montem posita. » Cui et illud in Iezechiele concinit de ædificio civitatis super montem ostenso, atque illud Psalmistæ[2] : « Hierusalem quæ ædificatur ut civitas. » Ad hanc, credo, reipublicæ communitatem cum nos adhortarentur philosophi, egregie per naturalem justitiam commendaverunt positivam, hoc est hanc quam ipsi ponere et statuere in conventibus civitatum cœperunt, et congrue ad concordiam et communitatem hominum in terris, concordiam superiorum et cœlestium rerum, quæ communiter nostris usibus deputatæ sunt, introduxerunt, ut cum omnes beneficium solis et ceterorum communiter accipiamus, admoneamur ex his et nos ipsi nobis invicem communiter subvenire; et cum major mundus divina dispositione singulis suis partibus nobis subveniat, qui nec sibi ipsi, sed nobis factus est; ex hoc præcipue minor mundus, id est singuli homines admoneantur, mutuis sibi beneficiis subvenire, et ad communem omnia quæ habemus utilitatem disponere; præcipue cum id ipsum Deus omnium remunerator se apertissime velle insinuet, cœlestia quoque et universa quæ in mundo sunt, et insensibilia omnium nostrum usibus, ad quos et facta sunt, subjiciendo, sicut per Psalmistam de homine ad Deum dicitur suis verbis[3] : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus, etc. »

Quantum etiam illud magnificandum est ac prædicandum, quod cum rectitudinem civilis honestatis Plato institueret, a verbis quoque inhonestatis et inhonestis et fabulosis, sicut et a turpibus factis provideret, ut in nullo civitatis ordinationem labefactari permitteret. Unde et cum civitatis recte ordinandæ traderet institutionem, poetas a civitatibus ejiciendos esse decrevit, sicut in secundo *de Civitate Dei* B. Augustinus his verbis commemorat[4] : « An forte, inquit, Platoni potius palma danda est, qui cum ratione formaret qualis esse civitas debeat, tamquam adversarios civitatis[5] poetas censuit urbe pellendos. » Item post aliqua : « Quod si[6] Plato poetas ipsos, vel pro arbitrio mentientes, vel hominibus miseris quasi deorum facta pessima imitanda proponentes, omnino in civitate bene instituta vivere noluit. » Ac si aperte factis et ipsis illud jam prædicaret[7] : «Omnis qui mentitur occidit animam, » atque illud Apostoli[8] : « Fornicatio et omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinent, etc. »

1 Matth., cap. v, v. 14. — 2 *Psalm.* CXXI, v. 3. — 3 *Psalm*, VIII, v. 8. — 4 Aug. *de Civit. Dei*, lib. II, cap. XIV. — 5 In mss. S. Augustini operis solet legi *Adversarios veritatis*. — 6 *Quod si* delendum esse videtur. — 7 Sap., cap. I, v. 2. — 8 *Ephes.*, cap. V, v. 3.

Quid etiam philosophia de poeticis æstimet musis, et quantum indignetur aliquem alumnum suum ad meretriculas illas unquam divertere, in ipso aditu libri Boetii *de Consolatione philosophiæ* diligenter exprimitur, ubi de ipsa ad consolandum philosophum accedente et inspiciente musas philosopho illi assistentes, ipsemet ait philosophus : « Quæ ubi poeticas musas vidit nostro assistentes thoro, fletibusque meis verba dictantes, commota paulisper, ac torvis inflammata luminibus, quis, inquit, has scenicas meretriculas ad hunc ægrum permisit accedere, quæ dolores ejus non modo nullis remediis foverent, verum dulcibus insuper alerent venenis? Hæ sunt enim quæ infructuosis affectuum spinis uberem fructibus rationis segetem necant, hominumque mentes assuefaciunt morbo, non liberant. At si quem profanum, uti vulgo solitum, nobis blanditiæ vestræ detraherent, minus moleste ferendum putarem. Nihil quippe in eo nostræ operæ læderentur. Hunc vero Eleaticis atque Academicis studiis innutritum? Sed ite potius Sirenæ usque ad exitum dulces, meisque eum musis curandum sanandumque relinquite. His ille chorus increpitus dejecit humi mæstior vultum, confessusque rubore verecundiam, tristis excessit. »

Quanto etiam affectu subditam plebem rectores civitatum amplectantur, ut eis magis per amorem adesse, quam per damnum præesse recognoscant, et se potius ministros quam dominos, certum præfixerunt philosophi decretum, cum tales eos descripserunt, qui juxta illud Tullii, pro libertate patriæ non solum pugnare, verum et vitam ponere non formident : certi de illa cœlestis beatitudinis sede, quæ Scipioni revelata promittitur. De quo et nonnulla apud gentiles ipsos in præsto nobis sunt exempla, qui propriæ saluti suorum sospitatem præponerent, et plus suos quam seipsos se diligere exhiberent, quod in duobus Deciis, quod in Platone [1], quod in multis aliis mirari vehementer cogimur. Nam et illi pro salute suorum morti se devovisse, et viriliter eam sustinuisse referuntur, et hic siti periclitans oblatam aquam suscipere recusavit, et communi periculo maluit cum suis occumbere, quam se solum superstitem haustu refocillatum conservare ; quod et dilectus Domino David antea suæ indolis reliquerat exemplum. Erubescant ad hæc hujus temporis abbates quibus summa religionis monasticæ cura commissa est, erubescant, inquam, et resipiscant saltem Gentilium exemplo commoti, quod in oculis fratrum vilia pulmentorum pabula ruminantium, exquisita fercula ac multiplicia impudenter devorant. Attendant et christiani principes quanto fortitudinis zelo justitiam Gentes amplexæ sint, et illud inter cetera Valerii Maximi quasi præ oculis affixum semper in exemplo gerant, illud, inquam, de quo scriptum est [2] : « Zaleuchus,

[1] Legendum potius *Catone*. — [2] *Valer. Max.*, lib. VI, cap. v.

cum filius suus adulterii crimine damnatus, secundum jus ab ipso statutum, utroque oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris pœnam adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnavit : tandem populi precibus victus, suo prius, deinde filii oculo eruto, utrique usum videndi reliquit. Ita debitum supplicii modum legi reddidit. » Magnus in hoc filii amor, sed major justitiæ exhibetur. Naturæ indulsit quantum potuit, sed tamen virtus naturam superavit; plus se principem quam patrem profiteri voluit. Quanta etiam pro veritate et fidelitate conservanda sustinuerint, et quanto fortitudinis zelo libertatem animi sibi vindicaverint, ille in exemplo præstat, qui ne conjurationem in supplicium tyranni a se et consciis suis factam detegere cogi, et socios prodere posset, linguam sibi morsu vehementi præcisam, ipse in os prædicti tyranni sævientis expuit, sicut et secundus Boetii *de Consolatione philosophiæ* continet.

Quod si ad ipsorum philosophorum perfectionem vitæ rationis nostræ examen sublevemus, summam in eis anachoretarum seu monachorum mirabimur abstinentiam et contemplativæ vitæ celsitudinem, de quorum quidem conversione a sæculo ad solitariæ vitæ quietem, tum propter illecebras sæculi fugiendas, tum etiam pro desiderio divinæ contemplationis et philosophiæ studio adipiscendæ, multi posteris scribere curaverunt. Unde et B. Hieronymus in secundo *Contra Jovinianum* ad impudentiam illius Epicurei hæretici conterendam, philosophorum quoque ab illecebris sæculi conversionem inducit dicens : « Nos quorum et conversatio in cœlis est, nec ei debemus cui nascimur, sed cui renascimur. Esus carnium et potus vini, ventris est satietas, seminarium libidinis est. Unde et comicus « Sine Cerere, inquit, et Libero friget « Venus. » Per quinque sensus quasi per quasdam fenestras vitiorum ad animam introitus est. Non potest metropolis et arx mentis capi, nisi per portas irruerit hostilis exercitus. Si circensibus quisquam delectatur, si athletarum certamine, si mobilitate histrionum, si formis mulierum, si splendore gemmarum, vestium, etc. Hujusmodi per oculorum fenestras animæ capta libertas est, et impletur illud propheticum[1] : « Mors intravit per fenestras nostras. » Igitur cum per has portas, quasi quidam perturbationum cunei ad arcem nostræ mentis intraverint, ubi erit libertas? ubi fortitudo ejus? ubi de Deo cogitatio? maxime cum tactus depingat sibi etiam præteritas voluptates, et recordatione vitiorum cogat animam compati, et quodammodo exercere quod non agit. His igitur rationibus invitati multi philosophorum, reliquerunt frequentias urbium, et hortulos suburbanos, ubi ager irriguus et arborum comæ, et susurrus avium, fontis speculum, rivus murmurans, et multæ oculorum auriumque illecebræ,

[1] Jerem., cap. IX, v. 21.

ne per luxum et abundantiam copiarum animæ fortitudo mollesceret, et ejus pudicitia stupraretur. Inutile quippe est crebro videre per quæ aliquando captus sis, et eorum te experimento committere, quibus difficulter careas. Nam et Pytagorei hujuscemodi frequentiam dedignantes, in solitudine et desertis locis habitare consueverant. Platonici quoque et Stoici in templorum locis et porticibus versabantur, ut admoniti augustioris habitaculi sanctitate, nihil aliud quam de virtutibus cogitarent. Sed et ipse Plato cum dives esset, et thorum ejus Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut posset vacare philosophiæ, elegit academicam villam ab urbe procul, non solum desertam, sed pestilentem, ut cura et assiduitate morborum libidinis impetus frangerentur, discipulique sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum quas discerent. » De quibus et Hieronymus ad Eustochium scribens, cum austeram Ægyptiorum monachorum per cellulas divisorum descripsisset vitam [1], «Tales, inquit, philosophiam [2] Platonici sermonis imitantur, tales Josephus in Judaicæ captivitatis historia Essenos debere refert. » Philosophiam dicit Platonici sermonis, quam in sermone suo Plato ipse, sive Platonici prædicabant. Hi quidem, juxta Macrobium [3], ad tantam vitæ celsitudinem pertingisse videntur, ut ipsi a quibusdam soli virtutes habere crederentur, ac per eas soli fieri beati. Plotinus vero inter philosophiæ professores cum Platone princeps, ut ait Macrobius, cum quatuor virtutes quadrifariam divisisset, in politicas [4] scilicet virtutes, et purgatorias, et quæ sunt purgati animi ac defæcati, atque exemplares. Purgatorias philosophantibus quasi proprias assignat; et hæ sunt, inquit, hominis qui divini capax est, solumque animum ejus expediunt, qui decrevit se a corporis contagione purgare, et quadam humanorum fuga solis se inserere divinis. Quarum, inquiunt, prudentiæ esse mundum istum et omnia quæ in mundo insunt divinorum contemplatione despicere, omnemque animi cogitationem in sola divina dirigere; temperantiæ autem, omnia relinquere in quantum natura patitur, quæ corporis usus requirit. Ac si et ipsi pariter cum ipsa Veritate tam factis quam verbis animent omnes [5] : « Intrate per angustam portam [6] » et [7] « Beati qui se castraverunt propter regnum cœlorum. » Nam et hunc finem esse eis propositum constat, de perceptione scilicet æternæ vitæ, quem et ipse Dominus nobis assignavit, et quem Israel minus attendebat, ipse et ambitione terrenæ felicitatis Deo magis subjectus, quam desiderio æternorum, unde et eis litteræ

[1] *Epist* XVIII, col. 46. — [2] Textum Hieronymi non satis fideliter hic citat Abælardus. Nam apud Hieronymum sic legitur : Tales Philo Platonici sermonis imitator; tales Josephus, Græcus Livius in secunda Judaicæ captivitatis Historia Essenos refert. — [3] Macrob. *In somm. Scip.* I, cap. VIII. — [4] Sic ap. Macrobium. In editis *Platonicæ* pro *politicæ*. — [5] In edit. *omnibus*. — [6] Matth., cap. VII, v. 13. — [7] Matth., cap. XIX, v. 12.

veneratoribus nulla retributio in lege de observatione legis juxta litteram promissa aut expectanda est, nisi prosperitas terrena, ad quam toto inhiant desiderio; quæ quidem promissio in *Deuteronomio* aperte continetur capitulo XXIV et XXVIII. At vero qui hic transitoria despiciunt, necesse est ut potiora his aliqua sperent quæ sunt æterna, sicut philosophi et Christiani. Hinc et supra Hieronymus consolationem Socratis induxit super condemnatione ejus ad mortem immeritam, de promerenda immortalis animæ beatitudine, ut tam in fide Sanctæ Trinitatis, quam in spe futuræ beatitudinis conjunctos nobis fuisse philosophos intelligamus, et eumdem utrisque finem esse propositum ac bravium ipsum, videlicet summum quod Deus est Bonum[a]. Unde et cum superius de ipso Socrate beatus ageret Augustinus, dictum est de eo inter cetera[1] : « Hic animum intendit ad hoc quod esset beatæ vitæ necessarium, propter quam unam omnium philosophorum invigilasse ac laborasse videtur industria. » Qui etiam de discipulis Socratis adjecit dicens[2] : « Quorum certatim studium fuit, in quæstionum moralium disceptatione versari, ubi agitur de Summo Bono, sine quo fieri beatus nullus potest. » Ad hoc et illa pertinet exhortatio, quam rectoribus reipublicæ Tullius scribit, inducens scilicet avum Scipionis, cum eo per somnum ita loquentem : « Sed quo sis, Africane, alacrior ad tutandam rempublicam, sic habeto : Omnibus qui patriam conservaverint certum esse in cœlo definitum locum, ubi beati ævo sempiterno fruantur. Nihil est illi principi Deo qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius quam concilia cætusque hominum jure sociati, quæ civitates appellantur. »

Bene autem subdidit, ex his quæ in terris fiant, hoc est in communi hominum habitatione, quod ad activam referendum est vitam, quæ in necessitatibus proximi, cum quo inhabitat, amore quoque ipsius laborat in terrenis, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti, et ei fructum sui commisceat laboris. Majoris quippe meriti solitaria vita est contemplationis, qua nos nimius divini

[a] Hieronymus ad Paulinum presbyterum de omnibus divinæ historiæ libris : « Legimus in veteribus historiis, quosdam lustrasse provincias, novos adiisse populos, maria transisse, ut eos quos ex libris noverant, coram quoque viderent. Sic Pytagoras Memphiticos vates, sic Plato Ægyptum et Architam Tarentinum eamque oram Italiæ quæ quondam magna Græcia dicebatur, laboriosissime peragravit; ut qui Athenis magister erat et potens, cujusque doctrinam Academiæ Gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus, malens aliena verecunde discere, quam sua imprudenter ingerere. Denique cum litteras quasi toto fugientes orbe persequitur, captus a piratis et venundatus, etiam tyranno crudelissimo paruit, vinctus et servus. Tamen quia philosophus, major emente se fuit. »

[1] Aug., *de Civit. Dei*, lib. VIII, cap. III. — [2] August., *ibid.*

amoris fervor ad contemplationem divinæ visionis suspendit, omni jam mundanarum necessitatum sollicitudine postposita, et quasi in cœlestibus nostram tenet conversationem. Quod nec ipsa Macrobii expositio notare prætermisit, activam rectorum vitam per hoc a contemplatione philosophorum distinguens. Duos itaque continentium ordines in philosophis concluserunt, cum alios adhuc purgari per abstinentiæ ac studii assiduitatem dicunt, qui fortasse philosophantes rectius quam philosophi dicendi sunt, et communi habitatione studiorum, formam cœnobitarum tenent monachorum, qualem et Josephus in octavo decimo *Antiquitatum* libro vitam Essenorum describit, cum apud Hebræos quoque tria genera philosophorum et eorum sectas distingueret, quorum alios Pharisæos, alios Saducæos, alios Essenos appellat, quos quidem novissimos miris effert laudibus; alios jam purgati ac defecati animi esse, in quorum carne jam per diutinam abstinentiam mortificata, nullus jam irrepere vel dominari concupiscentiæ motus valet, qui jam solitaria habitatione viventes, suo ipso sufficiant præsidio, qualium perfectam anachoretarum vitam dicimus, quos quidem juxta Hieronymum ad Rusticum monachum scribentem, de conventu monasteriorum egredi oportet quasi de schola philosophantium, ut illic sub regula disciplinæ instruantur, atque tam exemplo aliorum quam verbo ad perfectionem erudiantur, et a recenti consuetudine voluptatum abducti purgentur; hic purgati jam, et in omnibus instructi, cunctisque tentationum motibus repulsis, quasi sui ipsorum victores, sui regimen securi suscipiant, et ad videndum Deum, purgatis jam mentibus, toti anhelent, ut jam nulla hominum frequentia vel aspectu ab illa contemplationis celsitudine revocentur. Quantus autem mundi contemptus apud philosophos fuerit, et quam sibi arctam vitam a sæculo recedentes instituerint, quantumque alios ad hoc ipsum tam factis ipsis quam dictis adhortati sint, pluribus sanctorum quoque patrum testimoniis didicimus[a]. Socratem quippe multosque alios omnia reliquisse, sicut et apostolos,

[a] Ambrosius in epistola ad Ireneum: « Pytagoricum mandatum in aliquorum scriptis prædicari invenimus, quod ille discipulos suos communem atque usitatam populo prohibuerit ingredi viam. Sed hoc unde assumserit non est incognitum. Nam cum ex populo Judæorum, ut plerique arbitrantur, genus duxerit, ex ejus disciplina derivavit etiam magisterii præcepta, meritoque magnus apud philosophos habitus, æqualem, ut aiunt, vix reperit. Legerat itaque in Exodo Moysi præceptum esse, ut montem cum sacerdotibus ascenderet, populus autem deorsum staret. Separavit igitur sacerdotes a populo, et postea ipsum Moysen intra nubem intrare præcepit. Vides divisiones? nihil in sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum studio atque usu et moribus inconditæ multitudinis? Supergradiamur igitur plebeias opiniones, et strata quædam gregalis conversationis ac detritæ vitæ, orbitas declinemus vulgaris semitæ: solum quæramus nobis viam inaccessam sermonibus insolentium, inviam operibus imperitorum, quam nullus maculosus deterat.

Hieronymus perhibet, tum quia in eis nullam judicarent gloriam, quæ tam a pessimis quam ab optimis viris possideri possint, et iniquissimum esse attenderent illam humani animi excellentiam, et divinæ decus imaginis rebus infimis et caducis subdi; tum quia has impedimento esse præsentirent ad studium, sive ad veræ beatitudinis perceptionem, quasi jam tunc in ipsis philosophis illa Veritatis prædicatio diceret[1] : « Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. » Et iterum[2] : « Non potestis servire Deo et Mammonæ. » Quorum quidem unus diligenter attendens, quid distet inter habere pecuniam, et servire pecuniæ, juxta quod et Psalmista ait[3] : « Divitiæ si affluant, nolite cor apponere, » inter cætera meminit dicens :

Et mihi res, non me rebus supponere conor,

ut videlicet ego ipsis dominer, non ipsæ mihi, aliqua sui ambitione capto et usque ad illicita pertracto. Hinc est illa Hieronymi ad Julianum exhortatio : « Contemnis aurum ! contemserunt et mundi philosophi, e quibus unus, ut ceteros sileam, multarum possessionum pretium projecit in pelagus : « Abite, dicens, « in profundum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis. » Quem quidem in secundo *Contra Jovinianum* ex nomine videtur exprimere, ubi de amore studii philosophorum loquitur dicens : « Quosdam legimus sibi effodisse oculos, ne per eorum visum a contemplatione philosophiæ avocarentur. Unde et Crates ille Thebanus, projecto in mare non parvo auri pondere : « Abite, inquit, pessum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis. » Idem in eodem : « Pythagoræ, Socratis, Antisthenis, et reliquorum frugalitatem referrem in confusionem nostram, nisi et longum esset et proprii operis indigeret. Hic certe est Antisthenes qui cum gloriose docuisset Rhetoricam, audissetque Socratem, dixisse fertur ad discipulos suos : « Abite, et magistrum quærite, ego enim reperi. » Statimque venditis quæ habebat, et publice distributis, nihil sibi plusquam palliolum reservavit. Paupertatisque ejus et laboris et Xenophon testis est in *Symposio*, et innumerabiles libri ejus; quorum alios philosopho, alios rhetorico genere conscripsit. Hujus Diogenes ille famosissimus sectator fuit, potentior rege Alexandro, et naturæ humanæ victor. Nam cum discipulorum Antisthenes nullum reciperet, et perseverantem Diogenem removere non posset, novissime clava minatus est nisi abiret. Cui ille subjecisse dicitur caput, atque dixisse : « Nullus tam durus baculus erit, qui me a tuo possit obsequio separare. » Refert Satyrus qui illustrium virorum scribit historias, quod

[1] Luc., cap. XIV, v. 33. — [2] Matth., cap. VI, v. 24. — [3] *Psalm.*, LXI, v. 11.

Diogenes pallio duplici usus sit propter frigus, peram pro cellario habuerit, secumque clavam ob corpusculi fragilitatem, qua jam senex membra sustentare solitus erat et ΗΜΕΡΟΒΙΟΣ vulgo appellatus sit, in præsenti poscens a quolibet et accipiens cibum. Habitavit autem in portarum vestibulis et in porticibus civitatum, cumque se torqueret in dolio, volubilem habere domum jocabatur, et se cum temporibus immutantem. Frigore enim os dolii vertebat in meridiem, æstate ad septemtrionem, et utcumque se sol inclinaverat, Diogenis simul prætorium vertebatur. Quodam vero tempore habens ad potandum caveum ligneum, vidit puerum manu concava bibere, et elisisse illud fertur ad terram dicens: « Nesciebam quod et natura habet poculum[a]. » Quid ad hoc dicturi sunt nostri temporis monachi, et qui se mundum cum Christo contemnere profitentur? quid, inquam, dicturi sunt, qui ut vinum in dulcedine bibant, pigmenta studiose conficiunt, sciphos preciosos et nitidos quærunt, nec communi hominum victu vel apparatu contenti sunt? Adde et illud in laudem philosophi quod Valerius Maximus refert de invicta ejus constantia, his verbis scribens[1]: « Alexander continentiam Diogenis vincere nequivit, ad quem cum in sole sedentem accessisset, hortareturque, ut si qua sibi præstari vellet indicaret. « Ille, inquit, cetera omitte, verum nolo ne mihi obstes a sole. » Quapropter dicitur Alexander prius movisse gradu suo Darium armis suis, quam Diogenem divitiis.

Plurimi etiam philosophorum multis possessionibus suis omnino abrenuntiantes, adeo arctam et laboriosam arripuerunt vitam, ut labore manuum omnia sibi necessaria præpararent, quasi jam tunc nobis formam perfectionis anachoretarum ex abstinentia et labore manuum prætenderent; ac si illud Apostoli divinitus inspiratum jam audissent[2], « Qui non laborat, non manducet; » atque illud Psalmistæ[3], « Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit. » Unde Hieronymus ad Heliodorum scribens: « Apud Græcos, inquit, philosophus ille laudabatur, qui omne quo uteretur usque ad

[a] Hieronymus ad[4] Avigium Spanum: « Ne doleas, si hoc non habeas, quod formiculæ et muscæ et serpentes habent, id est carnis oculos; sed illum te oculum habere lætare, de quo dicitur in Cantico canticorum[5], « Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, uno de oculis tuis, » de quo Deus videtur; de quo ad Moysen dicitur[6]: « Transiens videbo visionem hanc magnam, » de quo quosdam[7] etiam mundi philosophos legimus, ut totam cogitationem cogitarent[8] ad mentis puritatem, sibi oculos eruisse. Et a Propheta dicitur[9]: « Intravit mors per fenestras vestras; » et apostoli audiunt[10]: « Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo. »

[1] *Valer. Max.*, lib. IV, cap. III. — [2] *Thessal.* II, cap. III, v. 10. — [3] *Psalm.* CXXVII, v. . — [4] Ap. Hieron. *Abigaum.* — [5] *Cant.*, cap. IV v. 9. — [6] *Exod.*, cap. III, v. 3. — [7] Ap. Hieron. *Denique quosdam.* — [8] Lege *cogerent* ut ap. Hieron. — [9] Jerem., cap. IX, v. 21. — [10] Matth., cap. V, v. 28.

pallium et annulum manu sua factum gloriatus est. Quanta autem animis eorum fortitudo inerat, et quantus castimoniæ amor, neque hoc sancti doctores tacuerunt. Unde Socratem usque ad mortem in correctione stultorum ac vitiosorum perstitisse, et pro veritatis assertione quasi martyrem et certum de remuneratione occubuisse, tam divini quam sæculares commemorant codices. Hinc est illud Valerii Maximi[1] : « Socratem damnaverunt, qui novam religionem introducere videbatur. » Quæ vero hæc nova religio esset, de commendatione scilicet virtutum et reprehensione vitiorum, cum in ethicis suis mores hominum ad honestatem informaret, B. Augustinus in VIII *de Civitate Dei* exponit dicens[2] : « Constat eum imperitorum stultitiam scire se aliquid opinantium, etiam in ipsis moralibus quæstionibus, lepore mirabili et acutissima urbanitate agitasse. Unde et concitatis inimicitiis calumniosa criminatione damnatus, morte mulctatus est. Sed eum postea illa ipsa quæ publice damnaverat Atheniensium civitas publice luxit, in duos accusatores ejus usque adeo populi indignatione conversa, ut unus eorum oppressus vi multitudinis interiret, exilio alter voluntario atque perpetuo pœnam similem evaderet. Tam præclara igitur vitæ mortisque fama Socrates reliquit plurimos suæ philosophiæ sectatores, quorum certatim studium fuit in quæstionum moralium disceptatione versari, ubi agitur de summo bono, sine quo fieri beatus nullus potest[a]. » In eodem quoque refert prædictus sanctus, quod se legisse dixerit A. Gellius[3], hoc Stoicis placuisse de subitis animi perturbationibus ex timore provenientibus, quod cum ex terribilibus rebus veniant, necesse est ut etiam sapientis animum moveant; ita ut parumper vel pavescat vel contristetur. Hoc tamen interesse censent inter animum sapientis et stulti, quod stulti animus eisdem passionibus cedit atque accommodat assensum : sapientis autem, quamvis eos necessitate patiatur, retinet tamen de his quæ appetere vel fugere rationabiliter debet, veram et stabilem inconcussa mente sententiam. Quis illam Diogenis constantiam atque animi robur invictissimum maxima admiratione non excipiat, qui morte potius febres excludere, quam eas sibi dominari elegerit, et se magis infirmitatis victorem, quam ab ea victum custodire? Unde et Hieronymus in secundo *Contra Jovinianum* de ejus quoque, magnanimitate adjecit, dicens sive ex sua sive ex Satyri persona,

[a] Hieronymus ad Heliodorum in Epitaphio Nepotiani[4] : « Xerxes ille potentissimus, qui subvertit montes, maria constravit, cum de sublimi loco innumerabilem videret exercitum, flevisse dicitur, quod post centum annos nullus eorum quos tunc cernebat superfuturus esset. »

[1] Valer. Max. I, cap. I. — [2] Lib. VIII, cap. III. — [3] Aug., *de Civit. Dei*, lib. IX, cap. IV. — [4] *Epist.* XXXVI.

qui illustrium virorum scripsit historias : « Virtutem, inquit, ejus et continentiam mors quoque indicat, nam cum ad agonem olympiacum, qui magna frequentia Græciæ celebrabatur, jam senex pergeret, febri in itinere apprehensus, dicitur occubuisse in crepidine viæ : volentibusque eum amicis, aut in jumentum aut in vehiculum tollere, nec acquievit, sed transiens ad arboris umbram locutus est : Abite, quæso, et spectatum pergite; hæc me nox, aut victorem probabit aut victum. Si febrem vicero, ad agonem veniam; si me vicerit febris, ad inferna descendam. Ibique per noctem eliso gutture, non tam mori se ait, quam febrem morte excludere. » Quid iste facturus esset in persecutione fidelium, cum ei pro fide dimicandum immineret, et pro æterna temporalem vitam impendendam, et sic perpetuam mortem evitandam crederet, qui ne febribus opprimeretur, morte medicinam adhibuit, aperte protestatus quam parvi penderet vitam hanc ærumnis implicatam? Huic et illam quam supra meminimus adhibe philosophorum mirabilem tolerantiam, qua nonnulli eorum effossionem oculorum[1], ne a contemplatione philosophiæ per eos devocarentur, quasi illud Veritatis ad litteram interpretantes[2] : « Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te. » In quo aperte docuerunt, quantum corporeo lumini mentis oculos præponerent, et quantum carnem ipsam spiritui subjicerent, cum fenestras corporis, de quibus propheta conquerente dicitur[3] : « Oculus meus deprædatus est animam meam, » tanta passionum molestia obstruere sustinerent. Dicit fortasse aliquis hoc omnino fortitudinem aut virtutem apparere, non esse, immo pro furore habendum, quod sibi ipsi Diogenes manum intulerit, de quo nec Samsonem, neque aliquem excusare præsumimus, nisi hoc committant familiari aliquo mandato sibi divinitus inspirato, sicut de Samsone creditur factum, ad ulciscendum scilicet de Allophilis, quos pariter secum stravit, et de nonnullis virginibus christianis, quæ se flammis vel aquis injecerunt, ne a gentilibus corrumperentur. Unde Augustinus *de Civitate Dei*, libro primo[4] : Quædam, inquiunt, sanctæ feminæ tempore persecutionis, ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent, in rapturum atque necaturum se fluvium projecerunt, eoque modo defunctæ sunt, earumque martyria in catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur. De his nihil temere audeo judicare : utrum enim Ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic honoret, divina persuaserit auctoritas nescio, et fieri potest ut ita sit. Quid enim si hoc fecerunt non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ, nec errantes, sed obedientes? » Ad hoc maxime illud Hieronymi spectare videtur quod ait

[1] Hic aliquid deesse videtur, ut *passi sunt*, vel *sibi intulerunt*. — [2] Matth., cap. XVIII, v. 5. — [3] *Thren.*, cap. III, v. 51. — [4] Lib. I, cap. XXVI.

super Jonam prophetam, eo quidem loco, quo scriptum est, Jona dicente : « Tollite me, et mittite in mare, et cessabit mare a vobis[1], » illud, inquam, Hieronymi quo dicitur : « Non est enim nostrum mortem arripere, sed illatam libenter accipere : unde et in persecutionibus non licet propria manu perire, absque ubi castitas periclitatur. » Item in eodem *de Civitate Dei* libro[2] : « Nec Samson, inquit, aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quod latenter Spiritus hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat. » Item in eodem[3] : « De Samsone aliud nobis fas non est credere. Cum autem Deus jubet, seque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet, quis obsequium pietatis accuset? Nam et miles cum obediens potestati, sub qua legitime constitutus est, hominem occidit, nulla civitatis suæ lege reus est homicidii, immo nisi fecerit, reus est imperii deserti atque contemti. Quod si ita est, jubente imperatore, quanto magis jubente creatore? » In his itaque ista animi magnitudo atque constantia virtus fortitudinis esse potuit, quod in Diogene minime comperimus. Ubi enim non est considerata laborum perpessio, hoc est provida et rationabilis non subest tolerantiæ causa, certum est fortitudinem non esse, cum hoc ad descriptionem fortitudinis attineat. Nec nos quidem in hoc virtutem Diogenis satis commendare volumus, quod rationabiliter factum esse non agnoscamus; sed illi magis B. Augustini sententiæ assentimus, qua in eodem capitulo primi libri *de Civitate Dei* de interfectoribus sui subjunctum est[4] : « Quicumque hoc in seipsis perpetraverunt, animi magnitudine mirandi, non sapientiæ sanitate laudandi sunt. Quamquam si rationem diligentius consulas, nec ipsa quidem animi magnitudo recte nominatur, ubi quisque non valendo tolerare, vel quæque aspera, vel aliena peccata, se ipse interemerit. Magis enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non potest vel duram sui corporis servitutem, vel stultam vulgi opinionem. » Sicut de Catone vel Lucretia legimus, cum ille quidem qui tanti nominis ac rigoris æstimabatur, seipsum Uticæ occiderit, ne sub Cæsare libertatem amitteret; et illa laudis nimium avida, verita sit ne putaretur, quod violenter est passa cum viveret, libenter passa si viveret. » Item in eodem[5] : « Si magno animo fieri putandum est, cum sibi homo ingerit mortem, ille potius Theobrotus[6] in hac animi magnitudine reperitur, quem ferunt lecto Platonis libro, ubi de immortalitate animæ disputatum est, se præcipitem dedisse de muro, atque ita de hac vita migrasse ad eam quam credidit esse meliorem. Quod tamen magne potius esse factum, quam bene, testis esse potuit Plato ipse quem legerat, qui profecto id

[1] Jon., cap. I, v. 12. — [2] Lib. I, cap. XXI. — [3] *Ibid.*, cap. XXVI. — [4] Aug. *de Civit. Dei*, lib. I, cap. XXII. — [5] *Ibid.* — [6] Ita omnes pene Augustini Mss. legunt; vulgo Cleombrotus legitur.

præcipue potissimumque fecisset vel etiam præcepisset, nisi ea mente qua immortalitatem animæ vidit, nequaquam faciendum, quin etiam prohibendum esse judicasset. » Item post aliqua[1] : « Restat una causa, de qua dicere cœperam, qua utile putatur, ut se quisquam interficiat, scilicet ne in peccatum irruat, vel blandiente voluptate, vel dolore sæviente : quam causam si voluerimus admittere, eo usque progressa perveniet, ut hortandi sint homines tunc se potius interimere, cum lavacro sanctæ regenerationis abluti, universorum remissionem acceperint peccatorum. Tunc enim tempus est cavendi omnia futura peccata, cum sunt omnia deleta præterita. » Item : « O mentes amentes ! Quis est hic tantus non error, sed furor? » Constat ipsorum quoque judicio philosophorum hoc detestandum esse, ut sibi aliqua ratione manus aliquis injiciat, quod sine ulla penitus exceptione damnaverunt, sicut jam supra ex ipsa Platonis sententia cognovimus, et Macrobius diligenter tam ipsum, quam Ciceronem secutus, exponit, eo scilicet loco commentatus, ubi Cicero describens Somnium Scipionis, ipsum inducit Scipionem cum Paulo patre ei apparente loquentem, et desiderantem quoque ad æternæ vitæ beatitudinem quoquo modo posse properare; quam sibi per avum suum intellexerat revelatam, atque bonis reipublicæ rectoribus a Deo esse in cœlis præparatam. « Quæso, inquam, pater sanctissime atque optime, quoniam hæc est vita, ut Africanum audio dicere, quid moror in terris, quin hinc ad vos venire propero? Non est ita, inquit ille, nisi enim cum Deus istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Quare et tibi, Publi, et piis omnibus retinendus animus in custodia corporis; nec injussu ejus, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus assignatum a Deo ipsi fugisse videamini. » Macrobius super hunc locum[2] : « Hæc secta et præceptio Platonis est, qui in Phædone definit homini non esse sua sponte moriendum. Sed in eodem tamen dialogo idem dicit mortem philosophantibus appetendam, et ipsam philosophiam meditationem esse moriendi. Sed Plato duas mortes hominum novit, nec hoc nunc repeto quod superius dictum est, duas esse mortes, unam animæ, animalis alteram, sed ipsius quoque animalis, hoc est hominis, duas asserit mortes, quarum unam natura, virtutes alteram præstant. Homo enim moritur cum anima corpus relinquit solutum lege naturæ. Mori etiam dicitur, cum anima adhuc in corpore constituta corporeas illecebras, philosophia docente, contemnit, et cupiditatum dulces insidias reliquasque omnes exuitur passiones. Hanc ergo mortem dicit Plato sapientibus appetendam; illam vero quam omnibus natura constituit, cogi, vel inferri, vel accersiri vetat, docens expectandam

[1] August., *de Civit. Dei*, lib. I, cap. XXVII. — [2] Macrob., *In Somn. Scipionis* I, 13.

esse naturam. Hoc quoque addidit nos esse in dominio Dei[1], cujus tutela et providentia gubernamur. Nihil autem esse, invito domino, de his quæ possidet, ex eo loco in quo suum constituerat, auferendum. Et sicut qui vitam mancipio extorquet alieno, crimine non carebit, ita eum qui finem sibi, Domino necdum jubente, quæsierit, non absolutionem consequi, sed reatum. Hæc Platonicæ sectæ semina altius Plotinus exequitur. Cum constet, inquit, remunerationem animis illic esse tribuendam, pro modo perfectionis, ad quam in hac vita unaquæque pervenit; non est præcipitandus vitæ finis, cum adhuc proficiendi esse possit accessio. Ergo, inquies, qui jam perfecte purgatus est, manum sibi debet inferre, cum non sit ei causa remanendi, quia profectum ulterius non requirit, qui ad superna pervenit. Sed hoc ipso, quo sibi celerem finem spe fruendæ beatitudinis arcessit, irretitur laqueo passionis : quia spes sicut timor passio est. Et hoc est quod Paulus filium spe vitæ verioris ad se venire properantem prohibet ac repellit. Nisi enim cum Deus, inquit, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Nec dicit quod nisi mors naturalis advenerit, mori non poteris, sed huc venire non poteris. Pari autem constantia mors, nec veniens per naturam timenda est, nec contra ordinem cogenda naturæ. » Cum itaque aut Diogenem aut Theobrotum de sibi illata morte defendere nemo præsumat : arbitror tamen hoc ad exemplum tolerantiæ, et ad contemptum hujus vitæ, et desiderium æternæ nobis salubriter a sanctis patribus esse propositum; ut hoc saltem laudabile in illo monstretur, quod hanc vitam ita contempserit, non quod sibi manus injecerit, in isto autem quod immortalem animæ beatitudinem tanto desiderio amplexus sit.

Et si post abstinentiam et magnanimitatem philosophorum, eorum quoque continentiam consideremus; multa in confusionem nostram de eis et ab eis scripta reperiemus, et in eis christianæ castimoniæ, quam Judæi non intellexerunt, incœpisse pulchritudinem. De qua per Sapientiam dicitur[2] : « O quam pulchra est casta generatio cum claritate! » id est continentia vitæ cum illuminatione sapientiæ, cum sint et fatuæ virgines, cujus et laudem statim prosequitur dicens[3] : « Immortalis enim est memoria illius, quoniam apud Deum nota est, et apud homines. » Cum præsens est, imitantur illam; et desiderant eam cum se eduxerit, et in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens, quam et Veritas apostolis injungit dicens[4], « Sint lumbi vestri præcincti, » et Apostolus maxime commendat dicens[5] : « Bonum est ho-

[1] Apud Macrobium non *Dei* sed *Deorum* legitur. — [2] Sap., cap. IV, v. 1. — [3] *Ibid.* — [4] Luc., cap. XII, v. 35. — [5] *Corinth.* I, cap. VII, v. 1.

mini mulierem non tangere. » Et item[1] : « Volo autem omnes homines esse sicut meipsum; sed unusquisque proprium habet donum ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis et viduis, bonum illis est, si sic permaneant sicut et ego : quod si se non continent, nubant. » Et rursus[2] : « De virginibus autem præceptum Domini non habeo : consilium autem do. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. » Et post aliqua[3] : « Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo : qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu, quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. » Item[4] : « Igitur et qui in matrimonio jungit virginem bene facit, et qui non jungit melius facit. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat, tantum in Domino; beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium. » Quantis autem impedimentis, quantis molestiis et periculis matrimonia abundent, multorum antea testimoniis et lapsuum experimentis didicimus, cum in paradiso mulier statim virum captivaverit, et Nazareum Domini Samsonem, cujus per angelum nativitas annuntiata fuerat, concupiscentia mulieris usque ad interitum attraxerit, et maximum illum prophetarum et regum David, cui et Dominus tantum dederat testimonium dicens[5] : « Inveni virum juxta cor meum, » unus Betsabeæ aspectus in tantum illaqueavit, ut strenuissimo ac fidelissimo Uria interfecto, tam adulterii quam homicidii, seu summæ proditionis reus simul constitueretur; et Salomonem illum sapientium maximum usque ad idolatriam voluptas ita prostraverit quasi in idolo illo, ut quod turpissimum est turpiter efferam, cunnum gentilis feminæ per concupiscentiam magis quam idolum ipsum per ignorantiam veneraretur, tanto effectus deterior, quanto ex conscientia sua inexcusabilior. Qui etiam quam facilis sit ac periculosa hujus concupiscentiæ tentatio, ipsemet qui tam graviter hoc expertus est, per semetipsum nobis in *Proverbiis* exponit dicens[6] : « Mulier viri pretiosam animam capit. Numquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant; aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? » Item[7] : « Dic Sapientiæ, Soror mea es, et prudentiam voca animam tuam,

[1] *Corinth.* I, cap. VII, v. 7. — [2] *Ibid.*, v. 25. — [3] *Ibid.*, v. 32. — [4] *Ibid.*, v. 38. — [5] *Act. Apost.*, cap. XIII, v. 22. — [6] *Prov.*, cap. VI, v. 26. — [7] *Prov.*, cap. VII, v. 4.

ut custodiat te a muliere extranea, quæ verba sua dulcia facit. De fenestra enim domus meæ prospexi juvenem, et ecce mulier occurrit ei ornatu meretricio præparata ad capiendas animas. Statim eam sequitur[1], quasi bos ductus ad victimam, ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta cor ejus, velut si avis festinet ad laqueum; et nescit quia de periculo animæ illius agitur. Nunc ergo, fili mi, audi me, ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis ejus; multos enim vulneratos dejecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Viæ inferi domus ejus penetrantes ad inferiora. » Idem in *Ecclesiaste*[2] : « Lustravi universa animo meo, ut quærerem Sapientiam et rationem, et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus. Vincula enim sunt manus illius. Qui placet Deo effugiet eam; qui autem peccator est, capietur ab ea. » Item[3] : « Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni. » His et illa consonant de *Ecclesiastico* de molestiis et periculoso feminarum consortio tam propriarum quam extranearum[4] : « Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat malitiam doctrinæ nequam. Ne des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam et confundaris. Non respicies mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius. » Item[5] : « Operarius ebriosus non locupletabitur, et qui spernit modica, paulatim decidet. Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes et arguunt sensatos. » Item[6] : « Omnis plaga tristitia cordis est, et omnis malitia nequitia mulieris. Non est caput nequius super capite colubri, et non ira super iram mulieris. Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. Brevis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadit super eam. Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo, et plaga mortis mulier nequam. A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur. Non des aquæ tuæ exitum, nec mulieri nequam veniam prodeundi. A carnalibus tuis abscide illam, ne semper abutatur. » Et rursum[7] : « In medio mulierum nolo commorari, de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier et mulier confundens in opprobrium. » Hinc et ipsa Sapientia in laudem virginum seu continentium proprumpit dicens[8] : « Felix sterilis et incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum, et spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, non cogitavit adversus Deum nequissima; dabitur enim ei fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima. » Et iterum illud quod jam supra posuimus[9] : « O quam

[1] *Prov.*, cap. VII, v. 22. — [2] *Eccles.*, cap. VII, v. 26. — [3] *Ibid.*, v. 29. — [4] *Eccli.*, cap. IX, v. 1. — [5] *Eccli.*, cap. XIX, v. 1. — [6] *Eccli.*, cap. XXV, v. 17 etsq. — [7] *Eccli.*, cap. XLII, v. 13. — [8] *Sap.*, cap. III, v. 13. — [9] *Sap.*, cap. IV, v. 1.

pulchra casta generatio cum claritate: Immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est, et apud homines. » Bene autem dicit hanc virtutem non solum apud Deum notam, quasi specialiter approbatam, quod ei in Evangelio centesimum assignat fructum, et eam in semetipso de Virgine natus tam verbo quam exemplo prædicare voluit, quem verum Agnum et sine macula hi qui sine macula sunt, id est virgines, sequi dicuntur, quocumque ierit : a quo etiam virginitas octo Sybillarum, beato attestante Hieronymo, spiritum prophetiæ promeruerit. Verum et apud homines, cum solæ virgines Deo consecrandæ manu summi sacerdotis velentur, et diaconissarum obtineant principatum, in quanto etiam honore apud Gentiles [1] et infidelis virginitas semper habita sit, B. Hieronymus in primo *Contra Jovinianum* exposuit dicens : « Certe Romanus populus quanto honore virgines semper habuerit, hinc apparet quod consules et imperatores, et in curribus triumphantes, qui de superatis gentibus trophæa referebant, et omnis dignitatis gradus, eis de via cedere solitus sit. Nam quod etiam inter duodecim signa cœli, quibus mundum volvi putant, virginem collocarint, nulli dubium est; unde magna injuria nuptiarum, ut ne inter scorpios quidem, et centauros, et cancros, et pisces, et ægocerotas uxorem maritumque construxerint. » His et consimilibus rationibus incitati philosophi, continentiæ sibi proposuerunt vitam, tum ut philosophiæ penitus vacare possent, tum plurimum ne eorum fortitudo muliebrium illecebrarum mollitiis enervata succumberet, vel filiorum affectu ad illicita vel turpia quædam cogerentur, vel labem aliquam infamiæ, quam ex propria non haberent vita, vitiis uxorum contraherent. Quarum impudentiæ petulantiam et Socrates expertus, satis est ceteris in exemplo, quantum oporteat philosophum vitæ munditiam observare, nec philosophiæ, cui se copulat, alterius quasi adulteræ copulam superinducere. Ut enim in primo *Contra Jovinianum* beatus meminit Hieronymus : « Socrates Xanthipem, et Miro neptem Aristidis duas habebat uxores : quæ cum crebro inter se jurgarentur, et ille eas irridere esset solitus, quod propter se fœdissimum hominem simis naribus, recalva fronte, pilosis humeris, et repandis cruribus, disceptassent; novissime verterunt in eum impetum; et male multatum fugientemque diu persecutæ. Quodam autem tempore, cum infinita convitia ex superiori loco ingerenti Xantippæ restitisset, aqua profusus immunda, nihil respondit amplius, quam capite deterso : «Sciebam, inquit, futurum, ut ista tonitrua « imber sequeretur. » Has profecto molestias atque turpitudines, assiduasque inquietudines conjugiis inesse Theophrastus noverat, qui pene omnibus diligenter expositis, uxorem sapienti non esse ducendam plurimis astruit rationibus : quasi

[1] Hic apud Martene interseritur *quam*, quæ vox delenda esse videtur.

eam veram intelligat sapientiam, de qua Jacobus apostolus dicit[1] : « Quæ desursum est sapientia primum pudica quidem est, deinde pacifica. » Ac si aperte dicat : Contemplationi studioque divinorum idoneus non est, qui continentiæ vitam non arripit, ut liber a gravissimo uxoris jugo, et quietus a tot et tantis conjugiorum molestiis vivat. Servum nempe se efficit qui se vinculis nuptiarum astringit, propriique etiam corporis, juxta Apostolum, potestatem amittit, ut si quandoque etiam a sæculo converti ad religionem voluerit, uxore prohibente, non possit. Unde, ut ait Hieronymus in primo *Contra Jovinianum*, illud est Apostoli[2] : « Servus vocatus es? non sit tibi curæ, sed et si potes liber fieri, magis utere, » hoc est, etiam si habes, inquit, uxorem, et illi alligatus es, et solvis debitum, et non habes tui corporis potestatem, atque ut manifestius loquar, servus uxoris es, noli propter hoc habere tristitiam, nec de amissa virginitate suspires, sed etiam si potes causas aliquas invenire discidii, ut libertate pudicitiæ perfruaris, noli salutem tuam cum alterius interitu quærere, etc. Quod autem Theophrastus quoque eam quæ desursum est sapientiam intellexerit, qua jam gustu contemplationis de Deo sapere aliquid incipimus, in eodem aperit capitulo, ubi sapientem numquam solum perhibet, quem semper aut cum sapientibus conferre, aut cum Deo loqui asserit. De quo ista Hieronymus in eodem primo *Contra Jovinianum* libro : « Fertur, inquit, aureolus Theophrasti liber de nuptiis, in quo quærit an vir sapiens ducat uxorem. Et cum definisset si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse sanus et dives ; sic sapientem inire aliquando matrimonium, statim intulit : Hæc autem raro in nuptiis universa concordant. Non est igitur uxor ducenda sapienti. Primum enim impediri studia philosophorum, nec posse libris et uxori pariter inserviri. Multa esse quæ matronarum usibus necessaria sunt, pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sumptus, ancillæ, supellex, variæ lecticæ, et esseda deaurata. Deinde per totas noctes garrulæ conquestiones : Illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus, ego misella despicior. Cur aspiciebas vicinam? Quid cum ancilla loquebaris ? De foro veniens quid attulisti? Non amicum habere possumus, non sodalem. Alterius amorem, suum odium suspicatur. Si doctissimus præceptor in qualibet urbium fuerit, nec uxorem relinquere, nec cum sarcina ire possumus. Pauperem alere difficile est, divitem ferre tormentum. Adde quod nulla est uxoris electio, sed qualiscumque obvenerit, habenda. Si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida, quodcumque vitii est, post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis, et vilissima mancipia probantur prius et sic emuntur; sola uxor non ostenditur, ne ante displiceat quam ducatur. At-

[1] Jac., cap. III, v. 17. — [2] *Corinth.* I, cap. VII, v. 21.

tendenda semper est ejus facies, et pulchritudo laudanda; ne si alteram aspexeris, se æstimet displicere. Vocanda domina, celebrandus natalis ejus, jurandum per salutem illius : ut sit superstes optandum, honoranda nutrix ejus, et gerula, servus, patrinus, et alumnus, et formosus assecla, et procurator calamistratus, et in longam securamque libidinem exectus spado; sub quibus nominibus adulteri delitescunt; quoscumque illa dilexerit, ingratis sunt amandi. Si totam ei domum regendam commiseris, serviendum est. Si aliquid tuo arbitrio reservaveris, fidem sibi haberi non putabit, et in odium vertetur ac jurgia, et nisi cito consulueris, parabit venena. Anus, et aurifices, et ariolos, et institores gemmarum sericarumque vestium si intromiseris, periculum pudicitiæ est; si prohibueris, suspicionis injuria. Verum quid prodest etiam diligens custodia : cum uxor servari impudica non possit, pudica non debeat? Infida enim custos est castitatis necessitas, et illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare si voluit. Pulchra cito adamatur, fœda concupiscit. Difficile custoditur quod plures amant. Molestum est possidere quod nemo habere dignetur. Minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa servatur. Nihil tutum in quod totius populi vota suspirant, alios forma, alios ingenio, alios facetiis, alios liberalitate, sollicitat. Aliquo modo expugnatur quod undique lacessitur. Quod si propter dispensationem domus, et languoris solatia, et fugam solitudinis ducuntur uxores; multo melius servus fidelis dispensat, obediens auctoritati domini, et dispositioni ejus obtemperans, quam uxor, quæ in eo se æstimat dominam, si adversum viri faciat voluntatem, id est quod placet, non quod jubetur. Assidere autem ægrotanti magis possunt amici et vernaculæ beneficiis obligati, quam illa quæ nobis imputet lacrymas suas, et hereditatis spe vendat illuviem, et sollicitudinem jactans, languentis animum desperatione perturbet. Quod si languerit, coægrotandum est, et numquam ab ejus lectulo recedendum. Aut si bona fuerit et suavis uxor, quæ tamen rara avis est[1], cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur. Sapiens autem numquam esse solus potest : habet secum omnes qui sunt, quique umquam fuerunt boni, et animum liberum quocumque vult transfert. Quod corpore non potest, cogitatione complectitur; et si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo. Numquam minus solus erit, quam cum solus fuerit. Porro liberorum causa ducere uxorem, ut vel nomen nostrum non intereat, vel habeamus senectutis præsidia, et certis[2] utamur heredibus, stolidissimum est. Quid enim ad nos pertinet recedentes e mundo, si nomine nostro alius non vocetur, cum et filius non statim patris vocabulum referat, et innumerabiles sint qui eodem appellantur nomine? Aut quæ

[1]In editis, *rara aut vix est.* — [2] In editis *Cunctis.*

senectutis auxilia sunt, nutrire domi, qui aut te prior forte moriatur, aut perversis moribus sit, aut certe cum ad maturam ætatem pervenerit, tarde ei videaris mori? Heredes autem meliores et certiores sunt amici et propinqui, quos judicio eligas, quàm quos velis nolis habere cogaris. Licet certior hereditas sit dum advivis bene uti substantia tua, quam tuo labore quæsita in incertos usus relinquere. » Hactenus quidem Theophrastus, deinde Hieronymus : « Hæc, inquit, et hujusmodi Theophrastus disserens, quem non suffundat christianorum, quorum conversatio in cœlis est, qui quotidie dicunt[1] : « Opto dissolvi « et esse cum Christo? » Heredem nimirum desiderabit, liberorum nepotumque serie delectabitur, quos forsitan sit occupaturus Antichristus, cum legamus Moysen et Samuelem filiis suis alios prætulisse, nec putasse liberos, quos videbant Domino displicere. » Idem in eodem : « Cicero rogatus ab Hirtio, ut post repudium Terentiæ, sororem ejus duceret, omnino facere supersedit, dicens non posse se et uxori et philosophiæ operam pariter dare. » Item idem : « Scribit Herodotus quod mulier cum veste deponat et verecundiam; et noster Comicus fortunatum putat qui uxorem numquam duxerit. Epicurus voluptatis assertor raro dicit sapienti ineunda conjugia, quia multa incommoda admixta sunt nuptiis. » Quanta etiam cura honestas Gentilium non solum actionum verum etiam suspicionum turpitudines evitaret, docet Valerius Maximus de quodam adolescente ita scribens[2] : « Spurina adolescens excellentis pulchritudinis cum mira specie feminarum illustrium sollicitaret oculos, ideoque viris et parentibus earum se suspectum esse sentiret, oris decorem vulneribus confodit, » factis etiam ipsis ad illud nos sapientis maxime adhortatus, de quo scriptum est[3], « Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ. Et crudelis est qui famam suam negligit. » Hi etiam quanto studio pudicitiam amplecterentur, et in omnibus quæ possent obscenas turpitudines prævenirent, in eodem continetur libro[4] : « Virginius[5], inquit, filiam suam in forum deductam occidit, eo quod Claudius stuprum ejus potestatis viribus fretus expeteret, pudicæque quam corruptæ esse pater maluit. » Item : « Metellus uxorem quæ vinum bibisset fustim percussam interemit, quia quæcumque femina vini usum immoderate appetit, virtutibus januam claudit, et delictis aperit. » Item : « Sulpicius uxorem dimisit, quod eam capite aperto foris versantem cognoverat. Antistius uxorem repudiavit, quod illam in publico cum quadam libertina vulgari secreto loqui viderat. Sempronius uxorem dimisit, quod se ignorante ludos spectaret. » Proh pudor! et multos christianorum novimus lenocinium in uxoribus exercentes.

[1] *Philipp.*, cap. I, v. 23. — [2] Val. Max., lib. IV, cap. V. — [3] *Prov.*, cap. XXII, v. 1. — [4] Val. Max., lib. VI, cap. I. — [5] In editis *Vergilius*.

Sed nec ista continentiæ virtus, aut pudicitiæ amor, feminis ipsis philosophiæ et litterarum abundantia insignitis defuisse cognoscitur, ut hoc insigne virtutum maxime congruere philosophicæ eo cognoscamus excellentiæ, et quantum semper ab obscenis voluptatibus concupiscentiæ decor se subtraxerit philosophiæ. Unde Hieronymus in eodem *Contra Jovinianum* libro : « Quid referam, inquit, Sybillam Erithream atque Cumanam et octo reliquas? Nam Varro decem fuisse autumat, quarum insigne virginitas est, et virginitatis pretium divinatio. » Item in eodem : « Diodorus Socraticus quinque filias dialecticas insignis pudicitiæ habuisse narratur, de quibus Philo Carneadis magister plenissimam scribit historiam. » Quod si etiam post philosophos aut litteratas feminas, ad sæculares vel laicos venire delectat, nec de talibus exempla deerunt, quæ nos ad pudicitiam invitent, tam de innuptis quam de nuptis. Unde Hieronymus in primo quoque *Contra Jovinianum* libro, talium quoque laudem prosecutus ait : « Demotionis Areopagitarum principis virgo filia, audito sponsi Leosthenis interitu, se interfecit, asserens, quamquam intacta esset corpore, tamen si alterum accipere cogeretur, quasi secundum acciperet, cum priori mente nupsisset. » Item : « Quis valeat, inquit, silentio præterire VII Milesias virgines, quæ Gallorum impetu cuncta vastante, ne quid indecenter sustinerent, mortem sumserunt, exemplum sui cunctis virginibus relinquentes, honestis mentibus majus pudicitiam esse quam vitam [1]. Nichanor victis Thebis atque subversis, unius captivæ virginis amore superatus est, cujus conjugium expetens, quod captiva optare debuerat, sentit pudicis mentibus plus virginitatem esse quam regnum. Interfectam propria manu flens ac lugens amator tenuit. Narrant scriptores Græci et aliam Thebanam virginem, quam hostis Macedo corruperat, dissimulasse paulisper dolorem, et violatorem virginitatis suæ jugulasse postea dormientem, seque interfecisse cum gaudio, ut nec vivere voluerit post perditam castitatem, nec ante mori, quam sui ultrix existeret. » Quantum autem virtutem pudicitiæ Deus approbet, manifestis miraculis, in talibus quoque virginibus declarare non est dedignatus. Unde inter cetera idem Hieronymi liber ita continet : « Claudia virgo Vestalis cum in suspicionem venisset stupri, fertur cingulo duxisse ratem, quam hominum millia trahere nequiverant. » Ad hoc et illud Sidonii pertinet in *Propenticon* ad libellum suum ita loquentis :

Qualis nec Tanaquil fuit, nec illa
Quam tu Tricipitine procreasti,
Qualis nec Phrygiæ dicata Vestæ,
Quæ contra satis Albulam tumentem
Duxit virgineo ratem capillo.

[1] Ap. Hieron., *magis pudicitiam curæ esse quam vitam.*

Si autem post virginalem castimoniam ad conjugalem transmigrare juvet, quantaque reverentia, quam integro amore fidem conjugii illæsam servare et Gentes studerint, nec in his exemplorum copia defuerit. Præstat in exemplo illa Lucretia, quam omnes fere Romani tam poetæ quam historiographi dignis laudibus pro castitatis amore conati sunt efferre. Unde est illud Valerii Maximi[1], « Lucretia a Tarquinio per vim stuprum pati coacta, cum injuriam suam coram amicis suis deplorasset, ferro se quod veste tectum attulerat interemit. » Item[2]: « Plautius, Orestillæ uxoris suæ morte audita, stricto ferro incubuit, ejusque amore se interfecit. » Item idem[3] : « Portia Catonis filia cum apud Philippos interemtum virum suum Brutum audisset, quia ferrum deerat, ardentes ore carbones haurire non dubitavit, novo genere mortis assumto. » Et item[4] : « Hypsicratea Mithridatem conjugem suum vere amavit, propter quem formæ suæ decorem in habitum virilem convertit. Tonsis enim capillis, equo se et armis assuevit, quo facilius ejus laboribus interesset. » Quis itaque non attendat quantum in omni gente semper Deo accepta fuerit carnis integritas et continentia vitæ, cum, beato etiam attestante Hieronymo, supra dictæ VIII Sybillæ ex virginitatis suæ decore spiritum meruerunt prophetiæ, qui et Claudiam vestalem virginem a suspicionis labe protegens admirabilis signi miraculo non tacuit. Et quid mirum, cum hoc illi continentia vitæ contulerit, si magna apud Deum promeruerit tanta philosophorum abstinentia et continentia, cum hæc tanto laudabiliora in eis videntur, et majori reputanda merito, quanto minus ad hæc aliorum prædicatione vel exemplis incitati sunt, sed propria ratione et naturalis legis instructione commoti. Sicut enim constat nos tam naturali quam scripta lege utriusque testamenti, et tot vel ipsius Domini vel sanctorum patrum exemplis instructos, tanto deterius delinquere quanto inexcusabilius : ita e contrario tanto eorum venialiora erant mala et laudabiliora videbantur bona, unde et Dominus Job gentilem non immerito ceteris, qui tunc temporis erant, fidelibus prætulit, dicens[5]: « Quod non sit ei similis in terra, homo simplex, et rectus, et timens Deum, et recedens a malo, » quamvis multi etiam de filiis Abrahæ tunc superessent, cum hic post legem etiam datam in tempore Israelitarum judicum, ut beatus asserit Gregorius, fuisse signetur. Hinc est et illa Hieronymi commendatio in laudem Titi imperatoris, et confusionem nostram, super epistolam *ad Galatas* : « Titus, inquit, filius Vespasiani, qui in ultionem Dominici sanguinis, subversis Jerosolymis, Romam victor ingressus est, tantæ dicitur fuisse bonitatis, ut cum quadam nocte sero recordaretur in cœna quod nihil boni in die illa fecisset, dixerit : Amici, hodie diem perdidi. Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta,

[1] Val. Max., lib. VI, cap. I. — [2] *Ibid.*, lib. IV, cap. XVI. — [3] *Ibid.* — [4] *Ibid.* — [5] Job., cap. I, v. 8.

tempus, ætates, cum otiosum verbum loquimur, pro quo rationem reddituri sumus in die judicii.[a] Quod si hæc ille sine lege, sine evangelio, sine apostolorum doctrina naturaliter et dixit et fecit; quid nos oportet facere, in quorum condemnationem habet et Juno univiras, et Vesta univirgines, et alia idola continentes? » Legerat, ni fallor, prædictus sanctus illud Suetonii [1], vel consimile, de excellentia supra nominati principis : « Titus amor et deliciæ generis humani, id obstinatissime tenuit, ne quemquam ad se accedentem postulandi gratia sine spe dimitteret. Quin etiam admonentibus domesticis quod plura polliceretur, quam præstare posset, non oportere ait quemquam a sermone principis tristem discedere. Idem recordatus super cœnam quod nihil tota die cuiquam præstitisset, dixit : Amici, diem perdidi. Idem febrim nactus qua et mortuus, cum lectica veheretur, suspexisse dicitur cœlum, multumque conquestus est eripi sibi vitam immerenti. Neque enim extare ullum suum factum, quod sibi esset pœnitendum, excepto dumtaxat uno ; id quale fuerit, nec ipse tunc prodidit, neque cuiquam notum fuit. » De cujus etiam patre Vespasiano quam mirabile sit illud quod in eodem Suetonius præmittit, et quam accepta Deo opera ejus ipsa miraculorum dona testentur, quis non intelligat? Sic nempe scriptum est[2] : Vespasianum necdum imperatorem quidam e plebe luminibus orbatus, item alius debilis crure, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam a Serapide per quietem; restituturum oculos, si inspuisset; confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Orantibus amicis, licet invitus utrumque tentavit, nec defuit eventus. » Quod si etiam consideremus quantum talibus hominibus etiam in infidelitate sua mortuis vel sine sacramentorum gratia defunctis ante actæ vitæ opera profuerint, nec de hoc nobis testimonia deerunt. Legat quislibet capitulum XLIII libri II vitæ B. Gregorii[3], et inveniet quantum justitia Trajani, gentilis imperatoris, tam Deo ipsi, quam prædicto sancto acceptabilis extiterit,

[a] Augustinus de Civitate libro XXII[4] : « Jam si ad eorum miracula veniamus, quæ facta a diis suis opponunt martyribus nostris ; nonne etiam ipsa pro nobis facere, et nobis reperientur omnino proficere? Nam inter magna miracula deorum suorum, profecto magnum illud est, quod Varro commemorat Vestalem virginem, cum periclitaretur falsa suspicione de stupro, cribrum implesse aqua de Tiberi, et ad suos judices nulla ejus parte stillante portasse. Quis aquæ pondus tenuit tot cavernis patentibus[5]? Itane Deus omnipotens terreno corpori grave pondus auferre non poterit, ut in eodem elemento habitet vivificatum corpus, in quo voluerit vivificans spiritus?

[1] Suetonius, 8. — [2] *Ibid.* — [3] Joan. Diac. in Vit. S. Gregor., lib. II, cap. XLV. — [4] Aug. *de Civit. Dei*, lib. XXII, cap. XI. — [5] Ap. Aug. *Quis aquæ pondus supra cribrum tenuit? quis tot cavernis patentibus, nil inde in terram cadere permisit?*

cum prædictus sanctus ejus animam, qui post Evangelii quoque traditionem sine fide et gratia baptismatis defunctus fuerat, a pænalibus locis et inferni cruciatibus, precum instantia suarum, et abundantia lacrymarum, eruisse scribatur; compunctus quidem vehementissime super recordatione illius justitiæ prædicti imperatoris, quam in tanto arcto positus viduæ occurrenti fecerat. De qua ibidem videlicet scriptum est, quod dum quodam tempore Trajanus ad imminentis belli procinctum vehementissime festinaret, et viduæ cuidam proclamanti pro vindicta filii sui interfecti, si sanus reverteretur a prælio, vindictam per omnia se facturum responderet, vidua dixit : Si tu in prælio mortuus fueris, quis mihi præstabit? Trajanus respondit. Ille qui post me imperabit. Vidua dixit : Et quid tibi proderit, si alter mihi justitiam fecerit? Trajanus respondit : Utique nihil. Et vidua, nonne, inquit, tibi melius est, ut tu mihi justitiam facias, et tu pro hoc mercedem tuam recipias, quam alteri hanc transmittas? Tunc Trajanus ratione pietateque commotus, equo descendit, et peregit judicium. Hujus itaque justitiæ tam clementis et justi imperatoris clementissimus papa recordatus, et hoc plurimum attendens, quod pro æterna remuneratione id factum ab imperatore, ad S. Petri apostoli basilicam pervenire ausus dicitur, ibique tamdiu super errore tam clementissimi principis deflevisse, quo usque responsum sequenti nocte accepisset, se pro Trajano fuisse auditum, eruta quidem anima ejus de locis pœnalibus, quamvis, ut ibidem dicitur, non ideo credere cogamur, introductam eam fuisse in regnum cœlorum, ne forte verbis Veritatis præjudicemus, quibus dicitur[1] : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum. » Sed fortasse illud majori admiratione suscipitur, quod in *Consolatione* super morte Valentiniani imperatoris ad sorores ipsius beatus scripserit Ambrosius. Ubi quidem prædictus sanctus omnino astruere intelligitur, eum a se jam catechisatum, sed nondum baptizatum, ex ante actæ vitæ bonis operibus veniam impetrasse post mortem, et sortem electorum sine baptismi gratia percepisse, cum hoc non solum evangelio, verum et sanctis doctoribus adversari penitus videatur. Unde Augustinus *de Orthodoxa fide*[2] : « Baptizatis tantum iter esse salutis, nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credamus, excepto martyrio, ubi tota baptismi sacramenta complentur. » Hæc autem sunt illa Ambrosii verba in præfata epistola de morte Valentiniani ad sorores ipsius : « Audio vos dolere quod non accepit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, qui etiam dudum hoc voti habuit, ut cum in Italiam venisset initiaretur, et proxime baptizari se a me significavit; et ideo præteritis causis

[1] Joan., cap III, v. 5. — [2] Gennadius, *de Dogm. Eccl.*, cap. XLI, inter August. Opp., t. VIII, in App.

me accersendum putavit, non habet ergo gratiam quam desideravit? non habet quam poposcit? Et quia poposcit, accepit. Et ubi illud est, « justus « quacumque morte præventus fuerit, anima ejus in requie erit? » Solve igitur, pater sancte, munus servo tuo. » Item : « Non metuebat hominibus displicere, ut tibi soli placeret in Christo; qui habuit spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? Aut si, quia solemniter non sunt celebrata mysteria, hoc movet? Ergo nec martyres, si catechumeni fuerint, coronantur? Quod si suo abluuntur sanguine, et hunc tua pietas abluit, et voluntas. » Item : « Et huic adhuc intercessionem addisco, cui remunerationem præsumo; pio requiem ejus poscamus affectu. » Item : « Doleo in te, fili Gratiane, doleo etiam in te, fili Valentiniane; tu per me putabas eripi te periculis, tu me non solum ut parentem diligebas, sed ut redemtorem tui et liberatorem sperabas. Tu dicebas, Putasne videbo patrem meum? Speciosa de me voluntas tua, sed non efficax præsumtio. Hei mihi! vana spes in homine. Hei mihi! quid voluntatem tuam non ante cognovi? Domine, quia nemo habet quod alii plus deferat, quam quod sibi optat, non me ab illis separes post mortem, quos in hac vita carissimos sensi. Domine, peto ut ubi ego fuero et illi sint mecum. Te quæso, summe Deus, ut carissimos juvenes matura resurrectione suscites et resuscites, et in maturum hunc vitæ istius cursum matura resuscitatione compenses. » Quod si hi post evangelii traditionem, sine fide Jesu-Christi, vel gratia baptismi, tanta apud Deum ex ante actæ vitæ meritis obtinuerint, quid de philosophis ante adventum Christi, tam fide quam vita clarissimis, diffidere cogamur, ne indulgentiam sint assecuti, aut eorum vita et unius Dei cultus, quem ipsi tunc temporis præcipue habuerunt, et scribendo prædicaverunt, magna eis a Deo dona tam in hac quam in futura vita non acquisierit, et quæ necessaria saluti essent ostenderit, cum scriptum sit[1] : « Intellectus bonus omnibus facientibus eum, » et tanta sit divinæ gratia misericordiæ, ut invitis quoque sua præstet beneficia?

Quod si post vitam philosophorum nobis ad nostræ confusionem impudentiæ a sanctis patribus propositam, de eorum doctrina discutere libet, intelligemus tam testimoniis sanctorum quam manifesta ratione, quam sit ea quoque sacris litteris necessaria, non solum in his quæ ad documenta morum attinent, seu ad sacræ fidei testimonia, verum ad omnia quæstionum genera rationibus terminanda, sive allegoriarum quoque mysteria discutienda, quas frequenter in naturis numerorum investigamus. Unde nobis præcipue tam dialecticam quam arithmeticam beatus commemorat Augustinus, qui ideo in

[1] *Psalm.* cx, v. 10.

secundo libro *de Ordine* dialecticam commendare ausus est, ut eam solam esse scientiam profiteri videatur, cum eam solam posse facere scientes dicat. « Disciplinam, inquit, disciplinarum, quam dialecticam vocant. Hæc docet docere, hæc docet discere. In hac seipsam ratio demonstrat atque aperit, quæ sit, quid velit. Scit scire, sola scientes facere non solum vult, sed et potest. » Idem in secundo *de Doctrina christiana* cum inter omnes artes præcipue dialecticam et arithmeticam sacræ paginæ necessarias esse profiteretur, illam quidem ad dissolvendas quæstiones, hanc ad allegoriarum mysteria discutienda, quæ frequenter in naturis numerorum investigamus, tanto amplius dialecticam extulit, quanto amplius necessariam eam assignavit ad omnes videlicet quæstionum dubitationes terminandas. Ait autem sic[1] : « Restant ea quæ non ad corporis sensus, sed ad rationem pertinent, ubi disciplina regnat disputationis et numeri. Sed disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in sanctis litteris sunt penetranda, plurimum valet : tantum ibi cavenda est libido rixandi, et puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium. Sunt enim multa quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, et plerumque ita veras imitantes, ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus attentos decipiant. Quod genus captiosarum conclusionum Scriptura quantum existimo detestatur illo loco, ubi dictum est[2] : « Qui sophistice loquitur, odibilis est. » Qui rursus in eodem cum in ipsis philosophorum dictis magnam morum ædificationem, et nonnullam de fide et cultu unius Dei doctrinam consideraret, adjecit atque ait : « Philosophi qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostræ accommodata dixerint, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt ; sed etiam ab eis tamquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Sicut enim Ægyptus non tantum idola habebat quæ populus Israel detestaretur, sed etiam vasa atque ornamenta de auro et argento et vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto sibi potius, tamquam ad usum meliorem, clanculo vindicavit præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus ea quibus non bene utebantur : sic doctrinæ omnes gentilium, et liberales disciplinæ usui veritatis aptiores etiam morum quædam præcepta continent, deque ipso Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos. » Item in eodem de philosophis : « Dederunt aurum et argentum et vestem suam exeunti de Ægypto populo Dei, nescientes quemadmodum illa quæ dabant in Christi obsequium redderentur. » Noverat itaque ille ecclesiasticorum maximus doctor, et a philosophia olim gentili ad veram quæ Christus est sophiam conversus, quæ in philosophicis de Deo legerat scriptis, et quam indignum esset philosophicas

[1] Lib. II, cap. XXXI. — [2] *Eccli.*, cap. XXXVII, v. 23.

quoque disciplinas, quæ inter maxima dona Dei semper in terris effloruerunt, auctorem suum atque omnium non agnoscere, et ei quoque cui obtemperant omnia, non deservire. Attendebat et illud quod in *Ecclesiastico* scriptum est[1]: « Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conservabit, et in versutias parabolarum simul introibit, occulta proverbiorum exquiret, et in absconditis parabolarum conversabitur. » Juxta quod et Salomon, beato, ut supra meminimus, attestante Hieronymo, in ipso statim *Proverbiorum* exordio commonet, ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas et obscurum sermonem, dicta sapientium, et ænigmata; quippe, inquit Hieronymus, dialecticorum et philosophorum sunt; unde et a sanctis postmodum patribus non incongrue liberalium artium studia, tamquam sacræ paginæ admodum necessaria, plurimum commendantur, cum omnino poetica figmenta christianis interdicantur, non solum quia falsitate referta sunt, et « os quod mentitur occidit animam[2], » verum etiam, quia inanium fabularum cogitationibus ad desideria turpitudinum quæ fingunt, alliciunt animum, atque a sacræ lectionis meditatione nos abducunt. De utrisque autem in promtu sunt nobis sanctorum testimonia. Synodus Eugenii papæ tempore Ludovici : « De quibusdam, inquit, locis ad nos refertur non magistros, neque curam inveniri pro studio litterarum. Idcirco universis episcopis, subjectisque plebibus, et aliis locis, in quibus necessitas occurrerit, omnino cura et diligentia habeatur, ut magistri et doctores constituantur, qui studia litterarum liberaliumque artium habentes dogmata doceant : quia in his maxime divina manifestantur atque declarantur mandata. » De poeticis autem figmentis, quos nonnulli libros Grammaticæ vocare consueverunt, eo quod parvuli ad eruditionem grammaticæ locutionis eos legere soliti sunt, talia sanctorum sanxit auctoritas. Hieronymus *ad Damasum* papam de Filio prodigo[3] : « Dæmonum cibus est carmina poetarum, sæcularium sapientia, rhetoricorum pompa verborum. » Et post aliqua : « Absit, inquit, ut de ore christiani sonet Jupiter omnipotens : et me Hercle, et me Castor, et cetera magis portenta quam numina. Ac nunc etiam sacerdotes Dei, omissis evangeliis et prophetis, videmus comœdias legere, amatoria Bucolicorum versuum verba cantare, tenere Virgilium, et id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluntatis. » Idem super epistolam *ad Ephesios* : « Educate, ait Apostolus[4], filios in disciplina et correctione Domini. » Legant episcopi atque presbyteri, qui filios suos sæcularibus litteris erudiunt et faciunt comœdias legere, et amorum scripta turpia cantare, de ecclesiasticis forsitan

[1] *Eccli.*, cap. XXXIX, v. 1. — [2] *Sap.*, cap. I, v. 11. — [3] *Opp.* t. IV, p. 1, col. 153. — [4] *Ephes.*, cap. VI, v. 4.

sumtibus eruditos, et quod in corbonam pro peccato quilibet pauper totam substantiam effundens obtulerat, hoc in Saturnalium sportulam et Minervæ, aut in sumtus domesticos, aut in sordida scorta converti. » Idem in epistola *ad Eustochium* virginem[1] : « Quæ communicatio lucis ad tenebras? Quis consensus Christi ad Belial? Quid facit cum psalterio Horatius, cum Evangelio Maro, cum Apostolo Cicero? » Qui etiam statim in eadem epistola se propter lectionem Platonis seu aliorum philosophorum quibus intendebat, cum ei sermo propheticus incultus horreret, raptum in spiritu fuisse ante tribunal districti judicis asserit, ubi interrogatus conditionem suam, christianum se esse respondit. Cui ille qui præsidebat, Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus; « ubi enim fuerit thesaurus tuus, illic et cor tuum[2]. » Qui denique post multa verba, prece assistentium sanctorum, et quasi sub obtestatione sacramenti, quod numquam amplius sæculares libros legeret, vix impetrare potuit indulgentiam per quam evaderet. Unde et Rabanus *de Pressuris Ecclesiasticis* parte secunda. « Legimus, inquit, de B. Hieronymo, quoniam cum librum legeret Ciceronis ab Angelo correptus est, eo quod christianus vir paganorum intenderet figmentis. » Isidorus *Sententiarum* libro III, cap. XIII[3]: « Ideo prohibetur christianus legere figmenta poetarum, quia per oblectamenta inanium fabularum mentem excitat ad incitamenta libidinum. Non enim solum thura offerendo dæmonibus immolatur; sed etiam eorum dicta libentius capiendo. » Item : « Cavendi sunt libri gentilium, et propter amorem sanctarum scripturarum vitandi. Simplicioribus litteris non est præponendus succus grammaticæ artis; meliores enim sunt grammatici quam hæretici. Grammaticorum doctrina potest etiam proficere ad vitam, dum fuerit in meliores usus assumta. » Ex concilio IV Cartaginensi cap. IX : « Episcopus gentilium libros non legat, hæreticorum autem pro necessitate et tempore. » Gregorius Desiderio episcopo[4] : « Pervenit ad nos fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere; quam rem ita moleste suscepimus, ac sumus vehementer aspernati, ut ea quæ prius dicta fuerant in gemitum et tristitiam verteremus : quia uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt : et quam grave nefandumque sit episcopum canere quæ nec laico religioso conveniant, ipse considera. » Unde et Plato ipse cum civitatis recte ordinandæ traderet institutionem, poetas a civitatibus ejiciendos esse decrevit, sicut in II *de Civitate Dei* beatus Augustinus his verbis commemorat[5] : « An forte, inquit, Platoni potius palma danda est, qui cum ratione formaret qualis esse civitas debeat,

[1] *Opp.* t. IV, p. 1, col. 42; *Corinth.* II, cap. VI, v. 14. — [2] Matth., cap. VI, v. 21. — [3] *Opp.* t. VI, p. 295. — [4] Epist., lib. XI, ep. 54. — [5] Lib. II, cap. XIV.

tamquam adversarios civitatis poetas censuit urbe pellendos? » Item post aliqua : « Qui scilicet Plato poetas ipsos vel pro arbitrio mentientes, vel hominibus miseris quasi deorum facta pessima imitanda proponentes, omnino in civitate bene instituta vivere noluit. » Ac si aperte factis etiam ipsis illud jam prædicaret[1], « Os quod mentitur occidit animam. » At fortasse inquies non solum poetarum, verum etiam liberalium artium lectiones christianis interdicendas, cum B. Hieronymus in epistola *ad Eustochium*, se graviter correctum, et verberatum a Domino, pro lectione philosophicorum scriptorum asserat. Ac jam profecto nec grammaticam a christiano legi conveniet, sine documentis cujus nec divina intelligi pagina potest, nec scriptura aliqua, sic nec rhetoricam, quæ omnis eloquentiæ tradit ornamenta, quibus maxime sacra Scriptura referta est, nec ejus decor nisi his diligenter assignatis, elucere poterit. Quare ergo, inquies, propter Ciceronis libros prædictus doctor tam graviter correctus et flagellatus est, ut sub obtestatione sacramenti cogeretur omnino sæcularium librorum lectioni abrenuntiare? Profecto quia non pro utilitate aliqua, sed pro oblectatione eloquentiæ illis intendebat, neglecto sacræ Scripturæ studio, cujus, ut ipsemet ait, incultus ei sermo horrebat. Ego autem nullius artis lectionem cuicumque religioso interdicendam arbitror, nisi forte per hoc major aliqua ejus utilitas præpediatur, sicut et in ceteris bonis faciendum scimus, ut videlicet minora pro majoribus quandoque intermittantur, vel penitus omittantur. Quippe cum nulla est in doctrina falsitas, nulla in verbis turpitudo, nonnulla de scientia utilitas, quis hæc discendo aut docendo culpari mereatur, nisi causa intervenerit supraposita, potiori videlicet bono neglecto aut dimisso? Nemo etenim scientiam aliquam recte malam esse dixerit. Quod quidem in quantam nostri condemnationem et confusionem factum sit, quis discretus non animadvertat, quibus non solum illud dicitur, quod « os quod mentitur occidit animam, » verum de omni verbo otioso districta exigitur ratio. Si juvat christianum legere ad eruditionem locutionum vel sententiarum, numquid hoc plene efficere non potest, nisi poeticis studendo figmentis et inanibus fabulis? Quæ sunt genera locutionum, qui ornatus verborum, quæ sacra pagina non habeat, maxime parabolarum et allegoriarum ænigmatibus referta, et ubique fere mysticis redundans involucris? Quæ sunt urbanitates locutionum, quæ mater linguarum Hebraica non docuerit, præsertim cum Palæstinæ terræ etiam plebem parabolis assuetam non lateat, ut his quoque Dominum Jesum loqui eis oporteret, cum evangelium prædicaret? Quæ deesse fercula possunt spirituali Domini mensæ, id est sacræ Scripturæ, in qua juxta Gregorium, et

[1] *Sap.*, cap. I, v. 11.

elephans natat, et agnus ambulat? Cujus quidem intelligentia ita omnium alimentorum et deliciarum copiis exuberat, ut sola ipsa triplici expositione perfectionem teneat doctrinæ, in qua quislibet et dictaminis suavitatem, multo amplius atque facilius, quam apud poetas addisceret, et simul morum honestatem, et ædificationem animæ plene perciperet. Quis enim, non dico poetarum, verum etiam philosophorum maturitate dictaminis beatum Hieronymum, quis in suavitate beatum Gregorium, quis in subtilitate beatum æquiparet Augustinum? In illo quidem Ciceronis eloquentiam, in istis Boetii suavitatem et Aristotelis invenies subtilitatem; et, ni fallor, multo amplius, si singulorum conferas scripta. Quid de eloquentia Cypriani sive Origenis et aliorum innumerabilium ecclesiasticorum doctorum, tam Græcorum quam Latinorum, in omnibus liberalium artium studiis eruditissimorum? Cyprianum in dictamine omnes transcendisse gentiles, ipsorum quoque gentilium judicio, beatus asserit Augustinus. Ubi quædam dicta cujusdam epistolæ Cypriani inducta sunt a Christianis in ipsum certaminis conflictum inter christianos et gentiles habitum, qui de eorum doctoribus in dictando prævaluissent. Sunt autem hæc illa Cypriani verba dicentis quodam loco : « Petamus hanc sedem : dant secessum vicina secreta, ubi dum erratici palmitum lapsus pendulis nexibus per arundines bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt. » De quo quidem verborum istorum ornatu, beatus Augustinus in quarto *de Doctrina christiana* meminit, dicens[1] : « Exigua et fragilia bona spumeo verborum ambitu ornantur. Est tale aliquid in epistola Cypriani. Ait ergo quodam loco : Petamus hanc sedem, etc. » Quod si in brevi assequi juvat christianos lectores tam genera constructionum quam ornatus verborum, plene id percipient ex ipsis artibus, quæ ista ex integro et aperte tradunt, grammatica scilicet, dialectica, rhetorica : nec opus est diu detineri in fabulosis poetarum, ut hæc colligant, quæ ibi aut raro, aut obscure, aut imperfecte notantur. Unde nec Tullius in *Rhetorica* cum de elocutione plene instrueret, poeticis uti voluit exemplis, sed propriis, in quibus plenius, ut ipsemet ait, ars emineret. Quid ergo episcopi et religionis christianæ doctores poetas a civitate Dei non arcent, quos a civitate sæculi Plato inhibuit? Immo quid in solemnibus magnarum festivitatum diebus, quæ penitus in laudibus Dei expendi debent, joculatores, saltatores, incantatores, cantatores turpium acciunt ad mensam, totam diem et noctem cum illis feriant, atque sabbatizant, magnis postmodum eos remunerant præmiis, quæ de ecclesiasticis rapiunt beneficiis, de oblationibus pauperum, ut immolent certe dæmoniis? Quid enim sunt tales histriones, nisi præcones, et ut ita dicam, apostoli dæ-

[1] August. *de Doct. Christ.*, lib. IV, cap. XIV.

monum, per quorum ora vel gestus prædari miseras non cessant animas? Gravat profecto et tædet auditores quod in ecclesia Dei dicitur; molestum est illis qui offerunt Christi altaribus; nec in ipsis missarum solenniis, ad unius horæ spatium, linguam a vaniloquiis cohibere possunt. Totus flagrat et anhelat animus foras ad curiam dæmonum et conventus histrionum, ubi sunt in oblationibus prodigi, et cum summo silentio et toto desiderio attenti illi, ut dictum est, diabolicæ prædicationi. Parum fortassis et hoc diabolus reputat quod extra sacra loca basilicarum gerunt, nisi etiam scenicas turpitudines in ecclesiam Dei introducat. Proh dolor! audet hoc; et proh pudor! perficit, atque ante ipsa Christi altaria, omnibus jam ubique introductis turpitudinibus, per solemnitatum conventus templa dedicantur dæmonibus, et sub religionis et orationis obtentu, ad explendam libere lasciviam omnibus undique tam viris quam feminis convenientibus, Veneris celebrantur vigiliæ.

LIBER III.

Cum omnis controversiæ discussio aut in scripto aut in ratione versetur, ut eisdem terminetur, si hujusmodi est quæ finem accipiat, primo nobis necessarium duximus ex scriptis præcellentium sapientium ad nostræ fidei firmamentum auctoritates conferre; deinde ipsas etiam auctoritates ad nostræ perfectionem disputationis superest rationibus fulcire : in his quidem in quibus non irrationabiliter videntur oppugnari, ne forte illud comici poetæ nobis improperetur : Huic opus est patrono, quem mihi paro defensorem. Beatus quoque Augustinus capite II libri *de Moribus Ecclesiæ* contra Manichæos auctoritatem rationi præmittendam censet, dicens : « Naturæ quidem ordo ita se habet, ut cum aliquid dicimus, rationem præcedat auctoritas. Nam et infirma ratio videri non potest, quæ cum reddita fuerit, auctoritatem postea per quam firmetur assumit. » Restat itaque nunc nobis post auctoritatum fundamentum fulcimenta superinducere rationum, maxime ideo ne verbositas inimicorum Christi nostræ insultet simplicitati. Qui cum aliquos idiotas aut minus eruditos christianos inductionum suarum laqueis præpedierint, summæ id sibi gloriæ adscribunt : quibus quidem non sufficit ut soli moriantur, nisi etiam alios suis consepeliant erroribus, illo videlicet Judæorum more, quo eos Veritas dicit[1], « mare et aridam circuire, ut unum faciant proselytum. »

Omnium autem bonorum quasi fundamentum sanctæ Trinitatis fidem ponimus, ut ab ipsa divinæ naturæ cogitatione omnium bonorum ducatur exordium. Quisquis itaque hoc fundamentum labefactare poterit, nihil fructuosum de his etiam [quæ] superædificanda sunt relinquit. Unde et nos primum huic tanto periculo tam auctoritatum, quam rationum clypeum opponere curavimus, in eo quidem confisi qui suos confortat, dicens[2] : « Cum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. » Cujus quidem fretus auxilio parvulus David immensum et tumidum Goliam proprio ipsius Goliæ gladio jugulavit. Et nos ergo ipso humanarum gladio rationum, quibus nos tam philosophi quam hæretici impetunt[3], in eos converso robore eorum. Multi namque jam clamant magni Anti-

[1] Matth., cap. XXIII, v. 15. — [2] Matth., cap. X, v. 19. — [3] Hic deesse videtur aliquod verbum, *accingamur* aut *utamur*.

christi præcones, per quos hostis humani generis fidem omnium bonorum fundamentum labefactare conatur. Talium ora quondam miraculis obtrusa sunt, cum illi verbis, sancti vero patres dimicarent factis. Præterierunt miracula, crevit malitia; fallacia membra sua adversus veritatem jam effrenis armat, atque unum jam superest, ut qui non possumus factis, pugnemus verbis, in ipsa confisi veritate quæ confortat, dicens[1] : « Ponite in cordibus vestris non præmeditare quomodo respondeatis; ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri. »

Supra universos autem inimicos Christi tam hæreticos quam Judæos, sive Gentiles, subtilius fidem sanctæ Trinitatis perquirunt, et acutius arguendo contendunt professores dialecticæ, seu importunitas sophistarum, quos verborum agmine atque sermonum inundatione beatos esse Plato irridendo judicat. Hi argumentorum exercitio confisi quid murmurarint scimus, ubi facultas aperte garriendi[2] non datur; hi, inquam, non utentes arte, sed abutentes. Neque enim scientiam dialecticæ, aut cujuslibet liberalis artis, sed fallaciam sophisticæ condemnamus, præsertim cum SS. quoque Patrum judicio hæc ars maxime, ut supra meminimus, commendetur, et ceteris præferatur. Tenet itaque hæc philosophia, acutissimi gladii instar, quo tyrannus ad perniciem præceps utitur, ad defensionem ac pro intentione utentium sicut plurimum prodesse, ita et plurimum nocere potest. Scimus quidem a Peripateticis, quos nunc dialecticos appellamus, nonnullas et maximas hæreses tam Stoicorum quam Epicureorum rectis rationibus esse repressas, sicut est illa de qua contra Stoicos disputant et fortissimis astruunt argumentis, quod licet Deus ab æterno cuncta providerit, atque ipsius providentia omnino falli non possit, nec tamen ideo cuncta ex necessitate proveniunt, ut scilicet humani pereat libertas arbitrii. Alioquin, inquit princeps Peripateticorum Aristoteles in IX[3] *Perihermenias*, non oportebit consiliari neque negotiari. De libero autem arbitrio convenientius alibi disserendum nobis reservamus. Sed neque ullam scientiam malam esse concedimus, etiam illam quæ de malo est, quæ justo homini deesse non potest, non ut malum agat, sed ut a malo præcognito sibi provideat; quod nisi cognitum, teste Boetio, vitare non posset. Non est malum scire decipere vel adulterari, sed ista committere, quia ejus rei bona est cognitio, cujus pessima est actio; et nemo peccat cognoscendo peccatum, sed committendo. Si quæ autem scientia mala esset, utique et malum esset quædam cognoscere, nec jam absolvi a malitia Deus posset qui omnia novit. In ipso enim solo plenitudo est scientiarum, cujus donum omnis scientia. Scientia quippe est comprehensio veritatis rerum

[1] Luc., cap. XXI, v. 14. — [2] Legendum forte *eis datur*.

quæ sunt; atque eis cuncta veraciter discernit, cui ea quoque quæ non sunt quasi præsentia assistunt, unde et enumeratis donis Spiritus ejus, ipse Spiritus scientiæ esse dicitur. Sicut autem mali quoque scientia bona est, ad evitandum scilicet malum necessaria; ita potestatem etiam mali bonam esse constat, et ad promerendum necessariam. Si enim peccare non possemus, nihil non peccando promereremur, et ei qui liberum non habet arbitrium, nullum ex his quæ coactus agit debetur præmium. At vero e contra, ut ait propheta[1], « qui potuit transgredi et non est transgressus; facere mala, et non fecit : ideo stabilita sunt bona illius in Domino. » Ex his itaque liquidum est, nullam aut scientiam aut potestatem malam esse, quantumcumque sint mala exercitia ipsarum, cum et Deus omnem tribuat scientiam, et omnem ordinet potestatem. Qui etiam de potestate iniquissimi Pilati adversus se ait[2] : Non haberes in me potestatem, nisi datum tibi esset desuper. » Scientias itaque approbamus, sed fallaciis abutentium resistimus. Non enim, teste Tullio, mediocriter errant, qui ex vitio hominis scientiam culpant. Sic enim cum de reprehensione argumentationem in *Rhetorica* doceret, ait inter cætera : « Non ad id quod instituitur accommodabitur aliqua pars argumentationis, si res ex hominis vitio vituperabitur, ut si quis doctrinam ex alicujus docti vitiis reprehendat. » Nullos autem sacris litteris eruditos ignorare arbitror, plus in sacra doctrina spirituales viros, ex ipso scientiæ studio, quam ex religionis merito profecisse, et quo quisque sanctorum ante conversionem suam ampliorem sæcularium litterarum scientiam habuerat, post conversionem suam eum amplius in sancta eruditione valuisse. Paulus quippe apostolus, licet non major merito quam Petrus videatur; confessor Augustinus quam Martinus : tanto tamen uterque altero majorem in doctrina gratiam post conversionem habuit, quanto antea majore litterarum scientia pollebat. Ex quo præcipue sæcularium quoque litterarum studium divina dispensatione commendari arbitror, non solum per utilitatem quam continent, verum ne a donis ejus alienæ viderentur, si ad nullum eis commodum verteretur. Novimus tamen et ab Apostolo dictum quia[3] « scientia inflat, » id est superbiam generat. Sed ex hoc præcipue bona esse convincitur, quia in malum superbiæ conscium sui trahit. Sicut enim nonnulla sunt bona, quæ nonnisi ex malo proveniunt : ita nonnulla sunt mala quæ ex bono originem trahunt; pœnitentia quippe, seu correctionis satisfactio cum bonæ sint, ita malum factum comitantur, ut nonnisi ab eo nasci possint. E contrario superbia sive invidia cum sint pessimæ, nonnisi a bonis initium habent. Nemo quippe nisi ex bonis quæ se habere cognoscit, in superbiam extollitur, et nemo alteri

[1] Eccl., cap. XXXI, v. 10. — [2] Joan., cap. XIX, v. 11. — [3] *Corinth.* I, cap. VIII, v. 1.

nisi pro bonis ejus invidet. Unde et Lucifer ille qui mane oriebatur, tanto ad superbiendum pronior extitit, quanto ceteris angelicis spiritibus per sapientiæ vel scientiæ claritatem superior fuit : nec tamen ideo sapientiam vel scientiam de naturis rerum, quam a Deo acceperat, malam dici convenit, licet ille superbiendo male illa usus sit. Sic et cum quislibet de philosophia vel doctrina superbit, non ipsam culpare scientiam debemus, propter adjunctum vitium; sed unumquodque secundum se pensari convenit, ne forte indiscrete agentes propheticam illam maledictionem incurramus[1] : « Væ his qui dicunt bonum malum et malum bonum, ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem. » Hæc adversus illos dicta sufficiant, qui suæ imperitiæ solatium quærentes, cum nos aliqua de philosophicis documentis exempla vel similitudines inducere viderint, quibus planius quod volumus fiat, statim obstrepunt quasi sacræ fidei et divinis rationibus ipsæ naturæ rerum a Deo conditarum inimicæ viderentur, quarum videlicet naturarum maximam a Deo peritiam ipsi sunt a Deo philosophi consecuti : ut cum sancti doctores allegoriarum mysteria in ipsis animalium vel quarumlibet rerum naturis investigent, juxta ipsorum philosophorum dicta has assignent, dicentes quidem hanc hujus vel illius rei esse naturam, sicut physicæ scriptores tradiderunt. In tantum vero in ipsa factura sua delectatur Deus, ut frequenter ipsis rerum naturis quas creavit, se figurari magis quam verbis nostris quæ nos confiximus aut invenimus exprimi velit, et magis ipsa rerum similitudine, quam verborum nostrorum gaudeat proprietate, ut ad eloquentiæ venustatem ipsis rerum naturis juxta aliquam similitudinem pro verbis scriptura malit uti, quam propriæ locutionis integritatem sequi. Nemo itaque me culpare præsumat, si ad propositum nostrum ostendendum aliquas vel ex nobis vel ex philosophis similitudines induxero, quibus facilius aperire quod desidero possim. Scriptum quippe est : Fas est et ab hoste doceri, et cum intelligentiæ deservimus modis omnibus curandum est, ut quoad possumus facilius studeamus. Unde est illud B. Augustini consilium in IV *de Doctrina Christiana* ubi quidem christianæ doctrinæ modos exequitur ac docet[2] : « Non curante illo, inquit, qui docet, quanta eloquentia doceat, sed quanta evidentia. Diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, unde ait quidam, cum de genere tali elocutionis ageret, esse in eo quamdam diligentiam negligentem. » Item : « Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis? cum loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos, ut intelligant, loquimur. Qui ergo docet vitabit verba omnia quæ non docent. » Item : « Insignis indolis in verbis verum amare,

[1] Isai., cap. v, v. 20. — [2] Lib. IV, cap. x et sq.

non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est? »

At sicut erroneam penitusque irrationabilem esse talium reprehensionem non ambigimus; ita et eorum impietatem maximam profitemur, qui donum Dei maximum quod ex collatione scientiæ susceperunt, improbitate sua culpari faciunt atque vilescere, et immeritam atque innocentem artem in suæ culpæ trahunt participationem, quod quondam et de rhetorica contigisse in ipsa statim Tullius *Rhetorica* meminit, et nos quotidie modo de dialectica fieri non ignoramus. Quippe sicut illam malitiosorum oratorum solertia omnibus fere bonis hominibus odiosam fecerat, propter incommoda scilicet civitatibus per eam frequenter illata; ita et jam fere omnibus religiosis contemptibilem reddidit dialecticam impudentium scholarium ejus vita et garrulitas, sanctam Dei civitatem, quæ est Ecclesia, plurimum conturbantium; qui dum intolerabili verbositate gloriam sibi comparare nituntur, non sinit miseros animadvertere singularis eorum superbia, in quantam secum ignominiam ipsam de qua gloriantur artem dejiciant. Adversus impudentiam quorum et Tullius in secundo *Rhetoricæ* ad Herennium invectus ait, de causa scilicet ambigui scripti disserens hoc modo[1] : « Sunt qui arbitrentur ad hanc causam tractandam vehementer pertinere cognitionem amphibologiarum eam quæ a dialecticis profertur. Nos vero arbitramur non modo nullo adjumento esse, sed potius maximo impedimento. Omnes enim illi amphibologias aucupantur eas etiam quæ parte ex altera sententiam nullam possunt interpretari. Itaque et alieni sermonis molesti interpellatores, et scripti tum odiosi, tum obscuri interpretes sunt; et dum caute et expedite loqui volunt, infantissimi reperiuntur. Ita dum metuunt in dicendo ne quid ambiguum dicant, nomen suum pronunciare non possunt. Verum horum pueriles opiniones rectissimis rationibus, cum voles, refellemus. In præsentia hoc interdicere non alienum fuit, ut hujus infantiæ garrulam disciplinam contemneremus. » Sed nec ipse maximus eorum præceptor Aristoteles sophisticas ipsorum importunitates reticuit dicens in primo *Peri hermenias* : « Et quæcumque, inquit, cetera talium determinamus contra argumentorum sophisticas importunitates. » His et illa saluberrima tam apostoli Pauli, quam B. Ambrosii adhortatio consonat libro II *de Fide ad Gratianum imperatorem* sic continens[2] : « Scriptum est[3], « Cavete ne quis vos deprædetur per « philosophiam et inanem seductionem, secundum traditionem hominum et « secundum elementa hujus mundi, et non secundum Christum. » Omnem enim

[1] Cap. xi. — [2] Ambrosius, *de Fide*, lib. I, cap. v. — [3] *Colos.*, cap. II, v. 8.

vim venenorum suorum in dialecticis disputationibus constituunt, quæ philosophorum sententia definiuntur non astruendi vim habere, sed studium destruendi. Sed non in dialectica placuit Deo salvum facere populum suum; regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis. » Quam etiam B. Ambrosii sententiam in eadem adhortatione, *Responsiones* Adriani papæ contra objectiones quorumdam ad Carolum capite XLIX ita commemorant : « Omnem vim venenorum suorum in dialectica disputantes ponunt hæretici, quæ philosophorum sententia definitur, non astruendi vim habere, sed studium destruendi, etc. » Item[1]: « Aufer hinc argumenta ubi fides sequitur; etiam ipsis gymnasiis suis jam dialectica taceat. Non quæro quid loquantur philosophi, requiro quid faciant. Soli in suis gymnasiis remanserunt. Vide quam fides argumentis præponderet. Illi quotidie a suis consortibus deseruntur, qui copiose disputant : isti quotidie crescunt qui simpliciter credunt; non creditur philosophis, creditur piscatoribus; non creditur dialecticis, creditur publicanis. Illi voluptatibus et deliciis orbem ligarunt, isti jejuniis et doloribus exuerunt. Plures itaque jam cœpit illicere injuria, quam voluptas. » Item de Arianis : « Nonne ex philosophia omnem impietatis suæ traxerunt colorem? » Et Apostolus *ad Corinthios*[2] : « Si quis, inquit, contentiosus videtur esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. » Et *ad Timotheum* primam scribens epistolam, diligenter eum ad ultimum admonet, ut summopere inusitata verba quasi profana et falsæ scientiæ laqueos devitet, per quos a fide quosdam jam excidisse asserit dicens[3] : « O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et opponens falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. » Idem ad eumdem in secunda[4] : « Hæc commoneo, testificans coram Deo, noli verbis contendere, in nihil utile est, nisi ad subversionem audientium. Profana autem et vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit. » Item[5], « Juvenilia autem desideria fuge, sectare vero justitiam, fidem, caritatem, pacem cum his qui invocant Deum de corde puro. Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites. Servum autem Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt. » Unde et ab his quos obstinatos atque importunos viderimus circatores declinare nos Veritas admonet, dicens[6] : « Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent pedibus suis, et conversi disrumpant vos. » De illis autem,

[1] Ambros. de Fide, lib. X, cap. XIII. — [2] *Corinth.* I, cap. XI, v. 16. — [3] *Tim.* I, cap. VI, v. 20. — [4] *Tim.* II, cap. II, v. 14. — [5] *Ibid.*, v. 22. — [6] Matth., cap. VII, v. 6.

quos devotos ad inquisitionem veritatis percipiendæ viderimus, ut eis scilicet per rationes satisfacere studeamus, Petrus apostolus admonet dicens[1] : «Dominum autem Christum sanctificare parati, semper ad satisfaciendum omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide et spe. » Et coapostolus ejus Paulus[2] : « Sermo, inquit, vester in gratia conditus sit sale, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere. » Aliud quippe est conferendo veritatem inquirere, aliud disputando contendere ad ostentationem. Illud quippe devotionis est studium ad ædificationem; hoc elationis impetus ad gloriationem. Ibi scientiam quam non habemus percipere nitimur, hic eam ostentare quam nos habere confidimus. Quo enim est excellentius scientia bonum, facilius ad elationem trahit, juxta illud Apostoli[3], « Scientia inflat, caritas ædificat. » Unde et magnus ille apostata angelus, qui pro majori perspicacitate intelligendarum naturarum rerum ceteris a propheta prælatus est, et præ nimia scientiæ illuminatione Lucifero comparatus, dicente propheta[4] : « Tu Lucifer qui mane oriebaris, » etc., quanto majori præditum sapientia se conspexit, tanto facilius altiusque intumuit, et prostratus deterius ruit. Cujus, ni fallor, imaginem inter universos philosophos dialectici sibi hoc tempore vindicant, quasi magis egregiam adepti philosophiam, quia magis verbosam. Hi, inquam, tam Deo infesti quam hominibus ingrati, sicut scriptum est[5] : « Vir linguosus non dirigetur in terra, etc. » Et Boetius: « Si arrogans est, inquit, odiosus est. Ex arrogantia enim quisque fit odiosus. » Hæc quidem, omnis peccati initium, angelum primum, ut diximus, statim a Conditoris sui visione, hoc est a vera beatitudine expulit : quæ sicut illum apostatare fecit, ita et multos ei adhuc per hæresim acquirit. Non enim ignorantia hæreticum facit, sed superbia, ut si quis videlicet ex novitate aliqua nomen sibi comparare desiderans, aliquod inusitatum proferre gloriatur, quod adversus omnes importune defendere nititur, ut superior omnibus videatur, aut ne confutata sententia sua, inferior cæteris habeatur. Unde Augustinus in libro *de Utilitate credendi* hæreticum diligenter describens[6] : « Hæreticus [est], inquit, ut mea fert opinio, qui alicujus temporalis commodi, et maxime gloriæ principatusque sui gratia, falsas et novas opiniones vel gignit vel sequitur. » Idem in XVIII *de Civitate Dei*[7] : « Qui in Ecclesia aliquid pravum sapiunt, si correcti contumaciter resistunt, et sua pestifera dogmata emendare nolunt, sed et defendere persistunt, hæretici fiunt. » Item idem in epistola *ad Optatum*: « Si de anima, inquit, falsitatis assertio proferatur, et fallacitas mendacem, et falsitatis importuna defensio hæreticum facit. » Idem *super Genesim*[8] :

[1] Petr. I, cap. III, v. 15. — [2] *Coloss.*, cap. IV, v. 6. — [3] *Corinth.* I, cap. VIII, v. 1. — [4] Isa., cap. XIV, v. 12. — [5] *Psalm.* CXXXIX, v. 12. — [6] *De Utilitate credendi*, cap. I. — [7] Cap. LI. — [8] *De Genes. ad litt.*, lib. VII, cap. IX.

« Non ob aliud sunt hæretici, nisi quod scripturas canonicas non recte intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt. Ad quod tanto facilius professores dialecticæ pertrahi solent, quanto se amplius rationibus armatos esse autumant, et tanto securiores liberius quodlibet aut defendere, aut impugnare præsumunt, quorum tanta est arrogantia, ut nihil esse opinentur, quod eorum ratiunculis comprehendi aut edisseri nequeat, contemptisque universis auctoritatibus, solis sibi credere glorientur. Quod enim id solum recipiunt, quod eis ratio sua persuadet, profecto sibi solis acquiescunt, quasi eos habeant oculos, qui in nullis caligare noverint. Adversus quales illud Augustini dicitur super xxxix psalmum : « Nonne superbus inveniris, cum dicis : Primo videam et sic credam ?» Quibus, quod mirum est, ex scientia ignorantia generatur, ut contrarium vitium virtus pariat. Scientiam quippe superbia, superbiam cæcitas comitatur, cum quis videlicet donum maximum, quod a Deo recepit, sibi ascribit, et non recognoscendo dantem, amittit datum; et tanto postmodum deterior fit, quanto melior ante factus factori gratias agere contemsit. Justum quippe est, ut cui plus committitur, plus ab eo exigatur. Talium vero justam excæcationem, et sensus et vitæ reprobæ ignominiam Apostolus conspiciens ait[1] : « Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt : propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, etc. » Et Psalmista de hujusmodi contentiosis elatis, qui se quasi magistros et principes aliorum æstimant[2] : « Effusa est, inquit, contemtio super principes, et errare fecit eos in invio et non in via. » Hæreticus quippe, ut aiunt, electus interpretatur, eo videlicet quod nemo hæreticus fiat, nisi quem propriæ elationis æstimatio cæteris præferat, ut jam de communione aliorum videri erubescat. Unde Isidorus *Etymologiarum* libro IV, cap. III[3] : « Hæresis, inquit, græce ab electione vocatur, quod scilicet unusquisque sibi eligat quod melius sibi esse videtur. « Ac si diceret, non spiritum Dei, sed suum sequentes. Omnem autem elatum sicut impatientem, ita et contentiosum necesse est esse, cum quis ei quoquomodo resistere cœperit. Et hæc quidem ea est contentio, quæ, ut supra meminimus, hæreticos facit. Unde Gennadius *de Orthodoxa fide* ecclesiasticorum dogmatum, cap. VII ita dicit : « Quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticus, nisi in contentione hæreticus fiat. » Idem *de unico Baptismo* libro IV : « Justum, non hæreticum, dico, nisi manifesta sibi doctrina catholicæ fidei resistere maluerit, et illud quod tenebat elegerit. » De talibus quidem electis

[1] *Rom.*, cap. I, v. 21. — [2] *Psalm.* CVI, v. 40. — [3] Isidor. Etymol., lib. VIII, cap. III.

Psalmista commemorat dicens[1] : « Et non communicabo cum electis eorum. » Quam Apostolus quoque sententiam prosecutus scribens *ad Titum* ait[2] : « Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus. » Quippe qui seipsum magis ad contentionem præparat quam ad disciplinam ; et magis gloriam suam desiderat quam salutem, et se opportune contendere apud se recognoscit, proprio eum judicio ipsa ejus conscientia accusat. Hæc illi effrenes et indomiti circatores attendant, qui singulari superbiæ cornu erecti, in solum etiam conditorem irruentes, posuerunt in cœlum os suum, a fallaciis quorum simplicitatem fidelium protegi precatur qui ait[3] « Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam. » A quibus et summopere Apostolus cavendum admonet, hoc est a fallaciis ipsorum providendum dicens[4] : « Cavete ne quis vos decipiat per philosophiam inanem secundum elementa mundi, » ac si diceret : Providete ab argumentis eorum, qui de singulari et incorporea divinitatis natura ad similitudinem corporum ex elementis constantium ratione præsumunt, non tam pro percipienda veritate, quam pro philosophiæ suæ ostentatione : ideoque ad ejus notitiam minime assurgunt, qui superbis resistit semper, et humilibus dat gratiam. De talibus in *Proverbiis* scriptum est[5] : « Abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus. » Illusores ipse deludet, et mansuetis dat gratiam suam. Unde et Veritas ipsa[6] : « Confiteor tibi, inquit, Pater cœli et terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. » Et Apostolus[7], « Scriptum est, inquit : Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. » Item[8], « Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi ? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. » Et post aliqua[9] : « Videte, inquit, vocationem vestram, Fratres, quoniam non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes ; et infirma mundi elegit, ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia elegit, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus, ut, quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. » Unde et consilium de via disciplinæ per humilitatem arripienda in eadem adnectit epistola dicens[10] : « Nemo se seducat. Si quis autem videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stul-

[1] *Psalm.* CXL, v. 4. — [2] *Tit.*, cap. III, v. 10. — [3] *Psalm.* XXI, v. 22. — [4] *Coloss.*, cap. II, v. 8. — [5] *Prov.*, cap. III, v. 32. — [6] Matth., cap. II, v. 25. — [7] *Corinth.* I, cap. I. v. 19. — [8] *Ibid.*, v. 20. — [9] *Ibid.*, v. 26. — [10] *Corinth.* I, cap. III, v. 18.

titia est apud Deum. Scriptum est enim : Comprehendam sapientes in astutia eorum. » Et iterum[1]: « Dominus novit cogitationes hominum quia vanæ sunt. Itaque nemo glorietur in hominibus. » Et post pauca cum omnia bona divinæ tribueret gratiæ[2]: « Quid habes, inquit, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? » Et alibi[3] : « Noli altum sapere, sed time. » Qui etiam ea maxime, quæ ad notitiam Dei attinent, nonnisi eo revelante, percipi posse, quam soli mundicordes conspicere valent, valida similitudine convincit, dicens[4] : « Quis scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? » Ita et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Dei, præsertim cum nec minimum aliquid doceri quis valeat, nisi eo nos interius illuminante, qui nisi mentem instruat interius, frustra qui docet aerem verberat exterius. Quid enim cum alicujus doctoris verba æqualiter ad aures diversorum perferuntur, nec tamen æqualiter ab eis intelliguntur, nisi quod quibusdam præsto est interior magister, quibusdam minime, qui quos vult etiam sine sono docet? De hujus quidem magistri sapientia ipse *Sapientiæ* liber continet ita[5] : « Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum : quoniam invenitur ab his qui non tentant illum : apparet autem eis qui fidem habent in illum. Perversæ enim cogitationes separant a Deo : quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. » Et Apostolus[6], « Animalis, inquit, homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. » Sed juxta Psalmistam[7], « Intellectus bonus omnibus facientibus eum, » hoc est illis qui quod bene intelligunt, operatione implere satagunt, ut ex hoc aperte doceamur, plus per intelligentiam apud Deum ex religione vitæ, quam ex ingenii subtilitate proficere. Alioquin Dominus sibi plus humanum ingenium quam sanctitatem vitæ placere ostenderet. Quippe quod plus de Deo a nobis sentitur, plus a nobis diligitur, et cum profectu intelligentiæ caritatis accenditur flamma, licet hi qui simplices atque idiotæ nobis videntur, et ideo vehementer sint ferventes, nec tantum exprimere aut disserere queant, quantum eis intelligentiæ divina inspiratio confert. Hoc utinam et illi attenderent, qui imprudenter magisterii nomen in divina pagina sibi arrogant, cum vitam non emendent, et cum carnaliter et spurce vivant, specialem divinorum ænigmatum intelligentiam sibi revelatam, et cœlestia sibi arcana commissa esse mentiuntur, ac si se templum Spiritus sancti apertissime jactent. Quorum saltem impudentiam falsorum christianorum gentiles conterant philosophi, qui normam Dei non ratiocinando, sed magis bene vivendo acquiren-

[1] *Corinth.* I, cap. III, v. 20. — [2] *Ibid.*, cap. IV, v. 7. — [3] *Rom.*, cap. XI, v. 20. — [4] *Corinth.* I, cap. II, v. 11. — [5] *Sap.*, cap. I, v. 1. — [6] *Corinth.* I, cap. II, v. 14. — [7] *Psalm.* CX, v. 10.

dam censebant; et ad eam moribus potius quam verbis nitendum esse. Unde Socrates, ut jam præfati sumus, nolebat immundos terrenis cupiditatibus animos se in divina conari, quoniam quidem ab eis causas rerum videbat inquiri, quas nonnisi in Dei voluntate esse credebat, et ideo purgandæ bonis moribus vitæ censebat instandum. Cujus et ipse non immemor Augustinus sententiæ, libro primo *Super Genesim*, contra calumnias Manichæorum, ipsam quoque aliis explicavit verbis hoc modo[1] : « Qui dicit : Quare Deus fecit et terram? respondendum illi est : Quia voluit. Voluntas enim Dei causa est cœli et terræ, et ideo major quam cœlum et terra. Qui autem dicit : Quare voluit? majus aliquid quærit quam est voluntas Dei. Nihil autem majus inveniri potest. At si voluntatem Dei nosse quisque desiderat, fiat amicus Deo : quia si voluntatem hominis nosse vellet, cujus amicus non esset, omnes imprudentiam aut stultitiam deriderent. Non autem efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus, et illo fine præcepti, de quo dicit Apostolus[2] : « Finis autem præcepti est caritas de corde « puro et conscientia bona et fide non ficta : » quam isti si haberent, non essent hæretici. » Quantam etiam in Deum reverentiam Socrates habuerit, ut ei videlicet omnia nostra tribuerit atque adscripserit bona, maxime ea quæ ad percipiendæ veritatis attinent discretionem, ipsemet profitetur, cujus persona in *Timæo* Platonis introducta, ut supra quoque meminimus, omnem intelligentiam et rationem in omni veritate discutienda a Deo simplici obsecratione petendam censet : in tantum ut eos omnes pro furiosis et inexpiandis habeat, qui in omnibus recte agendis divinam non invocent opem. In quo aperte se nihil ex se posse, sed ex divinæ beneficio gratiæ protestatur. Audiant saltem philosophorum consilium hi qui se philosophos profitentur. Audiant magistros suos qui contemnunt sanctos, ut si videlicet cupiunt Deum intelligere, velint ad intelligendum se bene vivendo præparare, et viam humanitatis[3] arripere, qua sola ad celsitudinem illam intelligentiæ acceditur, numquam pervenitur quamdiu in hac mortali carne vivitur. « Corruptibile enim corpus aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem[4]. » Unde et Dominus Moysi quærenti faciem ejus videre respondit[5] : « Non videbit me homo et vivet. » Ipsa quippe visio divinitatis ipsa est futura beatitudo, de qua dicit Apostolus[6] : « Nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. » Et alibi[7] : « In quem desiderant angeli prospicere. » Sed et cum dictum est[8], « Tollatur impius, ne videat gloriam Dei ; » tale est ne videndo fruatur, quia videre frui est. Tanta est enim illius gloriæ beatitudo, ut nemo eam videre queat, qui

[1] *De Genesi* contra Manichæos, lib. I, cap. II. — [2] *Tim. I.* cap. I, v. 5. — [3] *Leg.* humilitatis. — [4] *Sap.*, cap. IX, v. 15. — [5] *Exod.*, cap. XXXIII, v. 20. — [6] *Corinth.* I, cap. XIII, v. 12. — [7] Petr. I, cap. I, v. 12. — [8] Isai., cap. XXVI, v. 10.

simul non sentiat. Unde et Psalmista[1], « Satiabor, inquit, cum apparuerit gloria tua. » Tunc quidem implebitur quod ipsa sapientia Dei promittit dicens[2] : « Si quis diligit me, diligetur a patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum. » Nisi enim se ipse Deus manifestet, nec tunc natura nostra eum videre sufficiet; nec nunc mortales omni spurcitia peccatorum pleni ratiunculis suis comprehendere incomprehensibilem nitantur, qui nec seipsos, nec quantulæcumque naturam creaturæ discernere ratione sufficiunt. Quod etiam maximus ille sapientium considerans in *Ecclesiaste* profitetur dicens[3] : « Cunctæ res difficiles, nec potest eas omnes homo explicare sermone. » Idem in eodem[4] : « Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Jerusalem; et proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. » Item[5] : « Et apposui cor meum, ut scirem sapientiam et intelligerem distensionem quæ versatur in terra, et intellexi quod omnium operum Dei nullam possit invenire homo rationem eorum quæ fiunt sub sole, et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniet, etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. Omnia hæc tentavi[6] in corde meo, ut curiose intelligerem. » Et item[7], « Cuncta tentavi in sapientia. Dixi, sapiens efficiar, et ipsa longius recessit a me, multo magis quantum erat et alta profunditas, quis inveniet eam? » Ac si aperte magnus ille Sapiens profiteatur se in omnibus rerum naturis investigandis et ratione discutiendis insufficientem atque imbecillem reperiri, qui prius ad hoc se sufficere arbitrabatur, et summa præditus sapientia videbatur. Consule etiam ipsam Sapientiam, et attende quid de hoc ipsa consulat; illam, inquam, quæ a quodam summo sapiente singularis et maxima prædicatur, ut magis divina quam humana videtur, ubi scilicet in libro *Sapientiæ* scriptum est, summo illo Sapiente ita dicente[8] : « Mihi dedit Deus dicere ex sententia, et præsumere digna horum quæ mihi dantur. Ipse enim dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, initium et consummationem et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, et consummationes ipsorum, anni cursus, et stellarum dispositiones, naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum. Et quæcumque sunt abscondita et improvisa didici. » Ecce quanta sit hæc sapientia, et quam longe omnem humanum exsuperet sensum. Sed attende quid in sequentibus et ipsa dicat[9] : « Cogitationes, inquit, mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena

[1] *Psalm.* XVI, v. 15. — [2] Joan., cap. XIV, v. 21. — [3] *Eccles.*, cap. I, v. 8. — [4] *Ibid.*, v. 12. — [5] *Eccles.*, cap. VIII, v. 16. — [6] In libro *Ecclesiastes* legitur *tractàvi*. — [7] *Eccles.*, cap. VII, v. 24. — [8] *Sap.*, cap. VII, v. 15.— [9] *Sap.*, cap. IX, v. 15.

inhabitatio sensum multa cogitantem, et difficile æstimabimus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt inveniemus cum labore. Quæ in cœlis sunt autem quis investigabit? » Ille, inquam, maximus ac studiosissimus naturæ indagator, cui incomparabiles opes, cui pacem ac sospitatem continuam, is quoque qui sapientiam ei largitus est contulit, ne qua forte necessitatis sollicitudo, ne qua periculorum instantia studium ejus præpediret. De hujus quidem sapientia ac studio liber tertius *Regum* sic continet[1] : « Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium et Ægyptiorum; et erat sapientior cunctis hominibus, et nominatus universis gentibus per circuitum. Locutus est quoque tria millia parabolas; et fuerunt carmina ejus quinque millia; et disputavit super ligna a cedro quæ est in Libano usque ad hysopum quæ egreditur de pariete, et disseruit de jumentis et volucribus, et reptilibus, et piscibus. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, et ab universis regionibus terræ. » De cujus etiam incomparabili divitiarum affluentia inter cætera eodem subscriptum est libro[2] : « Sed et universa vasa, de quibus potabat rex Salomon, erant argentea, et universa suppellex domus saltus Libani de auro purissimo. Non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis. » Item post pauca[3] : « Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta lapidum et cedrorum præbuit multitudinem, quasi sicomoros quæ nascuntur in campestribus. » Miræ quidem opes Salomonis, mira opera quæ construxit, sed mirabilior sapientia, quæ cum modico præesset regno, tantas congregavit. Quem etiam per exorcismos quos invenit, seu per quasdam naturæ rerum vires occultas quas cognovit, dæmonibus quoque ipsis certum est dominari. Sic in octavo *Judaïcæ Antiquitatis* libro Josephus narrat, et seipsum id visu probasse perhibet, abstracto videlicet dæmonio per nares cujusdam quem vexabat, immisso annulo ipsius naribus, cui suberat radix Salomonis. Cum itaque tantæ excellentia sapientiæ cunctas res adeo difficiles esse intelligat, ut explicari sermone nullatenus possint, quasi illud philosophicum et ipse clamet, « Latet omne verum, » perpende, quisquis es, quanta præsumtio sit de eo, quod cuncta transcendit humana, discutere ratione, nec aliter acquiescere velle, donec ea quæ dicuntur, aut ex sensu aut ratione humana sint manifesta, quod est penitus fidem et spem tollere, cum utramque de non apparentibus esse constet. Unde Ambrosius, « Si ratione convincor, fidem abnuo. » Et Apostolus[4], « Fides, inquit, est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. » Et alibi[5] : « Spes autem

[1] *Reg.* III, cap. IV, v. 30. — [2] *Reg.* III, cap. X, v. 21. — [3] *Ibid.*, v. 27. — [4] *Hebr.*, cap. XI, v. 1. — [5] *Rom.*, cap. VIII, v. 24.

quæ videtur, non est spes : quod enim videt quis, quomodo sperat? » Ex quo liquidum est, tales omnium hominum miserrimos esse, qui tam fide quam spe destituti, nec cum philosophis immortalitatem animæ credent, nec Deum remuneratorem bonorum expectabunt, toti sensuum experimentis dediti, sicut pecora, et cum pecoribus suam ponentes sortem, quæ cum carne penitus deficiunt, atque hic omnino moriuntur. Ad hæc quippe recipienda et credenda nec sensuum experimentis, nec humanis cogi rationibus poterunt, sed sola auctoritate sunt conducendi. Quod si ex auctoritate his acquiescunt, quibus tamen ratione satisfieri non potest, cur de Deo ista reprobant quæ tot testimoniis tantorum comprobata sunt sapientium? Scimus omnes in his quæ ratione discuti possunt, non esse necessarium auctoritatis judicium. Id quoque pro ratione satis esse debet, ut qui cuncta longe transcendit, per omnia humanæ discussionis atque intelligentiæ vires excedat, et quod capi non potest loco, humano non comprehendatur animo. Quæ etiam major indignatio fidelibus habenda esset, quam eum se habere Deum profiteri, quem ratiuncula humana possit comprehendere, aut mortalium lingua disserere? Hoc autem nec ipsos latuit philosophos, quorum maximus in *Timæo* suo ait : « Opificem genitoremque universitatis tam invenire difficile est, quam inventum impossibile est profari digne. » Qui etiam cum Noym ex Deo natam esse assereret, id explicare non præsumsit, quod inexplicabili modo esse cognovit atque professus est, sed tantum de ineffabili illa generatione dixit, quantum voluntas divina permisit. Qui etiam, teste Macrobio, quid sit Deus dicere non est ausus : hoc solum de eo sciens, quod sciri qualis sit ab hominibus non possit : qui nec ab ipsis spiritibus cœlestibus majori sapientia præditis plene cognoscitur. Unde Augustinus libro *Quæstionum veteris et novæ legis* : « Cherubim, inquit, et Seraphim non comprehendunt penitus quid Deus sit; quia nemo novit Patrem nisi Filius. » Hermes quoque cum de Filio Dei supra loqueretur adjunxit : « Cujus nomen non potest humano ore narrari. » Hinc est enim quod merito Deum appellabat ignotum, quasi qui a paucis vel summis sapientibus intelligeretur aut crederetur, nec in communem vulgi veniret opinionem : cui nec simulacrum, juxta Macrobium, ausi sunt constituere : quem etiam, juxta philosophos, soli mundi corde et purgati animi conspicere possunt : de quo et Lucanus ait[1] : « Incerti Judæa Dei, » hoc est absconditi atque ignoti : cujus quidem ignoti Dei aram magnus philosophus Dionysius Areopagita Paulo apostolo apud egregiam studiis civitatem Athenas legitur ostendisse[2]. Hæc quidem, ni fallor, illa est ara misericordiæ, cui a supplicibus non immolabatur, nisi illud Brachmanorum

[1] *Pharsal.*, lib. II, v. 593. — [2] *Act. Apost.*, cap. XVII, v. 23.

sacrificium, hoc est orationes et lacrymæ; cujus videlicet aræ et Statius in XII meminit, dicens[1] :

> Urbe fuit media nulli concessa potentum
> Ara Deum; mitis posuit Clementia sedem, etc.

Quid ad hæc responsuri sunt professores dialecticæ, si illud ratione conantur discutere, quod præcipui doctores eorum perhibent explicari non posse? Irridebunt doctores suos, quia inspiratam sibi a Deo veritatem non tacuerunt : quam tamen ipsimet edisseri non posse profitentur, et tanto id venerabilius habuerunt, quanto amplius ipsum omnem humanæ intelligentiæ exsuperat sensum. Non pudebat eos profiteri se multa audire vel etiam dicere, et vera profiteri, quæ non sufficerent disserere; qui etiam adeo obscuritate ænigmatum gaudebant, sicut supra meminimus, ut in his quoque quæ facile possent edisseri, litteræ velamen obducerent, ne scilicet nuda vel aperta veritas ex facilitate intelligentiæ contemneretur. Unde et Macrobius[2], in argumentum mysticarum locutionum philosophorum illud assumsit : quomodo Numenio philosopho irata per somnium apparuerint numina, ipsæque Eleusinæ deæ in habitu meretricio visæ sint ei ante lupanar consistere, et querentes ab ipso se adyto pudicitiæ per eum vi fuisse abstractas, eo videlicet quod de eis ille aperta sit interpretatus expositione, et non sicut alii de eis mystice et involute sit locutus. O utinam vel per somnium et isti, qui se philosophos profitentur, a præsumtione sua compescerentur, ut veri et summi numinis incomprehensibilem majestatem esse non negarent, nisi eam aperte discuti audirent[a]! Sed fortasse inquiunt, quid eam veritatem dici attinet ab aliquo, quam ipse non valet explicare, ut intelligi possit? Multum equidem respondeo. Cum enim auditur de Deo quod non intelligitur, excitat auditorem ad inquisitionem; quod nec fieret, nisi audiretur. Inquisitio vero facile intelligentiam parit, si devotio adsit. Cui se Deus revelare dignatur, et sæpe quod divina inspiratione dicitur, vel divina operatione geritur, non ad opus eorum fit, per quos agitur, sed ad commodum aliorum intenditur, sicut de miraculis supra meminimus. Aliis itaque dicendi

[a] Gregorius in *Pastorali*[3] : « Sunt nonnulli qui, dum æstimari hebetes nolunt, sæpe in quibusdam inquisitionibus plusquam necesse est se exercentes ex nimia subtilitate falluntur. » Unde hic quoque subditur. Vel « grandi vel torto naso. » Nasus enim grandis et tortus est discretionis subtilitas immoderata : quæ dum plus quam decet excreverit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit.

[1] *Thebaid.*, lib. XII, v. 481 et 482. — [2] *In Somn. Scipionis*, lib. I, cap. II. — [3] *Past.*, P. I, cap. XI.

gratia data est, aliis intelligendi reservatur, quousque opus sit secundum divinæ consilium providentiæ, et aliquorum sincera devotio tum orationibus, tum bonis operibus id promeruerit. Interim autem dum ratio latet, satisfaciat auctoritas, et ea notissima atque maxima propositio de vigore auctoritatis in ipso corpore artis a philosophis tradita conservetur : QUOD OMNIBUS, vel pluribus, vel doctis videtur hominibus, ei contradici non oportere. Credi itaque salubriter debet quod explicari non valet, præsertim cum nec pro magno habendum sit, quod humana infirmitas disserere sufficit, nec pro fide reputandum, quod de manifestis recipimus, humana compulsi ratione, nec apud Deum meritum habet, in quo non Deo creditur qui in sanctis loquitur, sed ratiunculis humanis quæ frequenter falluntur, et vix deprehendi possunt quando sint rationes. Unde Gregorius in homilia xx *Super Evangelia*[1] : « Sciendum, inquit, nobis est, quod divina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. » Ad hoc et illud Ambrosii occurrit consilium *de Fide* ad Gratianum imperatorem scribentis his verbis : « Mihi impossibile est generationis scire secretum; supra Potestates, supra angelos, supra Cherubim, supra Seraphim, supra omnem sensum est. Scrutari non licet superna mysteria; licet scire quod natus, non licet discutere quemadmodum. » Item idem : « Credere jussum est, non discutere permissum. » Ac rursus adjecit : « Mysterium Patris nec angeli potuerunt comprehendere. » Hinc et B. Augustinus *de Fide Symboli* ad Laurentium papam scribens inter cetera ait : « Propheta dicit[2] : « Nisi credideritis, non intelligetis. » Item in eodem : « Quomodo sane Deus Pater genuerit Filium nolo discutias, ne te curiosius inferas in profundi hujus arcanum, ne forte dum inaccessæ lucis fulgorem pertinacius perscrutaris, exiguum ipsum quod mortalibus divino munere concessum est perdas aspectum. Unde et illa comminatio Sapientis seu consilium[3], « Scrutator majestatis opprimetur a gloria. » Et Hieronymus *super Jeremiam* libro VI : « Quid sibi, inquit, in loco hoc voluerit Editio Vulgata possem dicere, et sensum aliquem reperire, nisi de verbis Dei humano sensu argumentari esset sacrilegum. » Rursus de *Baptismo parvulorum* Augustinus : « Ubi, inquit, de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumtio, nihil faciens in alteram partem declinando. » Ad extremum illud nobis opponendum arbitror, ut dicere illi tales velint, se non ideo fidem nostram reprobare, quia probari vel disseri non valet, sed magis quia defendi non potest, cum eam penitus manifestæ rationes stare non permittant. A quibus id

[1] *Hom. in Evang.*, lib. II, hom. 26. — [2] Isai., cap. VII, v. 9. — [3] *Prov.*, cap. XXV, v. 27.

requirendum puto, quid de magistris suis censeant, qui hoc docuerunt, nec falsa esse deprehenderunt[a]. Scimus quidem a solo Boetio omnium argumentationum, quibus nunc utimur, traditum esse documentum, et omnium argumentorum vires ab ipso nos didicisse. Scimus et ipsum de fide Trinitatis diligenter ac philosophice juxta decem prædicamentorum distinctionem disseruisse. Arguent magistrum ipsum rationum, et dicent eum in rationibus oberrasse, quas tamen sese ab eo gloriantur didicisse. Non animadvertit magister quod animadvertunt discipuli, quibus scilicet rationibus id quod arguebat impugnari posset? Ignosco tam manifestæ talium impudentiæ, quantumlibet jam detrahant nobis, qui nec parcere noverunt suis, dummodo simplicitatem fidelium non perturbent, et eisdem laqueis sophismatum, quibus jam ipsi abstracti sunt, in suam alios foveam non trahant, quod ne forte eveniat, unum superest adversus hanc pestem a Domino petere medicamentum, ut eorum ipse machinamenta dissipet, qui crebro argumentorum suorum ariete verum ipsius templum dissolvere conantur.

Cum itaque talium importunitas conjuratorum[1], neque sanctorum, neque philosophorum auctoritate compesci possit, nisi humanis rationibus eis resistatur, qui humanis rationibus invehuntur, decrevimus et nos stultis secundum stultitiam suam respondere, et eorum impugnationes ex ipsis artibus, quibus nos expugnant, conquassare. Nam et divino fretus auxilio parvulus David immensum ac tumidum Goliam proprio ejus gladio jugulavit; et nos eodem dialecticæ gladio, quo illi animati simplicitatem nostram impugnare nituntur, in ipsos converso, robur eorum aciesque argumentorum suorum in Domino dissipemus, ut jam minus simplicitatem fidelium aggredi præsumant, cum de his confutati fuerint, de quibus præcipue impossibile eis videtur responderi, de diversitate scilicet personarum in una et individua penitus ac simplici divina substantia, et de generatione Verbi, seu processione Spiritus. De quo quidem nos docere veritatem non promittimus, ad quam neque nos aliquem sufficere credimus; sed saltem aliquod verisimile, atque humanæ rationi vicinum, nec sacræ fidei contrarium, proponere libet adversus eos, qui humanis rationibus fidem se impugnare gloriantur, nec nisi humanas curant rationes quas noverunt, multosque facile assentatores inveniunt, cum fere omnes animales sint

[a] Augustinus libro II contra Maximum[2]: « Distinguere inter illam generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio, quia et illa et ista est ineffabilis, sicut propheta de Filio ait[3] : « Generationem ejus quis enarrabit? » Ita de Spiritu sancto verissime dicetur, Processionem ejus quis enarrabit? »

[1] Sic forsan legendum. Edm. Martene *corrixariorum*. — [2] Lib. II, cap. XIV. *Opp.*, t. VIII. — [3] Isai., cap. LIII, v. 8.

homines, ac paucissimi spirituales. Sufficit autem nobis quocumque modo summorum inimicorum nostrorum robur dissipare, præsertim cum alio modo non possimus, nisi has quas noverunt rationes ex ipsorum artibus afferamus. Absit enim hoc ut credamus Deum, qui malis quoque ipsis bene utitur, non bene etiam omnes artes, quæ ejus dona sunt, ordinare, ut hæ quoque ejus majestati deserviant, quantumcumque male his abutantur perversi, unde et B. Augustinus [a].... Doctores ecclesiastici sæculares quoque artes, ipsam præcipue dialecticam, sacræ Scripturæ admodum necessarias perhibent. His contra adversarios prælibatis, ad propositum festinemus, illo prius a nobis commemorato atque constituto, ne si in tanta obscuritate ratio caligaverit, quæ magis religione, quam ingenio conspicitur, aut tot et tantis subtilissimis inquisitionibus parvitas nostra non suffecerit, aut etiam victa succubuerit, ne ob id, inquam, culpare aut reprehendere fidem nostram præsumant, quæ minus in se non valet, si quis in disserendo eam deficiat. Nemo etiam mihi præsumtioni imputet, si quod aggressus sum non perfecero; sed piæ ignoscat voluntati, quæ apud Deum sufficit, si facultas desit. Quidquid itaque de hac altissima philosophia disseremus, umbram non veritatem esse profitemur, et quasi similitudinem quamdam, non rem. Quid verum sit, noverit Dominus; quid autem verisimile ac maxime philosophicis consentaneum rationibus, quibus impetitur, dicturum me arbitror. In quo quidem si, culpis meis exigentibus, a catholica, quod absit, exorbitavero intelligentia vel locutione, ignoscat ille mihi qui ex intentione opera dijudicat, parato semper ad omnem satisfactionem de maledictis vel corrigendis vel delendis, cum quis fidelium vel virtute rationis vel auctoritate Scripturæ correxerit. Scio namque quod scriptum est[1] : « Corripiet me justus in misericordia et increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum, » Et in *Proverbiis*[2] : « Via vitæ increpatio disciplinæ, qui autem odit

[a] Qui et alibi suo instruit exemplo, nonnumquam ad rationes, cum de divinis agitur, transmeare, ubi videlicet cum illis conferimus, qui sacras non admittunt auctoritates. Unde in libro *de Moribus Ecclesiæ* contra Manichæos cap. XI ait[4] : « Unde igitur oriar, ab auctoritate, an a ratione? Naturæ quidem ordo ita se habet, ut cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas. Nam infirma videri ratio potest, quæ cum reddita fuerit, auctoritatem postea, per quam firmetur, assumit. Sed quoniam cum his nobis res est, qui omnia contra ordinem et sentiunt, et loquuntur, et gerunt; nihilque aliud maxime dicunt, nisi rationem prius esse reddendam, morem illis geram; quod fateor in disputando vitiosum esse, suscipiam. Rationem igitur quæramus quemadmodum sit hominibus vivendum, etc. »

[1] *Psalm.* CXL, v. 5. — [2] *Prov.*, cap. VI, v. 23. — [3] Ad hunc locum textus Abælardi verba Augustini quæ sequuntur, referenda esse credimus, ut fert codex Turonensis, quamvis ea antecedenti paginæ subjicienda primi editores conjiciant. — [4] Lib. I, cap. II. *Opp.*, t. I.

increpationes insipiens est. » Et iterum[1] : « Qui custodit increpationes, astutior fiet, et qui increpationes odit, morietur. » Et rursum[2] : « Non amat pestilens eum qui se corripit. Si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam. » Item[3] : « Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus. »

Primum autem ponendum est totius nostræ disputationis thema, et summa fidei breviter concludenda, de unitate scilicet divinæ substantiæ ac trinitate personarum, quæ in Deo sunt, immo Deus unus sunt. Deinde objectiones adversus proposita, denique solutiones adversus objecta subjiciemus. Tenet itaque christianæ fidei religio, tenet et incommutabiliter, et credit salubriter, asserit constanter, profitetur veraciter, unum Deum tres personas esse, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum. Unum, inquam, tantummodo Deum, ac nullo modo plures deos; unum creatorem omnium tam visibilium quam invisibilium[4], unum principium, et unum bonum, unum dispositorem omnium et Dominum, unum æternum, unum omnipotentem, unum immensum; ac per omnia solam prædicat et credit singularitatem unitatis, excepto quod ad trium personarum attinet discretionem, id est Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. In quibus videlicet personis solummodo pluralitatem ac multitudinem seu diversitatem profitetur, cum in ceteris omnibus, ut dictum est, unitatem conservet. Tres quippe personas dicimus ab invicem suis proprietatibus diversas, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, sed non tres Deos aut Dominos, et sic unitatem per omnia profitemur, excepta multitudine personarum, licet unaquæque harum personarum non sit aliqua aliarum, et unaquæque in seipsa sit Deus plenus aut Dominus : ita ut, juxta B. Hieronymi assertionem de fide scribentis ad Damasum Papam, exceptis vocabulis quæ proprietatem personarum indicant, quidquid de una persona dicitur, de tribus dignissime possit intelligi. Neque enim Pater est Filius, aut Spiritus Sanctus, nec ipse est Spiritus Sanctus. Sed Pater est Deus, et Filius Deus, et Spiritus Deus ; nec ideo tres dii sunt aut plures, sed unus solummodo Deus in tribus personis æternaliter atque incommutabiliter consistit. Sic et unus creator, et unus Dominus, et ita in cæteris. Nec refert ad veritatis enuntiationem sive unum Deum dicamus de singulis tribus personis, sive de eis simul, cum æque et unaquæque ipsarum trium sit unus et idem Deus cum duabus aliis, et tres simul, hoc est ipsa Trinitas sit unus Deus, unus Dominus, etc. Est itaque harum trium personarum una et eadem omnino substantia, et individua penitus et simplex essentia, una prorsus po-

[1] *Prov.*, cap. XV, v. 5 et 10. — [2] *Ibid.*, v. 12, et cap XIX, v. 25. — [3] *Ibid.*, cap. XXIX, v. 1. — [4] Cod. : *Tam visibilem quam invisibilem.*

tentia, una gloria, una majestas, una ratio, una voluntas, eadem operatio, non divisa. Unum atque idem per omnia ipsæ sunt, excepto quod ad differentiam attinet proprietatum per quas ipsæ ita ab invicem perpetuo diversæ consistunt, ut numquam unius personæ proprietas in aliam transfundatur personam, neque unquam ab altera communicetur persona : alioquin non esset proprietas, sed communitas. Proprium autem Patris a se ipso tantum non ab alio esse, et coæternum sibi Filium æternaliter gignere, vel genuisse. Filii vero proprium est a solo Patre æternaliter gigni, seu genitum esse[1], [Spiritus sancti proprium est procedentem esse a Patre et Filio], non creatum, non factum, non genitum, sed procedentem tantum. Et hæc quidem est trium personarum ab invicem discretio, juxta proprietates singularum.

Quædam itaque sic de Deo dicuntur, ut de una tantum trium personarum et non de pluribus earum dici possint : et rursus quædam ita de pluribus personis dici possunt, ut de eis tam divisim quam conjunctim dicantur, hoc est de eis singulis et de eis simul; quædam vero conjunctim tantum. Verbi gratia Pater, et generans, sive ingenitus, de solo Patre dicuntur; quamvis etiam et Spiritus Sanctus cum non sit genitus, sit ipse quoque non genitus, non tamen et ipsum consuevimus dicere ingenitum, sed solum Patrem, ut tale sit hoc loco dicere ingenitum, ac si eum esse non ab alio, sicut priore libello præfati sumus. Est itaque hoc loco aliqua differentia dicere ingenitum, et dicere non genitum, sicut aliqua est differentia dicere injustum et dicere non justum : quippe quod injustum est necesse est esse non justum, sed non e converso. Lapis namque non justus sicut et non rationalis, nec tamen injustus dicitur aut irrationalis. Illa quippe infinita sunt sive abnegativa nomina, hæc privatoria. Augustinus tamen *de Trinitate* libro V, *ingenitum* hoc nomen abnegative pro non genito ponit, ubi videlicet capite VII de divinis similiter disserit personis his quidem verbis[2] : « Quod ergo dicitur ingenitus, hoc ostenditur, quod non sit Filius; sed genitus et ingenitus commode dicuntur. Filius autem latine dicitur, sed *infilius* ut dicatur, non admittit loquendi consuetudo. Nihil tamen intellectui demitur, si dicatur non Filius; quemadmodum etiam si dicatur, non genitus, pro eo quod dicitur ingenitus, nihil aliud dicitur. » Item : « Non ergo jam dicemus ingenitum, quamvis dici latine possit; sed pro eo dicamus non genitum, quod tantum valet. Num ergo aliud dicimus, quam non Filium ? » Item : « Ingenitus porro quid est nisi non genitus? Sicut enim genitus non ad seipsum dicitur, sed quod ex Patre sit; ita cum dicitur ingenitus non ad seipsum dicitur, sed quod ex genitore non sit ostenditur. » Ex his itaque liquet Augustinum hoc loco

[1] Verba parenthesi inclusa desunt in ms., sed ab editoribus Benedictinis restituta sunt. — [2] Cap. VII, *Opp.*, t. VIII.

ingenitum large pro non genito dicere : nisi forte diligens lector hoc ad hypothesim per consensum potius deflectat, quam ad veritatis assertionem, ut, quemadmodum supra jam adstruximus, Pater et Generans sicut Ingenitus tantum de solo Patre dici liceat[1]; non etiam non genitus de solo Filio, et Spiritus Sanctus, seu Procedens a Patre et Filio, de solo Spiritu Sancto. At vero Deus, Dominus, Creator, Omnipotens, Immensus, Æternus, Principium, Vita, Lumen, et quæcumque ad divinæ naturæ dignitatem attinent, non ad personarum significantiam, tam de singulis personis, quam de eis simul dicenda sunt. Trinitas vero de tribus tantummodo personis simul et conjunctim dicitur, non divisim de una earum, vel de duabus per se, sed de tribus tantum. Neque enim Pater est Trinitas, hoc est tres personæ simul, una tantum; Deus tantum ipse Trinitas est, et Deus ipse Pater, nec tamen ideo Pater est Trinitas. Sic nec Filius nec Spiritus Sanctus Trinitas dici potest, sed una tantum in Trinitate persona. Pater itaque et Filius et Spiritus Sanctus propria sunt nomina singularum personarum; et Trinitas trium simul proprium est nomen; Deus vero et Dominus et cætera supraposita communia sunt tam singulis personis, quam toti Trinitati. Unum vero nomen est quod singulis personis et non eis simul commune est, hoc videlicet nomen Persona, quod in cæteris minime reperies. Non ergo mirum si et id solitarie hoc nomen possideat, ut ipsum solum ex communibus personarum nominibus pluraliter efferatur. Plures quippe personas dicimus, quia tres personas prædicamus; sed non plures Deos aut Dominos, licet unaquæque trium personarum in se ipsa Deus sit et Dominus, nec ullo modo una persona sit alia. Plures itaque personæ dicuntur, sed diversitate proprietatum, quas superius singulis personis assignavimus. Plures autem Deos aut Dominos si diceremus, aut cætera nomina, quæ substantialiter magis de Deo dicuntur, quam relative, hoc est ad seipsum et non ad alium, sicut est Magnus, Bonus, et simul pluraliter efferremus multitudinem diversarum rerum et numerum substantiarum essentialiter diversarum, quarum unaquæque Deus et Dominus esset, et magna sive bona explicaremus. Unde Augustinus *de Trinitate* lib. V, cap. VIII[2] : « Quapropter illud præcipue teneamus, quidquid ad se dicitur divina sublimitas, substantialiter dici : quod autem ad aliquid, non substantialiter, sed relative; tantamque vim esse ejusdem substantiæ in Patre et Filio et Spiritu sancto, ut quidquid de singulis ad seipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur. » Item : « Quidquid ergo ad seipsum dicitur Deus, et de singulis personaliter dicitur, et simul de ipsa Trinitate, non pluraliter, sed singulariter

[1] Hic videtur aliquid deesse, sensusque postulat ut dicatur « sic etiam Filius et genitus de solo Filio, » aut aliquid simile. — [2] *Opp.*, t. VIII.

dicitur. Quoniam quippe non est aliud Deo esse, et aliud magnum esse, sed hoc idem illi est esse quod magnum esse. Propterea sicut non dicimus tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines. » Una quippe tantum et eadem res est in singulis personis una et individua penitus substantia, atque omnino simplex essentia, cui tres illæ insunt proprietates, secundum quas personarum consistit diversitas, non aliqua in rerum numero multitudo, cum sit una tantum res singularis atque omnino indivisibilis. Unde sanctam et individuam dicimus Trinitatem, cum nulla in ea sit multitudo rerum, sed sola diversitas proprietatum. Constat itaque tres personas sibi per omnia coæquales, sicut et coæternas esse, quia nullam dignitatis differentiam habere possunt, quarum eadem penitus essentia singularis et individua. Constat ex hoc quoque nullam trium personarum ab alia substantialiter esse diversam, vel etiam secundum numerum rerum esse discretam, sed tantummodo proprietate sua diversam esse unam ab alia, non autem substantia dissimilem aut numero, ut Arius putat. Unde est illud Ambrosii *de Fide* ad Gratianum libro II : « Apostolus dicit imaginem Patris esse Christum. Arius dicit esse dissimilem; et vult ut pater dissimilem genuerit sui, quasi impotens qui generare sibi similem non potuerit. « Item : « Imago docet non esse dissimilem. » Non est itaque Pater aliud quam Filius vel Spiritus Sanctus, aut Filius quam Spiritus Sanctus, nec in numero divisus. Non est, inquam, aliud in natura, cum unaquæque trium personarum sit eadem penitus divina substantia; sed alius est in persona, alter ab altero, id est in proprietate sua diversus ab alio, cum hic non sit hic qui ille, sed hoc ipsum quod ille; nec alter alterius proprietatem communicet, ut supra meminimus : alioquin personas sibi permiscendo confunderemus. Sed nec Socrates cum sit a Platone numero diversus, hoc est ex discretione propriæ essentiæ ab ipso alius, ullo modo ideo ab ipso aliud dicitur, hoc est substantialiter differens, cum ambo sint ejusdem naturæ secundum ejusdem speciei convenientiam, in eo scilicet quod uterque ipsorum homo est; atque ideo nulla substantiali differentia disjuncti sunt, ut hic aliud sit quam ille ex diversæ speciei substantia : sed aliud, ut dictum est, in persona, ex discretione scilicet propriæ substantiæ. Multo minus ergo aliqua trium personarum quæ in Deo sunt, dicenda est aliud ab alia, quarum unica est penitus substantia singularis, nullam partium aut formarum diversitatem recipiens. Quippe quod partibus constat, ipsis partibus naturaliter posterius est ex quibus constituitur, et ad esse perducitur, et suum esse contrahit. Hilarius super psalmum *De profundis* : « Nulli etiam fidelium dubium esse arbitror, divinam substantiam sicut partium constitutione, ita etiam ab omni proprietatis informatione alienam, ut videlicet in ea nihil esse possit quod non sit ipsa. » Unde Augustinus in XI *de Civitate Dei* disputans de

simplicitate ac sinceritate divinæ substantiæ ait[1] : « Non propter hoc naturam istam boni simplicem dicimus, quia est Pater in ea solus, aut Filius solus, aut solus Spiritus Sanctus; aut sola est ista nominis Trinitas sine subsistentia personarum, sicut Sabelliani putaverunt. Sed ideo simplex dicitur, quia hoc est quod habet, excepto quod relative quæque persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius; et Filius Patrem, nec tamen est Pater. In quo vero ad semetipsum dicitur, non ad alterum; hoc est quod habet, sicut ad semetipsum dicitur vivus, habendo utique vitam, et eadem vita ipse est. Propter hoc itaque natura hæc dicitur simplex, quod non sit aliud habens, aliud quod habet, sicut in cæteris rebus. Neque enim vas habens liquorem; liquor est; nec corpus color, nec aer lux sive fervor, nec anima sapientia est. Hinc est quod etiam privari possunt rebus quas habent, et in alios habitus verti atque commutari. » Idem in VII *Confessionum* ad Deum loquens, ait[2] : « Nec cogeris invitus ad aliquid, quia voluntas tua non est major quam potentia. Esset autem major, si te ipso tu ipse major esses. » Item : « Voluntas et potentia Dei Deus ipse est. » Boetius quoque in libro *de Trinitate* cum de summa illa unitate divinitatis loqueretur, in qua non partium nec formarum potest esse diversitas : « Quocirca, inquit, hoc vere unum, in quo nullus numerus, nullum in eo aliud præter id quod est. Neque enim subjectum fieri potest, forma enim est, formæ vero subjectæ esse non possunt. » Formam itaque Boetius hoc loco dixit divinam substantiam secundum hoc quod nullarum formarum sustentamentum est.

Bene autem omnium theologorum auctoritas divinam substantiam simplicem omnino esse astruxerit, hoc est ab omni accidente, ab omni formæ participatione immunem, ut nihil scilicet in Deo sit, quod Deus non sit. Omne quippe quod naturaliter existit, aut æternum est, ut Deus; aut cœpit ab eo summo Principio quod Deus est, ducens exordium : a se quippe nihil est, præter illud a quo sunt omnia. Unde Gennadius *de Orthodoxa fide* capite XI[3] : « Satis est, inquit, christiano rerum creatarum causam nonnisi credere bonitatem creatoris; nullamque esse naturam quæ non aut ipse sit, aut ab ipso. » Naturam, ut arbitror, sive rem naturalem dicit, quæ ad humanæ operationis efficaciam non attinet. Nam peccatum et idolum nostra magis dicenda sunt opera, quam naturæ. Unde Apostolus[4], « Scimus, inquit, quoniam nihil est idolum in mundo, » hoc est non est idolum de universis creaturis Dei, neque ad res naturales, et ad ipsa naturæ opera pertinent, quæ de mundo esse dicuntur, sed ad nostram

[1] August. *de Civit. Dei*, lib. XI, cap. X. — [2] August. *Confess.*, lib. VII, cap. IV. — [3] Hic locus non reperitur apud Gennadium, sed apud Augustinum, *Enchirid.*, cap. IX. — [4] *Corinth.* I, cap. VIII, v. 4.

formationem. Unde et vilius hoc ipsum apparet quod dicitur idolum, quam quod dicitur lignum; cum illud factitium sit, hoc naturale. Si itaque potentia Dei, sive sapientia, aut etiam pars aliqua, seu aliud aliquid in Deo sit quod Deus non sit, utique ab ipso incœpit, a quo sunt omnia : quod si incœpit aut potentia ejus aut sapientia, profecto ipse qui æternus est extitit absque istis, ut videlicet non semper aut potens fuerit aut sapiens, donec scilicet ipse impotens in seipso potentiam creasset, aut adhuc insipiens sapientiam sibi condidisset. Quæ cum fecerit absque discretione sapientiæ, quippe quam nondum habebat, utique nonnulla ejus opera irrationabilia sunt. Si quis autem dicat qualitates in Deo sic esse, ut nec Deus sint, nec a Deo factæ, sed in Deo æternaliter permanentes, atque ipsi divinæ substantiæ, in qua sunt, coæternas esse : quærendum restat, utrum ei substantialiter an accidentaliter insint. Si autem substantialiter, ut scilicet divinam substantiam conficiant; profecto ipso Deo naturaliter priores videntur, cui esse conferunt, sicut rationalitas homine prior dicitur, quia ejus scilicet constitutiva est forma, atque in ipsa ejus constitutione pars quædam formalis est, cujus conventu ad substantiam animalis, quasi ad materiam, homo ipse perficitur. Nec refert etiam ad constitutionem quæ ex materia venit et forma, sive sapientia quæ inest Deo sit ei substantialis sive accidentalis, dummodo sit forma aliqua in Deo et res diversa ab ipsa divina substantia. Similiter enim homo albus vel corpus album ex homine vel corpore et albedine constat ad similitudinem materiæ et formæ, sicut ærea statua ex ære et compositione : atque eadem ratione oportet concedi quod Deus sapiens ex ipsa divinitatis substantia et sapientia constitueretur; si videlicet in Deo res alia esset a Deo, cujus conventu ad substantiam ipsam Deus sapiens esset, duabus invicem convenientibus rebus : ac per hoc Deum sapientem quoddam esse totum ex materia et forma compositum, ipsamque materiam ac formam, ex quibus conficitur, principium sui habere. Quis etiam dicere præsumat aliquid Deo per accidens posse inesse, et ipsum quoque accidentibus esse subjectum : quod omnium tam philosophorum quam catholicorum anathematizat auctoritas? Unde Augustinus *de Trinitate* libro V, capitulo IV : « Accidens dici non solet, nisi quod aliqua mutatione ejus rei, cui accidit, amitti potest. Nihil itaque accidens in Deo, quia nihil mutabile, aut amissibile. Quamobrem nihil in eo secundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit; nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod non est accidens : quia et ille semper Pater, et ille semper Filius. Quod si aliquando esse cœpisset, aut aliquando esse desineret Filius, secundum accidens diceretur. Si vero quod dicitur Pater, ad seipsum diceretur, non ad Filium; secundum substantiam diceretur. » Præ-

terea philosophi accidentia determinant esse posterioris generis et adventitiæ naturæ. Unde et Porphyrius, proprium quoque ipsum, quod in natura speciei insitum esse videtur, posterius specie naturaliter esse confirmat, eo scilicet quod substantiam speciei minime conficiat, sicut substantiales, id est specificæ differentiæ. Ait enim : « Species ante subsistit, quam proprium; proprium vero postea fit in specie. Oportet enim hominem esse, ut sit risibile. » Qui etiam cum accidens generaliter definiret dicens : « Accidens est quod adest et abest præter subjecti corruptionem, » patenter docuit omne accidens subjecto tam adesse quam abesse posse præter corruptionem ipsius subjecti. At vero quomodo Sapientiam Dei in ipso, vel posterioris generis, vel adventitiæ naturæ dicemus esse, aut eam ei præter corruptionem posse abesse, cum nullo penitus modo ei possit abesse? Omnino enim Deum necesse est esse sapientem, nec ullo modo aut non esse potest, aut non esse sapiens, aut aliquam suscipere corruptionem, ut ei aliquid accidere possit. Quippe cum definitur accidens quod adest et abest præter subjecti corruptionem, patenter innuitur accidens non inesse nisi corruptibili rei, quæque videlicet possit non esse, aut corrumpi; ut tale sit, ac si ita dicatur : Accidens est forma corruptibilis rei, sine qua illa res et esse et non esse potest præter corruptionem, id est egressum a substantia, quam per illam formam incurrat. Tale quippe est quod ait, præter corruptionem subjecti, ac si apertius dicat, quod eam corruptionem quam[1] pati potest subjectum, nullam per adventum vel recessum hujusmodi formæ incurrit. De quo alibi plenius nobis disserendum fuit. Non itaque sapientia in Deo vel substantialis ei forma vel accidentalis, imo sapientia ejus ipse Deus est. Idem de potentia ejus sentiendum est, et de cæteris quæ ex nominum affinitate formæ esse videntur in Deo quoque sicut in creaturis. His itaque rationibus patet divinam substantiam omnino individuam, omnino informem perseverare, atque ideo eam recte perfectum bonum dici, et nulla alia re indigens, sed a seipso habens, non aliunde quod habet accipiens. Creaturæ autem quantumlibet bonæ, adjunctione egent alterius, ex qua quidem indigentia imperfectionem suam profitentur. Virtutes quippe quæ animam bonam faciunt, subjecto indigent quo sustententur; quia pietas esse non poterit, si non habeat fundamentum in quo sit. Ipsa autem anima ut bona sit, virtutum indiget ornamentis. De hac etiam informitate ac sinceritate seu simplicitate divinæ substantiæ Boetius in eo quem *de Trinitate* composuisse libro dicitur, ait : « Quod non est hoc atque hoc, sed tantum est hoc, illud vere est, id quod est, et hoc fortissimum quod nullo nititur. Quocirca hoc est vere unum in quo nullus numerus, nullum in eo aliud

[1] Sic forsan legendum. In editis *earum corruptionem quas.*

præter id quod est. » Qui etiam ibidem statim ipsam divinam substantiam, in eo quod nullis accidentibus subjecta est, tamquam sustentamentum, sicut sunt cæteræ substantiæ, formam potius quam substantiam nominat, ut jam supra meminimus; quam rursus in sequentibus substantiam quæ sit ultra substantiam esse profitetur, nec proprie secundum usitatam significationem substantiæ dici substantiam his verbis : « Substantia in illo non est vere substantia, sed ultra substantiam est. Cum dicimus, inquit, « Deus, » substantiam quidem significare videmur, sed eam quæ sit ultra substantiam. Cum vero « justus » qualitatem quidem, sed non accidentalem, sed eam quæ sit substantia et ultra substantiam. Item, cum dicimus « magnus, » vel « maximus, » quantitatem quidem significare videmur, sed eam quæ sit ipsa substantia talis qualem esse dicimus ultra substantiam. » Sic ergo Boetius Deum proprie dici substantiam negat, quæ sit scilicet accidentium sustentamentum. Ita et proprietates quæ ipsi divinæ substantiæ insunt, accidentia sive formas substantiæ dici non convenit; sed tam accidens hoc nomen, quam forma et novem prædicamentorum nomina, quæ his duobus includuntur, proprie in rebus tantum creatis accipiuntur. Unde et Boetius in eodem cum ait : « Substantia in illo non vere substantia, sed ultra substantiam, » adjecit statim, « Item qualitas et cætera quæ evenire queunt, hoc est quæ possunt accidere, ut scilicet accidentia dicantur, in ipso vere non sunt. » Cum itaque divina substantia singularis prorsus et unica sit, in qua tres personæ consistunt, ita ut unaquæque personarum sit eadem penitus substantia, quæ est et altera, nec ulla sit partium aut formarum diversitas illius simplicis boni, multo minus hæc persona aliud ab illa dici potest, quam Socrates a Platone; cum videlicet trium personarum una sit singularis essentia ; Socratis vero et Platonis non sit eadem essentialiter substantia, sed magis discretæ eorum substantiæ : ita quidem ut hæc essentia Socratis non sit illa Platonis. At vero eadem essentia quæ est Patris, eadem penitus est Filii; eadem etiam prorsus est Spiritus Sancti. Nec minus tamen Pater alius est, id est diversus in persona a Filio sive a Spiritu Sancto; necnon et Filius a Spiritu Sancto; cum hic non sit ille, licet sit illud quod ille. Magna autem et subtilissima discretio hic adhibenda est, ut nec identitas singularis substantiæ, et individua unitas essentiæ impedimento sit diversitati personarum, et cum Sabellio oberrantes unam tantum profiteamur personam, sicut unum Deum; nec diversitas personarum impedimento sit singularitati substantiæ, et in foveam Arii corruentes, tres asseramus Deos, sicut et tres personas; sed simul et unus omnino in singularitate substantiæ sit Deus, et totus ipse sit in trium personarum discretione. Quo in loco gravissimæ et difficillimæ Dialecticorum quæstiones occurrunt. Hi quippe ex unitate essentiæ Trinitatem personarum impugnant : ac rursus ex

diversitate personarum identitatem essentiæ oppugnare laborant. Horum itaque objectiones primum ponamus, postea dissolvamus.

Aut enim, inquiunt, hæc diversitas personarum in solis vocabulis consistit, non in re, ut videlicet vocabula tantum diversa sint, et nulla sit in Deo rei diversitas : aut in re sola, et non in vocabulis : aut simul et in re et in vocabulis. At vero si alterum horum auferri poterit, non remanebit utrumque.

Quod si ad vocabula respiciamus, jam non est Trinitas personarum æterna, cum ipsa impositio nominum ab hominibus facta sit.

Præterea si ad numerum vocabulorum hæc distinctio personarum sit accipienda; multo plures personas confiteri quam tres nos oportet, quia multa sunt et alia divinæ substantiæ nomina, sicut hoc nomen Deus, vel Dominus, Æternus, vel Immensus, vel Creator, et alia infinita nomina.

Sin autem hæc diversitas personarum, magis accipienda sit in ipsa re quam in vocabulis,in Deo autem nihil est in re præter singularem substantiam, et individuam, et informem, quis dubitet Trinitatem accipi secundum substantiæ unitatem, ut et trinus sit in substantia dicendus Deus ?

Aut si idem penitus in Deo substantia sit et personæ, ut videlicet nihil aliud substantia sit quam personæ, vel personæ quam substantia; numquid si unus est Deus in substantia, unus est et in personis; aut si trinus sit in personis, trinus et in substantia ?

Quomodo etiam tres personæ sunt ubi nullo modo tria sunt? Aut quomodo tria sunt, si multa non sunt? Aut quomodo multa esse possunt, si nulla sit rerum multitudo ? At vero multitudo rerum esse non potest ex una tantum re, nisi videlicet ex pluribus constet partibus. Partes autem nullæ in ipso esse possunt, ut supra confirmavimus; quomodo ergo Trinitas ibi est, ubi nulla est multitudo? Omne quippe simile in aliquo dissimile est. Aut quomodo tres sunt, si multi non sunt ?

Præterea quomodo dicitis, Talis Pater qualis Filius vel Spiritus sanctus, si nulla sit personarum similitudo, quarum nulla est multitudo? Omne quippe simile in aliquo dissimile est, et nulla est nisi in discretis rebus similitudo. Unde nemo hunc hominem et hunc album similes dicit, de eodem homine agens, cum non sint ab invicem essentialiter discreti.

Amplius cum unumquodque quod existit aut substantia sit aut forma in substantia subsistens, sicut est albedo, vel pietas, vel quælibet res novem prædicamentorum, quomodo possunt esse aliqua multa, nisi aut substantiæ sint, aut formæ, aut ex utrisque conjuncta?

Aut cum Deus substantia sit, et hoc nomen Deus substantiæ sit, non personæ, hoc est propter naturam substantiæ, non propter personam distinguen-

dam inventum, sicut est Pater et Filius, quomodo melius dicitur Deus trinus quam substantia trina, vel quam Pater trinus? Sicut enim una tantum substantia est, et unus Pater : ita etiam unus tantum Deus, non plures.

Trinus etiam Deus vel trina substantia quid aliud sonat, quam tres dii, vel tres substantiæ? Quippe quid aliud est trina oratio, quam tres orationes? vel bina percussio, quam duæ percussiones? Ad hæc fortasse et illud in oppositionem ducitur, quod Deum tripertitum Augustinus in *Enchiridio* capitulo XI his verbis dicit : « Satis est christiano rerum creatarum causam nonnisi credere bonitatem creatoris, qui est Deus unus; nullamque esse naturam, quæ non aut ipse sit, aut ab ipso; eumque tripertitum[1], Patrem scilicet, et Filium, et Spiritum sanctum. » Quomodo enim, inquient, tripertitus est Deus, si partitus non sit aut partes habeat? Aut quomodo partitus est, nisi primum integer fuerit, aut postmodum divisus? Sed hoc quis adeo infidelis est, ut non anathematizet?

Quomodo etiam fieri potest, ut tres personæ ita ab invicem sint discretæ, ut hæc non sit illa, et unaquæque ipsarum substantia sit et Deus, et non sint ideo plures substantiæ vel dii? Quippe quid aliud est dicere plures substantiæ, quam dicere plura, quorum unumquodque est substantia? Ipsum nempe plurale vocabulum nihil aliud est, quam geminatio vel multiplicatio sui singularis, ut videlicet plurale multa simul nominet, quibus singillatim convenit singulare.

Qua etiam ratione melius dicuntur tres personæ, quia unaquæque ipsarum persona est, quam tres dii vel substantiæ, cum unaquæque ipsarum Deus sit, sive substantia?

Quod si ideo plures substantias vel plures Deos dici negemus, quia licet unaquæque personarum substantia sit sive Deus, nulla est unius personæ differentia ad aliam in eo quod substantia est vel Deus : profecto eadem ratione numquam dicendum est plures homines, nec etiam plures personas, cum videlicet hic homo non differat ab illo in eo quod homo est, aut hæc persona ab illa in eo quod persona est.

Quomodo etiam vere dicimus : Tres personæ sunt, si multa entia non sunt, hoc est multæ essentiæ? Ipsum quippe participium ubique in numero suum verbum sequitur, ut videlicet de quo dicimus « ambulat, » dicamus « est ambulans; » et de quibus dicimus « ambulant, » dicamus « sunt ambulantia. » Unde Aristoteles in secundo *Physicorum*[2] : « Nihil, inquit, differt dicere hominem

[1] Apud August. non *tripertitum* legitur, sed *eumque esse Trinitatem*. — [2] Sic in editis, malè, ut opinor. Nam cum libri *Physicorum* Aristotelis nondum ad Latinos pervenissent, locus iste potius videtur esse referendus ad cap. XI libri Περὶ Ἑρμηνείας, ubi de propositione agitur.

ambulare et hominem ambulantem esse. » Ex quo apparet quod de quibuscumque dicimus « sunt, » dici oportet « sunt entia, » id est essentiæ.

Quomodo etiam hoc nomen « Deus » singulare est et non magis universale, si plura sint personaliter discreta, hoc est numero differentia, de quibus singulis prædicetur, cum videlicet et Pater sit Deus, et Filius Deus, et Spiritus Deus, nec iste sit ille?

Quæ etiam rerum differentia esse potest ubi eadem est singularis et individua penitus essentia? Omnis quippe differentia aut in rebus discretis accipitur, cum videlicet hæc essentia non est illa; aut in eadem re secundum variationem ejus vel aliquam mutationem per temporis successionem, ut si aliquis modo stet, modo sedeat. Discretio autem rerum nulla est ubi unica est et individua essentia. Sed nec in Deo ulla potest esse variatio, cum scriptum sit[1]: « Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. » De quo etiam ille philosophus ait[2]:

Qui tempus ab ævo
Ire jubet, stabilisque manens dat cuncta moveri.

Cujus etiam verum esse et incommutabile ipsemet Dominus aperit Moysi, dicens[3]: « Ego sum qui sum. Hæc dices filiis Israel : « Qui est misit me ad vos. »

Præterea cum Pater sit Deus, hoc est hæc essentia divina, et Deus est Filius, numquid et Pater Filius est? Quomodo enim ex eo quod Pater est Deus, et Deus est æternus, melius ostenditur, Pater est æternus, quam ex eo quod Pater est Deus, et Deus est Filius, sive Incarnatus, Pater etiam esse Filius sive Incarnatus? Præsertim cum hoc nomen « Deus » singulare esse constet, sicut hoc nomen « Socrates, » immo etiam magis singulare, hoc est individuum videatur, cum individuam, hoc est omnino indivisibilem, ac prorsus simplicem unicamque substantiam significet.

At vero cum hic sedens sit Socrates, et Socrates sit albus, constat etiam hunc sedentem esse album, cum eadem prorsus essentia sit hujus sedentis et hujus albi, nec multa numero dicantur hic sedens et hic albus, cum eadem sit essentia hujus et illius, quæ diversis licet occupata sit formis, non tamen aut multæ personæ, aut multa numero Socrates esse dicitur; alioquin hoc nomen « Socrates » universale esset potius quam singulare, cum de differentibus numero diceretur.

Multo autem minus multa numero in Deo sunt, ubi nec ulla est formarum multitudo; et multo magis concedendum est in Deo, quia hic qui Pater est

[1] Jacob., cap. I, v. 17. — [2] Boetius, *de Consol. Phil.*, lib. III. — [3] *Exod.*, cap. III, v. 14.

Filius est, quam in creaturis, in quibus est saltem formarum diversitas, atque ipsius substantiæ instabilitas assiduaque variatio.

Quomodo ergo, si concedamus in creaturis propter identitatem essentiæ, quod hic sedens est hic albus, vel hic qui Pater est Filius est, non hoc magis in Deo recipiamus, ut is videlicet qui Pater est Filius sit, cum sit utriusque unica et individua prorsus ac mera substantia? Aut hic qui Pater est sit Incarnatus sicut et Filius, cum eadem substantia quæ Pater est carnem susceperit, sicut ea quæ Filius est, cum eadem penitus substantia sit utriusque personæ?

Denique cum nihil in Deo sit præter unicam essentiam simplicis et individuæ omnino substantiæ, et Deus Deum generet, hoc est Pater Filium, numquid substantia substantiam generat? Et cum eadem sit penitus substantia quæ generatur cum ea quæ generat, numquid idem seipsum generat? Quod autem eadem res seipsam gignat, non solum omnium ratio, verum sanctorum Patrum scripta detestantur, maxime in hac ipsa generatione divina, de qua Augustinus in primo *de Trinitate* ait[1]: « Qui putat ejus potentiæ Deum, ut seipsum ipse genuerit, eo plus errat quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritualis creatura nec corporalis. » Nulla enim omnino res est quæ seipsam gignat. Constat quippe omne quod de Deo dicitur, de personis ipsis aut sigillatim aut conjunctim dicendum esse, hoc est de una earum aut de pluribus simul. Si ergo Deus seipsum genuerit, utique aut aliqua trium personarum seipsam, aut plures earum seipsas genuerunt. Quod si aliqua trium personarum seipsam genuerit, vel Pater ipse gignit se, vel Filius ipse, vel Spiritus sanctus. Quod si Pater seipsum gignat, profecto ipse sui est Filius; et ita confusæ sunt personæ, cum ille qui Pater est sit Filius. Eadem quoque confusio est, hoc est permixtio personarum, si aliqua aliarum seipsam gignat, hoc est sit pater sui.

Præterea si Deus Deum generat, utique vel seipsum vel alium Deum. Alius vero Deus ab alio non potest esse, sed unus tantum Deus; nec juxta Augustinum et suprapositam rationem, Deus seipsum generare potest. Quippe si seipsum Deus genuerit, utique ipse Deus sui pater est. Quod si ipse Deus pater est sui, profecto vel Deus Pater est pater sui, vel non Deus Pater est pater sui. At vero Deus Pater solius Filii, et non sui ipsius pater est. Non igitur Deus Pater est pater sui. At rursus si falsum sit Deum Patrem esse patrem sui; utique falsum est, Deum Patrem sui esse patrem sui. At vero quis ponat aliquid esse patrem sui, et contradicere audeat ipsum patrem sui esse patrem sui?

Qua etiam ratione, cum una tantum substantia sit trium personarum, ut sit

[1] August. *de Trinit.*, lib. I, cap. I.

videlicet eadem penitus substantia Patris quæ Filii sit et Spiritus sancti, ipse Filius tantum ex substantia Patris quæ Filii sit et Spiritus sancti, dicitur esse, et non ex substantia Spiritus Sancti vel sua!

Aut cum similiter una eademque sit sapientia trium personarum quarum unaquæque sapiens æque est ut aliæ, eademque caritas singularum; cur non æque dicitur Filius sapientia Spiritus sancti, vel sui ipsius, sicut dicitur Sapientia Patris? vel ipse Spiritus amor sui ipsius, sicut amor Patris vel Filii? Numquid enim vel Filius vel Spiritus sanctus sapiens est, et non per sapientiam sui; aut sapiens est, et non est sua sapientia, sed alia? aut diligens est, et non est sua dilectio; sicut ipse est potentia sua, magnitudo sua, justitia sua, pietas sua, et voluntas?

Quomodo etiam potest esse, ut Filius ex Patre sit genitus, vel ex Patre esse habeat tam Filius quam Spiritus sanctus, non Pater ex illis; et non sit Pater prior illis?

His et consimilibus objectis respondere non differamus, in ipso confisi de quo loquimur; in ipso securi pro quo dimicamus.

Summa, ut arbitror, omnium quæstionum hæc est, quomodo scilicet in tanta unitate individuæ ac penitus meræ substantiæ diversitatem personarum consideremus, cum nullus differentiæ modus a philosophis distinctus videatur hic posse assignari, secundum quem diversitas personarum valeat ostendi.

Ad quod illud primum respondendum esse arbitror, quod mirabile non debet videri, si illa divinitatis natura sicut singularis est, ita singularem modum loquendi habeat. Æquum equidem est, ut quod ab omnibus creaturis longe remotum est, longe diverso genere loquendi efferatur, nec illa unica majestas communi ac publica locutione coerceatur, nec quod omnino incomprehensibile est atque ineffabile, ullis subjaceat regulis, cui sunt omnia subjecta, quod nec ab homine intelligi potest, qui ad manifestandos intellectus suos voces instituit. Hoc autem nec philosophorum latuit reverentiam, qui quantum reveriti sint semper summum illud bonum verbis etiam attingere, quod omnino incomprehensibile atque ineffabile profitentur, ex suprapositis liquidum est, cum summus philosophorum nec quid sit dicere ausus sit : hoc solum de eo sciens, quod sciri non possit ab homine. Hoc enim docere rectæ Sophiæ incarnandæ reservandum erat, ut ipse per seipsum sui notitiam afferret Deus, cum ad ejus notitiam nulla assurgere creatura sufficiat. Ipse itaque solus quid ipse sit manifeste aperuit, cum gentili illi et Samaritanæ mulieri ait[1] : « Spiritus est Deus, » hoc est Divinitas spiritualis substantia est, non corporalis. At vero

[1] Joan., cap. IV, v. 24.

sicut in corporibus alia aliis subtiliora sunt, utpote aqua quam terra, et aer quam aqua, et ignis quam aer : ita longe et inexplicabili[1] modo omnium spirituum naturam ita propriæ sinceritatis subtilitate divinitas transcendit, ut in comparatione ejus omnes alii spiritus quasi corpulenti seu corpora quædam dicendi sint. Unde Gennadius *de Orthodoxa fide*[2] : « Nihil, inquit, incorporeum et invisibile in natura credendum est, nisi solum Deum Patrem et Filium, et Spiritum sanctum; qui ex eo incorporeus creditur, quia ubique est, et omnia implet, atque constringit : et ideo invisibilis omnibus creaturis, quia incorporeus est. Creatura omnis corporea, angeli et omnes cœlestes virtutes corporeæ, licet non carne subsistant. Ex eo autem corporeas[3] credimus intellectuales naturas, quia localiter circumscribuntur, sicut et anima humana quæ carne clauditur, et dæmones qui per substantiam angelicæ naturæ sunt, corporea. » Ex his itaque liquidum est quantæ subtilitatis sit divina substantia atque anima[4], a natura corporum disjuncta, et a vigore nostrorum sensuum penitus remota. De qua si quid forte philosophi dicere animati sunt, ad similitudines et exempla se contulerunt, quasi præsumtionem suam velantes, quod de ineffabili fari viderentur : cujus gloriam in creaturis quoque modo non ipsa vestigabant, atque per ipsas assignabant, sicut de Platone supra meminimus, ad similitudinem Solis, cum de Deo loqui præsumeret, recurrente. Quod autem illi quoque doctores nostri, qui maxime intendunt Logicæ, illam summam majestatem, quam Ignotum Deum esse profitentur, omnino ausi non sunt attingere, aut in numero rerum comprehendere, ex ipsorum scriptis liquidum est. Cum enim omnem rem aut substantiæ aut alicui aliorum generalissimorum subjiciant : utique et Deum, si inter res ipsum comprehenderent, aut substantiis, aut quantitatibus, aut ceterorum prædicamentorum rebus connumerarent, quod nihil omnino esse ex ipsis convincitur. Omnes quippe res, præter substantias, per se existere non possunt, nisi scilicet substantiis sustententur, ut albedo nulla ratione esse potest, nisi in subjecto corpore, aut pietas nisi in anima, aut quælibet res novem prædicamentorum nisi subjectis substantiis insint. Substantiæ vero in propria natura per seipsas subsistere ac perseverare possunt omnibus et aliis rebus destructis. Unde et substantiæ quasi subsistentiæ dictæ sunt, et ceteris rebus quæ eis assistunt, non per se subsistunt, naturaliter priores sunt. Unde liquidum est Deum, qui omnium rerum est unicum et singulare principium, nullo modo in eo rerum numero contineri, quæ substantiæ non sunt : sed nec substantiæ, secundum eos, supponitur Deus, licet ipse maxime sit res per se

[1] Sic forsan legendum. In editis *inexcusabili*. — [2] Gennadius, cap. XI. — [3] Sic apud Gennadium. In editis *incorporeas*. — [4] In editis *substantia*, *atque animæ a natura*.

existens, et verum et incommutabile esse ipse solus a se habeat a quo sunt omnia. Propter quod Moysi dicit[1] : « Hæc dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos. » De cujus quidem veritate, ac simplicitate, seu incommutabilitate substantiæ, Augustinus in libro V *de Trinitate* ait[2] : « Sic intelligamus Deum, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest omnimodo invenire quid sit ; pie tamen cavet, quantum potest, aliquid de illo sentire quod non sit. Est tamen sine dubitatione substantia, vel si melius hoc appellatur essentia, quam Græci οὐσίαν, Usiam vocant. » Quod autem nec juxta philosophos ipse Deus substantia sit dicendus, facile convinci potest ex ipsis scriptis omnium dialecticam tractantium, quam nunc latinitas[3].... Porphyrii scilicet, Aristotelis et Boetii. Ait quippe Porphyrius in *Isagogis* quas ad *Categorias* Aristotelis perscribit, ait, inquam[4], « unamquamque substantiam una specie participare, pluribus vero accidentibus et separabilibus et inseparabilibus. » Aristoteles quoque in *Categoriis* proprie proprium substantiæ assignans inquit[5] : « Maxime autem proprium substantiæ videtur esse, quod cum sit unum et idem numero sit susceptibile contrarium. » Item idem de eodem[6] : « Quare proprium erit substantiæ, quod cum unum et idem numero sit, susceptibile est contrariorum. » Cum itaque Deo ista aptari omnino non possint, cujus substantia nec accidentibus variari, nec ullis omnino formis subjacere potest, liquet nec inter substantias eum philosophos recepisse : ea profecto ratione qua Plato inter nullam et aliquam substantiam, ὕλήν collocavit, quam omnino adhuc informem conceperit. Neque enim substantia non est Deus, si vere subsistentiæ naturam, et incommutabile esse in ipso attendamus[7]. Nec rursus substantia est, si usitatam nominis substantiæ appellationem sequamur, cum videlicet accidentibus subjectus esse non possit. Unde et illo argumento non esse substantia Deus aperte ostenditur, quo Boetius, quamvis christianus, opinionem secutus philosophorum, cum de philosophia tractaret, Themistium scilicet et Tullium in *Topicis* suis vestigans, probat in secundo ipsorum *Topicorum* albedinem non esse substantiam his verbis[8] : « Substantia est quæ omnibus accidentibus possit esse subjectum. Albedo autem nullis accidentibus subjecta est. Albedo igitur substantia non est. » Ipse quoque Augustinus hanc usitatam et propriam significationem substantiæ aperte profitetur in

[1] *Exod.*, cap. III, v. 14. — [2] August. *de Trinit.*, lib. V, cap. I. — [3] Hic aliquid deest, ut *habet* vel *legit*. — [4] Cap. XVI, 3. — [5] Cap. V. — [6] *Ibid.* — [7] In *Introd. ad Theologiam*, lib. II : Si vere subsistere naturam et incommutabilem esse in ipso attendamus. — [8] *De Diff. Topicis*, I, p. 861.

septimo *de Trinitate* libro cap. IV et V his quidem verbis de Deo disputans : « Si hoc est Deo esse quod subsistere, ita non erunt dicendæ tres substantiæ, ut non dicuntur tres essentiæ : quemadmodum quia hoc est Deo esse quod sapere, sicut non tres essentias, ita nec tres sapientias dicimus. Sic enim quia hoc illi est Deum esse quod est esse, tam tres essentias quam tres Deos dici fas non est. Si autem aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud est Deo esse, aliud Patrem esse vel Dominum esse; quod enim est, ad se dicitur, Pater autem ad Filium, et Dominus ad servientem creaturam dicitur : relative ergo subsistit, sicut relative gignit, et relative dominatur. Ita jam substantia non erit substantia, quia relativum erit. Sicut enim ab eo quod est esse appellatur essentia, ita ab eo quod est subsistere substantiam dicimus. Absurdum est autem ut substantia relative dicatur. Omnis enim res ad seipsam subsistit; quanto magis Deus, si tamen dignum est ut Deus dicatur subsistere? De his enim rebus recte intelligitur, in quibus subjectis sunt ea quæ in aliquo esse subjecto esse dicuntur, sicut color in corpore. » Item : « Res ergo mutabiles neque simplices proprie dicuntur substantiæ. « Item : « Nefas est autem dicere ut subsistat et subsit Deus bonitati suæ, atque illa bonitas non substantia sit, vel potius essentia, neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit tanquam in subjecto. Unde manifestum est Deum abusive substantiam vocari, ut nomine usitatiore intelligatur essentia, quod vere ac proprie dicitur, ita ut fortasse Deum solum dici oporteat essentiam. Est enim vere solus, quia incommutabilis est, idque nomen suum Moysi enuntiavit, cum ait[1] : « Ego sum qui sum; et dices ad eos : Qui est misit me ad vos. » Sed tamen sive essentia dicatur quod proprie dicitur, sive substantia, quod abusive, utrumque ad se dicitur non relative. Unde hoc est Deo esse quod subsistere; et ideo si una essentia Trinitas, una etiam substantia[a]. » Ex his itaque liquidum est, nec etiam juxta Augustinum Deum proprie dici substantiam, sicut nec juxta philosophos ullo modo, cum videlicet aliquid in eo non sit ut in subjecto, hoc est ut accidens, sicut supra satis disseruimus. Cum igitur Deus nec juxta Augustinum proprie dicatur substantia, nec ullo modo juxta philosophos, qui tamen omnem rem aut substantiæ aut alicui aliorum prædicamentorum applicant : patet profecto a tractatu Peripateticorum illam summam

[a] In illud Job[2] : « Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationes ejus. » Gregorius : « Aliud est esse, aliud principaliter esse, aliud mutabiliter esse, aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt : quia in semetipsis minime subsistunt, et nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt. Unde etiam ad Moysen dicitur[3] : « Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel, Quis est misit me ad vos. »

[1] *Exod.*, cap. III, v. 14. — [2] Job., cap. XXIII, v. 13. — [3] *Exod.*, cap. III, v. 14.

majestatem omnino esse exclusam, nec ullo modo regulas aut traditiones eorum ad illam summam et ineffabilem altitudinem conscendere; sed creaturarum naturis ad inquirendum eos esse contentos secundum quod scriptum est[1] : «Qui de terra est, de terra loquitur; » quas nec adhuc comprehendere ac ratione discutere ad liquidum sufficiunt. Quod vero omnis hominum locutio ad creaturarum status maxime accommodata sit; ex ea præcipua parte orationis apparet, sine qua, teste Prisciano, nulla constat orationis perfectio, ex ea scilicet quæ dicitur verbum. Hæc quippe dictio temporis designativa est quod incœpit a mundo. Unde si hujus partis significationem attendamus, oportet per eam cujusque constructionis sensum infra ambitum temporis coerceri, hoc est ad eas res tantum inclinari, quas temporaliter contingere, non æternaliter subsistere volumus demonstrare. Unde cum dicimus Deum priorem esse mundo, sive extitisse ante tempora, quis sensus in his verbis verus esse potest de præcessione Dei et successione istorum, si hæc verba ad hominum institutionem accipiamus secundum ipsam temporis significationem, ut videlicet dicamus Deum secundum tempus priorem esse mundo, vel extitisse, hoc est in præterito tempore fuisse antequam tempus aliquod esset? Oportet itaque cum ad singularem divinitatis naturam quascumque dictiones transferimus, eas in quamdam singularem significationem seu etiam constructionem contrahere, atque per hoc quod omnia excedit, necessario propriam institutionem excedere. Constat quippe juxta Boetium ac Platonem, cognatos de quibus loquuntur rebus oportere esse sermones. Quod recte Gregorius in Prologo *Moralium* ait[2] : « Indignum vehementer existimo, ut verba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati. » Sed nec proprium et usitatum nomen Dei ad illam unicam divinitatis majestatem, quæ excogitari non valet, necdum disseri, ipsi magni philosophi noverunt accommodare, qui cum Deum in arce nominant, quam animali rationali supponunt, de mundo et cœlestibus corporibus illud, ut supra meminimus, accipiunt. Quid itaque mirum, si cum omnia ineffabiliter transcendat Deus, omnem quoque institutionis humanæ sermonem excedat? Et cum ejus excellentia omnem longe exsuperet intellectum, propter intellectus autem voces institutæ sint, quid mirum si effectus transcendit, qui transcendit causas? Multo quippe facilius res excogitari quam edisseri valet. Quid etiam mirum, si in se ipso Deus philosophorum infringat regulas, aut exempla quæ in factis etiam suis frequenter cassata[3]? Cum videlicet aliqua nova contra naturam facit, sive supra naturam, hoc est supra hoc quod prima rerum institutio potest. Numquid enim illuminatione cæci nota illa philosophorum regula infringitur, qua ab Aristotele

[1] Joan., cap. III, v. 31. — [2] Cap. v. — [3] Adde *sunt*.

dictum est: Ab habitu quidem in privationem fit mutatio, a privatione vero in habitum impossibile est? Neque enim cæcus factus rursus videt, etc. Numquid et Virginis partus omnino illi præjudicat propositioni, quæ frequenter a philosophis in exemplum necessariæ consequentiæ seu argumentationis affertur: Si peperit, cum viro concubuit? Ut hinc quoque appareat quod ait Apostolus[1]: « Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? » Quod si ut philosophos salves, ea quæ per miracula fiunt excipias, aut in his vocabula propriam significationem non observare dicas, ut videlicet non proprie dicantur visio vel partus, quæ per miraculum contingunt, quanto magis in ipso auctore miraculorum idem concedi oportet?

Responde tu, mi acute dialectice, seu versipellis sophista, qui auctoritate Peripateticorum me arguere niteris, de differentia scilicet personarum et earum proprietatibus, quæ in Deo sunt, quomodo ipsos quoque doctores tuos absolvis, secundum traditiones quorum, ut jam ostendimus, nec Deum substantiam esse, nec ipsum esse aliquid aliud cogeris confiteri? Quem tamen solum vere ac proprie esse, videlicet perpetuam ejus et incommutabilem permanentiam, tam ipse, ut dictum est, ad Moysen loquens innotuit, quam ab ipso instructi veri philosophi. Unde et beatus Job inter cetera de eo commemorat[2], « Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationes ejus. » Attendite, fratres et verbosi amici, quantum ab invicem dissonent divinæ et humanæ traditiones, spiritales et animales philosophi, sacrarum et sæcularium scripturarum disciplinæ. Ut enim supra docuimus, constat secundum vestrarum artium disciplinas quæ omnium rerum naturas in decem prædicamenta distribuunt, Deum penitus nihil esse, quem tamen ipsius Dei ac discipulorum ejus testimonio solum esse profiteri cogimur. Quod si ut vestras defendatis disciplinas, naturis, ut diximus, creaturarum differendis eas esse contentas annuatis, nec de celsitudine divinitatis eas præsumsisse, et vos eis innitentes minus nos infestare præsumite, cum talia fides verba protulerit, quorum intelligentia vestris incognita est disciplinis. Certum quippe est quoniam unaquæque sententia atque cujuslibet artis tractatus propriis utitur verbis, et unaquæque doctrina propriis locutionibus gaudet, et sæpe ejusdem artis tractatores verba variare delectat, quia semper in omnibus, teste Tullio, identitas mater est satietatis, hoc est fastidium generans: quanto magis ergo illius singularis et summi Boni tractatores singularia verba habere oportuit, quibus id quod singulare est singulariter efferretur, nec publicis et vulgaribus locutionibus illud ineffabile, illud incomprehensibile coerceretur! De quo si quid dicitur, aliqua similitudine de creaturis ad creatorem vocabula

[1] *Corinth.* I, cap. I, v. 20. — [2] Job., cap. XXIII, v. 13.

transferimus : quæ quidem vocabula homines instituerunt ad creaturas designandas quas intelligere potuerunt, cum videlicet per illa vocabula suos intellectus manifestare vellent. Cum itaque homo voces invenerit ad suos intellectus manifestandos, Deum autem minime intelligere sufficiat, recte illud ineffabile bonum effari nomine non est ausus, unde in Deo nullum propriam inventionem vocabulum servare videtur : sed omnia quæ de eo dicuntur translationibus et parabolicis ænigmatibus involuta sunt, et per similitudinem aliquam vestigantur ex parte aliqua inductam, ut aliquid de illa ineffabili majestate suspicando potius quam intelligendo degustemus. Et quoniam minus plenarias similitudines invenimus ad illud quod singulare est inducendas, minus de eo satisfacere possumus per similitudines : quas tamen possumus aggrediemur, maxime ut pseudodialecticorum importunitatem refellamus, quorum disciplinas et nos paululum attingimus, atque adeo in studiis eorum profecimus, ut Domino adjuvante, ipsis in hac re per humanas rationes, quas solas desiderant, satisfacere nos posse confidamus. Habet enim humanas etiam rationes conditor ipse rationis, quibus animalium hominum ora obstruere possit, qui nos per Sapientem illum admonet dicens[1] : « Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. » De cujus etiam sapientia in ipso *Sapientiæ* libro inter ceteras ipsius laudes dicitur[2] : « Scit versutias sermonum et dispositiones[3] argumentorum. » Illud autem primum removeamus obstaculum, quod de differentia personarum unius et ejusdem penitus essentiæ opponunt, cum hic differentiæ modus tam philosophis quam ceteris omnibus videatur ignotus.

Quod autem Porphyrium nobis opponunt, qui de differentiis tractans, modos differentiarum distinxit, sub quibus modus iste differentiæ personarum quæ in Deo sunt non cadit, nihil impedit. Ibi quippe solummodo differentias tractat quæ in formis consistunt, quando videlicet res discretæ diversis ab invicem formis distant, vel eadem res per formas sibi invicem succedentes permutatur. In Deo autem nullæ formæ sunt, nec tamen ideo minus eum a creaturis differre dicimus, licet Porphyrius in tractatu differentiæ hanc differentiam non connumeret. Multos etiam alios differentiæ modos præter hos quos Porphyrius distinguit, fateri cogimur : quos omnes ut plenius ac diligentius prosequamur, distinguendum est quot et quibus modis idem accipiatur, sive etiam diversum, præsertim cum totius controversiæ summa ex identitate divinæ substantiæ et diversitate personarum pendeat, nec aliter ipsa queat terminari controversia, nisi ostendamus hanc identitatem illi diversitati non esse contrariam. Quod ut

[1] *Prov.*, cap. XXVI, v. 5. — [2] *Sap.*, cap. VIII, v. 8. — [3] In vulgata editione *dissolutiones*.

diligentius fiat, præmittendum est, ut diximus, quot modis dicatur idem, et quot modis diversum.

Quinque autem modis ac pluribus fortasse utrumque per se etiam acceptum dici videtur. Idem namque sive unum aliquid cum aliquo dicitur, secundum essentiam, sive secundum numerum, idem proprietate, idem definitione, idem similitudine, idem pro incommunicato. Totidem modis e contrario dicimus diversum ac fortassis pluribus.

Idem aliquid cum aliquo essentialiter dicimus, quorum eadem numero est essentia : ita scilicet ut hoc et illud sint eadem numero essentia, sicut eadem numero essentia est ensis et mucro, vel substantia et corpus, sive animal sive homo, sive etiam Socrates, et album idem numero quod durum. Verum est enim substantiam esse hoc corpus sive hoc animal, licet non omnem. Et hæc quidem omnia, quæ videlicet eadem sunt essentialiter, eadem numero dicuntur, quia cum eadem sit utriusque essentia, non potest in eis numerus rerum multiplicari, nec computatio ex ipsa rerum discretione protendi, ut videlicet dicatur de eis unum, duo, etc., cum videlicet numerus nonnisi in discretis constat essentiis, hoc est, in his quæ ita penitus sunt diversæ, ut non solum hoc non sit illud, verum nec alterum de altero sit, nec aliquid de isto sit de illo, hoc est, ut nec alterum pars sit in quantitate alterius, nec eamdem communicent partem.

Idem vero proprietate aliquid cum aliquo dicitur, quando hoc illius proprietatem participat, ut album duri, vel durum albi. Nam et album duritiam participat, quæ proprietas duri, quod est dicere « durum est album, » vel e converso durum albi. Nonnulla autem essentialiter eadem sunt, quæ tamen proprietatibus suis distinguuntur, cum eorum scilicet proprietates ita penitus impermixte maneant, ut proprietas alterius ab altero minime participetur, etiamsi sit eadem numero penitus utriusque substantia. Verbi gratia, in hac imagine cerea idem est numero hæc cera, hoc est materia ipsa et materiatum, nec tamen ibi materia ipsa et materiatum suas communicant proprietates, cum nec ipsa materia cereæ imaginis sit materiata, hoc est ipsa cera sit facta ex cera, nec ipsum materiatum sit materia ibi, hoc est cerea imago sit materia cereæ imaginis, cum videlicet nihil sui ipsius pars aliquo modo sit constitutiva, aut naturaliter prius. Itaque materia cereæ imaginis et materiatum ex cera cum sint eadem numero essentia, in suis proprietatibus tamen sunt impermixta. Ipsa quippe materia cereæ imaginis et ipsum materiatum, utpote ipsa cera et ipsa imago cerea sunt eadem cera, hæc scilicet cera : sed tamen ipsum materiatum ibi nequaquam est materia, nec ipsa materia est materiata, licet ea res est quæ materiata. Pertinet autem ad proprietatem materiæ præcedere ipsum materiatum quod

ex ipsa sit : ad proprietatem vero materiati subsequi ac posterius esse. Proprietas itaque materiæ ipsa est prioritas, secundum quam ex ea materialiter aliquid fieri habet. Materiati vero proprietas est ipsa e converso posterioritas. Proprietates itaque ipsæ impermixtæ sunt per prædicationem, licet ipsa propriata, ut ita dicam, permixtim de eodem prædicentur. Aliud quippe est prædicare formam, aliud formatum ipsum, hoc est rem ipsam formæ subjectam. Si enim dicam, Imago cerea est prior cera, hoc est prioritatem habet respectu ceræ, tunc ipsam copulo ac prædico formam; et falsum est quod dicitur. Si vero dicam, Imago cerea est prius cera, hoc est res aliqua prior cera; tunc ipsum copulo et prædico formatum, ac vera est propositio, cum ipsa imago sit corpus quod est prius cera. Sic et Socrates non habet perpetuitatem, hoc est non est perpetuus, licet sit res perpetua, siculi hoc corpus. Ostenso itaque quæ sint proprietatibus diversa, clarum est e contrario quæ sint eadem convenientia proprietatum.

Ex his autem quæ scilicet eadem essentialiter seu proprietate dicuntur, quædam diffinitione quoque eadem sunt, sicut ensis et mucro, vel Maro et Tullius, et quorumcumque eadem penitus est diffinitio, quoniam non solummodo ensis et mucro est mucro et ensis; verum etiam ex hoc quod ensis est, mucro est, et a converso, ut eadem penitus diffinitione sint terminanda, cum idem sit expressum et proprium esse hujus quod illius. Hoc autem modo Boetius idem accipit in primo *Topicorum* ubi ait, quæstionem de diffinitione esse de eodem, veluti cum quæritur utrum idem sit utile quod honestum, « eo, inquit, quod quarum rerum eadem est diffinitio, ipsæ res eadem sunt : et quarum rerum diffinitio est diversa, ipsæ res sunt diversæ. » Diffinitionem autem hoc loco accipimus, quæ ex integro vim et proprietatem definiti exprimit, et sententiam nominis in nullo excedit, nec ab eo exceditur, ut si quis diffiniens corpus, dicat ipsum esse substantiam corpoream, non substantiam coloratam, quamvis enim hæc diffinitio « substantia colorata » omnibus et solis corporibus conveniat, sicut illa; non tamen vim et sententiam hujus nominis, quod est corpus, aperit, sicut facit illa : quia nomen « corpus » colorem non determinat, quod est accidens corpori, sicut determinat corporeitatem, quæ est ei substantialis. Nec ita hæc diffinitio ostendit id quod proprietas exigit, ex eo scilicet quod corpus est, sicut illa facit. Tale est ergo dicere quod ensis et mucro idem sunt diffinitione, ac si diceretur eadem essentia ita esse ensis et mucro, quod ex eo quod ensis est, hoc tantum exigit ut mucro sit et e converso, ut videlicet non solum eadem essentia sit ensis et mucro, verum et idem sit penitus esse ensem quod esse mucronem. Eadem itaque diffinitione dicuntur, quæ ita adjuncta sunt, non ut solummodo hoc sit illud, verum etiam ex eo quod est hoc

exigat tantum ut sit illud, et e converso; et hoc quidem modo non possunt dici idem substantia et corpus, vel album et durum, licet sint idem essentialiter. Omnia ergo quæ eadem sunt diffinitione, eadem sunt essentialiter, sed non convertuntur; et secundum has quidem tantum duas significationes suprapositas relative supponi solet hoc pronomen quod est « idem, » hoc est aut secundum identitatem numeri, aut secundum identitatem diffinitionis. Cum enim dicimus, « Mulier damnavit mundum et eadem salvavit, » duo sunt sensus : unus quidem falsus, si ad identitatem numeri fiat relatio, ut videlicet eadem personaliter ac numero mulier intelligatur et damnasse et salvasse : alius sensus verus, si ad identitatem diffinitionis supponatur « idem, » ut videlicet tantumdem significet, quantum nomen mulieris simpliciter repetitum, « mulier damnavit, » et « mulier salvavit : » quod quidem verum est per Evam et Mariam.

Idem vero similitudine dicuntur quælibet discreta essentialiter, quæ in aliquo invicem similia sunt, ut species idem sunt in genere, vel individua idem in specie, sive unum, vel quælibet in aliquo convenientia eadem dicuntur, hoc est similia. Unde Porphyrius : « Participatione, inquit, speciei plures homines unus ; unus autem et communis particularibus plures. »

Dicimus etiam idem pro incommunicato, ut semper idem Deus est, hoc est numquam in aliquo alteratus vel permutatus, quia nihil umquam natura divinitatis in se habet, quo aliquando careat; vel caret, quod habeat efficaciæ valetudinem, sicut eadem[1] quæ idem valent. Idem itaque sive unum quinque supradictis modis dicitur, licet sæpe eadem res sub pluribus ex istis modis cadat, ut videlicet tam hoc quam illo modo possit dici eadem cum aliquo. Totidem etiam modis dicimus diversum, sive differens, cum videlicet modo diversa dicantur essentialiter, id est numero, modo proprietate, vel diffinitione, vel similitudine, vel mutatione.

Dicimus autem ea ab invicem essentialiter diversa, quæcumque ita ab invicem dissident, ut hoc non sit illud, ut Socrates non est Plato, nec manus Socratis Socrates. Sic etiam quælibet disparata diversa essentialiter dicimus, cum videlicet essentia unius non sit essentia alterius, quamvis tamen sit de essentia alterius, ut manus de homine, vel paries de domo. Sicut ergo Socrates aliud est essentialiter quam Plato; ita manus Socratis quam Socrates, et quælibet pars quam suum totum. Secundum quam quidem acceptionem dicimus rem aliam simplicem, aliam compositam, cum videlicet id quod simplex est, non sit ipsum compositum; licet sit de ipso composito. Omnia ergo essentialiter diversa dicimus, quæ ita ab invicem sunt remota, ut hoc non sit illud. Hanc

[1] In editis *easdem*.

vero differentiam ipse quoque Porphyrius in communitatibus aperte insinuat, ubi videlicet ostendit generalissimum et specialissimum in eo differre, quod neque generalissimum fiet unquam specialissimum[1], neque specialissimum generalissimum. Horum autem quæ essentialiter diversa sunt, quædam numero quo que diversa sunt, quædam minime.

Diversa quippe numero dicimus, quæ adeo tota essentiæ suæ quantitate ab invicem discreta sunt, ut non solum hoc non sit illud, verum ne unum alterius pars sit, vel eamdem cum eo communicet partem. Hæc itaque sola et omnia numero sunt differentia, quæ tota quantitate suæ essentiæ discreta sunt, sive solo numero ab invicem distent, ut Socrates et Plato; sive etiam specie, ut hic homo et ille equus; seu genere quoque, ut hic homo et hæc albedo; seu quacumque forma ab invicem differant, sive illa forma sit communis differentia, hoc est separabile accidens, ut nasi curvitas, sive magis propria differentia, id est substantialis, sicut est rationalitas, quæ scilicet substantialis differentia non solum facit alterum, id est quoquo modo diversum; verum etiam aliud, hoc est substantialiter atque specie diversum. Et hæc sola proprie dicuntur plura sive multa, eo quod plura et multa proprie ad numerum pertinent, et secundum numerum accipiuntur. Sunt itaque quædam essentialiter diversa, quæ non sunt numero differentia, utpote domus et paries, et quodlibet integrum totum cum propria parte sua. Utroque autem prædicto diversitatis modo ipse etiam Deus differens dicitur a creaturis, tam essentialiter scilicet quam numero. Hoc etiam modo diversa sumimus, quando negamus in uno ternario diversos esse binarios. Nam licet tertia unitas cum unaquaque aliarum duarum unitatum unum binarium efficiat, et hic binarius non sit ille, diversos tamen binarios dici negamus, cum non sint tota capacitate vel continentia suæ essentiæ discreti, cum eamdem scilicet unitatem communicent. Sed et cum dicimus aliquem solam domum possidere, hoc est, domum et nihil aliud diversum a domo, diversum numero potius quam essentialiter intelligimus. Qui enim domum possidet, etiam parietem, qui non est domus, in possessione habet. Sed cum sit paries essentialiter diversus a domo, in qua non est diversus numero, cum videlicet in ipsa quantitate domus comprehendatur. Et notandum quod cum omne idem essentialiter cum aliquo sit idem numero cum ipso et e converso; non tamen omne diversum essentialiter ab aliquo diversum in numero est ab ipso, ut supra docuimus. Pars quippe quælibet diversa est essentialiter a suo toto, sed non diversa numero, nec fortassis eadem numero, nisi quis forte numero idem

[1] Sic locum restituimus ex ipsa Porphyrii de generibus et speciebus doctrina. In editis *generalissimum fictum quam specialissimum;* quod sensu caret.

negative dicat, hoc est non diversum numero. Si enim pars numero diversa diceretur a suo toto, profecto Socrates de differentibus numero prædicari concederetur, cum videlicet hoc totum ex manu scilicet et reliquo corpore compositum sit Socrates, et ipsum quoque reliquum corpus a manu deinceps Socrates sit dicendum, hoc est hac anima vivificatum; de quo quidem latius in prædicamento substantiæ alibi nobis agendum fuit.

Diversa autem diffinitione sunt, quæ eadem diffinitione sententiæ terminari non possunt, hoc est quæ talia sunt, ut sese mutuo non exigant, licet eadem res sit utrumque, sicut est substantia et corpus, vel album et durum. Non enim ex eo quod substantia est corpus est; vel ex eo quod album est, durum est, cum hoc sine illo queat esse, neque ex se illud exigat. Et hanc quidem differentiam Boetius in primo *Topicorum* nos docet, ubi cum dicàt idem esse propositionem, quæstionem, conclusionem; dicit tamen ea differre, cum videlicet propositio possit esse si non sit quæstio vel conclusio; et quæstio si non sit conclusio, cum hoc non exigat illud, et singula propriis diffinitionibus terminanda sint. Qui etiam in *Divisionibus* hoc modo rationale et bipes differre dicit, licet, inquit, nulla ab invicem oppositione disjungantur. Porphyrius quoque in *Isagogis* suis hujusmodi differentiam, secundum diffinitionem scilicet, non prætermisit, cum ait : « Quorum termini, id est diffinitiones sunt differentiæ, ipsa quoque sunt differentia. » Certum quippe est omnia quæ quoquo modo affirmatione et negatione disjungi possunt, differre ab invicem. Verbi gratia, si de aliquibus ostendere possumus, quod istud animal, et illud non sit animal, clarum est ea differre; unde etiam oportet concedi quælibet diffinitionibus diversa, etiamsi sint sibi per prædicationem cohærentia, sicut animal et homo, vel album et durum, differre quodammodo ab invicem, cum ea quoque quodammodo affirmatione et negatione ab invicem separentur. Animal quippe esse potest, ita quod non sit homo; sed homo non potest esse, ita quod non sit animal[1]; et animal hoc tantum exigit, ut sit animatum et sensibile; homo vero non hoc tantummodo, sed insuper ut sit rationale et mortale. Eodem modo phœnix et hic phœnix, et hoc corpus, et hæc anima, sive hic homo, sive hoc corpus album, diversa esse possunt ostendi, licet ejusdem penitus essentiæ sint. Ad hanc quoque diversitatem illud pertinere videtur, quod ait Porphyrius, differentiarum alias esse divisivas generis, alias constitutivas specierum. Nam licet eædem penitus divisivæ sint et constitutivæ, aliunde tamen constitutivæ sunt, ex eo scilicet quod constituunt, aliunde divisivæ, ex eo scilicet quod dividunt ab invicem; hoc est diversificant species. Et ideo alia est proprietas sive diffi-

[1] In editis *homo*.

nitio constitutivi, alia divisivi, sicut et cum dicimus infinitum aliud secundum tempus, aliud secundum mensuram, aliud secundum multitudinem et cetera, aliud diffinitione accipimus. Et nos quidem pro eodem vel diversis diffinitione eumdem statum vel diversos status consuevimus dicere, nec aliter hunc statum illum esse dicimus, nisi idem sit diffinitione penitus hæc res cum illa, aut hunc statum non esse illum, nisi hæc res non sit eadem penitus cum illa, in expresso scilicet esse suo, hoc est eadem omnino diffinitione.

Quæ vero sint proprietate diversa diligenter arbitror superius esse discussum, cum e contrario quæ sint eadem proprietate doceretur.

Similiter et ex eo quod diffinitum est quæ sint eadem similitudine, hoc est similia, clarum e contrario relinquitur quæ sint similitudine diversa, hoc est in aliquo dissimilia.

Diversum quoque mutatione ex superioribus per contrarium dici liquet quidquid in aliquo est permutatum, hoc est diversificatum ab eo quod prius erat, ut si modo stet Socrates, modo sedeat. Hæc quidem dicta sunt ad ostendendum quot modis idem et diversum accipiantur ex propria vi per se etiam dicta, cum frequenter ex adjunctis et alias assumant significationes, vel istas deponant. Cum enim dicimus loca diversa, diversa dicimus secundum continentiam, non secundum numerum, vel secundum essentiam : alioquin vinum quod est in dolio et in domo in diversis esset locis, cum nullum corpus in diversis esse locis concedatur. Cum itaque locus hoc nomen ex continentia vel capacitate conveniat, cum additur ei diversum, diversitas continentiæ designatur : ac si diceretur loca diversa quæ idem continere ac concludere non habent. Sic et cum dicimus Spiritum sanctum multiplicem, vel septem Spiritus, quia Spiritus ex operatione suæ bonitatis et distributione suæ gratiæ dici solet, hanc multiplicitatem ac diversitatem Spiritus ad effecta ejus totam reducimus : juxta quod et illud accipitur quod Veritas ait [1] : « Alium Paraclitum dabo vobis, » hoc est ad aliud efficiendum in vobis. Sed et cum dicimus opifex alius, pictor alius, faber alius, etc., quia hoc nomen opifex ex operatione convenit, sive ex officio, dicimus alium et alium secundum effecta vel officia, non secundum personas, cum fortasse nonnunquam eadem persona utriusque officii sit. Sed cum Aristoteles vester dicit in primo *Perihermenias*, sermones sicut et litteras non eosdem omnibus esse, sed diversos diversis, secundum officium significandi id dixit, quod est sermonum et litterarum, non secundum ipsam vocum prolationem : quia cum sit prolatio vocum naturalis omnibus, significandi officium apud omnes non tenetur, sed apud eos solummodo, qui earum impositionem non ignorant. Qui etiam post-

[1] Joan., cap. XIV, v. 11.

modum in secundo *Perihermenias*, ait, vocem esse unam et affectiones multas. Aut cum Priscianus dixit multa nomina incidere in unam vocem, multa seu diversa accipiuntur secundum ipsum significandi officium ad diversos intellectus constituendos, unde affirmationes vel nomina dicuntur. Vocem vero unam dicit ex ipsa prolationis et soni forma, non ex officio, cum videlicet voci hoc nomen ex qualitate soni, non ex officio significandi datum sit. Sic itaque ex adjunctione subjectorum idem et diversum frequenter suas significationes commutant, sicut et ceteræ sæpe dictiones, ut si dicam citharœdus bonus et homo bonus, vel vox simplex et propositio simplex, vel vera diffinitio et vera oratio.

Puto me diligenter distinxisse, quantum ad præsens negotium attinet, quot modis idem sive diversum accipiatur, ut facile postmodum discutiatur in quo consistat diversitas personarum quæ in Deo sunt, quarum eadem penitus substantia est. Eadem, inquam, essentialiter ac numero, sicut eadem est substantia ensis et gladii, vel hujus hominis et hujus animalis. Sunt autem ab invicem diversæ personæ, id est Pater et Filius, et Spiritus sanctus ad similitudinem eorum quæ diffinitione diversa sunt seu proprietate, eo videlicet quod, quamvis eadem penitus essentia sit Deus Pater quæ est Deus Filius, seu Deus Spiritus sanctus; aliud tamen proprium est Dei Patris, in eo scilicet quod Pater est, et aliud Filii, et aliud Spiritus sancti. Patris quidem proprium est, ut supra quoque meminimus, a seipso esse, non ab alio, et coæternum sibi Filium æternaliter gignere; Filii vero gigni a solo Patre; Spiritus sancti procedere ab utroque. Unde bene sancti Patres has personas ab invicem quibusdam quasi proprietatibus differre dixerunt, juxta illud Gregorii : « Et in personis proprietas, et in essentia unitas. » Et illud Hieronymi in epistola de explanatione fidei *ad Damasum* papam directa, ubi dicitur : « Confundentes Arium, unam eamdemque dicimus Trinitatis substantiam. » Item, « Impietatem Sabellii declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus. » Et post aliqua, personas etiam ipsas proprietates appellat, dicens : « Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est personas, vel ut Græci exprimunt hypostases, hoc est subsistentias confitemur. » Ubi et rursus adjecit : « Itaque substantia unum sunt, personis ac nominibus distinguuntur. » Non tamen cum proprietates dici audimus, ita intelligendum est, ut formas aliquas in Deo opinemur, sed proprietates quasi propria dicimus, eo scilicet modo quo dicit Aristoteles omni substantiæ commune esse non esse in subjecto, vel non suscipere magis et minus, sive nihil esse ei contrarium; nec in his tamen communitatibus quas assignat ullas intelligit formas; quas scilicet communitates potius removendo aliquid, quam ponendo assignat. Et quemadmodum dicimus substantiæ proprium esse quod per se subsistit, quia videlicet

ex eo quod substantia est, hoc solummodo exigit; et rei informis dicimus proprium esse quod non habet formas, utpote ipsius Dei, vel rei simplicis quæ partibus caret, nullasque per hoc formas ponere videmur, sed prorsus omnium tam formarum quam partium remotionem facere; aut si quis aliquas in hoc quoque formas intelligat, certum est ipsas omnino non esse diversas res ab ipsis substantiis quibus insunt; ita et Patris istud esse proprium dicimus, illud Filii, atque illud Spiritus sancti. Nolo autem sub silentio præterire, quare videlicet in adsignandis proprietatibus divinarum personarum tamdiu perstiterim, ut eas quidem proprietates non esse aliud ab ipso Deo vel ab ipsis personis astruerem. Hoc ideo plurimum faciendum esse decrevi, quod temporibus nostris nonnulli inter vere catholicos computati, atque etiam per assiduitatem studii divinorum librorum cathedram magisterii adepti, in tantam prorumpere ausi sunt insaniam, ut proprietates ipsas personarum alias res esse ab ipso Deo vel ab ipsis personis profiteantur, hoc est Paternitatem ipsam, et Filiationem, et Processionem Spiritus, quas quidem ipsa etiam sanctorum Patrum auctoritas relationes appellat. In hanc autem hæresim ex hoc maxime sunt inducti, quod nisi proprietates istas, per quas scilicet personæ differunt, diversas res ab ipsa substantia divina ponant, nullo modo assignare valent, in quo sit personarum diversitas, quarum eadem penitus est essentia. At vero frustra hoc diffugium quærunt, ut se absolvant; et frustra hanc falsitatem constituunt, ut veritatem defendant : quos, cum interrogantur, nescire se profiteri pudet. Cum enim unam tantum et individuam esse divinam essentiam non præsumant contradicere, cui tres illas proprietates inesse dicunt : quæ est ideo major diversitas inter Deum Patrem et Deum Filium, quam inter hunc hominem patrem istius et eumdem filium illius, cum videlicet idem homo et pater sit istius et filius illius? Aut si non est major diversitas ibi quam hic, qua ratione concedunt hunc hominem patrem esse, hunc hominem filium, et non Deum Patrem esse Deum Filium? Quid etiam valet hoc constituere quod summam non excludit controversiæ? Quomodo hoc præsumit Christianus, quod etiam gentilis et quislibet abhorret infidelis, aliquid videlicet in Deo fingere quod non sit ipse? Numquid enim si Paternitas, quæ inest Deo, alia essentia sit ab ipso Deo, verum est Deum Patrem ex duobus consistere, hoc est ex Deo et Paternitate, ipsumque esse totum ad hæc duo ex quibus consistit? Numquid etiam pro eo quod has proprietates vocamus relationes, oportet eas intelligi res diversas ab ipsa substantia, quæ ad aliquid relative secundum eas dicitur? Nequaquam utique. Alioquin et cum Deus Dominus relative dicitur, dominium ejus alia essentia ab ipso esset, cujus profecto susceptione mutari Deum contingeret, cum esse Dominus cœperit. Adversum quam detestabilem hæresim B. Augustinus libro V *de Trinitate*, capite XVI, aperte invehitur, Dei incommu-

tabilitatem defendens in his quidem quæ ei ex tempore conveniunt. « Certe, inquit, ut Dominus hominis esset, ex tempore accidit Deo, et ut tuus Dominus esset aut meus, qui modo esse cœpimus. Quomodo igitur obtinebimus nihil secundum accidens dici de Deo, nisi quia ipsius naturæ nihil accidit quo mutetur, ut ea sint [1] accidentia relativa, quæ cum aliqua mutatione earum rerum de quibus dicuntur accidunt, sicut amicus relative dicitur, et fit aliqua mutatio voluntatis, ut amicus dicatur. Nummus autem cum dicitur pretium, relative dicitur, nec tamen mutatus est, neque cum dicitur pignus. Si ergo nummus potest nulla sui mutatione totiens dici relative, ut neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in ejus natura vel forma, qua nummus est, mutationis fiat; quanto facilius de incommutabili Dei substantia debemus accipere, ut ita dicatur relative aliquid ad creaturam, ut quamvis tamen temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei accidisse intelligatur; sed illi creaturæ ad quam dicitur [2], « Domine refugium factus est nobis ? » In nobis ergo fit aliqua mutatio, et efficimur ad eum refugiendo meliores, in illo autem nulla. Sed et Pater [3] noster esse incipit, cum per ejus gratiam regeneramur. Substantia itaque nostra mutatur in melius. Quod ergo temporaliter dici incipit Deus, manifestum est relative dici, non secundum accidens Dei, sed plane secundum accidens ejus ad quem dici aliquid incipit Deus relative. Et quod amicus Dei justus esse incipit, ipse mutatur, Deus autem absit ut aliquem temporaliter diligat, quasi nova dilectione. Itaque omnes sanctos ante mundi constitutionem dilexit, sicut prædestinavit : sed cum convertuntur, et inveniunt illum, tunc incipere ab eo diligi dicuntur, ut eo modo dicatur, quo potest humano affectu capi quod dicitur. Sic etiam cum iratus malis dicitur, et placabilis bonis ; illi mutantur, non ipse : sicut lux infirmis oculis aspera, firmis lenis est, ipsorum mutatione, non sua. » Nemo itaque quia Deum relative Patrem vocari novit, sive Filium, proprietates istas relationum alias res esse a Deo præsumat confiteri, cum et ipsius Augustini testimonio, quod longe ante posuimus, divina substantia ideo simplex dicatur, quod nihil sit in ipsa, quod non sit ipsa; qui [4] etiam omnem naturam, aut Deum esse, aut ab ipso factam, aperte profitetur, sicut supra quoque meminimus. Sed et Hieronymus ipse, ut supra quoque meminimus, proprietates ipsas personas dicit. « Non enim, inquit, nomina tantummodo, sed et nominum proprietates, id est personas confitemur. » Nam et in nobis ipsis multa relative accipiuntur, cum nemo discretus relationes ipsas aliud a nobis esse concedat, quippe unaquæque res cuilibet alteri similis dicitur in eo quod esse habet; vel etiam opposita sive dissimilis in eo quod non

[1] In editis *aut ea sint.* — [2] *Psalm.*, LXXXIX, v. 1. — [3] Ap. August. *Sic et pater noster.* — [4] Sic locum restituimus. In editis et in codice Turonensi *quod nihil sit in ipsa*, *quod etiam.*

est ipsa. Quod[1] similitudo vel oppositio ab ea re cujus relatio dicitur diversa essentialiter sit, cum ipsa rursus similitudo similis sit, et ipsa oppositio opposita, quis summum infinitatis inconveniens vitare rationabiliter poterit, cum nullus in natura rerum terminus occurrat : ita ut nec Deo numerus ipse rerum definitus sit, qui in rerum natura definitus non subsistit, ubi quidem nullus terminus occurrit? Quid enim ridiculosius, ut cum aliquis modo nascitur, cui similis efficior, propter illum quædam res nova mihi innascatur, quam cum ille perierit necesse sit deperire?

Personam itaque hoc loco diversam ab altera dicimus, eo quod diffinitione ab ea disjungatur, hoc est proprietatis suæ singularitate, ut videlicet hoc sit hujus proprium quod non sit illius proprium. Quæ quidem propria superius sunt distincta. Et ita Pater a Filio proprietate sive diffinitione diversus est, hoc est alius; et similiter uterque a Spiritu sancto. Quomodo autem beatus Augustinus, nisi hanc diversitatem propriorum sive diffinitionum attenderet, quomodo, inquam, dixisset in VII *de Trinitate*, ut supra quoque meminimus : « Quid aliud est Deo esse, aliud Patrem esse? » cum videlicet idem numero sit in Deo ipsum ens et Pater? Quod si expressius prosequi velimus quid sonet persona in Deo, tantumdem valet, quantum si dicamus, eum esse vel Patrem, hoc est divinam potentiam generantem; vel Filium, hoc est divinam Sapientiam sumtam[2]; vel Spiritum sanctum, hoc est divinæ benignitatis processum. Et Deum esse tres personas tantumdem valet, ac si dicamus eum esse Patrem simul et Filium et Spiritum sanctum. Tale est etiam Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse tres personas ab invicem discretas, tamquam si dicamus tres personas ex diversitate proprietatum suarum ita ab invicem per prædicationem disjunctas, ut nulla earum sit altera, neque scilicet Pater sit Filius aut Spiritus sanctus, neque Filius sit Spiritus sanctus. De qua quidem prædicationis oratione plene nobis disserendum in sequentibus erit. Et fortasse cum dicimus in Deo personas diversas, ita scilicet ut non solum sint diffinitione diversæ, verum etiam prædicatione ab invicem disjunctæ, cum hæc non sit illa, non est necesse ut hoc nomen « diversum » per se hanc significationem gerat, sed ex adjuncto quod est persona id contrahat. Persona itaque hoc nomen cum in divinitate profertur, et tantumdem sonat, quantum si sub disjunctione diceretur, « Deus Pater, vel Deus Filius, vel Deus Spiritus sanctus; » quodammodo non substantialiter sed relative dicitur, cum ea videlicet quæ relative dicantur, sub disjunctione denotet, Patrem scilicet, Filium et Spiritum sanctum, quamvis in constructione non habeat ad quod relative dicatur. Alioquin cum personas pluraliter dicamus,

[1] Vel potius *Cum*. — [2] Sic in editis et in codice. Legendum videtur *genitam*.

non ad probandum videtur quod beatum Augustinum supradixisse commemoravimus V *de Trinitate* libro, capite VIII, tantam videlicet vim esse ejusdem substantiæ in Patre et Filio et Spiritu sancto, ut quidquid de singulis ad seipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur. Qui etiam cum ibidem in fine præcedentis capituli submisisset, quia sicut Filius ad Patrem, et non Filius ad non Patrem refertur, ita genitus ad genitorem et non genitus ad non genitorem referatur necesse est; longe aliter quam nos soleamus relativa dixit, non Filium et non Patrem, et non genitum et non genitorem, cum in his nominibus abnegativis magis relationes removeantur, quam conferantur, nec naturaliter ista simul habeant esse, sicut de relativis constat. Non enim necesse est ut si aliqua res sit non generans, sit aliqua non genita, vel e converso. Quodam itaque modo abusive hæc quoque relativa dixit, secundum illam relationum significationem quam remotive tenent, sicut et non homo hominem perimendo significare dicitur, et quodlibet infinitum suum finitum.

Ne mireris in eadem divina substantia tres personas distingui secundum expositam rationem, cum etiam secundum grammaticam institutionem, eumdem hominem tres personas esse concedamus : primam videlicet secundum hoc quod loquitur, et secundam in eo quod ad ipsum sermo dirigitur, necnon et tertiam cum de ipso alter ad alterum loquitur. Quarum quidem personarum diversitas cum eadem sit ipsarum substantia, non aliter distingui possunt, quam secundum propria eorum quæ diffinitionibus exprimuntur, cum videlicet aliud sit proprium loquentis, in eo scilicet qui loquitur, aliud audientis, vel de quo locutionem alter habet ad alterum, sicut et divinarum personarum diversitas secundum proprias ipsarum diffinitiones est ad significata. Quod[1] si hoc loco diversas personas dicere non abhorres, propter diversitatem scilicet proprietatum, cum tamen hæ personæ non sint a se per prædicationem disjunctæ, ut non videlicet dici liceat primam personam esse secundam, et secundam tertiam, quippe Socrates ipse grammaticis omnis persona esse conceditur : multo magis in Deo diversas esse personas concedi oportet, quas prædicatione quoque a se disjunctas cognoscimus. Præterea sicut in grammatica cum dicimus tres personas determinate intelligimus loquentem, et ad quem loquitur, et de quo loquitur, ut supra meminimus : ita cum dicimus in divinitate tres personas, determinate intelligi convenit Patrem et Filium et Spiritum sanctum, ut supra quoque astruximus, alioquin fortasse plures personas quam tres videlicet confiteri cogeremur.

Rhetores quoque alio modo quam theologi sive grammatici personam acci-

[1] In editis *Qui si*.

piunt, pro substantia scilicet rationali, ubi videlicet de persona et negotio agunt, et locos rhetoricos per attributa personæ et attributa negotio distinguunt. Quam quidem significationem Boetius exsecutus in quarto *Topicorum* ait : « Purgas cum facti culpa his ascribitur, quibus obsisti obviarique non possit, nec tamen personæ sunt. Id enim in aliam constitutionem cadit. » Qui etiam hanc acceptionem personæ contra Euthicen et Nestorium disputans de unitate personæ Dei et hominis in Christo, tali prosecutus est diffinitione : « Persona est, inquit, naturæ rationabilis individua substantia, quæ quidem nequaquam diffinitio dicenda est trium personarum in Divinitate superius a nobis distinctarum, hoc est Patris et Filii et Spiritus sancti. Alioquin cum sint tres personæ, essent tres individuæ rationales substantiæ. »

Personas etiam comœdiarum dicimus ipsos videlicet homines, qui per gestus suos aliqua nobis facta vel dicta repræsentant. Quas et ipse Boetius ibidem distinxit dicens : « Nomen personæ videtur aliunde tractum, ex his scilicet personis, quæ in comœdiis tragœdiisque eos quos interest homines repræsentabant. » Tribus itaque seu quatuor modis ac pluribus fortassis hoc nomen persona sumitur ; aliter videlicet a theologis, aliter a grammaticis, aliter a rhetoribus, vel in comœdiis, ut supra determinatum est. Cum autem sicut in principio operis adsignavimus, in tribus divinis personis, Patre videlicet, Filio, Spiritu sancto, tota boni perfectio consistit, et omnia quæ ad boni perfectionem pertinent, in his tribus comprehenduntur; bene hæ solæ tres personæ distinctæ sunt, cum hæc tria nomina secundum vim suæ significationis cetera omnia in se concludant, quæ ad commendationem boni sunt idonea. Quod enim æternus est Deus, potentiæ est, ut videlicet aliquo non eguerit principio per quod subsisteret; quod vero justus est, sive misericors, benignitas est. Justitia namque est quæ unicuique reddit quod suum est, sive pœnam sive gloriam pro meritis retribuendo. Hoc autem ex benignitatis affectu descendit, quia sicut impium est non judicare mala: ita e contrario pium est illatas ulcisci injurias. Unde et vindicta benignitati adscribenda est, quæ scilicet benignitas nomine Spiritus designatur, sicut scriptum est[1], « Spiritu oris sui interficiet impium. » Similiter cetera nomina Dei, quæ ad perfectionem illius summi boni determinandam conveniunt, ad hæc tria retorquentur.

Sed huic loco gravis fortassis occurrit objectio : cum videlicet Pater et Filius ex potentia et sapientia maxime dicantur, sicut in ipso operis exordio determinavi; quomodo melius per sapientiam Dei una est persona distincta, quam per æternitatem, cum secundum æternitatem quoque quædam sit diffinitionis di-

[1] Isai., cap. XI, v. 4.

versitas. Sicut enim, juxta Augustinum, aliud est Deo esse, aliud Patrem esse; ita et aliud Deo esse æternum, aliud esse Patrem. Numquid etiam hac ratione multas et innumeras personas in Deo convenit confiteri? Quippe Deus ipse et potens est, et sapiens, et justus, et æternus, et misericors, et multa et innumera secundum diffinitionum ac proprietatum diversitatem de eo dici possunt, secundum quæ tamen non est fas assignare personas in Deo, cum sint tres tantum quas distinximus personæ, id est Pater et Filius et Spiritus sanctus. Ad quod respondendum est non hoc nos suscepisse negotium, cur hoc potius modo quam alio personæ divinæ distinctæ sint, sed eas eo modo quo distinctæ sunt convenienter accipi posse, et fidem nostram tueri, si quis non ita, ut credimus, posse stare arguat; hoc autem discutere penes ipsum est Deum, a quo hæc fides tradita est, in cujus voluntate omnium rerum causæ incommutabiliter consistunt, quarum minimam nulla valet humana ratio comprehendere. Plures autem personas quam tres sive pauciores nullomodo in Deo esse concedimus; cum persona in Deo tantumdem sonet determinate, quam vel Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus, ut jam supra diffinivimus. Multa autem tradunt philosophi, quæ eo solum modo tenentur, quia auctoritate philosophorum confirmantur, non ratione aliqua quæ appareat; quanto magis ea quæ Deus tradit, præsertim cum præsto sit ratio, quare videlicet dicta sit hæc trium personarum distinctio, ad commendationem scilicet vel descriptionem summi Boni, sive ad majorem, ut supra meminimus, divini cultus persuasionem, licet et hæc nobis ratio desit quare hoc modo potius quam alio summi Boni descripta sit perfectio, quæ et aliis fortasse multis modis æque describi aut doceri posset! Liquet etiam diversitatem personarum non tantum in diversitate diffinitionum ac proprietatum consistere, verum etiam in remotione prædicationis ipsarum ab invicem, cum nullo modo una personarum sit alia; quam quidem remotionem ab invicem cetera supraposita non habent, cum videlicet ipse Deus Pater sit æternus, et justus, et misericors; similiter et Filius idem sit, et Spiritus sanctus. His de identitate aut diversitate rerum prælibatis, atque insuper adsignato in quo Unitas Dei, in quo Trinitas personarum sit accipienda, ad suprapositas quæstiones atque objectiones redeamus, singulis ordine, prout Dominus annuerit, satisfacientes, quarum primam primum solvamus.

LIBER IV.

Quæsitum primum est an Trinitas personarum quæ in Deo sunt, in vocabulis an in re potius sit accipienda.

Nos autem in re ipsa ita eam accipi debere prædicamus, ut ab æterno res illa unica simplex omnino et individua quæ Deus est, tres personæ sit, ut supra determinatum est, hoc est Pater et Filius et Spiritus sanctus. Tres quidem, ut diximus, secundum diffinitiones aut proprietates, non secundum numerum. Nam et hæc anima et quælibet res multa est et infinita secundum diffinitionum proprietates, non secundum numeri discretionem, eo videlicet quod hujusmodi sit res, quæ sub diversis diffinitionibus cadat, hoc est cui diversæ applicari diffinitiones queant : diversæ, inquam, in sententia, non in rerum continentia. Hæc quippe anima et sapiens est, et justa; sed non idem est sensus sive intellectus diffinitionis justi, qui sapientis. Sicut ergo dicimus hanc animam esse diversam diffinitionibus, secundum hoc scilicet quod est sapiens et justa : ita Deum concedimus esse diversas diffinitionibus personas, secundum hoc scilicet quod est Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus. Et licet idem numero sit in Deo essentia quod personæ, non tamen ideo si est trinus Deus in personis, est trinus in essentia : vel si est unus in essentia, est unus in personis, quod est dicere, si sunt tres personæ, sunt tres essentiæ : vel si est una tantum essentia, est una persona. Quippe cum dicimus « trinus in personis, » hoc est tres personas, tres secundum diffinitiones aut proprietates accipimus, ut supra satis docuimus. Cum vero dicimus « trinus in essentia, » hoc est tres essentiæ, tres essentialiter sive numero intelligimus. Possumus etiam ita accipere Deum esse trinum in personis et unum in essentia, tamquam si dicamus ipsum esse trium diffinitionum sive proprietatum, ut supra determinatum est ex personis ipsis, quod ipse est. In eo, inquam, trium diffinitionum, quod ipse est illæ personæ. Et rursus eumdem esse diffinitionis unius ex essentia quæ ipse est, in eo scilicet quod est illa essentia. Si autem idem esset diffinitione essentia quod personæ, ut videlicet idem penitus sonaret essentia quod personæ, tunc fortassis necesse esset Deum esse trinum in essentia sicut est in personis, aut unum esse in personis sicut est in essentia. In hoc videlicet sensu, ut si trium diffinitionum vel proprietatum esset ex personis et ex essentia similiter, aut si ex essentia unum

esset, et ex personis unum. Cum vero non sint idem diffinitione essentia et personæ, non est necesse hoc. Nam et cum homo idem sit numero cum risibili et navigabili, vel Socrates cum loquente vel audiente et de quo alter ad alterum loquitur, non tamen sic homo est multa diffinitione, in eo scilicet quod est risibilis et navigabilis. Ideo in eo quod est homo, vel si unum diffinitione in eo quod homo, ideo in eo quod est risibilis et navigabilis. Similiter et Socrates cum sit tres personæ secundum grammaticos, in eo scilicet quod est loquens, et audiens, et de quo alter ad alterum loquitur, non tamen in eo quod est Socrates vel quod est substantia; immo ipse unus est in substantia et trinus in personis secundum grammaticos acceptis. Sic et Deus unus omnino est in essentia et trinus in personis : quia et in essentia unus tantum est in numero, et in personis tria diffinitionibus aut proprietatibus diversa. Trinitas itaque ista ad diversitatem diffinitionum vel proprietatum, ut dictum est, spectat; unitas ad essentiam : ideoque sibi minime adversantur, cum secundum diversa, ut dictum est, Trinitas ipsa et Unitas accipiantur ; illa videlicet secundum diversitatem diffinitionum aut proprietatum; hæc secundum numerum.

Movet fortassis aliquem, quod diximus Trinitatem divinarum personarum in re esse accipiendam : ac si dicamus Deum esse trinum in personis, in eo quod ipse res est, cum potius in eo quod res est, una tantum numero sit res, ac nullam in se habeat multitudinem, nec etiam proprietatum diversitatem. Et hic qui hoc dicit recte sentit de eo quod dicit, sed non de eo quod a me supra dictum est et determinatum. Non enim ita Trinitatem in re accipi dicimus, ut in eo quod ipse Deus est res, trinum eum dicamus : sed ita Trinitatem ejus in re esse determinamus, et non in vocabulis consistere, ut ipsa res quæ Deus est, ipsa sit Trinitas : non in quantum res ipse est, sed magis in eo quod est ab æterno illæ tres personæ per vocabula distinctæ. Non enim quia distinctio nominum facta est, Trinitas ista est; sed quia ista ab æterno Trinitas est, distinctio nominum temporalis facta est, ad hoc scilicet quod æternaliter est nobis assignandum qui ex tempore cœpimus. Unde cum dicit Augustinus Deum unum in substantia, trinum in vocabulis; tale est trinum in vocabulis, ac si dicat trinum in his quæ per vocabula distinguuntur, hoc est in personis. Tale etiam in Isidoro reperitur, ubi in *Etymologiarum* libri VII capitulo IV, sic ait : « Proinde Trinitas in relativis personarum nominibus est, » secundum id scilicet quod in illis exprimitur ac designatur. In re itaque quæ Deus est Trinitatem accipimus, non in vi vocabulorum : quæ si omnino deessent, non minus illa in re ipsa permaneret Trinitas. In re, inquam, ita eam accipimus, ut ipsa res quæ Deus est, illa sit Trinitas, non in eo tantum quod est ipsa res, sed quod est personæ illæ supra distinctæ. Longe autem aliud est rem ipsam esse Trinitatem, aliud eam in

eo quod est res esse Trinitatem : sicut aliud est hominem esse album, aliud hominem in eo quod homo est esse album; et Socratem esse tres personas secundum grammaticos, et in eo quod est Socrates esse tres personas illas. Non itaque Deus aut in eo quod est una res, aut in eo quod sit multæ res, quod omnino falsum est, dicendus est Trinitas esse ; sed in eo tantum quod est Pater et Filius et Spiritus sanctus, hoc est harum trium particeps proprietatum supra determinatarum, ut videlicet et gignere habeat Deus et gigni habeat, atque procedere.

Notandum quoque quod nullam rerum multitudinem in divinitate concedamus esse, sed personarum solummodo. Augustinus tamen in primo *de Doctrina Christiana* res pluraliter abusive dicere ausus est ad diversitatem personarum aspiciens; ait quippe sic[1] : « Res aliæ sunt quibus fruendum est, aliæ quibus utendum. Illæ quibus fruendum est nos beatos faciunt. Istis quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adjuvamur. Frui enim est amore inhærere alicui rei propter seipsam. Uti autem, quod in usum venerit ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est. Nam usus illicitus abusus potius vel abusio nominandus est. Si redire in patriam volumus, ubi beati esse possimus, utendum est mundo, non fruendum, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur[2]. Res igitur quibus fruendum est, Pater et Filius et Spiritus sanctus; eademque Trinitas summa una quædam res est, communisque omnibus fruentibus ea : si tamen res et non rerum omnium causa sit; si tamen et causa. Non enim facile nomen quod tantæ excellentiæ conveniat inveniri potest. » In quibus verbis dum dicit si et si, quasi dubitative magis quam confirmative nullum horum creaturarum nominum divina excellentia dignum esse insinuat. Hieronymus quoque tres Spiritus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum juxta divinarum personarum proprietates abusive protulit, ubi quidem *de Tribus Virtutibus* scribens ait sic : « David in psalmo tres Spiritus postulat dicens[3] : « Spiritu principali confirma me, Spiritum rectum innova in visceribus meis, Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. » Qui sunt isti tres Spiritus? Principalis Spiritus Pater est, rectus Spiritus Christus est, Spiritus sanctus Spiritus sanctus est. »

Quod autem opponunt Deum non esse tres personas, nisi etiam sit tria, et per hoc multitudo sit in Deo ex partibus juncta, frivolum est. Tres enim personas dici concedimus, et multas personas, sed non ideo tria per se, vel multa simpliciter dici convenit. Accidentaliter enim tres addimus ad personas, cum dicimus tres personas : ideoque non est necesse, ut tria per se dicamus. Quæ

[1] August., *de Doctr. Christ.*, lib. I, cap. III, IV, V. — [2] *Rom.*, cap. I, v. 20. — [3] *Psalm.* L, v. 11, 12 et 13.

enim accidentali prædicatione sibi conjunguntur, non est necesse sigillatim dici, quamvis conjunctim dicantur, sicut jam dudum ex secundo *Perihermenias* didicimus. Neque enim necesse est ut sit vigesimus primus, ideo sit vigesimus sive primus; vel si hæc sunt viginti unum, ideo sint viginti sive unum; vel si sit dimidia domus sive imperfecta domus, ideo sit domus; vel si hoc corpus sit parum ridens, ideo sit ridens; vel si sit magnus locus, ideo sit magnus; vel si aliquis sit citharœdus bonus secundum existimationem, ideo sit bonus; aut si Verbum sit factum caro, id est incarnatum, ideo sit factum; vel si Deus sit factus adjutor, ideo sit factus; vel si hæc vox « est » propositio simplex, hoc est non habens propositiones in terminis, ideo sit simplex, id est non constituta omnino ex aliquibus per successionem vocibus; vel si hæc anima sit multæ personæ vel multi loci secundum dialecticos, ideo sit multa, hoc est multæ res ab invicem discretæ. Est autem hæc anima multæ personæ secundum grammaticos, cum scilicet aliquis ad eam loquitur, et de ea alius, et de eadem anima diversa argumenta fieri possunt, vel secundum hoc scilicet quod est oppositio alicui, vel quod est similis, vel secundum alias habitudines ex quibus ipsa est diversi loci; nec tamen ideo quod anima est multi loci secundum dialecticos, eo scilicet quod diversas vires probandi habet; ideo concedi oportet eam simpliciter esse multa. Similiter et Deus licet sit multæ personæ, hoc est Pater et Filius et Spiritus sanctus, non ideo concedendum est eum esse multa, hoc est multas res, sive multas essentias, cum eadem penitus essentia quæ Pater est, sit Filius, sit et Spiritus sanctus. Quippe multa hoc nomen, sive tria et quælibet numeralia nomina proprie ad numerum pertinent, ideoque in rebus tantum numero diversis recte sunt per se accipienda. Huic etiam illud Boetii *de Trinitate* concordat, ubi de Deo ait : « De forma ejus superius demonstratum est, quoniam is sit forma, et unum vere, nec ulla pluralitas, unde etiam sanctam et individuam dicimus Trinitatem. » Poterit et fortasse quodammodo Deus et tria et multa dici, si videlicet tria et multa diffinitione vel proprietate non numero intelligamus, et magis veritatem sensus quam proprietatem verborum attendamus. Ipse quippe æternus est, immensus, creator, omnipotens, et alia multa diffinitionibus diversa, et ipse Deus et Pater est et Filius et Spiritus sanctus : et ita quodammodo multitudinem in eo attendi licet, secundum videlicet diversitatem diffinitionum vel proprietatum, non numeri. Juxta quam quidem diversitatem apostolus ait[1] : « Et tres sunt qui testimonium dant in cœlo, et tres unum sunt; » nihil videlicet addens ad hoc nomen tres, neque personas, neque aliud. Hoc etiam Augustinus VII *de Trinitate* libro, capitulo IV confirmat his verbis[2] :

[1] Joan., cap. V, v. 7. — [2] *Opp.*, t. VIII.

« Dum intelligatur saltem in ænigmate quod dicitur, placuit ita dici, ut diceretur aliquid, cum quæreretur quid tria sint, quæ tria esse fides vera pronuntiat, cum et Patrem non dicit esse Filium; et Spiritum sanctum qui est donum Dei, nec Patrem dicit esse nec Filium. » Idem post aliqua in eodem capitulo : « Cum conaretur humana inopia loquendo proferre quod tenet de Domino Deo, timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa æqualitate ulla diversitas. Rursus non esse tria quædam non poterat dicere, quod Sabellius, quia in hæresim lapsus est, dixit. » Tria itaque debere dici etiam Augustinus manifeste perhibet, secundum ipsam scilicet, ut dictum est, personarum diversitatem.

At rursus tria quomodo dicentur nisi et quædam sit multitudo? Quod si quis multitudinem personarum etiam per se multitudinem dici annuat, cum omnis multitudo ex multis colligatur partibus; numquid et multitudo personarum, quæ in Deo sunt, partes habebit? Pars autem, teste Boetio, prior est ab eo cujus pars est, et eo ejus[1] constitutiva divisio in priora fit, sicut generis in posteriora. Oportebit itaque quamlibet trium personarum ipsa Trinitate quam constituunt priorem esse, et ipsam Trinitatem posteriorem esse singulis illis, si non tempore, saltem natura. Ipso etiam attestante Boetio, non idem est pars quod est totum : quia una eademque essentia esse totius et partis non potest, cum hæc in quantitate totius ipsius inclusa sit cum aliis, atque ideo minor. At vero et tota Trinitas, et singulæ personæ, sunt una et eadem penitus divina substantia. Dicamus itaque constanter, sicut incœpimus, nullam omnino multitudinem in divinitate consistere, licet multitudo personarum ibi sit; atque ipsam Trinitatem individuam penitus confiteamur : quia licet in ea diversæ, ut dictum est, personæ sint, nulla tamen ideo multitudo partium, vel quæcumque multitudo dici potest, ubi nulla est rerum atque essentiarum diversitas. Nullo itaque pacto concedimus multitudinem illam personarum dici absolute multitudinem, nec quia multæ sunt personæ ideo dici multa simpliciter : quia quantumcumque quislibet et abuti verbis velit, neque hoc nomen multa, neque hoc nomen multitudo, nonnisi juxta numerum accipi recte potest, hoc est nonnisi secundum pluralitatem aliquam ac diversitatem rerum in essentiis discretarum, ita scilicet diversarum, ut hæc essentia non sit illa; quæ quidem pluralitas nullo modo in simplicitate divinæ substantiæ potest esse, ac sic nec totum aliquod ex multitudine aliqua partium, cum nullo modo ibi res multæ sint, licet multæ sint personæ, et nullo modo ibi sit diversitas rerum, licet sit personarum. Unde Leo papa in *Sermone* Pentecostes : « In Trinitate, inquit, divina nihil dissimile, nihil impar est. » Tale

[1] Sic in editis. Forsan *cujus* pro *eo ejus*.

namque est quod ait « nihil, » ac si diceret « nulla res, » et quod ait « Nihil est ibi dissimile, » tale est ac si diceret : « Nulla res ibi est diversa ab alia, » cum sint tamen diversæ ab invicem personæ secundum proprietates suas superius distinctas, non secundum numerum. Unde et Augustinus *de Trinitate* libro VII, capitulo VI[1] : « Non tantum est unus homo quantum tres homines simul; et plus aliquid sunt duo homines, quam unus homo. At in Deo non est ita. Non enim major essentia est Pater et Filius simul, quam solus Pater aut solus Filius; sed tres simul personæ æquales sunt singulis. » Ac si diceret non in aliquo numero rerum excedentes[2]. Ne quem forte moveat, quod Isidorus *Etymologiarnm* libri VII capitulo IV, dum etymologiam nominis divinæ Trinitatis prosequeretur, ipsam Trinitatem unum totum ad singulas dixerit personas, his quidem verbis : « Trinitas appellata est, quod fiat unum totum ex quibusdam tribus, quasi *Triunitas,* etc., » attendat abusive totum dici pro quacumque tam rerum quam proprietatum multitudine[3]. Qui etiam in eodem capitulo cum propria et appellativa Dei nomina distingueret, ita ab omni hominum ratione et usu recessit, ut propria diceret quæ magis appellativa videntur, et e converso appellativa propria. « In hac, inquit, Trinitate alia appellativa nomina, alia propria sunt. Propria sunt essentialia, ut Deus, Dominus, omnipotens, immutabilis, immortalis : et inde propria, quia ipsam significant substantiam qua unum sunt. Appellativa vero Pater et Filius et Spiritus sanctus; Ingenitus, Genitus et Procedens. Eadem et relativa. » Possumus etiam dicere, quod cum nominis hujus quod Trinitas etymologiam Isidorus reddiderit, vim ipsam nominis generaliter nobis expresserit, non singulariter in divina solummodo Trinitate. Et verum quidem est quod juxta propriam et usitatam significationem, si dicatur Trinitas vel tria, multitudinem rerum et numerum monstrant, quod in Deo minime convenit, ubi nequaquam multitudo est rerum, sed diversitas personarum.

Quod autem in eo quod dicitur talis Pater qualis Filius et Spiritus sanctus, quædam similitudo innuitur, ut scilicet Pater sit similis Filio vel Spiritui sancto; tale est ac si dicatur : Non est in aliquo majestatis bono ab eo diversus, ut videlicet negatione magis quam affirmatione intelligatur. Et similiter cum dicitur æqualis esse, tale est ac si dicatur, in illa divinitatis gloria alia persona minor esse[4], cum sint ejusdem penitus essentiæ. Sed et cum Athanasius, præmisso, « Qualis Pater, talis Filius et Spiritus sanctus, » statim adjecit, quasi ad determinandum in quo sint similes, hoc est non diversi, dicens : « Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus, etc. » aperte declaravit, quomodo id quod præmi-

[1] *Opp.*, t. VIII. — [2] Sic in editis. Forsan legendum *Unum excedentes*, ac si diceret personas divinas, seu duo, seu tres, seu in quocumque numero, non unam excedentes. — [3] Hunc locum quem in editis vix intelligas sic legendum esse censemus. — [4] Adde *non potest.*

serat intelligendum esset, ut videlicet idem quod uni personæ convenit, et alteri, de his scilicet quæ statim adjungit. Nec fortassis incongruum est, si similia dicamus non solum quæ essentialiter vel numero diversa sunt, verum etiam quæ proprietatibus disjunguntur. Sic quippe propositionem et conclusionem convenire dicimus in terminis et in aliis multis, cum non sint tamen ab invicem numero vel essentialiter disjunctæ propositio et conclusio. Unde etiam divinas personas non est incongruum hoc modo similes ad invicem dici. Simile etiam quandoque pro eodem ponitur, sicut in tertio *Topicorum*, ubi ait Boetius, quod locus a contrario et a repugnantibus videtur esse similis, hoc est idem. Quippe sicut dicimus aliquid diversum a seipso fieri, atque differens, sive dissimile, ac non idem permanere, quando mutatur, cur non aliquid quodammodo simile sibi dicamus quando id permanet nec variatur? Quid enim est simile alicui, nisi tale esse quale illud est? Ac similiter simile sibi tale esse, quale primitus erat. Quam quidem rationem Augustinus secutus libro primo *de Vera religione*, cum de identitate atque incommutabilitate divinæ pulchritudinis ageret, ait[1]: « Quamobrem sanandum esse animum ad intuendam incommutabilem rerum formam, et eodem modo semper se habentem, atque undique sui similem pulchritudinem, nec distentam locis, nec tempore variatam, sed unum atque idem ex omni parte servantem, etc. » Simile itaque pro eodem dixit, et in hac quoque acceptione potest dici, Pater similis Filio vel Spiritui, hoc est idem penitus cum illo in substantia, sive in his quæ statim Athanasius determinavit, cum videlicet illud idem quod immensum est Pater sit et Filius, etc.

Sed et illud quod opponitur, cum unum quodque quod existit sit vel substantia vel forma, quomodo multa dici possunt, si non sint multæ substantiæ, vel multæ formæ, vel multa ex utrisque conjuncta, jam jugulatum[2] est, secundum illud quod jam negavimus omnino Deum esse multa, quia licet sit multæ personæ, non ideo fortassis est multa simpliciter, cum videlicet multitudo, sicut dictum est, recte non sumatur, nisi in discretis essentiis ac numero diversis. Secundum vero illud quod quis receperit Deum esse multa quantum ad diversitatem proprietatum, ut expositum est, seu diffinitionum, non procedit conclusio, ut videlicet si Deus sit hoc modo multa, ideo sit aut multæ substantiæ, quod sonat numero diversæ, aut multæ formæ, etc. Eadem quippe anima seu quælibet substantia est multa diffinitionibus, nec tamen ideo multæ substantiæ vel cætera. Quod si esset multa numero, tunc indubitanter conclusio præmissa procederet.

Illud autem quod quæsitum est, quare videlicet magis dicitur Deus Trinus, quam substantia trina, rationabiliter interrogatur, et magis, ut arbitror, oportet

[1] August., *de Vera Religione*, cap. III. — [2] Sic in editis et in codice.

dici Deum esse Trinitatem, quam Deum esse trinum[1], quod licet sincera et sana intelligentia esse possit, si dicamus Deum trinum, quantum videlicet ad proprietates personarum; non tamen ratio videtur cur magis dicamus trinum, quam substantiam trinam. Multo etiam minus tripartitum dici Deum approbamus, licet in sensu Sanctus ille qui hoc dixit non oberraverit, Trinitatem scilicet personarum intelligens.

Illud vero multis modis refellitur, quod cum unaquæque trium personarum sit Deus sive substantia, neque una persona sit alia, non tamen ideo plures dii sunt sive substantiæ. Non enim necesse est, ut cum de aliquibus sigillatim dicatur nomen singularis numeri, plurale de eisdem simul dicatur. Nam cum Plato alterius hominis, alterius Socrates frater sit, et per hoc concedatur et Plato esse frater, et Socrates esse frater; non ideo fortasse concedi convenit Platonem et Socratem esse fratres : quod nequaquam dici solet, nisi ad ostendendum quod sint invicem fratres. Sed et cum tam hæc albedo quam illa color sit, non tamen propterea diversos esse colores dicimus, cum non sint colores specie differentes. Duobus quoque hominibus assistentibus mihi, cum profero hanc vocem « homo, » per quam uterque intelligitur animal rationale mortale, diversa quidem est essentia hujus intellectus, et essentia illius, quare unaquæque est intellectus, nec tamen ideo multos intellectus dicimus, cum hæc diversa concipiant nec diverso modo. Et cum multa nomina vel multæ affirmationes incidant in unam vocem, omnis autem affirmatio et omne nomen sit vox sive essentia; non tamen ideo multas voces dicimus, sive multas essentias. Sed et cum dolium quod in domo est sit quidam locus, et ipsa rursus domus sit quidam locus, nec sit iste locus ille, non tamen diversa loca dicimus dolium ipsum et domum : alioquin vinum, quod in dolio est, in diversis esset locis; cum nullum, ut supra meminimus, corpus in diversis locis esse constet. Sed et cum unaquæque res tempus[2] proprium habeat, hoc est quantamcumque moram existentiæ suæ, non tamen diversa tempora accipimus, nisi per successionem. Præterea in uno homine multæ sunt partes ita ab invicem diversæ, ut hæc non sit illa; vel in uno ligno, vel in una margarita, quæ, ceteris partibus abscissis vel remotis, homines vel ligna seu margaritæ dicuntur. Quarum etiam partium unaquæque ante abscissionem homo erat, sive lignum, seu margarita; non enim separatio nostra quidquam in substantia confert ei quod remanet vel quod remotum est, quod prius non haberet : quia abscissa manu, id quod tunc homo permanet et

[1] Hunc locum sic annotavit Edm. Martène : « Eadem fuit sententia Hincmari Remensis archiepiscopi qui contra Goteschalcum collectionem ex SS. Scripturis et Orthodoxorum dictis scripsit *de una et non trina Deitate*. At Goteschalci sententiam approbavit Ecclesia universa quæ quotidie resonat in templis *te Trina Deitas unaque, poscimus.* » — [2] Sic. Cod. Tur. Male in editis *tantum post*.

ante abscissionem homo permanebat. Quædam pars latens in homine, qui integer erat, similiter postea abscindatur, residuum homo est, quod homo erat ante ipsam abscissionem, cum tunc quoque hominis diffinitionem haberet, quod tunc etiam animal erat, cum esset animatum et sensibile, et eodem modo rationale et mortale, quo modo et nunc. Cum itaque ante omnem abscissionem multæ partes essent in uno homine, quarum unaquæque esset homo; non tamen ideo multi homines in uno homine erant, quia multos homines non dicimus, nisi multis animabus vegetatos. Si autem cum essentialiter diversæ res sunt, quarum unaquæque est intellectus, sive homo, non ideo tamen dicimus multos intellectus vel multos homines : quanto magis non oportet dici multos Deos, vel multas substantias, quamvis unaquæque personarum Deus est sive substantia, quarum eadem penitus est essentia? Cum enim trium personarum secundum grammaticos quæ in Socrate sunt, unaquæque sit Socrates, sive homo, cum videlicet ipse loquens sit homo sive Socrates, et ipse ad quem aliquis loquitur, vel de quo loquitur, non ideo tres Socrates vel tres homines dicimus, cum sit trium personarum eadem essentia, hoc est ejus qui loquitur, et ad quem aliquis loquitur, vel de quo loquitur; eadem de causa et trium personarum quæ in Deo sunt, cui sit una essentia, licet unaquæque ipsarum sit Deus sive substantia, non ideo oportet tres Deos dici sive tres substantias : cum sæpe, ut supra meminimus, voces ex adjunctis significationem suam varient, utpote hæc dictio tres et aliæ multæ. Eumdem quippe hominem tres opifices dicimus esse secundum trium officiorum scientiam, non tamen ideo tres homines. Græci tamen, teste Augustino, non reverentur tres substantias dicere magis quam tres personas. Unde in VII *de Trinitate* capitulo IV ita meminit[1] : « Loquendi causa de ineffabilibus, ut fari aliquo possemus modo, quod effari nullo modo possumus, dictum est a nostris Græcis una essentia, tres substantiæ, a Latinis una essentia vel substantia, tres personæ : quia, sicut jam diximus, non aliter in sermone latino essentia quam substantia solet intelligi. » Item : « Quod de personis secundum nostram, hoc est de substantiis secundum Græcorum consuetudinem. Sic enim dicunt illi tres substantias, unam essentiam, quemadmodum nos dicimus tres personas, unam essentiam vel substantiam. » Non est autem nunc nobis sermo adversus Græcos, nec fortassis a nobis in sensu diversi sunt, sed in verbis tantum, abutentes hoc nomine substantiæ pro persona, cum et ipsam nonnumquam usiam, id est substantiam, ad naturam ipsius essentiæ, non ad proprietatem personæ, in ipsa quoque animæ substantia dicere non recusent, sicut et in ceteris quibuscumque substantiis, quibus hoc nomen totius prædica-

[1] *Opp.*, t. VIII.

menti substantiæ commune est. Ipsi quippe ad identitatem substantiæ in tribus personis intelligendæ, novum nomen *Homousion* quod est unius substantiæ, instituerunt. Quam quidem acceptionem Hieronymus quoque secutus *ad Damasum* scribens, Omousion Trinitatem ipsam confitetur, hoc est unius substantiæ, non unius personæ. Hinc et Gennadius *de Orthodoxa Fide* meminit dicens[1]: « Omousion ergo, id est coessentialis in divinitate Patri Filius, Omousion Patri et Filio Spiritus sanctus. » Unde liquidum est, cum tres substantiæ a quibusdam eorum dicuntur, substantias pro personis abusive dici. Quam quidem abusionem aperte ac merito Hieronymus reprehendit, scribens ad eumdem Damasum papam de novo nomine trium hypostaseos[2] his verbis : « Interrogamus, quid hypostasis[3] posse arbitrentur intelligi ? Tres personas subsistentes aiunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus. Ipsum nomen efflagitant, quia nescio quid veneni in syllabis latet. Si quis autem hypostasim usiam intelligens, non in tribus personis unam hypostasim dicit, alienus a Christo est. » Item idem : « Tota sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasim nisi usiam novit, et quis umquam, rogo, ore sacrilego tres substantias prædicabit? Una est Dei sola natura; quisquis tria esse, hoc est tres hypostases dicit, tres naturas conatur asserere. Et si ita est, cur ab Ario parietibus separamur, perfidia copulati? Sufficit nobis dicere unam substantiam, tres personas perfectas, æquales, coæternas. Non bonæ suspicionis est, cum in eodem sensu verba dissentiunt. Aut si rectum putatis tres hypostases cum interpretationibus suis debere nos dicere, non negamus. Sed mihi credite, venenum sub melle latet. Transfigurat se angelus sathanæ in angelum lucis. »

Quod autem opponitur quare potius tres personas dicimus, quam tres Deos, aut tres essentias, jam arbitror ex suprapositis esse manifestum : quia videlicet personarum diversitas ad distinctionem proprietatum pertinet, non ad discretionem essentiarum. Ideoque tres sunt personæ, quia diversa insunt propria eidem essentiæ, cum ex eo quod Pater est aliud proprium habeat vel aliud exigat; et aliud ex eo quod est Filius vel Spiritus sanctus. Tale est ergo Deum tres personas, ac si dicamus ipsum esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Plures autem Deos esse si dicamus, sicut plures homines, discretionem rerum essentialiter diversarum demonstramus quare unaquæque sit Deus. Sic et Socratem secundum grammaticos plures personas dicimus, sed non plures homines. Eadem ratione nec plures Dominos vel plures potentes dici convenit, nec ulla omnino assignanda est Deo pluralitas nisi in personis.

[1] Gennadius, *de Dogmat. Eccl.*, cap. v. — [2] Sic Cod. Turon. — [3] Cod. Turon.

Objectum quoque est, quomodo dicimus Personæ sunt, nisi dicamus essentia id est essentiæ sunt? Sed hoc modo dictum est quo dicimus Athenæ sunt, vel hic albus et homo sedens idem sunt. Non enim semper pluralitas vel singularitas vocis ad significationem respicit; sed quandoque ad terminationem vocis vel constructionem, velut cum dicimus numerus est, hoc est unitates sunt; et Athenæ sunt, hoc est hæc civitas est. Quandoque etiam secundum pluralitatem vocum plurale verbum significate proferimus, sive etiam plurale nomen, etiam quando eadem est penitus vocabulorum intelligentia, non tamen eadem essentia, veluti cum dicimus ensem et gladium esse multivoca. Unde Boetius in primo *Topicorum* : « Quarum rerum, inquit, eadem diffinitio, ipsæ quoque res sunt eadem. Cum autem figurate dicimus sunt, ubicumque scilicet una tantum res est, non est necesse dici entia vel essentias : quia sæpe cum eædem sint voces in significatione per se acceptæ, una earum constructionem habere potest per figuram in uno sensu, quam non habet alia. »

De eo etiam arbitror esse discussum quod dictum est hoc nomen Deus magis universale quam singulare dicendum esse, cum de divinis personis dicatur. Quippe diversitas illa personarum non in discretione essentiæ constat, sed magis in diversitate proprietatum vel diffinitionum, ut diximus, sicut et diversitas personarum secundum grammaticos, quæ scilicet personæ insunt Socrati, propter quas tamen non minus hoc nomen Socrates singulare est.

Sed illud hoc loco maximum impedimentum occurrit, quod essentialiter quoque ab invicem personæ quæ in Deo sunt discretæ videntur, cum hæc scilicet non sit illa, quod non est in grammaticis personis. Ad quod respondendum est, quod non magis istæ personæ essentialiter discretæ sunt quam illæ, cum sit harum quoque sicut illarum una eademque penitus essentia; ad comparationem unitatis cujus, hoc est, divinæ essentiæ nulla vel corporea vel spiritualis creatura dicenda est una, cum hæc omnino nullam aut partium aut formarum diversitatem admittere possit, nec in aliquo permutari. « Quocirca, inquit Boetius *de Trinitate*, hoc vere unum in quo nullus numerus, nullum in eo aliud præter id quod est. » Unde bene eam philosophi monadem id est unitatem magis quam unam vocare voluerunt. Cum autem nulla sit in personis discretio essentiæ ab invicem, non tamen oportet dici Pater est Filius vel Spiritus sanctus; vel Filius est Spiritus sanctus : quia etsi quis forte sanum sensum in suis verbis habere queat, eo scilicet quod eadem essentia quæ Pater est, sit et Filius et Spiritus sanctus; sensus omnino falsus est secundum sanctorum Patrum acceptionem, quæ est hujusmodi, ac si dicamus personam generantem[1] esse personam genitam

[1] Vox *generantem* a scriptore omissa, legitur in margine codicis, pluribus litteris jam abcissis ac deletis.

vel esse personam ab utrisque procedentem, quod est dicere eamdem esse proprietatem utriusque personæ : ita videlicet ut utræque personæ sint eadem diffinitione terminandæ atque exprimendæ, quod omnino falsum est. Quippe cum idem sit numero status risibilis et status navigabilis, atque insuper de quocumque dicatur risibile dicatur et navigabile : non tamen hunc statum illum esse dicimus, hoc est risibile idem esse diffinitione cum navigabili, cum aliud sonet hoc nomen risibile, aliud hoc nomen navigabile, licet eadem res penitus sit utrique nomini per appellationem subjecta, ipse videlicet homo, cui tam risibile quam navigabile proprium assignatur. Quia ergo statum eumdem vel diversum non dicimus, nisi secundum expressam atque integram diffinitionem aut proprietatem, oportet, cum hic status ille dicatur, hanc rem cum illa eadem penitus inexpressa proprietate monstrari. Sic et in divinis personis cum ad proprietates earum, non ad numerum rerum tota spectet diversitas, non potest hæc vere illa dici, dum sit aliqua proprietatis diversitas, etiam[1] diversis in sensu nominibus exprimatur, sicut et in ipsis contigit personis. Aliud quippe sonat Deus Pater, aliud sonat Deus Filius, aliud sonat Deus Spiritus sanctus et aliud proprium habet Deus Pater, in eo scilicet quod generat Deum Filium; aliud Deus Filius, in eo videlicet quod ab eo generatur, aliud Deus Spiritus sanctus, in eo scilicet quod procedit. Qui itaque dicit de Deo, Pater est Filius[2], non simplicem enuntiationem facit, ad identitatem scilicet tantum essentiæ demonstrandam, ac si videlicet ita diceret : Hoc quod est Pater est Filius; sed insuper proprietatum exprimit unitatem, ac si videlicet dicat, idem proprium esse hujus quod est illius, sicut si diceret hunc statum illum esse in his omnibus, quæ diversis in sensu nominibus sunt exprimenda; quod omnino falsum est, quamvis sit eadem utrique personæ essentia. Nam et sic solemus dicere, non idem esse utile quod honestum, etsi id quod est utile sit honestum : nec idem esse Grammaticum et Oratorem, cum scilicet aliud sit proprium hujus, aliud illius : quia licet eadem sit essentia Grammatici et Oratoris, aliud tamen est esse Grammaticum, aliud esse Oratorem ; et aliud esse hunc Grammaticum quam hunc Oratorem, et aliud esse risibile quam navigabile, licet una penitus sit utriusque substantia. Sic etiam licet eadem sit Patris et Filii substantia, diversum est tamen esse Patrem et esse Filium. Unde Augustinus libro V *de Trinitate* : « Quamvis, inquit, diversum sit Patrem esse et Filium, non est tamen diversa substantia. » Idem in VII[3] : « Aliud est, inquit, Deum esse, aliud Patrem esse. » Sed et cum eadem vox sit quandoque nomen et verbum, vel dictio simul et oratio; nomen tamen non esse verbum concedimus, cum hoc sine tempore sit,

[1] Sic Cod. Ed. Martene pro *etiam* proponit *etiamsi*, male, ut opinor. — [2] Sic Cod. Tur. — [3] Cap. v. *Opp.*, t. VIII.

illud cum tempore : et dictionem non esse orationem, cum partes dictionis in ea significativæ non sint, sicut sunt orationis. Sed nec fortasse personas Grammaticorum per prædicationem conjungi convenit, ut videlicet una persona sit altera, licet idem sit una quod altera, ut supra meminimus. Cum enim sint diversæ tres personæ secundum Grammaticos, prima videlicet, secunda et tertia; non est fortasse una persona alia persona, cum ipsa diversa persona ab alia. Quippe cum aliquorum diversitas tantum in proprietate ipsorum aut in differentia statuum consistit, non in numero vel in essentia, recte identitas eorum in hoc ipso monstratur per prædicationem ipsorum ad invicem, ut videlicet cum dicitur hæc persona esse illa, quæ proprietate tantum vel diffinitione, hoc est statuum diversitate disjunctæ sunt, intelligatur hæc eadem esse cum illa in hoc ipso, hoc est proprietate vel diffinitione, quod omnino falsum est tam in his personis quam in divinis. Præterea multa sunt, ut supra meminimus, numero eadem, quorum tamen nomina per prædicationem disjuncta sunt, quod maxime vis quædam relationis facit, quæ in illis nominibus continetur, cum videlicet omnis relatio inter opposita consistat. Idem quippe est numero materia Socratis et Socrates, et prius Socratis et Socrates ; et perpetuum Socratis et Socrates, cum videlicet hoc corpus sive hoc animal idem sit quod Socrates; nec tamen dici convenit, ut Socrates sit materia Socratis, quamvis sit idem quod est materia Socratis; aut ut sit prior Socrate, hoc est seipso ; aut ut sit perpetuus, licet sit hoc quod est perpetuum, utpote hoc corpus. Sic nec Patrem convenit dici Filium suum, aut Filium esse Patrem suum, hoc est alterum ex seipso esse gignendo seipsum, sicut nec Socrates dicitur ex seipso esse, ut sit videlicet materia sui vel materiatus ex se, licet idem sit Socrates cum materia sui, hoc videlicet corpore, vel cum materiato sui, videlicet Socrate albo, sicut idem est Pater quod est Filius, secundum substantiæ identitatem, non personæ proprietatem. Sed dicet mihi aliquis : Dicam Pater et Filius, et sane intelligam, ita scilicet, quod eadem essentia quæ est Pater est et Filius. Nam et ipso attestante Augustino in libro *de Duabus Animabus*[1], « de verbis cum res constet, controversia facienda non est. » Idem in IV *Super Genesim*[2] : « Dum intelligatur, inquit, quod intelligendum est, non magnopere curandum est quod vocetur. » Et post pauca : « Hoc est, inquit, quod dixi, dum res conceditur, non esse de vocabulis laborandum. » Ad quod respondeo, quod placet mihi sola intelligentia, sed requiro verba esse catholica : quia non sine causa Apostolus novitates verborum nos vitare admonet, tum ideo ne contemtores Sanctorum videamur et Spiritus sancti qui loquitur in eis : tum etiam magis, ne si tu in verbis tuis

[1] *Opp.*, t. VIII. — [2] Cap. IV et V. *Opp.*, t. III.

sanum sensum haberes, alius in eis offenderetur, qui sensum tuum non intelligeret, et scandalum erroris inde sumeret. Habe itaque etiam cum sensu verba idonea ad ædificationem, non ad scandalum, et dicas ad hunc sensum manifestandum : Non Pater est Filius, sed hoc quod est Pater est Filius, hoc est eadem est utrorumque essentia sive substantia. Nec dicas hanc personam esse illam, quod est dicere idem esse proprium utriusque, sed hanc personam idem esse quod illa est, hoc est ejusdem substantiæ esse. In quanta autem veneratione etiam verba divina habenda sint, vis ipsorum admonet, quæ quotidie Sacramenta ecclesiæ conficit, cum ad invocationem sui nominis mira Deus operatur, etiam per immundissimos ministros. Unde et merito christiana religio verbis quoque divinis reverentiam exhibens, sola ipsa vocabulum « Dei » usurpare non consuevit, sed immobile illud custodit, quod tam a Gentibus quam Judæis ad creaturas nonnumquam detortum est, cum utrique deos nominent. Ipse etiam Priscianus doctor et scriptor loquendi in locutionibus maxime usum æmulandum esse admonet. Bene equidem, cum locutio significationem non ex placito hominum habeat. Quod vero ait Augustinus : « De verbis cum res constet controversia facienda non est, » ibi sane intelligendum, ubi de rebus contentio orta est, hoc est de inquirenda et discutienda veritate rerum potius quam de proprietate verborum. Cum enim jam id habemus quod quærebamus, hoc est illam rerum certitudinem quam investigabamus; non est curandum quo genere verborum id nobis significetur aut comprobetur, cum jam ita esse teneamus. At vero si de verbis quæstio mota fuerit, an videlicet sermo qui dicitur, hoc vel illud habeat dicere, sicut hoc loco quæritur, cur non scilicet vere dicatur : Pater est Filius, tunc tota controversia ad vim verborum est referenda. Dicit fortasse aliquis quod secundum propositam expositionem, in qua dicitur : Pater non est Filius, hoc scilicet modo quod non est idem proprium utriusque, licet etiam dicere : Pater non est Deus, vel homo non est animal; cum videlicet non sit idem proprium istorum sicut nec illorum. Ad quod respondendum est quod verba nostra ad Deum translata, ut jam supra meminimus, ex ipsa singularitate divinæ substantiæ, sicut singularem significationem, ita et singularem nonnumquam constructione contrahunt sensum. Præterea non oportet figurativas et improprias locutiones porrigi ultra hoc quam auctoritas vel usus habet, si ad doctrinam et intelligentiæ facultatem loqui intendimus, ut cum dicitur figurative de Deo quia nescit malos, ideo figuram extendentes dicamus, quia non scit omnes homines, vel nescit omnia. Vel si dicam quia adoro crucem, ideo concedam me adorare insensibile vel lignum; vel si dicam me credere in Christum vel adorare eum, qui etiam figurative lapis aut serpens dicitur; ideo me in lapidem credere vel in serpentem annuam, vel adorare lapidem aut serpentem.

Aut cum Christus ex divinitate et humanitate una sit compacta persona, et pro parte Deus, pro parte homo dicatur, atque in ipso homo Deus esse dicatur, quia hic illi in unam personam sit unitus, sitque divina substantia æterna, humana non æterna, non tamen ideo concedere cogimur quod non est æternum esse æternum; nec Scripturæ figurativas locutiones ultra hoc quod scriptum necesse est extendi. Sed nec cuiquam fas est, a consueta significatione sermonem commutare, nisi ei cujus gravissima videtur auctoritas, aut aliqua ornatus hoc commendet gratia. Quid etiam mirum si voces cum a creaturis ad Deum transferuntur, significationem varient, utpote hoc nomen Pater vel Filius, constructionis quoque vim commutent, cum illæ etiam id faciant quæ significationem nullatenus mutare videntur? Nemo quippe recte intelligens unitatem aut plerasque alias formas ita a subjectis substantiis dividit, ut eas ab eis numero vel essentialiter diversas existimet. Nec quis, cum dicit unitatem Dei, vel unum Deum, aut simplicitatem Dei, et simplicem Deum, sicut unitatem animæ vel unam animam, aut simplicitatem animæ vel simplicem animam; ad alium sensum hæc nomina in Deo accipit quam in anima : non tamen ita dicimus unitatem vel simplicitatem esse animam, sicut esse Deum. Sed quælibet formarum nomina Deo copulata solam identitatem essentiæ monstrant : ac si dicamus idem esse unitatem quod Deum, quod minime in ceteris contingit substantiis, sicut alibi, cum de discretione prædicamentorum dissereremus, ostendimus. Quid itaque mirum si Pater et Filius hæc nomina a creaturis ad Deum translata, in creaturis sibi copulata solam identitatem essentiæ monstrent, in Deo autem id solum non faciant, sed et insuper identitatem proprietatis, cum e contrario nomina formarum Deo copulata, solam identitatem essentiæ monstrent, quæ in creaturis contenta non sunt?

Illud autem Athanasii, quod ait « Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus, » maxime fortasse confirmare videtur, ut concedamus Filium quoque, sive Spiritum sanctum esse Patrem, cum scilicet, ut supra diximus, Pater ex potentia sit dictus, sicut Filius ex Sapientia, et Spiritus ex benignitate. Quis etiam negare queat quin unaquæque personarum potens sit et sapiens et benigna? Cum itaque Filius sit Deus omnipotens, et tantumdem valeat dicere Deum omnipotentem, quantum dicere Patrem, numquid et Filius est Pater? Ad quod primum respondere satis arbitror, quod sæpe, ut diximus, voces per se acceptæ eamdem vim penitus habent atque æquipollentiam, juxta propriam earum significationem, quæ tamen eamdem vim in constructione non custodiunt. Nam, teste Prisciano, amans et qui amat idem valent, non tamen sicuti de eo qui modo non amat, verum est dicere quod erit amans, ita verum est dicere quod erit qui amat. Unitas quoque et

unum, et sessio et sedens, eadem penitus fortasse sunt in significatione, non in constructione, sicut alibi docuimus, cum de discretione prædicamentorum nobis esset tractandum. Quid igitur mirum est, si ponamus hæc nomina Pater et Deus omnipotens ejusdem penitus esse significationis in Deo, non tamen ejusdem constructionis esse concedamus, nec ea in contextu orationis eumdem penitus custodire sensum? Atque ita dicere licebit quod hæc enunciatio « Pater est potens, sive sapiens, aut benignus, » ad identitatem tantum essentiæ sit accommodata, ac si dicatur quod is qui Pater est, sit potens, sive sapiens aut benignus. Hæc autem enunciatio « Pater est Filius sive Spiritus sanctus, » ad identitatem, ut dictum est, proprietatis tantummodo spectat, ut videlicet idem sit utriusque proprium, ut expositum est, ideoque tantummodo falsa est enunciatio. Præterea quis ex suprapositis edoceri non possit, quod non idem penitus sonent in Deo hæc nomina Pater et Potens; et Filius et Sapiens; et Spiritus sanctus et Benignus? Alioquin non magis relative invicem dicerentur Pater et Filius, quam Potens et Sapiens; vel Spiritus sanctus ad Patrem et Filium, quam Benignus. Non itaque Pater hoc nomen sonat tantummodo divinam potentiam, verum etiam ipsam ut gignentem determinat; ac si ita dicatur, « Divina Potentia generans divinam Sapientiam. » Nec Filius simpliciter ostendit divinam Sapientiam, verum et ipsam significat tamquam ex Patre genitam. Sed et Spiritus sanctus divinam Bonitatem tamquam a Patre et Filio procedentem determinat. Unde recte hæc nomina Pater, Filius, Spiritus sanctus, discretiva personarum sunt : hoc est earum ab invicem diversitatem monstrantia; cum videlicet hanc personam tamquam generantem, illam tamquam generatam ab ista, et rursus aliam tamquam procedentem ex istis duabus hæc nomina discernant. Quædam enim differentia rerum prædicatione ab invicem disjunctarum, in relativis nominibus insinuatur, unde ipsa ab Aristotele opposita dicuntur; et quædam prædicationis disjunctio innuitur in eo qui generat et qui ab ipso generatur; et in eo qui procedit et a quibus procedit. Unde mirabile non est, si ex hujusmodi personarum discretione hæc nomina ab invicem per prædicationem disjuncta sint : quæ relationes et significent et copulent; et non illa supraposita quæ minime sunt relativa : quod et ipsis quoque rerum aliarum generationibus seu creationibus facile est assignari, ubi etiam rei generantis et genitæ est eadem essentia. Ex materia quippe ipsum materiatum generari et creari quodammodo tradunt philosophi. Unde Plato *Ylen*, id est corpoream naturam tanquam matrem corporum ponit. Et Boetius in libro *Divisionum* genus dividi in species quasi in quasdam a se quodammodo creationes dicit, eo quod species ex ipsa generis substantia nasci et confici habeant, superveniente forma : ut homo ex animali, superveniente animali rationalitate et mortalitate; sicut statua ex ære, superveniente figura. Et

cum idem sit materia quod materiatum, sicut idem est animal quod homo; vel hoc æs quod hæc statua : non tamen ipsum materiatum est materia sui, aut ipsa materia est materiata ex se, licet sit hoc ipsum, quod est materia ejus, vel sit hoc ipsum quod est materiatum ejus, utpote hæc statua est hoc æs, et hoc æs est hæc statua. Et[1] sonent idem hæ voces per se acceptæ, materia et id ex quo aliquid materialiter constat, vel materiatum, et id quod ex aliquo materialiter conficitur ; non tamen in constructione de eodem necesse est ea prædicari, cum hæc vox substantiam compellet, illa proprietatem[2] : quæ quidem proprietas in relatione consistit, materiæ scilicet vel materiati : de qua nos quidem prædicationis differentia supra satis disseruisse arbitror. Magna itaque discretio adhibenda est in his enunciationibus quæ de Deo fiunt; quæ videlicet tantum ad identitatem essentiæ, quæ ad identitatem quoque proprietatis sint accommodatæ. Ad identitatem quidem essentiæ tantum, non etiam proprietatis, hæ spectant, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus, vel æternus, vel Dominus, vel creator, vel omnipotens, vel immensus, seu justus, sive misericors, et aliæ multæ, ideoque veræ sunt. Hæ vero adnunciationes, Pater est Filius vel Spiritus sanctus; vel Pater est Genitus seu Procedens, ad identitatem proprietatis aspiciunt, ideoque omnino falsæ sunt. Ibi quippe solummodo ostendebatur idem esse rem prædicati et subjecti termini, veluti idem esse Deum quod est Pater, etc. ; hic vero rem subjecti termini proprietatem quoque prædicati termini sic habere, ut hoc sit hujus personæ proprium quod illius, vel eadem insit proprietas huic personæ, quæ illi : hoc est ut sic Patri conveniat gigni ex Patre, hoc est ex seipso, sicuti et Filio congruit gigni ex ipso Patre, quod omnino falsum est, sicut diligentius ostendemus de generatione postmodum disserentes. Ut itaque juxta Athanasium, neque confundamus personas, hoc est permisceamus eas, alteram scilicet in proprietate alterius, neque separemus unitatem substantiæ, oportet diligenter vim singularum enuntiationum distinguere; quæ videlicet ad identitatem substantiæ, quæ ad identitatis proprietatem sint accommodatæ.

Notandum quoque, cum in descriptione Summi Boni potentia ejus ac sapientia seu benignitas, ut supra sæpius docuimus, commemorantur; ideo ista relative magis quam simpliciter assignari, cum videlicet Deus Pater, Filius, et Spiritus sanctus, ut major unionis et concordiæ in ipsa personarum Trinitate commendatio fiat, cum eas sic invicem se habentes et sibi æternaliter connexas assignamus, ut aliam personam ex alia gigni, aliam ex his duabus procedere confiteamur, hoc est aliam ex alia, vel ex illis esse.

Apparet autem ex his quæ dicta sunt de discretione scilicet enunciationum,

[1] Hic vox *licet* supplenda esse videtur. — [2] In editis *complet illa proprietate*.

illud refelli, quod supra opponebatur, cum videlicet objiceretur, quod sicut ostenditur per hoc quod Pater est Deus, et Deus est æternus, Pater esse æternus; ita etiam ostendi possit, per hoc quod Pater est Deus, et Deus est Filius, Pater esse Filius. Ibi quippe ea propositio quæ consequitur ex duabus præmissis, quæ videlicet ait : « Pater est æternus, » ad solam identitatem essentiæ spectat, sicut et præmissæ, ut supra jam determinavimus : ideoque ex ipsis convenienter infertur. Quæ vero ait : « Pater est Filius, » non solum essentiæ, verum insuper proprietatis identitatem ostendit, ideoque ex præmissis non procedit, quæ scilicet præmissæ simpliciter ad identitatem essentiæ spectant : immo apertissime falsum esse liquet, ideo quod Pater est Deus et Deus est Filius, oportere concedi Patrem esse Filium. Quod est dicere, ut supra jam exposuimus, idem esse proprium Patris et Filii, in eo scilicet quod Pater est et Filius, ipsum Patre, hoc est, seipso gigni. Quod si ad hanc quoque complexionem comprobandam illa inducatur dialecticorum regula quæ ait : Quotiens aliquid prædicatur de aliquo, quidquid prædicatur de prædicato et de subjecto : hoc est quotiens aliqua res est aliquid, et illud idem rursus est aliquid, primum est ultimum; facile deprehendi potest nihil ad hanc complexionem regulam attinere, nec eam ex hac regula monstrari posse, cum videlicet illa ad enunciationes illas tantum attineat, quæ ad identitatem solam essentiæ spectant, non etiam ad identitatem proprietatis, sicut hæc facit quæ « Pater est Filius. » Immo si vim verborum diligenter attendamus, talis potius ei regula inducenda esset, si vera esset : Quotiens aliquid prædicatur de aliquo et aliquid prædicatur de prædicato, idem est proprium primi subjecti et ultimi prædicati, quod cum aperte falsum sit, non est pro regula habendum. Possumus etiam dicere, si diligentius vim et significationem verborum quam sonum eorum attendamus, cum inferebatur ex præmissis « Pater est Filius, » non idem prædicari quod primitus prædicabatur, cum videlicet diceretur, Deus est Filius; sicut et cum dicitur, hæc cera est hæc imago, et hæc imago est ex hac cera, quasi Filius qui est ex Patre, ergo hæc cera est ex hac cera. Sed de hoc nobis diligenter dicendum erit postea, cum de generatione Verbi disseremus. Sunt et aliæ consimiles dispositionis argumentationes, quibus propter terminorum dispositionem præmissa regula competere videtur, cum a sensu verborum longe sit : quales sunt hujusmodi complexiones, hic homo est hoc corpus, sed hoc corpus semper est, ergo hic homo est semper. Item, hic homo est hoc corpus, et hoc corpus est materia hujus hominis, vel factum est hic homo, vel prius est homine hoc : ergo hic homo est materia hujus hominis, vel factus est hic homo, vel prior est hoc homine. Item, hic citharœdus et hic citharœdus bonus est vel laudandus. Ergo hic miles. De qualibus quidem argumentationibus in *Dialectica* nostra latius prosecuti sumus.

Quod autem solus Filius non etiam Pater vel Spiritus sanctus incarnatus dicitur, cum tamen eadem essentia quæ Pater est sive Filius vel Spiritus sanctus sit incarnata, non sine magna ratione traditum est. Hoc enim his verbis ostenditur, cum dicitur « Filius Dei est incarnatus, » lumen divinæ Sapientiæ per hanc incarnationem carnalibus effulsisse, atque hoc solum, vel hoc specialiter beneficium Deum intendisse in ipso habitu carnis nobis impertire, pro quo Angelus consilii sive consiliarius dictus est, quod et Johannes evangelista innuens[1], « Vita, inquit, erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. » De qua etiam illuminatione scriptum est[2] : « Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum. » Et item[3] : « Ambulabunt gentes in lumine. » Et Psalmista[4] : « In lumine tuo videbimus lumen. » Et Simeon[5] : « Lumen ad revelationem gentium. » Et Platonici, Verbum Deus est lumen verum, etc. Qui etiam a Judæis requisitus quis esset, ut quid intenderet audirent, respondit[6] : « Ego principium qui et loquor vobis : » ac si diceret : Ego Verbum ante tempora, quod vos ex tempore verbis instruere veni, ac prædicare regnum Dei. Tale est ergo Sapientiam Dei incarnatam esse, ac si dicatur, ad hoc Deum incarnatum esse, ut vere doctrina justitiæ nos instrueret, tum prædicatione, tum etiam exemplo corporalis conversationis suæ. Unde et Isidorus *de Summo bono* primi libri capitulo XIV : « Ideo, inquit, Deus in hominem venit, quia per se ipsum ab hominibus cognosci non potuit, quorum videlicet ratio in tantum jam multitudine peccatorum oppressa atque obtenebrata erat, ut consurgere ad invisibilia minime[7] valeret, nisi visibilibus quibusdam judiciis duceretur. » Sapientiam itaque Dei in carne esse tale est, carnales, id est homines hac incarnatione veræ sapientiæ lumen suscepisse, et eam nostræ mortalitatis testam luce sua accendisse, sicut scriptum est[8], « Verbum caro factum est et habitavit in nobis; » ac si aperte diceret, Ad hoc ipsa Sapientia incarnata est, ut per illuminationem in nobis inhabitet veræ notitia Sapientiæ ; qui in ipsa carne quam assumsit, tum, ut dixi, conversatione vitæ, tum etiam passione mortis suæ, sive etiam gloria resurrectionis suæ vel ascensionis perfecte nos instruxit et docuit. Moriendo quidem docuit quantum nos dilexerit, juxta hoc quod et ipse ait[9] : « Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis, » atque in hoc ipso nobis usque ad mortem pro ipso certandi exemplum proposuit. Unde et apostolus Petrus[10], « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. » Resurgendo autem vitam immortalitatis exhibendo prædicavit. Ascendendo docuit nos illuc milites esse trahendos, quo

[1] Joan., cap. I, v. 4. — [2] Isai., cap. LX, v. 1. — [3] *Ibid.*, v. 3. — [4] *Psalm.* XXXV, v. 10. — [5] Luc., cap. II, v. 32. — [6] Joan., cap. VIII, v. 25. — [7] Vox *minime* in codice deest, sed restituta fuit ab editoribus Benedictinis. — [8] Joan., cap. I, v. 14. — [9] Joan., cap. XV, v. 13. — [10] Petr. I, cap. II, v. 21.

jam in rege nostra regnat substantia, et illic semper mente membris inhabitandum esse, quo jam præcesserit caput nostrum. Unde Apostolus[1], « Quæ sursum sunt, inquit, quærite, ubi Christus est in dextera Dei Patris. » Cum itaque in omnibus quæ in carne gesserit Dominus, nostræ sit eruditionis intentio, recte sola incarnari Sapientia dicitur, et in carne quam accepit ista nobis exhibuisse; quia ad hoc omnia gessit in carne, ut nos vera erudiret Sapientia, quæ ad salutem sufficerent. Qui etsi in aliquibus vel miraculis vel aliis factis suam exhiberet potentiam, omnia ad intentionem doctrinæ spectant, ut factis quoque nos de ipsa sua potentia ad percipiendam fidem erudiret. Prius itaque docendus erat homo, qui vel crederet vel ageret, deinde ad amorem trahendus eorum quæ nosset. Hæc autem quæ in carne gessit Dominus, ad doctrinam attinent, ut diximus. Ad amoris vero fervorem, qui omnia tolleret[2] adversa, ut libera voce ubique terrarum verbum Dei prædicaretur, infusio illa Spiritus, quæ super discipulos de Pentecostes in igne est revelata. Sed dicit mihi aliquis quod hæc incarnatio cum ex summa sola misericordiæ divinæ gratia, non ex meritis nostris facta sit, maxime Spiritui tribuenda est, ut scilicet Spiritus potius quam Filius incarnari diceretur. Unde et scriptum est, « Conceptus ex Spiritu sancto, » hoc est ex sola benignitate misericordiæ suæ incarnatus. Ad quod respondendum est quod aliud est concipi ex Spiritu, aliud Spiritum concipi, hoc est incarnari; sicut aliud est ex aqua et Spiritu regenerari, aliud aquam et Spiritum regenerari. Si quis itaque vim hujus enunciationis attendat, Filius est incarnatus, ad quam scilicet eam sanctorum auctoritas instituit, solus est Filius incarnatus, non etiam Pater vel Spiritus :[3] quia hic est sensus, ac si dicamus, quod ad hoc solum vel maxime Deus incarnatus est, ut suos prædestinatos veræ Sapientiæ luce in ipso habitu carnis visibili illustraret. Cum itaque sint in diversa opera trium personarum quarum nullomodo diversa est essentia, pro diversitate tamen personarum et operum quædam specialiter opera uni personæ tamquam propria, quædam alii. Patri quidem proprie tribuuntur ea quæ ad potentiam pertinent, sicut est creasse cuncta ex nihilo, per Verbum tamen suum, non Verbum per Patrem; vel disponere omnia pro arbitrio suo, vel imperare, vel dare potestates, vel mittere Filium suum in mundum, vel obedientiam impendi, unde scriptum est[4] « Obediens Patri, » et postremo omnia quæ ad potentiam ac reverentiam majestatis pertinent, Patri specialiter tribuuntur, quod etiam verba Christi aperte insinuant, cum videlicet humanitas ejus in anxietate posita, quotiens a divinitate in unam personam sibi unita opem virtutis, aut quotienscumque preces ei fundit, solo vocabulo Patris utitur, ipsam scilicet commemorando potentiam qua po-

[1] *Colos.*, cap. III, v. 1. — [2] Lege *Toleraret*. — [3] Hic deesse aliquid suspicamur, at *Videbit*. — [4] *Phil.*, cap. II, v. 8.

tens est efficere quod rogatur. Quod et adhuc maxime mos ecclesiasticus observat in specialibus orationibus suis, quæ in celebrationibus missarum ad altare fiunt : quæ scilicet orationes ad solum intenduntur Patrem. Sed cum ait Filius ipse, « quæ Pater posuit in sua potestate, » potius quam quæ Filius in sua, vel Spiritus sanctus in sua, quasi proprie et specialiter divinam potestatem Patri adscribendam esse innuit. Filio autem ipsi ea maxime adscribuntur, quæ ad Sapientiam attinent, sicut est judicare quod discretionis est. Unde scriptum est[1] : « Pater omne judicium dedit Filio : » quia potentia sapientiæ cedit in discussione judicii : ubi æquitas magis examinanda est, quam vis potentiæ exercenda. Ad hoc etiam illa inscriptio *Psalmi* IX pertinet, quæ ait : « Pro occultis Filii, » scilicet judiciis. Quæ etiam bene mens Patris seu ratio sive angelus consilii dictus est : quia omnia in hac sapientia rationabiliter Pater disponit, sive creando mundum, sive eumdem reparando post lapsum : et in hoc Pater verum consilium nostræ ignorantiæ dedit, cum eo incarnato nos visitaverit[a]. Logos itaque Filius Dei cum dicitur, id est Verbum, secundum illam significationem sumitur,

[a] Augustinus de verbis Domini et quibusdam sententiis Pauli apostoli *Sermone* LXXIV[2] : « Solet hæc quæstio a studiosis proponi : Facit aliquid Pater quod non facit Filius, aut Filius quod non facit Pater? De Patre et Filio dicam. Cum autem hinc expedierit conatum nostrum, cui dicimus : « Adjutor meus esto, ne derelinquas me[3], » intelligitur etiam Spiritus sanctus ab operatione Patris et Filii nequaquam discedere. Fratres audite : Facit aliquid Pater sine Filio? Respondemus. Non. Quid facit sine illo, per quem facta sunt omnia, et sine ipso factum est nihil? Intelligimus utique universam[4] creaturam factam per Filium. Nihil itaque Pater sine Filio, nihil Filius sine Patre facit. Occurrit quæstio : Si nihil facit Pater sine Filio, et nihil Filius sine Patre, nonne quasi consequens erit, ut et Patrem dicamus natum de Virgine, passum, resurrexisse, in cœlum ascendisse? Placet nobis quæstio proposita : Deus adjuvet ut placeat et soluta. Filius quidem, inquam, non Pater natus de Virgine. Sed ipsam nativitatem et Pater et Filius operatus est. Non est passus Pater, sed Filius. Passionem tamen et Pater et Filius operatus est. Non resurrexit Pater, sed Filius : Resurrectionem Filii et Pater et Filius operatus est. Apostolus inquit[5], « Misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. » Ecce Pater fecit Filium nasci de Virgine. Probavimus nativitatem Filii a Patre factam, probemus et a Filio factam. Quid est nativitas Filii de Virgine? Certe assumptio formæ servi in utero Virginis. Ergo quia Filius[6] « semetipsum exinanivit formam servi accipiens, » videmus nativitatem Filii et ab ipso factam esse. Facit Pater passionem Filii, qui « proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum[7]. » Facit et Filius passionem suam. « Qui me, » inquit Apostolus[8], « dilexit, et tradidit semetipsum pro me. » Passio hæc uni facta est, sed ab utroque facta est. Operatur Pater resurrectionem Filii. Resuscitavit Pater Filium, et Filius resuscitat semetipsum. In figuram sui corporis de templo dixit[9], « Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud. »

[1] Joan., cap. V, v. 22. — [2] Lege LII, *Opp.* t. V, p. 301 etsqq. — [3] *Psalm.* XXVI, v. 9. — [4] In editis *immensam*. — [5] *Galat.*, cap. IV, v. 4. — [6] *Phil.*, cap. II, v. 7. — [7] *Rom.*, cap. VIII, v. 32. — [8] *Galat.*, cap. II, v. 20. — [9] Joan., cap. II, v. 19.

secundum quam *logos* apud Græcos ipsum mentis conceptum seu rationem significat, non vocis prolationem. Unde Boetius *in Categorias* Aristotelis, lib. II : « Quoniam græca oratione logos dicitur etiam animi cogitatio, et intra se ratiocinatio, logos quoque et oratio, ne quis Aristotelem, cum diceret logon, id est orationem, quantitatem esse, de eo putaret dicere, quem quisque logon in cogitatione disponeret, addidit : qui fit cum voce. » Unde et B. meminit Augustinus libri *Quæstionum LXXXIII*, capitulo XLIV[1] : « In principio, inquit, erat Verbum, » quod græce logos dicitur, latine autem et rationem et verbum significat. » Logos enim ratio dicitur. Idem in libro *Contra V Hæreses*[2] : « In principio erat Verbum. » Melius Græci logos dicunt. Logos quippe Verbum significat et rationem. » De quo quidem Verbum Dei, scilicet intelligibili, quod, ut dictum est, ejus Sapientia intelligitur, B. papa Gregorius in *Homelia*[3] : « Operantem. » Spiritui autem ea quasi proprie tribuuntur, quæ ad comparationem divinæ gratiæ attinent, sicut est remissio peccatorum et quorumcumque donorum distributio ex sola bonitate ejus, non ex meritis nostris proveniens, qualis est regeneratio in baptismo ad dimittenda peccata, confirmatio per impositionem manus episcopi ad dandam armaturam virtutum, quibus scilicet virtutibus, post remissionem peccatorum perceptam, resistere valeamus inimico tunc vehementius insurgenti. Sic et cetera sacramenta quæ in Ecclesia conferuntur ex bonitate Dei Spiritui tribuenda sunt. Nam etsi idem sit dialecticus quod orator, aliud tamen oratori tribuendum est secundum officii sui proprietatem, aliud dialectico.

Movere fortasse aliquos poterit quod dicimus in diversa opera Trinitatis, hoc est hoc idem operari unamquamque trium personarum, quod una earum operatur, ut videlicet omne id quod facit Pater, faciat Filius sive Spiritus, et e converso. Solus quippe Filius carnem accepisse dicitur, sicut et passus, et solus Spiritus nos regenerare dicitur in baptismate. Solus etiam Pater Filium generat. Ad quod respondendum arbitror, quod licet non possimus dicere aut Patrem aut Spiritum accepisse carnem, hoc est incarnatum esse aut passum; tamen vere profitemur, quia in eadem ipsa incarnatione et Pater operatus est, et Spiritus, a qua nec potestatem divinam, nec benignitatem possumus excludere. Nam et cum se induit aliquis, aut armat, multi in eodem cooperantur, qui tamen non armantur aut induuntur. Quamvis igitur omnia verba operationis, quæ uni personæ congruunt, alteri non conveniant; operatio tamen unius personæ non minus aliarum esse dicenda est : quia in eodem necesse est omnes simul cooperari. Animæ quoque ipsi, quæ corpus movet et agitat, omnes nostræ actiones

[1] *Leg.*, cap. LXIII, *Opp.* t. VI. — [2] Lib. Contr. Quinque hæreses, cap. VI, *Opp.*, t. VIII. — [3] Ita in MS. relinquitur spatium vacuum, quod occupare debuerat locus ex S. Gregorio, cujus ultimum tantum verbum ponit, scilicet *operantem*.

non immerito tribuuntur, nec tamen omnia verba actionum designativa in prædicatione sua ad animam referuntur. Neque enim omnes animam ambulare, vel comedere, sed ipsum animal, et tamen ipsam actionem qua sic anima corpus agitat in ambulando vel comedendo, certum est soli animæ inesse : quæ quidem per actiones ambulat et comedit. Hæc verba significantur in ipsa anima, dum de ipso animali dicitur quod ambulat et comedit : quod est dicere, sic ipsum ab anima sua moveri atque agitari, ut solam animam in hoc agere intelligamus, et corpus ipsum agitari. Cumque itaque hæc verba actionum animæ significativa nullo modo de ea cui soli insunt hæ actiones, prædicabilia sint; non est mirandum si in tribus divinis personis, cum sit communis eis actio, de una earum tamen Verbum ipsum specialiter dicatur, secundum quamdam, ut diximus, proprietatis ipsius personæ expressionem. Quod vero opposuimus, propter conclusionem operis comprobandam, solum Patrem generare, nihil attinere videtur, cum hæc generatio, quæ æterna est, opus non sit aliquod aut aliqua creatio Dei.

Superest extrema objectio, qua scilicet opponitur, idem a se ipso nasci, vel a se procedere, quod recte discuti non valet, nisi quæ sit hujusmodi generatio vel processio determinemus.

Ac primum de generatione disseramus, nihil quidem sub assertione docendæ veritatis astruentes, ut satis supra meminimus; sed sub quadam pia similitudinis umbra, quam nos Veritas docuit, defendentes. Non enim hoc opusculo veritatem docere, sed defendere intendimus, maxime adversus pseudophilosophos, qui nos philosophicis maxime rationibus aggrediuntur. Unde et nos per easdem, scilicet philosophicas rationes, quas solas recipiunt, et quibus nos impetunt, eis præcipue satisfacere decrevimus, defendendo veritatem potius, quam docendo. Quod si mihi fidelium quisquam objiciat, jam nec doctrinam meam nec defensionem necessariam esse, post tot videlicet et tanta sanctorum documenta : verum fortassis dicit quantum ad doctrinam, non quantum ad defensionem. Cum enim unusquisque in sensu suo abundet, et pro diversitate hominum vel temporum, novæ quotidie quæstiones vel impugnationes oriantur, novis quotidie rationibus resistendum puto, et novis exorientibus morbis nova quærenda remedia. Potuit autem fieri, ut in antiquis temporibus sancti Patres ea quæ tunc adversus catholicam fidem opponi audirent, rectis diluerent rationibus, et illis quos tunc invenerunt morbis mederentur; non his quos quotidie succrescentes nondum fortassis deprehenderant. Quousque enim paleas cum granis præsens Ecclesia indifferenter continebit, nec messi Domini inimicus homo superseminare zizania cessabit, donec inde in fine sæculi messores Angeli Dei zizania colligant, et in fasciculos in ignem arsuros mittant; non possunt

schismatici, non possunt deesse hæretici; nec inter scorpiones et serpentes tutum patebit iter; sed semper ad probationem vel exercitationem fidelium habebit mater Ecclesia, sub Christi nomine, multos quos toleret antichristos : pro quibus ingemiscens quotidie dicat : « Ex nobis exierunt, sed ex nobis non erant; » et affectu materno per singulos annos pro eis ut redeant immolat publicas orationum hostias. Nam « oportet, » inquit Apostolus[1], « hæreses esse, ut et qui probati sunt manifesti fiant : » quod maxime in novissimis temporibus, antichristi regno appropinquante, futurum expectamus, quando juxta dominicam et apostolicam sententiam, graviora semper imminere atque excrescere constat pericula, et refrigescente caritate, mala omnia amplius pullulare. Unde et idem Apostolus *ad Timotheum*[2], « Hoc autem, inquit, scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, sine pace, habentes speciem quidem pietatis, virtutem ejus abnegantes. » Qui et alibi, « nos, inquit[3], sumus, in quos fines sæculorum devenerunt. » Et Petrus in secunda *Epistola*[4], « hoc primum, inquit, scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, etc. » Et Johannes[5], « Filioli, inquit, novissima hora est, et sicut audistis quod Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt. Unde scimus quia novissima hora est. Ex nobis prodierunt, sed ex nobis non erant. » Hinc et in *Epistola* Judæ scriptum est[6] : « Vos autem, carissimi, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab apostolis Domini nostri Jesu-Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimis temporibus venient illusores. Hi sunt qui segregant semetipsos : et hos quidem arguite judicatos. » Ac si aperte nos adhortetur dicens : Providete, ut tales dijudicare ac rationibus convincere valeatis, « comparati semper, » ut B. Petrus meminit[7], « ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in in vobis est spe et fide, ut in eo quod detrahunt de vobis confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. » Idem et coapostolus ejus Paulus ammonens, « Sermo, inquit[8], vester in gratia conditus sit sale, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere. » Ratione magis hæretici quam potestate coercendi, cum juxta sanctorum patrum auctoritatem, fideles quidem, quibus omnia cooperantur in bonum, eorum disputationibus exercitati vigilantiores atque cautiores reddantur. Unde Hieronymus *super Jeremiam* libro II : « Ad tempus, inquit, valet hæresis, ut electi quique manifesti fiant et probati sint. » Augustinus *Contra epistolam* Parmeniani : « Hæretici si in ecclesia essent, nihilominus errarent. Cum autem foris

[1] *Corinth. I*, cap. XI, v. 19. — [2] *Tim. I*, cap. III, v. 1. — [3] *Corinth. I*, cap. X, v. 11. — [4] Petr. II, cap. III, v. 3. — [5] Joan. I, cap. II, v. 18. — [6] Jud. XVIII. — [7] Petr. I, cap. III, v. 15. — [8] *Colos.*, cap. IV, v. 6.

sunt, plurimum prosunt, non verum dicendo quod nesciunt, sed ad verum quærendum carnales, et ad verum accipiendum spirituales catholicos excitando. Utamur ergo hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam adversus eorum insidias asserentes, vigilantiores et cautiores simus, etsi eos ad salutem revocare non possimus. » Isidorus *Sententiarum* libro I, c. XVI : « Sancta Ecclesia exercetur sapientia, cum tentatur verbis; exercetur patientia, cum tentatur gladiis. Causa pravitatis hæreticæ doctrina est propagata ecclesiæ. Nam antea simplici tantum fide vigebat. Hæreticorum igitur occasione propagati sunt doctores in fide, et per acumen hæresum Ecclesiæ magistri creverunt. » Unde etiam sancti doctores, cum ad exercitationem, ut dictum est, fidelium adeo necessarias esse hæreticorum disputationes vel inquisitiones attenderent, ratione potius quam potestate coerceri sanxerunt, et eos quasi tantæ victoriæ desiderio ad sacræ studium eruditionis sunt potissimum adhortati. Unde Hieronymus *ad Nepotianum* : « Disce, inquit, quod doces, ut possis exhortari in doctrina sacra[1], et contradicentes revincere, paratus semper ad satisfactionem omni poscenti te rationem de ea quæ in te est spe. » Gregorius Bonifacio[2]: « .... potius quam vi convincatis. » Qua vero ratione hos, qui christianitatis bonum suscipere renuunt, convincere, quibus monitis vel exhortationibus ad fidem attrahere poterimus, si quid in ipsa fidei nostræ professione dubium protulerimus, quod non valeamus defendere, nedum confirmare? Auctoritate quidem scripturæ, quam non recipit, argui nemo potest. Quod si adhuc aliquis in meam perseveret reprehensionem, et cum nondum illa periculosa tempora instent, nostra penitus abjiciat vel non curet scripta; illud tandem Hieronymi audiat : « Peregrinæ merces tantum volentibus navigant; » et nos quidem ista volentibus tantum scribimus, immo importune nobis insistentibus atque insultantibus, quod eam quam prædicamus fidem defendere ausi non simus, præsertim cum omnium bonorum fundamentum fidem esse constet, quam quisquis labefactare poterit, nihil de superædificatis firmum reliquerit. Sed etsi, veritatem profiteri liceat, cum non[3] nullas hujus etiam temporis hæreses aut schismata reprehendendas aut corrigendas esse censemus, quas vel ipsi nos ab his qui eas profitentur audivimus, vel ab his qui eas audierint didicimus. Sunt enim, ut supra meminimus, qui ad assignandam trium personarum diversitatem tres proprietates in eo intelligant, tanquam tres res diversas essentialiter ab ipso Deo. Quorum etiam unus qui in Andegavensi pago magni nominis magister viget, in tantam prorumpere ausus est insaniam, ut omnia creaturarum nomina ad Deum translata,

[1] Ap. Hieronymum *sana*. — [2] Hoc etiam loco relinquitur spatium vacuum ad S. Gregorii textum inserendum, cujus ultima tantum verba scriptor apposuit, scilicet *potius quam vi convincatis*. — [3] *Non* deest in codice.

ipsi quoque Deo convenire velit, ex quibusdam formis diversis essentialiter ab ipso Deo, sicut et in creaturis, veluti cum dicitur Deus justus sicut et homo justus, ita justitiam ab ipso Deo essentialiter diversam intelligit, sicut ab homine, et similiter cum dicitur Deus sapiens, Deus fortis. Necnon et propria ipsius Dei nomina vult in ipso Deo, ita qualitates aut formas ponere, sicut et in creaturis, ut est hoc nomen æternum, sive etiam Deus, vel creator : quod maxime ex eo adstruere nititur, quod ait Priscianus proprium esse nominis substantiam et qualitatem significare; et ex ipsa nominis diffinitione, qua asserit unumquodque nomen subjectis corporibus vel rebus proprias vel communes distribuere qualitates; propter quod et hujusmodi illud Gregorii, quod supra meminimus, convenienter dici arbitrari licet : « Indignum vehementer existimo, ut verba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati. » Est et alius in Francia, qui se quasi singularem divinæ paginæ magistrum omnibus præfert, et cum hoc quod dictum est in ceteris ipse quoque vehementer arguat, nihil videlicet penitus inesse Deo, concedimus, quod non sit Deus, non minorem tamen videtur incurrisse errorem ex summa illa unitate divinitatis quam tenet, cum nihil in Deo præter ipsam substantiam esse nobiscum profiteatur. Inde enim ad hoc compulsus est, sicut et ipsemet ego ab ipso audivi, ut confiteatur Deum ex seipso gigni, quia Filius a Patre est genitus. Et sicut arrogantissimus omnium omnes plane hæreticos vocat quicumque ita non tenent, quem etiam hi qui ab eo legerunt, ita in fide ab Ecclesia jam divisum esse asserunt, ut multos qui ante Incarnationem Dei fuerunt, salvari asserat, et per passionem ejus redimi, qui numquam aut incarnationem aut passionem ejus crediderunt; qui etiam quod mirabile est apud omnes catholicos, sicut ad nos nuper ablatum[1] est, asseruisse etiam publice in scholis suis non est veritus, Dominum incarnatum ita aperto utero Virginis natum sicut et ceteros homines, nisi quod ipse solus sine virili coitu sit conceptus. Novi etiam quemdam non parvi nominis inter hujus temporis magistros ad hoc perductum esse ex quibusdam argumentorum quas tenet rationibus, ut Deum etiam posse decipi profiteatur, pro eo scilicet quod res aliter evenire possint quam ipse præviderit : quod nec credo apud gentiles vel quantumlibet infideles dici umquam permissum est. Novimus et duos fratres, qui se inter summos connumerant magistros, quorum alter tantam vim divinis verbis in conficiendis sacramentis tribuit, ut a quibuscumque ipsa proferantur, æque suam habeant efficaciam, ut etiam mulier et quislibet, cujuscumque sit ordinis vel conditionis, per verba dominica sacramentum altaris conficere queat. Alter vero adeo philosophicis innititur sectis, ut profiteatur Deum priorem per

[1] Lege *Allatum.*

existentiam mundo nullatenus esse. Est et quidam eorum patriota, inter divinos celeberrimus magistros, qui in tantam prorupit insaniam, ut corpus dominicum ejusdem longitudinis seu grossitudinis in utero Virginis fuisse astruat, cujus et in provecta ætate extitit. Sed nec adhuc illam summam controversiam de sacramento altaris, utrum videlicet panis ille qui videtur, figura tantum sit dominici corporis, an etiam veritas substantiæ ipsius dominicæ carnis, finem accepisse certum est; et innumeras alias in quarum quotidianis relationibus frequenter obstupescimus, quæ nec per incendia eorum qui a populo deprehenduntur compesci possunt. Hæc illi attendant, qui de fide amplius minime scribendum esse autumant, cum mille, ut aiunt, hoc tempore hæreses pullulent, quasi ipsi omnium conscientias et fidem cognoverint.

Nunc ad propositum redeamus, de generatione verbis quibus possumus disserenda, ad defendendam, ut diximus, fidem nostram, non docendam; quod quidem ideo maxime faciendum esse decrevi, quod similitudines illæ quas ad hanc generationem Filii vel processionem Spiritus defendendam, seu ad diversitatem personarum assignandam a sanctis Patribus didicimus, minus satisfacere quibusdam videantur, quod in illis rebus, quæ per simile inducuntur, non possit unius essentiæ identitas servari; unde et nonnullos fidelium quasi irridentes murmurare sæpe audivimus, cum de his ad hoc similitudo inducitur, quæ non sunt ejusdem essentiæ, veluti cum in illo sermone Natalis Domini B. Augustinus, ad defendendum quod solus Filius sit incarnatus, similitudinem in cithara et sole sumsit, per quam videlicet assignaret non esse mirandum, si cum in una divinitatis substantia tres personæ conveniant, uni tamen earum congruat, quod alteri non convenit, utpote soli Filio incarnari : « Sicuti, inquit, in una citharizationis actione tria conveniunt, ut simul agant ars, manus, et corda; cum tamen diversa agantur a singulis, cum videlicet ars dictet, manus tangat, corda resonet; in sole etiam, inquit, calor et splendor diversa agunt, cum calor exsiccet, splendor illuminet. » Sed ad hæc quid nonnulli murmurent novi, dicentes quidem hæc nihil attinere ad vim quæstionis, quæ de identitate unius substantiæ in tribus personis orta est. Nemo enim, inquiunt, dubitat, quin in eodem opere diversæ res diversa agant, aut in eadem substantia diversas habeant vires diversæ qualitates : sed hoc, inquiunt, miramur, cum sit una penitus snbstantia sive essentia trium personarum, qua ratione hæc incarnata dicatur et non illa, cum ipsa divinitatis substantia carnem susceperit, quæ una et eadem singulis æque inest personis. Fuit et quidam novissime temporibns nostris, Anselmus videlicet Cantuariensis metropolitanus, qui servata substantiæ unitate, validiorem visus est similitudinem ad hæc quæ diximus induxisse. Cujus, ni fallor, similitudinis fundamentum a B. sumsit Augustino scribente ad Lauren-

tium papam de hoc ipso, et fontem et ejus rivum, quorum eadem est substantia, ad divinæ generationis exemplum, ubi eadem est substantia generantis et geniti, inducente. Ponit itaque prædictus archiepiscopus quasi tria ejusdem substantiæ, fontem videlicet, rivum et stagnum : fontem quidem ex quo est rivus, quasi Patrem ex quo Filius, stagnum vero quod ex fonte et rivo provenit, quasi Spiritum qui ex Patre et Filio procedit. Posuit etiam rivum in fistula, quasi Filium in carne humana, ac si rivum infistulatum dicamus Verbum incarnatum. Sed hæc quoque similitudo non minus satisfacere potest, quod non est simul eadem substantia fontis et rivi atque stagni; sed per temporis successionem eadem aqua primo fons erat, deinde rivus, denique stagnum facta est. Unde non est mirabile si per successionem temporis eadem aquæ substantia diversis modis se habeat, cum numquam simul eadem numero sit substantia fontis, et rivi, vel stagni, ut videlicet umquam vere dici possit, modo aqua fontis est aqua rivi sive stagni; sicut semper dicimus substantiam Patris esse substantiam Filii et Spiritus Sancti. Immo fortassis hæc similitudo illi maxime suffragatur hæresi, quæ ita per tempora proprietates personarum commiscet, ut eamdem personam dicat quando vult esse Patrem, quando vult Filium vel Spiritum Sanctum. Ut itaque satisfacere per similitudinem de hac generatione vel processione valeamus, excogitanda est talis similitudo generationis vel processionis, in qua eadem simul sit substantia generantis et generati, vel procedentis et a quo procedit, et tamen proprietates eorum impermixtæ maneant, ut videlicet genitus non sit generans, nec procedens a quo procedit. Quod facilius nos posse invenire arbitror, si juxta Apostoli testimonium, diligenter attendamus, qualiter a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, ipsi quoque philosophi, quorum rationibus nos impetunt, congruis similitudinum proportionibus in una et eadem divina substantia tres personas proprietatibus ab invicem diversas vestigare atque assignare, domino revelante, valuerint. Sic quippe scriptum est[1], « Quod notum est Dei manifestum est illis, » hoc est non solum illis, verum etiam in illis, hoc est per illos et eorum scripta aliis. « Deus enim illis revelavit, » eorum scilicet illuminando rationem, ut ex similitudine corporalium seu visibilium rerum, ad incorpoream atque invisibilem divinitatis naturam contemplandam assurgerent. « A creatura, inquit, mundi per ea quæ facta sunt » tam a nobis etiam ipsis, quam a natura, secundum illam videlicet philosophicam rationem, qua dicuntur alia ex materia et forma consistere, alia ad similitudinem materiæ et formæ. In his quippe constitutionibus cum sit una penitus substantia constituentis et constituti, utpote materiæ et materiati, diversa

[1] *Rom.*, cap. I, v. 19.

tamen sunt proprietate ab invicem materia ipsa et materiatum, utpote cera ipsa, et quæ ex ipsa est imago cerea. Ac primum de generatione prosequamur.

Ponamus ergo ante oculos ceream imaginem, et consideremus in ea ipsam naturam ceræ, hoc est ipsam ceream substantiam, ex qua est imago cerea, juxta philosophos, tamquam materiatum ex materia, cum tamen eadem essentia sit cera ipsa et imago cerea, ut etiam per prædicationem sibi sociari queant cera ipsa et imago ipsa, et dici possit quod imago cerea sit ipsa. Nec tamen ideo minus dicimus ceream imaginem esse ex cera, non ceram ex cerea imagine, et ceram ipsam esse materiam cereæ imaginis, non ceream imaginem esse materiam ipsius ceræ aut cereæ imaginis. Et rursus imaginem ceream dicimus esse materiatam ex ipsa cera, neque ipsam ceram aut ipsam imaginem esse materiatam ex cerea imagine. In qua quidem re considerandum est, quod si ea nomina ipsius ceræ et cereæ imaginis accipiamus, quæ absolute non relative dicuntur, licet ea per prædicationem sibi veraciter conjungi propter identitatem substantiæ ipsius ceræ et cereæ imaginis, veluti cum cera ipsa sit crocea, et imago sit recta, unum est ipsum croceum et rectum, vel e converso. Si vero ea sumamus nomina, quæ secundum ipsam generationem aut constitutionem cereæ imaginis ex cera relative ad invicem dicuntur, utpote materia vel materiatum, sive constituens et constitutum, sive causa et effectus, sive generans et genitum; non licet ea secundum suas proprietates sibi per prædicationem sociari, ut videlicet dicamus ibi ipsam materiam esse materiatum, vel ipsum materiatum esse materiam, etc. Quod si hujus similitudinis rationem ad divinam generationem reducamus; facile est ibi cuncta assignare ac defendere quæ audimus. Ponamus itaque Deum Patrem, ut supra meminimus, divinam potentiam, ac Deum Filium divinam Sapientiam : et consideremus quod ipsa Sapientia quædam sit potentia; cum sit ipsa videlicet potentia discernendi ac providendi seu deliberandi veraciter omnia, ne quid Deum decipere possit aut latere. Est igitur divina Sapientia ex divina Potentia; quomodo cerea imago est ex cera[1], aut quomodo, juxta philosophos, species ipsa ex genere esse dicitur, cum tamen idem sit species quod genus, ut homo idem quod animal, et imago cerea idem quod cera. Ipsa quippe imago cerea ita est ex cera, et homo ex animali, quod ex eo quod cerea imago est, exigit ut cera sit; et ex eo quod homo est, ut sit animal; sed non e converso. Potentia quippe tam ad discernendum, quam ad alia agenda se habet, sicut cera tam ad ceream imaginem, quam ad

[1] Hic animadvertit Edm. Martene Petrum Abælardum, in Introductione ad Theologiam, alia similitudine usum fuisse, scilicet æris et sigilli ærei, contra quam invecti sunt ejus adversarii S. Bernardus, Guillelmus abbas S. Theodorici, et abbas Anonymus qui fuerat ejus discipulus. Vid. *Bibl. Patrum Cister censium*, t. IV.

id quod non sit cerea imago; et animal tam ad hominem quam ad non hominem. Est itaque Filium gigni a Patre divinam Sapientiam ita, ut determinatum est, ex divina Potentia esse, cum ipsa, ut dictum est, Sapientia quædam sit potentia, atque ipsius Potentiæ Dei quæ est omnipotentia, quasi portio quædam ipsa sit Sapientia, quomodo et quislibet filius portio quædam parentum quodammodo dicitur. Ideo autem quasi partem[1] omnipotentiæ et non proprie partem dicimus Sapientiam, quod nulla sit rerum multitudo in illa simplici penitus divinitatis natura, quarum conventu quantitas alicujus totius componatur, ut supra jam sæpius meminimus. In eo tamen quasi partem quamdam Omnipotentiæ dicimus Sapientiam, quod cum ipse Deus ex omnipotentia sua ad infinita agenda se habeat, ex Sapientia ad discernendum tantum sese habet; et cum dicamus omnipotentiam Dei quasi omnem potentiam ejus, plures ejus potentias quodammodo dicimus, quantum ad effecta scilicet, hoc est ad diversitatem eorum quæ agere potest, secundum quod dicimus eum diversa agere, cum unus atque idem omnino perseveret. Unde et unum et eumdem Spiritum sanctum multiplicem dicimus, seu etiam septem Spiritus, secundum septiformis gratiæ operationem, non secundum substantiam. Et attende quod quemadmodum in suprapositis generationibus, de imagine scilicet et specie, licebat sibi per prædicationem sociari nomina illa generantis rei et genitæ, quæ absolute dicebantur; sed non illa nomina quæ relative ad invicem dicuntur, secundum hujusmodi generationem : ita etiam in hac ipsa generatione divina. Ipsa quippe imago cerea est cera, et ipse homo est animal, et e converso[2]; sed non ibi ipsum materiatum est materia, vel ipsa materia est materiata a se. Hæc quippe nomina materia et materiatum relative ad invicem dicuntur, sicut Pater et Filius. Illa vero supraposita secundum substantiam potius quam secundum relationem prædicantur. Materiam quidem dicimus secundum hoc quod aliquid ex ipsa est : materiatum vero secundum id quod ex aliquo ipsum est. Sic et Pater et Filius relative invicem dicuntur, secundum id scilicet quod hic illum generat, atque ex hoc ille per generationem existit, sicut illud ex illa per constitutionem materialem; eadem itaque ratione qua non licet dici quod materia ex seipsa sit materiata, vel materiatum sui ipsius sit materia, vel constituens sit constitutum ex se, vel posterius se, vel generans se : quamvis in talibus idem sit generaliter materia quod materiatum, velut hoc æs idem quod hæc statua, et idem constituens quod constitutum, et idem prius quod posterius, et generans quod generatum; eadem, inquam, proportionis ratione, et in divinis personis neque Pater est Filius, hoc est Deus Pater genitus a seipso :

[1] In codice *Patrem*. — [2] Edm. Martene legendum putat *non e converso*.

neque Filius est Pater, hoc est Deus Filius genitor sui ipsius : quod esset dicere ipsam divinam potentiam esse ex seipsa; vel ipsam divinam Sapientiam esse ex seipsa, sed solummodo ipsa Sapientia est ex ipsa Potentia, sicut est determinatum : quemadmodum imago ex cera, non imago ex se, vel cera ex se, sive ex imagine, licet idem sit cera ipsa quod imago illa : sicut idem est Pater, quod Filius secundum substantiam, sed non secundum proprietatem vel diffinitionem, et ipse Deus omnipotens sit sapiens sive benignus, et e converso. Et quemadmodum ibi quod ex materia est id quod est materiatum ex ea, utpote cera ipsa est cerea imago, vel e converso; nec tamen ideo ipsa materia est materiata ex se, vel ipsum materiatum est materia sui : ita et hic id quod Pater est, id quidem est Filius, et e converso; nec tamen Pater est Filius vel e converso. Ibi quippe substantiæ prædicatio fit, cum videlicet dicitur : Est id quod est materiatum, vel quod est Filius : hic vero proprietatis cum dicitur : Est materiata vel est Filius. Substantia vero eadem est, proprietates vero impermixtæ sunt. Apparet itaque secundum propositam rationem qua ratione divina Potentia dicatur Pater, aut divina Sapientia Filius, quod est hanc ex illa esse, ut supra distinximus; et qua ratione sibi nomina proprietatum relativarum conjungi minime per prædicationem liceat.

Si quis autem quærat utrum secundum istum generationis modum assignatum, ipsa divina Potentia possit dici materia divinæ Sapientiæ, hoc est Pater Filii, seu causa seu principium, aut aliquo modo prior saltem natura, si non tempore; respondemus nihil horum nobis videri posse dici proprie. Materiam vero nullo modo dici hic concedimus, cum materiam Boetius describat eam quæ subjecta formam suscipit, et in Deo nullam omnino formam esse certum sit. Sed nec recte materiam dicimus, nisi quæ tempore quoque materiatum præcedit, sicut cera ipsa quæ ante fuit quam esset imago. Unde et philosophi alia ex materia et forma constare, alia ad similitudinem materiæ et formæ consistere distinxerunt, sicut nos alibi de materia et forma tractantes docuimus. Nunc autem ad hoc nos induxisse similitudinem de materia et materiato sufficiat, quod quemadmodum illud ex illa dicimus generari, secundum hoc quod ex illa est : ita hic Filium ex Patre, hoc est ipsam Sapientiam ex ipsa Potentia esse, ut determinatum est. Sed nec causam proprie dicimus, nisi ad effectum, ubi nihil est factum. Effectus quippe est, teste Boetio, quod efficit causa[1]; et juxta Tullium, omnis causa præter finalem efficiens dicitur, et natura prior effectu. Unde Boetius, cum locum a causa juxta Tullium in tertio *Topicorum* tractat, causam diffiniens, dicit eam esse, quæ quamlibet rem præcedens efficit,

[1] Cod. *causam*.

non tempore, sed proprietate naturæ, ut sol diem. Ipse etiam Augustinus hanc secutus rationem omnem causam efficientem dicit capitulo xxx, libri *Quæstionum LXXXIII*, his verbis[1] : « Qui quærit cur Deus voluerit mundum facere, causam quærit voluntatis Dei. Sed omnis causa efficiens est; omne autem efficiens majus est, quam id quod efficitur. Nihil autem majus voluntate Dei. Non ergo ejus causa quærenda est. » Qua quidem ratione manifeste convincitur, nec Deum Patrem esse causam Filii, cum videlicet nec ipsum efficiat, quem nullo modo facit, sed tantummodo gignit; nec major eo sit, nisi forte secundum carnis susceptionem. Quomodo etiam dicemus principium vel originem habere id quod æternum est? Æternas vero et coæternas sibi esse tres personas certum est. Non est itaque altera alterius principium, sed unaquæque sine principio est, quia æterna est, et omnium aliarum rerum principium. Quippe quod æternum, sicut in tertio *Topicorum* Boetius definit, origine caret, hoc est principio. Nec illud quidem obest, quod dicimus Deum Patrem principium sine principio, et Filium principium de principio, hoc est de Patre qui est principium omnium creaturarum ; quippe cum dicimus de principio, non addimus suo, ut non Filii principium intelligatur Pater, sed creaturarum omnium, sicut et Filius ipse, qui de semet ait[2] : « Principium qui et loquor vobis. » Sed fortassis dicis nulla ratione dicendum esse hanc personam esse ex illa, sed non e converso, nisi illa hujus quædam causa sit atque origo sive principium, præsertim cum hanc ex illa nasci dicamus, quod est oriri, a quo origo dicta est. Cui quidem rationi ipsi quoque doctores catholici plurimum suffragari videntur, ubi nonnumquam ipsum Patrem causam Filii, seu principium duarum aliarum personarum dicunt, necnon tam Patrem ipsum quam Filium esse principium Spiritus Sancti, quippe qui ex ipsis est, non per generationem, sed per processionem, et tam Patrem Filii, quam Filium Spiritus Sancti caput esse. Unde Augustinus libro *Quæstionum LXXXIII*, capitulo xvii[3], de Filio Dei disserens : « Deus, inquit, omnium quæ sunt, causa est. Quod autem omnium rerum causa est, etiam Sapientiæ suæ causa est : nec umquam Deus sine sapientia. Suæ igitur sempiternæ Sapientiæ causa est sempiterna, nec tempore prior est quam sua Sapientia. » *De Orthodoxa Fide* capitulo i[4] : « Credimus, inquit, unum esse Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Patrem eo quod habeat Filium, Filium eo quod habeat Patrem; Spiritum Sanctum eo quod sit ex Patre et Filio. Pater ergo principium Deitatis, a quo Filius natus, a quo Spiritus sanctus non natus, quia non est Filius, neque ingenitus, quia non est Pater, neque

[1] Cap. xxviii, *Opp.* t. VI. — [2] Joan., cap. viii, v. 25. — [3] Cap. xvi, *Opp.* t. VI. — [4] Gennad., *de Dogmat. Eccles.*, cap. i.

factus, quia non est ex nihilo, sed ex Deo Patre et Deo Filio Deus procedens.» Ex his itaque testimoniis clarum est Patrem ipsum aliarum personarum causam sive principium quodammodo dici, in eo scilicet quod aliæ duæ personæ ex ipso esse habent : altera quidem nascendo, de qua dictum est : altera procedendo, de qua dicendum est[a]. Et nos quidem sensum sanctorum virorum venerantes, verba eorum minus nunc approbanda esse censemus, ut videlicet id dicamus habere principium quod est æternum, ac per hoc sine principio est : vel id dicamus habere causam quod non convenit effectum dici, cum nullo modo effici vel fieri possit, id quod nullo modo non esse potest, sed penitus ex necessitate est. Quippe si fit aliquid, ut ait ipse quoque Aristoteles, non est. Ipse etiam Augustinus nec ista verba sese approbare satis insinuat, ubi omnem causam superius efficientem dixerat, et majorem esse effectu suo : ac per hoc omnem causam a voluntate Dei removet, ut nihil videlicet causa esset divinæ voluntatis. Qui etiam in ipso libro *de Trinitate*, ubi specialiter de ipsa Trinitate definire intendit, incertum nobis reliquit quod asserere non est ausus, sed dubitative protulit ac sub quæstione deseruit an videlicet Pater principium dicendus sit aliarum personarum. Ait quippe sic ibi libro V, capitulo XIII : « Dicitur relative Pater idemque relative principium. Sed Pater ad Filium dicitur, principium vero ad omnia quæ ab ipso sunt. » Item : « Et principium Filius dicitur. Cum enim diceretur ei : Tu, quis es? Respondit[1] : « Principium qui et loquor vobis. » Creatorem quippe se ostendere voluit, cum se dixerit esse principium; sicut et Pater principium est creaturæ, quod ab ipso sunt omnia. » Item : « Unum ergo principium ad creaturam dicitur Deus, non duo, vel tria

[a] Johannes Chrysostomus super epistolam Pauli ad Hebræos Sermone XI : « Sadech justitiæ dicitur, Melcha vero rex. Melchisedech ergo rex justitiæ. Quomodo initium dierum neque finem vitæ habuit, quomodo in eo non est narrata genealogia, sic et Christo ipsa natura rei et sine initio et sine fine est. Sicut enim istius nescimus neque initium dierum neque finem vitæ, quod non sit scriptum, sic et nescimus Filii vel initium vel finem. » Item : « Intueris sine initio Filium, non quia non habet causam ex qua sit; hoc enim impossibile est. Habet namque Patrem, alioquin quomodo Filius? Sed quia non habebat initium vitæ, neque finem. »

Ex libro Quæstionum Orosii. Ad Augustinum Orosius : Voluntate genuit Pater Filium, an necessitate? Augustinus. Nec voluntate, nec necessitate : quia necessitas in Deo non est, præire voluntas sapientiam non potest. Igitur prius est rationabiliter sapere, quam rationabiliter velle. Nam quidam nostrum, cum eum interrogasset hæreticus, utrum volens an nolens genuerit Pater Filium? laudabiliter respondisse fertur, Dic, inquit, et tu, hæretice, Deus Pater necessitate est Deus, an voluntate? Si dixisset necessitate, sequebatur grandis absurditas : si voluntate, respondebatur illi : Ergo voluntate est Deus, non natura.

[1] Joan., cap. VIII, v. 25.

principita. Ad se tamen invicem in Trinitate, si gignens ad id quod gignitur principium est, Pater ad Filium principium est, quia gignit eum. Utrum autem et ad Spiritum principium sit Pater, quoniam dictum est, « de Patre procedit, » non parva quæstio est. » Et post pauca in sequenti capitulo : « Si, inquit, et quod datur, principium habet eum a quo datur, fatendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus sancti. » Sed nec natura Patrem esse priorem Filio concedimus : immo simul esse natura, cum mutuo relative ad invicem dicantur Pater et Filius ; et juxta ipsos quoque philosophos, omnia ad invicem relativa simul sint natura, cum utraque mutuo ad invicem ita sese habeant, ut nullo modo alterum sine altero queat esse. E contrario autem, ut ait Aristoteles, naturaliter prius alterum altero id dicitur, quod consequi habet necessario ad illud, sed minime antecedere, ut unum duobus prius est : potest quippe unum existere, ita ut non sint duo, sed e converso. At vero nulla personarum ita potest esse, ut non sit altera; cum nullo modo aliqua ex eis possit non esse, cum æque omnes necesse sit esse, hoc est omnino impossibile sit non esse ipsam personarum Trinitatem.

Sed nec ullam habent ad invicem dignitatis prioritatem, ut videlicet Pater dignior sit Filio, vel Spiritu sancto dicatur, quia illi ex ipso sunt, non Pater ex ipsis; aut Filius eadem ratione Spiritu sancto. Alioquin et animal eadem proportione dignius esset homine; cum potius natura hominis naturam animalis præcedere videatur : cum homo ipse ex propria natura rationalis sit, quod animal ipsum ex sua natura non obtinet. Sic et homo posset dignior dici homine aliquo dignissimo vel optimo omnium, cum videlicet homo optimus ex homine esset, non ex homine optimo homo. Quod si quis in eo quoque Patrem ceteris præferat personis, quod Pater non est ab alio, cum tam Filius quam Spiritus ab alio sint, utpote a Patre ipso; præferat eadem ratione malum angelum bono angelo; cum ille quod hujusmodi est, a se ipso, non ab alio habeat : iste vero a Deo hoc habeat, quæ etiam dignitas notari possit in non esse ab alio, cum maxima emineat in esse a Deo. Magnum quippe est esse Deum de Deo et Summum Bonum de Summo Bono. Quasi geminatio quædam dignitatis in hoc exprimitur; in eo quod dicitur non esse ab alio, quæ ostenditur dignitas, cum id rebus quoque non existentibus applicari possit, quæ nihil penitus habent dignitatis ? Sed et si posset contingere ut aliquis homo a se ipso esset, et alius esset a Deo; numquid is qui a se esset melior esset aut dignior eo qui esset a Deo, idcirco quod hic a se esset, et ille ab alio ? Non utique, cum longe melior a Deo hic fieri posset, quam ille per se esse valeret. Ponamus etiam quod aliquis homo genuerit alium æque sapientem, æque potentem, æque per omnia bonum et æqualem ipsi patri suo; ponamus, inquam, hoc, sicut fortasse nonnumquam

evenit vel evenire potest, cum sæpe etiam filii parentibus sint præferendi; dico postea : Numquid is qui patri suo per omnia æqualis est, aut fortasse melior, in aliquo indignior est patre suo? Non utique, cum æqualis ei per omnia sit aut fortasse melior. Si autem in nullo penitus is talis indignior est patre suo, quomodo in eo indignior vocabitur quod est ab ipso : aut quomodo dignitati alicujus id derogaverit quod ab alio est potius quam qui a se ipso esset, si per omnia æque bonus sit is qui est ab alio, sicut est ille a quo ipse est? Nihil quippe aliqua dignitate præcedit alterum, quod in nullo bono exsuperat ipsum. Deus autem Pater Deum Filium in nullo transcendit bono, cum æque Filius et potens sit et sapiens et benignus, et eadem per omnia boni perfectio singulis insit personis, sicut et eadem penitus individua illis inest substantia. Quod itaque perhibet Mercurius Filium esse secundum Dominum a Patre, tale est ac si dicat, ipsum quoque Filium esse Dominum, et esse secundum a Patre, hoc est personaliter diversum a Deo Patre, a quo solo ipse est, sed non solus, cum ipse quoque Spiritus ab utrisque sit. Quasi ergo primo loco Filius est ex Patre, nullo scilicet mediante : Spiritus vero quasi tertio loco, quoniam sic est ex Patre, quod est etiam ex Filio. Secundum itaque dixit quasi eum qui primo loco ex Patre sit, ex ipsa videlicet ejus substantia, et nulla alia interveniente persona. Sed et cum dicunt Philosophi mentem ex Summo Deo natam, hoc est Verbum ex Deo Patre, summum, ut dictum est, dicunt non ex aliqua dignitate; sed ex eo quod a nullo sit ipse, cum ceteræ duæ personæ ab ipso sint.

Quod vero objectum est quod quia idem sit essentialiter Filius quod Pater, et Pater generet Filium, idem generet seipsum, hoc est, quia Filius, ut diximus, est ex Patre, idem sit ex seipso; facile est quassari ex similitudine superius inducta, de cera videlicet atque cerea imagine. Idem quippe est essentialiter cera ipsa et imago cerea. Et cum imago ipsa ex ipsa cera est, non ideo ex seipsa, hoc est non ideo ipsa imago cerea est ex ipsa imagine cerea, quia est ex ipsa cera, quamvis hæc ipsa cera, et hæc ipsa imago, idem sint penitus essentialiter, non diffinitione quidem vel proprietate. Ipsæ quippe dictiones relativæ cum ad identitatem ejusdem rei præmissis nominibus superponuntur, non solum ad identitatem essentiæ, verum etiam ad identitatem diffinitionis atque ejusdem penitus status accommodantur, ut si dicam aliquam rem esse ex se, oportet ut idem penitus sint, juxta expressum esse suum, res ipsa quæ est et res ipsa ex qua est, veluti si idem esset diffinitione hæc cera et hæc imago cerea, sicut idem est ensis et mucro : et tunc cum concederemus ipsam imaginem esse ex ipsa cera, oporteret concedi idem esse ex se ipso. Cum vero non possit ostendi id quod dicitur esse ex illo idem esse diffinitione cum illo, non est ideo verum idem esse ex se ipso, etsi hoc idem sit essentialiter ac numero cum illo.

Multo minus cum Pater et Filius diversi ab invicem sint, tam diffinitione quam proprietate, licet sint idem essentialiter, non est necesse, ut cum Filius sit ex Patre, vel generetur ex Patre, idem sit ex se, vel generetur ex se. Sed dicis mihi, quia Deus de Deo est, cum Filius sit ex Patre, unde et confitemur nos credere in Filium Dei, Deum de Deo, lumen de lumine; cum itaque, inquies, Deus sit de Deo, et Deus hoc nomen proprium sit unius et individuæ singularisque substantiæ, nec ullo modo Deus a Deo sit diffinitione diversus, sed penitus idem, oportet concedi idem esse ex se ipso. Ad quod respondeo, quod quemadmodum dicimus hominem ab homine esse diversum diffinitione sive proprietate, si hoc scilicet ad diversitatem personarum, quæ in homine sunt, accipiamus, ut videlicet una persona hominis diversa sit ab alia, utpote Socrates a Platone, nec tamen ideo eadem res diversa est a se ipsa, cum hæc persona non sit illa : ita et dicimus Deum a Deo diversum esse diffinitione vel proprietate, secundum ipsam personarum diversitatem, quarum unaquæque Deus est, cum is qui Deus est, hoc est Pater, ab eo qui Deus est, hoc est Filio, sit proprietate diversus, nec tamen ideo eamdem rem a se ipsa diversam esse contingit, cum hæc persona non sit illa. Falsum est itaque quod dictum est, nullo modo Deum a Deo diffinitione vel proprietate diversum esse, cum is qui Deus est, ab eo qui Deus est, sit proprietate diversus, hoc est una persona ab alia, utpote Pater a Filio. Quod vero additum est, quod hoc nomen « Deus » proprium sit unius individuæ substantiæ, ac per hoc, si Deus de Deo sit, idem est a se ipso, nihil cogit : quia Deum de Deo esse dicimus propter personas ipsas, quarum cum unaquæque Deus sit, una tamen est ex altera, nec ullo modo est altera. Unde non est necesse, ut cum una persona quæ Deus est, sit ex una persona quæ Deus est, quod est Deum esse de Deo, ideo idem sit ex se, cum nullo modo una persona quæ est ex altera sit illa ex qua est; ac similiter istæ personæ quæ in Deo sunt, sint a se per prædicationem disjunctæ, sicut et illæ quæ sunt sub nomine et specie.

Quod vero objectum est, si Deus Deum generet, vel seipsum Deum vel alium Deum, facile est refelli secundum inductam superius generationis similitudinem, de cera videlicet et imagine cerea. Cera quippe cujuslibet ceræ quocumque modo formatæ materia est, et quodammodo quodlibet suum generat materiatum quod ex ipsa est, ut diximus. Cum itaque cera hanc ceram sic formatam quasi materia constituat atque generet, utique cera quamdam generat ceram. Unde oportet secundum suprapositam rationem, ut vel seipsam generet, vel aliam ceram. Sed nec eadem cera ex se ipsa generatur, vel ex se ipsa est, quamvis cera sic formata idem sit essentialiter cum cera ipsa ex qua est, nec sit idem diffinitione. Unde supra meminimus relativas dictiones non proprie supponi, nisi ad identitatem quoque diffinitionis. Est itaque cera materia ceræ cujus-

dam atque ejus mater, juxta Platonem, qui materiam quasi matrem materiati constituit, nec tamen ideo vel sui ipsius materia est seu mater, vel alterius ceræ. Sic et Deus cum Deum generet, hoc est sit Pater Dei, nec seipsum ideo generat, nec alium Deum.

De æternitate autem generationis quod quæsitum est, utrum videlicet Filius semper gignatur, an semper sit genitus; in ipso fere superius nostri tractatus exordio quod sentimus assignavimus, eum scilicet tam gigni semper quam genitum esse asserentes, hoc est semper eum ex Patre esse, et plenam semper et perfectam in hoc ipso generationem ejus esse : quæ numquam aut incœpit aut desinit : quod est eum semper gigni et semper genitum esse, cum idem sit ei gigni quod est genitum esse. Neque enim cum dicimus, aut quod Filius ex Deo Patre gignitur, aut quod est genitus, secundum temporum distinctionem id accipimus, cum illa videlicet æterna generatio tempori nullo modo cedat, quæ ante tempora quoque sicut nunc perfecta consistebat. Ac per hoc nihil referre intelligimus, sive gigni Filium, sive genitum esse teneamus. Præterea quomodo dici potest, quod Pater genuit Filium, nisi ipse fuerit gignens Filium? Nihil quippe aliud sonat quam fuit gignens, sicut nec gignet aliud sonat quam erit gignens, vel gignit quam est gignens. Quod si gignens fuerit Pater, et jam gignens non sit, cum jam videlicet genitus ab eo Filius esse dicitur potius quam gigni, profecto inchoata primitus, et postea perfecta esse Verbi generatio dicenda est, et ille qui antea fuit gignens, postea a generando cessare, cum jam ab eo genitus esset Filius. In æternitate autem nulla imperfectio, nulla cessatio aut variationis vicissitudo contingere potest. Patet itaque[1], et ex hoc idem esse gigni Filium Dei et genitum esse, cum videlicet nulla ratione intelligere possimus aliquid esse genitum, si nullatenus ipsum gigni contingeret; nec aliquem genuisse, si penitus eum numquam contingeret gignere. « Numquam » autem hoc loco pro æternaliter non temporaliter sumimus, cum illa, ut dictum est, generatio æterna sit, non temporalis. Videntur tamen nonnullæ auctoritates hoc penitus respuere, quod Filius Dei nasci vel gigni dicatur ex Patre, sed tantum natus esse vel genitus[2]. Unde Augustinus de hac ipsa generatione disserens in libro *LXXXIII Quæstionum* capitulo XXXIX[3], meminit dicens : « Melius est semper natus quam qui semper nascitur : quia qui semper nascitur nondum est natus, et numquam natus est aut natus erit, si semper nascitur. Aliud

[1] Sic Cod. Tur. — [2] Id etiam acriter in Abælardo arguit Abbas Anonymus in libro tertio dissertationis quam adversus eum conscripsit, probatque contrarium auctoritate tum S. Augustini, tum S. Hilarii, atque etiam S. Leonis, adversus Arianorum argutias qui aliquam in Filio Dei imperfectionem prætendebant, eo quod semper de Patre gigneretur, cum contra sancti Patres non semper gigni, sed semper genitum esse assererent. — [3] *Opp.* t. VI.

est enim nasci, aliud natum esse. Ac per hoc numquam Filius, si numquam natus. Et si semper Filius, semper igitur natus. » Hinc et illud Gregorii, qui ait in *Moralibus*, libro XXIX[1] : « Dominus Deus Jesus-Christus in eo quod virtus et sapientia Dei est, de Patre ante tempora natus est, vel potius, quia nec cœpit nasci, nec desiit, dicamus verius semper natus. Non autem possumus dicere semper nascitur, ne imperfectus esse videatur. At vero ut æternus designari valeat et perfectus, et « semper » dicamus, et « natus, » quatenus et « natus » ad perfectionem pertineat, et « semper » ad æternitatem : quamvis hoc ipsum quod perfectum dicimus, multum ab illius expressione veritatis deviamus; quia quod factum non est, nec potest dici perfectum. Et tamen infirmitatis nostræ verbis Dominus condescendens[2], « Estote, inquit, perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. » Quod vero B. Augustinus de semper nascente et semper nato dixerit in illo *Quæstionum LXXXIII* libro, juxta consuetam verborum significationem dictum puto, quod fortasse aliquis illam quæstionem movens, nasci et natum eo modo sumserit, quo de generationibus nostris agimus. Tunc enim nasci dicimus, cum nondum completa est nativitas, sed inchoata ; tunc vero natum, quando jam perfecta est. Cum ergo quis ita verba accipiens quæstionem hujusmodi moverit, non incongrue sanctus vir, servata eadem verborum acceptione, eisdem satisfecit verbis, præferendo scilicet completam et perfectam generationem, quam Filio Dei ascribit inchoate et nondum complete. Et tale est quod dicit quod melior est nativitas quæ numquam inchoata semper est perfecta, quam esset aliqua quæ inchoata semper perseveraret imperfecta. Quod vero dicitur Filius esse ex substantia Patris, tantumdem hoc loco sonat esse ex substantia Patris quantum gigni ex Patre, ab eo quod translatum quod in nostris generationibus is qui gignitur, in eo de substantia Patris esse dicitur; quod in ipsa generatione humani corporis traductum est et conversum aliquid de ipsa substantia corporis Patris in corpus Filii. Cum ergo tale sit Filium esse ex substantia Patris, ac si dicatur gigni ex Patre, sicut ex solo Patre gignitur, ita solummodo ex substantia Patris esse dicitur, non etiam ex substantia[3] vel Spiritus sancti, quod esset a seipso gigni sive a Spiritu sancto. Gregorius *in Job* libro XXXIV, « Lingua mea calamus scribæ[4]. » Quod loquimur transit, quod scribimus permanet. Lingua Patris scribæ calamus dicitur, quia ab eo Verbum illius coæternum ac sine transitu generatur. » Ambrosius *de Fide* ad Gratianum imperatorem : « Non hæc sunt in Deo corporalibus æstimanda. Incomprehensibiliter generatur Filius. Impassibiliter generat Pater, et tamen

[1] Gregor. *Moral.*, lib. XXIX, cap. I. — [2] Matth., cap. v, v. 48. — [3] Fort. Addendum *filii.* — [4] *Psalm.* XLIV, v. 2.

ex se generat, et ante omnem intellectum generat, ut Deus verus Deum verum.» Hieronymus in diffinitione fidei catholicæ Nicænique Symboli : « Quod de substantia Patris natus est semper, ipse ait Salvator in Evangelio[1], « Quod nascitur[2] ex carne caro est, et quod nascitur de Spiritu spiritus est, quoniam Deus spiritus est. » Augustinus *de Trinitate* libro V, capite XIII[3] : « Si gignens ad id quod gignit principium, Pater ad Filium principium est, quia gignit eum. » Idem in Sermone *de Symbolo:* « Multis libris disseruerunt docti et spiritales viri, quod ille genitor, ille genitus. Ille hujus principium, unde et caput Christi dicitur, quamvis et Christus principium, sed non Patris. Hic vero illius imago, quamvis nulla ex parte dissimilis et omnino indifferenter æqualis Filius Patri debet quod est : hoc etiam debens utique Patri, quod Patri æqualis est : Pater autem nulli debet quidquid est. »

Notandum quoque quod Sapientia Patris, vel Amor Patris et Filii, cum ad distinctionem personarum Filii et Spiritus sancti proferantur, sicut et Spiritus sanctus ad distinctionem tertiæ personæ, tamquam propria ipsarum personarum nomina relative ponuntur, ut tale sit quod dicatur Sapientia Patris, ac si dicatur ex Patre genita, quod est Verbum ipsum, id est Filius; et quod dicitur Amor Patris vel Filii, ac si dicatur ex eis procedens, hoc est tertia illa persona Spiritus sanctus. Et sic quidem dum relative ponuntur istæ orationes, vim habent propriorum nominum singularum personarum, sicut et Spiritus sanctus, quando per processionem dicitur. Si vero dicatur Spiritus sanctus communiter et non proprie, hoc est secundum hoc quod quilibet Spiritus bonus Spiritus talis est qui sit sanctus, et non secundum proprietatem processionis tertiæ in Trinitate personæ, licet juxta beatum quoque Augustinum, tam Patrem etiam ipsum, quam Filium dici Spiritum sanctum. Sic fortasse et cum dicitur Sapientia Patris, vel Amor Patris, non relative inter personas ad invicem, ut videlicet vel generationem Filii vel processionem Spiritus determinemus, scilicet ita simpliciter, ac si diceremus : Sapientia ipsa quæ est Patris, vel Amor ipse qui est Patris, immo et ipse est Pater, nihil impedit dici vel ipsum Patrem esse Sapientiam sui, hoc est eam ipsam Sapientiam qua Sapiens est, immo et quæ ipse est, cui juxta Augustinum etiam, idem est sapere quod esse; et ita sicut in seipso habet sapere non ad aliud, vel ipsum similiter Filium vel Spiritum sanctum esse ipsam suam Sapientiam, et unamquamque personam hoc modo Sapientiam quæ est uniuscujusque personæ, vel Amorem similiter qui sit uniuscujusque personarum, cum unaquæque personarum et sapientiam habeat et amorem,

[1] Joan., cap. V, v. 6. — [2] Ap. Joannem : *Quod natum est ex carne.... Quod natum est de spiritu.* — [3] *Opp.* t. VIII.

nec sint diversæ sapientiæ vel amores. Si quis tamen hoc omnino dicere recuset, propter scandalum sermonis in aliam significationem pronioris ac magis usitati, quamvis sententiam non contradicat, sicut et omnino dici respuat : Pater vel Filius est Spiritus sanctus, non eum cogendum esse arbitror. Hæc de generatione Verbi dicta terminemus; nunc de processione Spiritus sancti, ipso inspirante, dicamus.

Spiritus quasi a spirando dictus est[1], unde Veritas, Spiritus, inquit, ubi vult spirat, ideoque ipso nomine suo procedere ex Patre et Filio potius quam gigni perhibetur. Benignitas quippe ipsa, quæ hoc nomine demonstratur, non est aliqua potentia sive sapientia, cum videlicet benignum esse non sit esse sapientem aut potentem. Nullus quippe in eo quod benignus est aut sapiens est aut potens, immo ipsam magis caritatis affectum sive effectum dici convenit. Caritas autem, teste Gregorio, minus quam inter duos haberi non potest. « Nemo enim, inquit, ad semetipsum habere caritatem dicitur, sed dilectione se in alterum tendit, ut esse caritas possit. » Procedere itaque Dei est sese ad aliquam rem per affectum caritatis quodammodo extendere, ut eam videlicet diligat, ac se ei per amorem conjungat [a]. Cum itaque tam Filius quam Spiritus Sanctus ex Patre sit, hic quidem genitus, ille procedens, differt in eo generatio ipsa a processione, quod is qui generatur ex ipsa Patris substantia est, cum ipsa, ut dictum est, Sapientia hoc ipsum esse habeat ut sit quædam potentia. Ipse vero caritatis affectus magis ad benignitatem animi, quam ad potentiam attinet. Unde bene Filius ex Patre gigni dicitur, hoc est ex ipsa Patris substantia esse; Spiritus vero minime gigni, sed magis procedere, hoc est se per caritatem ad alterum extendere, quia quodammodo per amorem unusquisque a seipso ad alterum procedit : cum proprie, ut dictum est, nemo ad seipsum caritatem habere dicatur, aut sibi ipsi benignus esse, sed alii. Maxime autem Deus, qui

[a] Ambrosius de Fide ad Gratianum libro I : « Crede quia a Deo exivit Filius, ut ipse testatur, dicens[2] : « Ex Deo processi et veni. » Et alibi[3] : « A Deo exivi. » Qui a Deo processit et a Deo exivit, nihil aliud potest habere, nisi quod Dei est. »

Item : « Ex Patre nascendo prodivit, ut dixit ipse qui natus est[4] : « Ex ore Altissimi « prodivi. » Idem libro IV : Dicit Sapientia Dei, « Ex ore Altissimi prodivi, » hoc est non coacta, sed libera, non potestati obnoxia, sed nata generationis arcano. » Ex libro Quæstionum Orosii ad Augustinum. Responsio Augustini : « Nullus autem filius est nisi duorum, patris et matris, quod absit ut inter Deum Patrem et Filium tale aliquid suspicemur ; quia nec Filius hominis simul ex Patre procedit et ex matre, quia cum procedit ex Patre, non tunc procedit ex matre. »

[1] Hunc locum integrum refert et refutat Guillelmus abbas S. Theodorici in Disputatione adversus Petrum Abælardum, cap. IV. — [2] Joan., cap. VIII, v. 4. — [3] Joan., cap. XVI, v. 28. — [4] *Eccli.*, cap. XXIV, v. 5. —

nullius indiget, erga seipsum benignitatis affectu commoveri non potest, ut sibi aliquid ex benignitate impendat, sed erga creaturas tantum, quæ semper donis gratiæ ejus indigent. Quodam itaque modo a seipso Deus ad creaturas exire dicitur per benignitatis affectum sive effectum, cum hoc ipsum quod benignus est, aut benigne aliquid ex caritate agit, secundum affectum sive effectum, quem in creaturis habeat, dicatur. Tunc vero in se per benignitatem remaneret, si sibi benignus esse posset, aliquam in se beneficentiam exercendo. Ex Patre autem et Filio procedere Spiritus habet, quia bonus ipse affectus sive effectus faciendi aliquid ex potentia ipsius et sapientia provenit, cum ideo velit Deus et faciat, quia et potest illud adimplere et sollerter[1] efficere. Nisi enim posset aliquid, frustra illud vellet, quia efficacia careret; et nisi sollerter sciret illud efficere, non haberet egregium effectum. Constat etiam nihil eum posse velle, nisi optimum, nec rationabiliter illud vellet quod ignoraret. Ut itaque rationabiliter aliquid velit facere et optime, oportet eum et hoc posse, et ante cognoscere quæ faciat, et scire optime facere. Bonus itaque affectus Dei quodammodo ex potentia ejus ac sapientia descendit, quod est Spiritum ex Patre et Filio simul procedere : quia eo vult, ut dictum est, optime cuncta efficere, quia et potest et scit.

Græci tamen ex solo Patre, non etiam ex Filio Spiritum sanctum procedere confitentur, eo scilicet quod Veritas in Evangelio fidem integre continente de processione Spiritus loquens, solum Patrem commemorat dicens[2] : « Spiritus qui a Patre procedit. » Qui etiam super hoc quod eum a Filio quoque procedere credimus, nos vehementer arguunt, atque reos anathematis teneri asserunt, quod in principalibus conciliis quæ apud eos celebrata sunt, ita symbola eorum subjunctis anathematibus sancita sint, ut nulli de fide Trinitatis aliud docere vel aliter prædicare, quam ibi continetur, liceat. In quibus symbolis cum in processione Spiritus de solo Patre commemoretur : « Quicumque, inquiunt, Filium addunt, anathema incurrunt. » Addunt etiam ad exaggerationem impudentiæ, nostræ testimonium damnationis, symbolum fidei, quod juxta traditionem prædictorum conciliorum, Leo tertius Romæ transcriptum in tabula posteris argentea reliquit, pro amore, ut ipsemet dicit, et cautela orthodoxæ fidei. In quo quidem symbolo ipse quoque in processione Spiritus, solum commemorat Patrem, his quidem verbis : « Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et glorificandum, etc. » In quanta autem reverentia principalia illa concilia tenenda sint, beatus diligenter aperit Gregorius[3], qui se ea tamquam quatuor

[1] Lege *Et scit sollerter*. — [2] Joan., cap. XV, v. 26. — [3] *Epist.*, lib. IV, epist. 3.

evangelia suscipere et venerari profitetur; unde et eorum verbis non magis quam evangelicis vel addere aliquid vel subtrahere nos permittit, ita Constantio, episcopo Mediolanensi, de uno eorum scribens : « Nos auctore veritate, teste conscientia, fatemur fidem Chalcedonensis symboli illibatam per omnia custodire, nihilque ejus diffinitioni addere, nihil subtrahere audere. Sed si quis contra eam ejusque Synodi fidem, sive plus minusve ad sapiendum usurpare appetit, eum, omni dilatione postposita, anathematizamus, atque a sinu matris ecclesiæ alienum esse decernimus. » Sed profecto cum interdicitur, ne quis aliter doceat aut prædicet catholicam fidem, quam in prædictis continetur conciliis, aliter dictum puto, non secundum verborum diversitatem, sed secundum fidei contrarietatem, ac si dicatur aliter, hoc est contrario modo, non diverso verborum sono : quia et nos latine dicimus quod illi græce. Sicut ergo diversum pro opposito dicitur, ita diverso modo quod est aliter pro opposito modo non incongrue sumitur. Alioquin cum unumquodque illorum conciliorum proprium composuerit atque instituerit symbolum, sintque ipsis symbola ad invicem verbis diversa, ac fortasse quibusdam sententiis, cum unum nonnumquam contineat quod alterum non habet, profecto anathematis reus esset, qui uno recepto, cetera symbola decantaret. Eadem ratione rei teneremur ex supplemento evangelii additi, cum in *Deuteronomio* Moyses dicat[1], « Quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino, nec addas quicquam, nec minuas. » Addi itaque prohibuit contrarium aliquid, non quod perfectioni deerat suppleri. Quamvis etiam ita possit intelligi, aut omnino[2] prohibeatur homo ex seipso verbis Domini aliquid supplere. Tunc vero homo ex se aliquid adderet, si hoc ex sensu suo, non ex inspiratione Spiritus præsumeret. De quo quidem Spiritu scriptum est[3], « Non etiam vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. » Multa enim de miraculis sanctorum et de his quæ sancti Patres post apostolos scripserunt prædicamus, cum tamen Apostolus dicat ad Galatas scribens[4], « Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præter quod evangelizamus vobis, anathema sit. Sicut prædixi, et nunc iterum dico : Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. » Quod autem opponunt Græci evangelicam traditionem ad integram fidei disciplinam sufficere, nec quicquam ulterius addendum esse præter ea quæ in verbis continentur evangelicis, in seipsos sententiam proferunt, cum aiunt Spiritum a solo Patre procedere. Non enim Evangelium cum a Patre procedere Spiritum dicit, « solo » adjungit, quod ipsi apponunt; sed tantummodo « a Patre » dicit. Multa quoque fidei necessaria post evangelia ab apostolis vel apostolicis viris addita sunt,

[1] *Deuter.*, cap. XII, v. 32. — [2] Lege *Ut omnino*. — [3] Matth., cap. X, v. 20. — [4] *Galat.*, cap. I, v. 8.

quæ ex verbis evangelicis minime comprobantur, sicut est illud de virginitate matris Domini etiam post partum jugiter conservata et de aliis fortasse multis.

His autem adversus Græcorum objectionem de processione Spiritus responsis, libet etiam ex ipsorum doctoribus testimonia proferre, quibus a Filio quoque Spiritum sanctum procedere doceantur. Athanasius in Symbolo fidei: « Spiritus, inquit, sanctus a Patre et Filio, non factus, non creatus, non genitus, sed procedens; » ubi quidem cum præmiserit Spiritum sanctum a Patre et Filio esse, atque subjunxit « procedens, » manifeste docuit eum ab utroque procedere, cum ad utrumque procedens retulerit sicut esse, præsertim cum non aliter a Patre Spiritus esse habeat, quam procedendo[a]. » Ait etiam Didymus eorum maximus doctor in libro *de Spiritu sancto*, quem beatus transtulit Hieronymus, verba Christi de eodem Spiritu ita inducens atque exponens[1] : « Salvator, qui et Veritas, ait[2] : « Non enim loquetur a semetipso, » hoc est non sine me, et sine meo et Patris arbitrio, quia inseparabilis est a mea et Patris voluntate : quia ex se non est, sed ex Patre et me est. Hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, a Patre et me illi est. Ego veritatem loquor, id est inspiro quæ loquitur, siquidem Spiritus veritatis est. Dicere et loqui in Trinitate non secundum consuetudinem nostram accipiendum, sed juxta formam incorporalium naturarum, et maxime Trinitatis, quæ voluntatem suam ingerit in corda credentium. » Item, « Spiritus sanctus qui est Spiritus veritatis, Spiritusque sapientiæ, non potest audire, Filio loquente, quæ nescit, cum hoc ipsum sit quod profertur a Filio, id est procedens Deus de Deo, Spiritus veritatis procedens a Veritate, consolator manens de consolatore[3]. » Item Cyrillus Alexandrinus episcopus in

[a] Ivo Carnotensis in Sermone Pentecostes : Dominus dicit in Evangelio, « Cum venerit Spiritus veritatis, qui a Patre procedit, ille vos docebit omnem veritatem, ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. » Hæc verba ita interpretatur Didymus : « Etiam separabilis est Spiritus a mea et Patris voluntate. Et amplius quia non ex se est, sed ex Patre et me est. Hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, a Patre et a me illi est. » Item : « Consensus significatio est. Spiritus sanctus quidem est Spiritus Veritatis Spiritusque Sapientiæ; non potest audire, Filio loquente, quæ nescit, cum ipsum sit, quod profertur a Filio, id est procedens Deus de Deo, Spiritus Veritatis procedens a veritate, consolator manens de consolatore. Item : « Idem in Symbolo Ephesini concilii, quod Græcorum fuisse constat, manifeste his verbis astruitur : Quamvis in sua substantia sit Spiritus Filii, et intelligatur in persona proprietas, juxta id quod est Spiritus, et non Filius, non est tamen alienus ab ipso. Nam Spiritus appellatur Veritatis, et Veritas Christus est. »

[1] Didymus, *de Spiritu sancto*, lib. II. — [2] Joan., cap. XVI, v. 13. — [3] Ap. Hieronymum *manens a Consolatore.*

Epistola VIII, Nestorio directa, quæ sic incipit, Reverendissimo et Deo amantissimo, etc. « Si est, inquit, in subsistentia Spiritus spiritali, vel certe et intelligitur per se secundum quod Spiritus est et non Filius, sed tamen est non alienus ab eo. Spiritus enim Veritatis nominatur, et profluit ab eo sicut denique ex Deo Patre. » S. Johannes Chrysostomus *Homilia* XXVI de Expositione Symboli, quæ sic incipit : Universalis Ecclesia congaudet : « Iste est Spiritus procedens de Patre et Filio, qui dividit propria dona singulis prout vult. » Idem in *Homilia* XXVIII, in alia expositione ejusdem Symboli, quæ sic incipit : Super fabricam totius Ecclesiæ : « Itaque credendum est Spiritum Patris esse et Filii. » Item : « Non dicatis minorem esse Filium de Patre genitum, sed istum qui natus est de Spiritu sancto et Maria Virgine. » Item : « Istum Spiritum sanctum dicimus Patri et Filio esse coæqualem, et procedentem de Patre et Filio. Hoc credite, ne colloquia mala corrumpant mores vestros bonos. » Item : « Sunt hæretici qui dicunt Spiritum sanctum inter creaturas esse ordinatum. » Item : « Videte ubique sacramentum Trinitatis. Ecce et in Spiritum sanctum creditis, qui Spiritus sanctus procedens de Patre et Filio caritate conjungitur. » Augustinus libro *Quæstionum* ad Orosium, cap. II : « Ipse Dominus noster JESUS-CHRISTUS post resurrectionem ut ostenderet a se procedere Spiritum sanctum sicut a Patre, insufflans ait[1] : « Accipite Spiritum sanctum. » Idem libro IV *de Trinitate*[2], « Nec possumus dicere quod Spiritus sanctus et a Filio non procedat, nec enim frustra idem Spiritus et Patris et Filii Spiritus dicitur. Nec video quid aliud significare voluerit, cum sufflans ait : « Accipite Spiritum sanctum. » Neque enim flatus ille corporeus substantia Spiritus sancti fuit, sed demonstratio et a Filio procedere Spiritum sanctum. » Sufficere autem putamus quod in processione Spiritus Veritas solum Patrem commemorat. Cum enim ipsa Sapientia, ut dictum est, quædam sit potentia, atque in ipsa potentia sit sapientia inclusa, satis probabiliter apparet, per processionem Spiritus ex potentia, processio ipsius ex Sapientia. Sed et Hieronymus scribens de Fide solum Patrem commemorat, sicut et in symbolis principalium conciliorum continetur. Unde ita ad Damasum scribit, dicens : « Credimus et in Spiritum sanctum, Deum verum ex Patre procedentem. » Necnon et Augustinus cap. I libri *Enchiridii* de solo Patre in processione Spiritus mentionem facit, licet Spiritum ipsum tam Patris quam Filii esse dicat his quidem verbis[3] : « Satis est christiano rerum creatarum causas nonnisi bonitatem credere creatoris, nullamque esse naturam, quæ non aut ipse sit aut ab ipso, eumque esse Trinitatem, Patrem scilicet et Filium a Patre genitum, et Spiritum sanctum ab eodem Patre procedentem, sed unum eumdemque

[1] Joan., cap. XX, v. 22. — [2] Cap. XX, *Opp.*, t. VIII. — [3] Cap. IX.

Spiritum Patris et Filii. Multis tamen aliis locis, tam ipse Augustinus quam omnes fere latini theologi Spiritum sanctum ex Filio quoque procedere et profitentur et comprobant. » Unde et ipse in XV *de Trinitate*, c. XXVI, de processione Spiritus disserens ait : « Scriptura sancta Spiritum eum dicit amborum, de quo dicit Apostolus[1] : « Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra ; » et de quo dicit idem Filius[2], « Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis ; » de quo item dicit[3] : « Quem ego mittam vobis a Patre. » Et alio loco[4] : « Quem mittet Pater in nomine meo. » Et cum resurrexisset a mortuis, discipulis suis insufflavit et ait[5] : « Accipite Spiritum sanctum, » ut eum etiam de se procedere ostenderet. » Quippe quomodo apertius quam insufflando docere potuerit Spiritum sanctum ex se quoque procedere? Præsertim cum Spiritum quasi spiramen a spirando dictum esse constet, et juxta propriam significationem, Spiritus sanctus hoc loco, ut dictum est, sonet procedens. Unde necesse est, ut cujuscumque Spiritus esse dicatur, vel ab eo mitti, vel ab ipso procedere concedatur. Proprie tamen seu principaliter ab ipso Patre procedere Spiritus dicitur. Unde Hieronymus definitionem fidei catholicæ Nicæni Symboli tractans ait : « Credimus et in Spiritum sanctum qui de Patre procedit proprie. » Item, Spiritum sanctum verum Deum invenimus in Scriptura et de Patre proprie esse. Et iterum, « De Patre Filius, et Spiritus proprie et vere de Patre quidem procedit. Primum igitur accipe quod de Patre est proprie Spiritus sanctus, dicente Scriptura[6] : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. » Et Salvator ait[7] : « Spiritus veritatis qui a Patre procedit. » Et beatus Augustinus in XV *de Trinitate*, cap. XVIII[8], « Non frustra in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec Donum Dei nisi Spiritus sanctus, nec de quo genitum est Verbum, et de quo procedit principaliter Spiritus sanctus, nisi Deus Pater. Ideo autem addidi principaliter, quia et de Filio Spiritus sanctus procedere repetitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non jam existenti, et nondum habenti : sed quicquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo bonum[9] commune procederet, » ac si aperte Augustinus his verbis determinet per hoc Spiritum sanctum principaliter ex Patre procedere, et non principaliter ex Filio, quia sic ex Patre procedit quasi primo loco, cum Pater ab alio non habeat, sed a seipso, sicut et a seipso est, hoc est non ab alio. Filius vero cum a se non sit, sed a Patre, et hunc ipsum Spiritum a Patre habet, a quo per generationem esse habet. Sed quid est quod dictum est, proprie Spiritum ex Patre procedere? Numquid proprie ibi dictum

[1] *Galat.*, cap. IV, v. 6. — [2] Matth., cap. X, v. 20. — Joan., cap. XV, v. 26. — [4] Joan., cap. XIV, v. 26. — [5] Joan., cap. XX, v. 2. — [6] *Psalm.* XXXII, v. 6. — [7] Joan., cap. XV, v. 26. — [8] Leg., cap. XVII, *Opp.* t. VIII. — [9] Ap. Aug. *Donum commune.*

est, sicut hoc loco principaliter, et fortasse eodem modo dici videri posset, nisi quod ibi interseritur quod et Filius ex Patre natus sit proprie, sicut et Spiritus a Patre proprie dicitur esse[a]? Dictum quippe ibidem est : Filius non ex semetipso natus est, sed ex Patre natus est proprie, non in tempore, sed semper : non aliunde, sed de sua substantia; non de aliena, sed de sua propria. At vero si eodem modo et in Filio et in Spiritu sancto accipitur proprie, cum hic scilicet proprie nasci ex Patre, et ille proprie procedere dicatur ex Patre; et tale sit dicere proprie, ac si diceretur principaliter; quo modo Filium ex Patre principaliter nasci dicemus, cum ex eo solo natus sit? Nisi forte cum ibidem statim additum sit, non temporaliter, sed semper, respectu temporalis generationis ejusdem Filii, id dictum sit, ut videlicet hæc principalis et prima sit quæ est æterna, per quam ab æqualitate Patris non receditur; illa vero quasi posterior et temporalis secundum quam minor Patre Filius ipse dicitur. Possumus et dicere in eo Filium ex Patre proprie natum esse sive genitum, quod naturalis ejus sit Filius, non adoptivus, sicut et statim determinatur, cum subditur non alium, sed de sua substantia. Sed et secundum hoc quod juxta philosophos nata sive genita omnia dicuntur, quæ ab aliquo habent esse, proprie Filius solus ex Patre natus est : quia solus ipse nascendo ex ipsa Patris substantia est. Spiritus vero sanctus, secundum hoc, ex solo Patre proprie procedere dicitur, quod ab eo sic procedit, quasi a summo principio, quod videlicet ab alio non est. Inde enim aliquid proprie procedere dicitur, unde primo venire ac moveri cœpit, sicut lacus ex fonte, non ex rivo, sed per rivum, in quem a fonte emissus per eum transiit, ac pervenit in stagnum. Sic et Spiritus sanctus ex Patre proprie procedere dicitur, quasi a summa origine, quæ scilicet aliunde non sit, et ab ipso in Filium quasi in rivum : quia et quod habet Filius, ab ipso habet a quo et hoc ipsum habet quod ipse est, et per Filium ad nos tandem quasi in stagnum hujus sæculi. Quippe qui omnia in Sapientia facit ac disponit, et in hàc ipsa sapientia sua Spiritum tribuit suorum distributorem donorum non improvide vel inconsiderate. Unde et beatus Hilarius Spiritum a Patre per Filium magis quam a Patre et Filio procedere seu esse sicut et mitti perhibet, ita ad Deum Patrem de Spiritu ipso et Filio loquens in XII *de Trinitate* libro, « In sancto Spiritu tuo ex te profecto et per eum misso. »

[a] Caritas Dei, qua se per creaturas ad effectum extendit, id est bona ejus erga eas voluntas, tam in eis condendis quam disponendis, qua videlicet Deus non solum bonum vult, sed etiam bene, ut rationalis monstretur, ex Patre procedere dicitur et Filio, hoc est in illis quasi primordium et causam suæ existentiæ habere, cum ex eo Deus rationaliter velit quicquid de condendis vel disponendis creaturis instituit; quia et potentiam et solertiam in his vel condendis vel disponendis plenam obtinet.

Item, « Ex te per eum Spiritus sanctus tuus est. » Item, « Filium tuum una tecum adorem, sanctum Spiritum tuum, qui ex te per unigenitum tuum est, promerear. » Et hoc fortasse modo si a solo Patre procedere Spiritum Græci intelligant, eo videlicet quod sic ab ipso sit quasi a summo et non existente ab alio, nulla est sententiæ controversia, sed verborum diversitas. Certum quippe est, et solam personam Patris hoc modo summam debere prædicari; et Spiritum ab ipso quoque esse sicut a Filio, qui ipsius quoque sicut et Filii Spiritus dicitur.

Quod vero nonnulli moventur ex eo quod dicimus Filium a Patre per generationem esse; et Spiritum a Patre et a Filio per processionem; nec tamen ideo Patrem per existentiam priorem esse Filio, vel Patrem aut Filium Spiritu sancto : potest ex multorum similitudine exemplorum refelli. Solis quippe substantia et splendida est et illuminabilis, id est potens illuminare aliquid, et cum sit splendor ex sole, et illuminabilitas ex sole simul et splendore, numquam tamen aliquid ex his tribus per existentiam aliquid horum præcessit.

Sed et si quis illam philosophicam Platonicæ rationis considerationem altius inspiciat, quæ videlicet de Deo opifice ad similitudinem quamdam solertis artificis agit, præmeditantis scilicet et deliberantis ea quæ facturus est, ne quid inconvenienter componat, et prius singula ratione quam opere formantis; ad hunc quippe modum Plato formas exemplares in mente divina considerat, quas ideas appellat, et ad quas postmodum quasi ad exemplar quoddam summi artificis providentia operata est; videbit Spiritum Sanctum ex Filio quoque, sive per Filium recte procedere, cum ex ratione Sapientiæ universa Dei opera administrentur, et ita quodammodo conceptus divinæ mentis in effectum per operationem prodeat. Effectus autem ad Spiritum pertinent, qui ex bonitate conditoris eveniunt : quia Spiritus ipse bonitas est. Dicamus itaque Spiritum ex Filio quoque procedere, cum ratio divinæ providentiæ ad effectum benignitatis perducitur, et quod ab æterno faciendum providerit, temporaliter quando vult facit. Hanc autem processionem, qua scilicet conceptus mentis in effectum operando prodit, Priscianus in primo *Constructionum* diligenter aperit, dicens generales et speciales formas rerum intelligibiliter in mente divina constitisse, antequam in corpora prodirent, hoc est in effecta per operationem : quod est dicere, antea providit Deus quid et qualiter ageret, quam illud opere impleret. Ac si diceret, nihil impræmeditate sive indiscrete egit. Macrobius quoque ipsam mundi animam, quam putamus Spiritum sanctum intelligi, ex Noy, hoc est ex Filio præcipue esse declarat, cum aperte eam a Noy creatam sive natam, sicut et ipsam Noym a Deo Patre esse profitetur, ita generaliter de origine animæ

exorsus[1] : « Deus qui prima causa et est et vocatur, unus omnium quæ sunt, quæque videntur esse, princeps et origo est. Hic superabundanti majestatis fœcunditate de se mentem creavit. Hæc mens quæ Noys vocatur, qua Patrem inspicit, plenam similitudinem servat auctoris. Animam vero de se creat, posteriora respiciens. Rursus anima Patrem qua intuetur induitur, ac paulatim redigente respectu[2] in fabricam corporum, in corporea ipsa degenerat. » Creari autem sive nasci, hoc loco Macrobius abusive protulit, sicut et in primo loco determinavimus cum videlicet tam mentem ipsam quam animam creatam dixerit : mentem quidem ex Deo, hoc est Filium ex Patre; et animam ex mente, hoc est Spiritum ex Filio, ubi et utramque natam esse insinuat, cum utrique Patrem assignat, Deum quidem menti, et rursum mentem ipsam animæ. Creari itaque sive nasci esse ex alio intelligit, ut tale sit quod ait hoc ex illo nasci sive creari, quasi simpliciter diceret hoc ex illo esse. Sufficit autem philosopho ad ostendendum animam ipsam tam ex Patre quam Filio esse, solum memorasse hoc loco Filium, quia cum Filius ex ipso Patre sit, et Spiritus ipse hoc est anima ipsa ex Filio esse assignatur, liquet profecto ipsam quoque ex Patre esse, secundum quod et ipse eam Philosophus a Deo et Noy juxta sapientes nominari supra inductus asseruit. Quod vero ait mentem esse ex fœcunditate majestatis, tale est ac si diceret Sapientiam ex ipsa omnipotentia esse natam. Proprie namque majestas ac reverentia potentiæ ascribi solet. Quod vero dicit, quod mens qua Patrem inspicit similitudinem servat, ita dictum puto ac si aperte dicat Filium ipsum in omni re, in qua similis est Patri, æqualem omnino illi esse. Potens quippe est sicut et Pater et tantumdem Potens : bonus est sicut et Pater, et æque bonus. Sic et in ceteris in quibus habet similitudinem cum Patre et æqualitatem habet. Non autem in omnibus similitudinem habet cum Patre, cum ipse solus sit genitus et solus Pater genitor, quod quidem ad distinctionem personarum attinet secundum proprietates earum. Secundum nos etiam, qui solum Filium incarnatum credimus, in hoc uno Filium minorem Patre, non æqualem dicimus. Noys posteriora respiciens animam creat, quia Spiritus sanctus, qui ex Filio est, sive quæcumque anima ab ipso conditore suo ducens exordium, hoc ipsum quod anima est, id est vita creatarum rerum, ex respectu quodam ipsius creatoris habet ; hoc est ex beneficio divinæ Sapientiæ cuncta disponentis, ut in ipso respectu Dei divinum intelligatur beneficium. Anima quippe ab animando, hoc est vivificando dicta est. Spiritus quidem sanctus, ut in primo libro distinximus, quasi anima est, hoc est vita nostrarum animarum, et nostræ animæ quasi quædam ejus corpora sunt, ab ipso scilicet

[1] Macrob., *In Somn. Scipionis*, lib. I, cap. XIV. — [2] Ap. Macrob. *regrediente respectu.*

donis suæ gratiæ[1] vegetata, quas rursus animalem vitam nobis certum est impertire. Patrem suum, id est Noym, dicit animam indui in ea sua vi qua intuetur, hoc est ratione utitur : quia ex ratione quam habet maximam similitudinem cum divina sapientia tenet, cum ratio maxime sit adscribenda Sapientiæ. Paulatim anima in corpora respicit, quia ad comparationem plenitudinis illius summi Boni, modicum est quidquid habemus, quantacumque dona virtutum ab ipso susceperimus. Possumus etiam in eo paulatim dictum esse intelligere, quod quibusdam gradibus per intervalla temporum a minimis ad maxima Spiritus suos fideles promoveat, nec sua simul conferat dona. Degenerare dicitur anima in ipso suæ operationis effectu, ex quo anima dicta est, cum non sit hoc æternum, sed temporale, quod operatur. In quo, ni fallor, illud facile est absolvi, quod Plato animam mundi incœpisse voluerit, nec coæternam esse Deo et menti. Cum enim Spiritum sanctum animam magis quam Spiritum appellaverit, quasi ab animando, hoc est vivificando nos donis suæ gratiæ per incrementa virtutum, non semper Spiritus anima fuit, id est vivificans; quia duæ nondum creaturæ essent, quibus dona sua distribueret, in illas donorum suorum distributionem non exercebat. Sicut ergo Spiritum Sanctum qui in se est omnino simplex, multiplicem tamen dicimus, et VII Spiritus appellamus secundum diversitatem donorum : ita etiam Philosophus eumdem qui in essentia propria essentialiter subsistit, incœpisse quantum ad effecta sua voluit, ex quibus eum animam magis quam Spiritum appellaverit. Spiritus quippe nomen est naturæ, anima vero officii, ab animando scilicet. Sicut ergo ipsos cœlestes Spiritus semper quidem Spiritus, sed non semper angelos esse profitemur, eo quod Angelus nomen sit officii, non naturæ : et Dominum Jesum Christum secundum humanitatem incœpisse, secundum vero divinitatem æternum esse prædicamus : ita et Spiritum Sanctum, secundum subsistentiam essentiæ suæ, æternum, secundum effecta vero, incœpisse dicamus, quod est dicere effecta potius quam ipsum incœpisse; et hunc quidem Philosophi sensum esse arbitror sub illo animæ typo, quo eam creatam esse, id est incœpisse perhibet, et quasi temporalem esse non æternam; juxta quem et Macrobius animæ ipsi tam Deum quam Noym præferre non abhorret. Vocet itaque Spiritum Sanctum Plato animam, secundum effectum operum; nos vero dicamus Spiritum, secundum naturalem suæ bonitatis effectum, quem ita ab æterno habuit, ut tunc opere eum impleat quando implendum esse prævidit. Dicat ille animam incœpisse secundum effecta, nos vero Spiritum in effectu suæ bonitatis æternaliter perseverare. Dicat ille animam incœpisse, nos Spiritum omnino æternum esse. Sit processio Spiritus

[1] Hic in MS. spatium quoddam vacuum relictum est.

secundum affectum æterna, quia scilicet ab æterno sic voluit. Sit processio animæ secundum effectum temporalem. Utramque autem Spiritus processionem tam secundum effecta scilicet, quam secundum affectum, a sanctis Patribus distinctam esse cognovimus. De processione quidem efficaciæ Beda in *Homilia* Dominicæ primæ post Ascensionem ita loquitur : « Cum Spiritus gratia datur hominibus, profecto mittitur Spiritus a Patre, mittitur et a Filio. Procedit a Patre, procedit et a Filio, et ejus missio ipsa processio est qua ex Patre procedit et Filio. » Ipse etiam Augustinus utrumque eum procedere perhibet tam secundum hoc quod datur, quam secundum id quod dabilis est. Unde libro V *de Trinitate* cum ad processionem Spiritus pervenisset, ait[1] : « Procedit non quo modo natus, sed quo modo datus. Quod autem datum est, et ad eum qui dedit refertur, et ad eos quibus dedit. » Item[2], « Sed si non procedit nisi cum datur, nec procederet utique prius quam esset cui daretur. Nam donum potest esse et antequam detur. Donatum autem nisi datum fuerit nullo modo dici potest. » Quid itaque mirum, cum duobus modis Spiritum procedere dicamus, si secundum alterum processionis modum dicatur Spiritus a nobis, et secundum alterum vocetur anima a philosophis? Illud ergo Spiritus æternaliter, hoc temporaliter habet. Unde et statim in eodem idem adnectit dicens[3] : « Nec moveat quod Spiritus Sanctus cum sit coæternus Patri et Filio, dicatur tamen aliquid ex tempore, veluti hoc ipsum quod donatum dicimus; nam sempiterne Spiritus donum, temporaliter donatum. Nam et si dominus non dicitur, nisi cum habere incipit servum, etiam ista appellatio relativa ex tempore est Deo ; non enim sempiterna creatura est, cujus est ille Dominus. » Item[4], « Ecce Dominum esse non sempiternum habet, ne cogamur etiam creaturam sempiternam dicere, quia ille sempiterne non dominaretur, nisi etiam ista sempiterne famularetur. » Qui etiam in eodem libro superiori capitulo, Spiritum etiam secundum effecta manifeste vocat, cum ei principium assignat. Ait autem sic[5] : « Quod datum est, et ad eum qui dedit refertur, et ad eos quibus dedit : ita Spiritus Sanctus dicitur, et Dei qui dedit, et noster qui accepimus. Unde scriptum est de Johanne, quod in Spiritu Eliæ veniret. Hoc et de Moyse intelligendum est, cum ait ei Dominus[6], « Tollam de Spiritu tuo et dabo eis : » hoc est de Spiritu Sancto quem tibi dedi. Si ergo et quod datur principium habet eum a quo datur, quia non aliunde accepit illud quod ab ipso procedit : fatendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia, sed unum principium. » Liquet itaque Augustinum hoc loco Spiritum accepisse secundum

[1] *De Trinit.*, lib. V, cap. XIV. — [2] *Ibid.*, cap. XV. — [3] *Ibid*, cap. XVI. — [4] *Ibid.* — [5] *Ibid.*, cap. XIV. — [6] *Num.*, cap. XI, v. 17.

effecta, cum dicit datum, magis quam secundum naturalem suæ benignitatis affectum. Unde bene secundum effecta, Pater et Filius priores Spiritu dicuntur, et quasi principium ejus, quia ex potentia, moderante sapientia, effectus gratiæ descendit. Ex quo Spiritus etiam hoc loco appellatur, et prius potentiam et sapientiam esse oportet, ut postea aliquid in effectum ducatur. Tale est ergo Patrem et Filium esse principium Spiritus Sancti, ac si dicamus Spiritum ex ambobus per effectum procedere, hoc est Potentiam Dei, moderante ejus ratione, ad actum perduci. Et hoc quidem modo si quis nomen Spiritus accipiat, secundum scilicet suæ gratiæ effecta, non recte dicitur Spiritus æternus, sicut nec Dominus, aut creator : quia, ut diximus, non semper Spiritus secundum effecta extitit. Unde et bene Evangelista Joannes ab æternitate Dei inchoans, cum Verbum apud Deum æternaliter esse ostenderet, dicens[1] : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, etc., » nullam Spiritus mentionem habuisse videtur, qua eum æternum esse astrueret, cum de Deo et Verbo ejus loquens, Patri et Verbo solummodo æternitatem adscribit, dicens : « Hoc erat in principio apud Deum. » Qui in eo fortasse quod subjunxit de effectu operum dicens, « Omnia per ipsum facta sunt, » Spiritum designasse videtur secundum effecta ipsa quæ sua Deus condidit bonitate, secundum quæ, ut diximus, æternus non est Spiritus, id est datus, sicut nec anima mundi quam Plato dicit. Nec mirum locum Evangelistæ maxime cum Platone convenire, cum totam verborum istorum sententiam in libris Platonicorum Augustinus, ut supra meminimus, invenerit. Sunt autem nonnulli qui caritatem Dei non solum ad creaturas porrigi velint, verum etiam ab una persona in alteram, ut videlicet amor Patris etiam in Filium vel Filii in Patrem Spiritus ipse sit. Quod aperte Augustinus in XV *de Trinitate* astruit his verbis[2] : « Denique si in donis Dei nihil majus est caritate, et nullum est majus donum Dei quam Spiritus sanctus, quid consequentius, quam ut ipse sit caritas, quæ dicitur Deus et ex Deo ? Et si caritas, quia Pater diligit Filium, et Patrem diligit Filius, ineffabiliter communionem amborum demonstrat; quid convenientius, quam ut ille proprie dicatur caritas, qui Spiritus est communis ambobus? » Hinc et illud est Hieronymi super XVII psalmum : « Spiritus Sanctus nec Pater est nec Filius, sed dilectio quam habet Pater in Filio, et Filius in Patre. » Quod fortassis ideo maxime dicendum videtur et tenendum, ut videlicet amor quoque Patris in Filium vel Filii in Patrem dicatur Spiritus sanctus, et non tantum amor ad creaturas, quod fortassis aliter videretur Spiritus sanctus posse non esse, ac per hoc non neces-

[1] Joan., cap. I, v. 1 et sq. — [2] *De Trinit.*, lib. XV, cap. XIX, *Opp.* t. VIII.

sario esse ipsam Trinitatem. Posset quippe esse ut nulla creatura umquam esset, cum nulla ex necessitate sit, ac per hoc consequens videtur, ut jam nec affectus ipsius, quem videlicet erga creaturas habet, ex necessitate sit, ac per hoc Spiritus ipse ex necessitate non sit, quem dicimus ipsum affectum Dei esse sive amorem. At vero si amorem Dei non solum erga creaturas, verum etiam unius personæ erga alteram accipiamus, aperte hoc inconveniens evitamus. Ac fortasse cum creaturæ ipsæ ex necessitate non sint, hoc est possint omnino non esse, ipse tamen Deus ipsa sua voluntate necessario permanet, nec potest aliquo suo bono carere, per omnia incommutabilis. Sed de hoc plenius tractandum nobis postmodum reservamus, cum de divina potestate principale[1] tractanti se obtulerit negotium. Donum tamen Patris quantum ad Filium, et Filii quantum ad Patrem nequaquam dicendum esse arbitror Spiritum, quia nequaquam dari ei potest, cui abesse non potest, hoc est cui necessario inest, qui necessario utriusque est Spiritus.

Non alienum a quæstione reor, utrum hæc nomina personalium proprietatum, quæ in Deo sunt, Paternitas scilicet, Filiatio, Processio, de Deo prædicari valeant sicut et cetera. Ut videlicet quemadmodum dicitur, Deus est Omnipotentia, vel Sapientia, sive Caritas, Benignitas, Justitia, Misericordia, Pietas; ita etiam dici liceat, Deus est Paternitas vel Filiatio sive Processio. Nihil quippe in Deo esse constat, quod ipse non sit, ut longe ante præfati sumus, cum omne quod est bonum, hoc omnem naturam, aut creatorem aut creaturam esse necesse sit. Aut itaque has proprietates non esse res aliquas bonas vel naturas dicemus, aut Deum eas esse profitebimur, cum numquam eas creari constet, quæ incipere nullatenus potuerunt, sed penitus æternæ sunt. Ac fortasse nihil impedit, si quemadmodum omnipotentiam Dei Deum omnipotentem esse ponimus, quia Sapientiam Dei nihil aliud quam Deum sapientem esse intelligimus; vel Benignitatem ipsius, quam ipsum benignum; ita et Paternitatem Dei Deum Patrem esse concedamus; et Filiationem Filium, et Processionem procedentem, id est Spiritum sanctum. His tamen enunciationibus nusquam auctoritatem Patrum usam fuisse meminimus, sicut suprapositis illis, sed ubicumque de ipsis egerunt proprietatibus, eas aut proprietates, aut relationes nominasse, quibus nemo umquam nominibus Deum appellaverit. Non est itaque incongruum, ut quemadmodum in ceteris rebus relationes a subjectis suis res diversas non ponimus, nec tamen ideo eorum nomina per prædicationem sibi conjungimus : ita etiam hic observemus, ut videlicet Paternitatem Dei vel relationem quamlibet ad Filium, nullo modo Deum Patrem vel

[1] Sic cod. Turon. Male in editis *cum de divina potestate principaliter processionis modum distinguit, cum tractanti.*

etiam Deum esse annuamus, si omnino substantiam divinam, sive personas singulas ab his quas habent proprietatibus relativis per prædicationem disjungamus, sicut hominem vel Socratem a paternitate quam habet; cum tamen ipsa paternitas non sit res alia ab ipsis, nec fortassis eadem, cum res omnino recte dici non possit, quæ in se veram non habet entiam[1], ut sit in se una res numero a ceteris omnibus quæ ipsa non sunt, rebus entialiter discreta. Sed de hoc diligentem, ut arbitror, tractatum in retractatione prædicamentorum nostra continet grammatica. Tres itaque proprietates, non tres res dicimus, id est non tres essentias, sed tres in una essentia relationum diversitates, per quas, ut dictum est, tres personæ consistunt. Cum itaque has proprietates res non esse ponamus, et dictum sit, Quidquid est in Deo, Deus est; hoc est, nullam rem esse in ipso, quæ non sit ipse : profecto non possumus cogi, ut per hoc has proprietates Deum esse concedamus, cum ipsæ, ut dictum est, rerum aliquæ non sint existentiæ, sed in una re consistentes proprietates.

Si quis forte objiciat, quod si non sint res aliquæ, omnia non sint, aut nihil sint, cum omne quod est, res aliqua sit; profecto fallitur, vim enunciationum distinguere nesciens. « Est » quippe verbum æquivoce dici, auctore Porphyrio[2].... Aristoteles asserit, ut aliter scilicet de substantiis, aliter de eorum proprietatibus dicatur. Cum enim dicimus « esse », tale est ac si ponamus hominem in sua manere substantia, hoc est aliquem seipsum esse, sive aliquid esse hominem. Si vero dicamus paternitatem esse, tale est ac si ponamus, aliquid esse patrem, non ipsam paternitatem esse suam essentiam. Unde penitus falsum est paternitatem nihil esse, hoc est non esse, quamdiu aliquid pater sit, hoc est eam habeat. Quod etiam dictum est, quidquid est, res est, et ideo paternitatem non esse, si ipsa non sit res : nihil ad formam attinet syllogismi, si vim et sensum enunciationum magis quam sonum attendamus. Tale quippe est quod dicitur, Quicquid est, res est; ac si dicatur, Quæcumque res est, ipsa est res; cum vero additur, Paternitas non est res, et ex his colligitur paternitas non esse; talis est, ut diximus, conclusionis sensus, ac si dicamus non esse aliquid patrem. Resolutis itaque per expositionem propositionibus, talis erit argumentatio, ac si ita dicatur : Omnis res quæ est, est res; sed paternitas non est res, ergo non habet aliquid paternitatem, quod omnino non provenit. Si quis vero graviter accipiat, quod hoc loco lectorem ad retractationem prædicamentorum invitaverimus, atque hunc sibi tractatum sufficere non posse dicat, et ob hoc eum quasi imperfectum arguat : breviter de prædicatione patris et paternitatis instrui poterit, quare videlicet, cum diversam rem paternitatis a patre nolimus esse, ea

[1] Sic Cod. Forte legendum *essentiam*. — [2] Sic Cod. Meditis *auctore por....Aristoteles*. Vid. Porphyril. *Isag.* Cap. II, 32.

tamen sibi invicem per prædicationem non jungamus, ut videlicet dicamus Patrem esse paternitatem, et e converso. Si enim Pater esset paternitas, profecto ex participatione Patris esset assignandus Pater, ut videlicet idem penitus esset, aliquem esse eum qui pater est, et eum habere in se paternitatem, hoc est eum esse patrem, quod omnino falsum est. Quippe sicut aliud est aliquid esse id quod est prius, vel id quod est perpetuum, quam ipsum esse prius vel esse perpetuum; ibi quippe res formatæ, hic formæ ipsæ prædicantur : ita aliud est aliquid esse eum qui pater est, quam ipsum esse patrem : hoc est, aliud est ipsum esse eum qui habet paternitatem, quam ipsum habere paternitatem, licet illud sine hoc non possit esse. Qui itaque dicit de aliquo quia est pater, paternitatem, non patrem prædicat. Si vero diceret quia est is qui pater est, hoc est qui habet paternitatem; tunc utique patrem ipsum prædicaret. Non est itaque Pater paternitas, cum ex participatione patris non sit assignandus pater; sed ex participatione, ut dictum est, paternitatis. Sed neque e converso paternitas est Pater, hoc est habens paternitatem respectu Filii sui, cum ipsa omnino substantia non sit, ut ex seipsa Filium gignere possit, sed magis proprietas relatio substantiæ est, quam substantia. Sed hæc nunc satis.

Superest autem novissima quæstio, quomodo scilicet hanc fidem Trinitatis soli Christiani teneant, et non etiam vel Judæi vel Gentiles. Cum enim Deum esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum, tale sit, ut diximus, Deum esse Potentiam, ut dictum est, generantem, et Sapientiam genitam, et Benignitatem procedentem, cum istud nemo discretus ambigat, sive Judæus, sive Gentilis : nemini hæc fides deesse videtur; quod et nos quidem concedimus, sequentes Apostolum qui ait[1] : « Quod notum est Dei, manifestum est illis : » ac si diceret : Quod ad divinitatem pertinet ratione percipiunt : quia hæc de Deo naturaliter ratio unumquemque edocet. Unde et superius cum Platonicorum sententias de Verbo Dei Augustinus præsentaret, solum quod ad divinitatem Verbi pertinet se in eis reperisse confirmavit, et nihil de Incarnationis mysterio, in quo totam salutis humanæ summam consistere certum est, sine quo frustra cetera creduntur. Facile autem convinci poterit, eos quoque qui nostra de fide verba abhorrent, cum videlicet audiunt Deum Patrem et Deum Filium, in sensum verborum nobis esse conjunctos. Interrogemus enim eos, si Sapientiam Dei credant, de qua scriptum est[2], « Omnia in Sapientia fecisti : » et statim respondebunt se credere. Inferamus deinde convenienter eos in hoc ipso Filium Dei sicut et nos credere, cum nos videlicet idem intelligamus per Verbum, sive per Filium Dei, quod illi per Sapientiam Dei. Quisquis autem Filium esse

[1] *Rom.*, cap. I, v. 19. — [2] *Psalm.* CIII, v. 24.

recipit, utique et eum cujus est Filius, esse non dubitat, hoc est Patrem. Spiritum quoque simili ratione eos credere convincemus, si eis quid in hoc nomine intelligamus exposuerimus, ipsam scilicet divinæ gratiæ Bonitatem. Hinc autem facile occasionem sumi arbitror convertendi ad fidem nostram quoslibet alienos, si hujusmodi inductionibus eos jam communem nobiscum fidei sensum habere convicerimus : quam licet ore non profiteantur sicut nos propter ignoratam scilicet verborum nostrorum significationem, corde tamen eam jam tenent, sicut scriptum est[1], « Corde creditur ad justitiam. »

Hæc nos de altissima et incomprehensibili philosophia divinitatis coacti frequenter et provocati ab importunitate infidelium scribere ausi sumus, nihil asserentes de eis quæ dicimus, nec veritatem docere intendentes, quam neque nos posse scire profitemur. Sed neque hi qui fidem nostram impugnare gloriantur, veritatem quærunt, sed pugnam. Quibus si resistere possumus lacessiti, satis esse debet quod nos defendimus. Hi vero qui impetunt, nisi vicerint, a proposito cadunt atque deficiunt. Et quoniam philosophicis maxime rationibus nos aggrediuntur, et nos eas præcipue prosecuti sumus, quas credo ad plenum nemo intelligere valet, nisi qui philosophicis et maxime dialecticis studiis invigilaverit. Necesse autem erat, ut adversariis nostris ex his quoque quæ recipiunt resisteremus, cum nemo nisi ex his quæ concesserit arguendus sit aut refellendus, ut illud Veritatis judicium impleatur, quo dicitur[2] : « Ex ore tuo te judico, serve nequam. »

[1] *Rom.*, cap. x, v. x. — [2] Luc., cap. xix, v. 22.

LIBER V.

Expeditis his quæ ad singularem christianæ fidei professionem attinere videntur, de discretione videlicet trium personarum in una eademque penitus ac simplici divinitatis substantia, juvat in hujus summi Boni perfectione contemplanda mentis aciem altius imprimere, ac diligentius singula retractando quæcumque aliquid quæstionis habere videntur, verisimilibus et honestissimis rationibus definire, ut quo amplius innotuerit hujus summi Boni perfectio, majori unumquemque ad se trahat desiderio. Ac primo de unitate divinæ substantiæ, postmodum de personarum recapitulandum est Trinitate. In superioribus itaque libellis ad nostræ professionis defensionem elaboratum est; hic vero ad ipsius amplificationem elaborandum.

Prima igitur sit de ratione credendi unum Deum discussio, et quod unum magis quam plures credi attineat; ubi et prima se ingerit quæstio, an humana etiam ratione divina celsitudo indagari potuerit, ac per hanc a creatura sua Creator recognosci, an potius ipse Deus signo aliquo sensibili, suam ei notitiam primum exhibuerit, velut in angelo aut in quacumque ei specie primitus apparens, sicut de primis legitur parentibus, quibus in paradiso locutus fuisse perhibetur. Et fortassis ita primo factum est, ut in aliqua scilicet visibili specie invisibilis Creator ipse homini se revelaret. Si tamen ipsam vim rationis diligentius attendamus, cujus proprium est omnem transcendere sensum, et ea vestigare quæ sensus non valet attingere, profecto quanto quæque res subtilioris est naturæ, et a sensu remotior, tanto rectius rationis se committit judicio, et majus in se rationis studium provocare debet. Verum etiam cum per insigne rationis imagini Dei specialiter homo comparetur, in nihil aliud homo prævius eam figere debuerat, quam in ipsum cujus imaginem, hoc est expressiorem similitudinem per hanc obtinebat, et in nullam fortasse rem percipiendam pronior esse credenda est, quam in eam cujus ipsa amplius adepta sit similitudinem. Facile quippe est ex similibus similia conjici, et quo quisque alteri similior est, facilius ex seipso ad ejus notitiam pertingere valet, cui est ipse per naturam vicinior. Quod si et in hoc ipsa quoque sensuum experimenta necessaria fuisse videantur, ut videlicet a sensibilibus ad intelligibilia duceremur; facile id etiam erat, ut optimus omnium conditor atque dispositor Deus

per ea quæ tam mirabiliter et facit et ordinat, ex ipsis suis quantus sit operibus indicaret; quia et pro qualitate operum quæ videntur, absentis artificis industriam dijudicamus. Hoc quidem modo et ipse perhibet Apostolus Deum sui notitiam reprobis quoque contulisse : juxta quod ad Romanos scribens, inexcusabilem omnem hominem esse convincit, et de contemtu sui conditoris arguendum, cum ejus notitiam lex ipsa naturalis, quæ in ratione consistit, etiam sine scripto in ipsa operum ejus exhibitione omnibus afferret. Ait quippe sic[1] : « Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem, et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent : quia quod notum est Dei manifestum est illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles : quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. » Et post aliqua[2] : « Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas, » hoc est qui rationis uteris judicio in bonis et malis discernendis, atque in ipsis creatoris et creaturarum discernendis naturis. Unde et Salomon nonnullos mundi sapientes se vehementer mirari insinuat, quomodo scilicet mundum ratione vestigarent, naturamque ipsius per singulas ejus partes disserere conati sint, nondum creatorem ipsius animadvertentes, quem facilius ratione percipere poterant. « Si enim, inquit[3], tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo ipsius mundi Deum et creatorem non facilius invenerunt? » Hoc et ille Latinorum maximus philosophorum Tullius diligenter intuitus, cum non solum optime factum, verum etiam optime disponi mundum conspiceret; providentia id potius agi quam fortuitu confirmans, tam suam nobis in hoc quam ceterorum rationem exposuit philosophorum. Unde illud in primo *Rhetoricæ :* « Melius, inquit[4], accurantur quæ consilio geruntur, quam quæ sine consilio administrantur. Exercitus is cui præpositus est sapiens et callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is qui temeritate aut stultitia alicujus administratur. Eadem navigii ratio est. » Hoc itaque proposito collatione similitudinum convenienter astructo, assumtionem statim aggregans syllogismi, « Nihil autem, inquit, omnium rerum melius, quam omnis mundus administratur. Nam et signorum, inquit, ortus definitum quemdam ordinem servant, et annuæ commutationes non modo quadam ex necessitate semper eodem modo fiunt; verum ad utilitates quoque rerum omnium sunt accommodatæ, et diurnæ nocturnæque vicissitudines nulla in re umquam mutatæ quicquam nocuerunt, quæ signo sunt omnia non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari. Quod si

[1] *Rom.*, cap. I, v. 18. — [2] *Rom.*, cap. II, v. 1. — [3] *Sap.*, cap. XIII, v. 9. — [4] *Invent.*, lib. I, cap. XXXIV.

melius, inquit, geruntur ea quæ consilio quam quæ sine consilio administrantur, nihil autem omnium rerum melius quam omnis mundus administratur : consilio igitur mundus administratur. » Quanta autem ratione cuncta in mundo fiant ac disponantur, maximus omnium philosophorum Plato diligenter attendens ait : « Nihil fit cujus ortum non legitima causa et ratio præcedat. » Quæ enim quantum ad nos fortuita dicuntur, atque inopinate provenientia, certis in Deo rationis legibus fixa sunt, atque optimo quæque fiunt consilio. Hoc vero, quo optime cuncta fiunt ac disponuntur, consilium, alii Deum, alii naturam ipsam rerum, alii mentem seu animam mundi vocare consueverunt, omnes autem id summum bonum intellexerunt, quod professus est Socrates. Primus autem Anaxagoras inter universos philosophos divinum animum omnium effectorem naturarum sensisse perhibetur, sicut in octavo *de Civitate Dei* beatus commemorat Augustinus[1]. Unde et illud est in epistola ad Macedonium[2]: « Non propterea veritas cara esse debet, quia non latuit Anaxagoram, sed quia veritas est, etiamsi nullus illorum cognovisset. » Facile autem illud quoque ratione conjici poterat, mundum etiam ipsum et quæ in eo sunt, a seipsis non esse, nec per se subsistere, sed ab alio quocumque longe cunctis excellentiore cuncta optime tam fieri quam regi. Quippe quod a seipso est, natura dignius esse constat, quam quod ab alio est. Et omne quod rationis atque intelligentiæ capax est, universis aliis excellentius esse non ambigitur. Non igitur oportet rationalem substantiam ab alio esse concedi, si ratione carentem a se esse ponamus. Nemo autem est nostrum, qui se ipsum ignoret a se minime esse, sed ab alio gigni; quomodo igitur ea quæ ratione carent, ab alio esse negabimus? Partes itaque mundi, quæ naturaliter priores sunt, factas esse convenit : ac per hoc ab alio mundum exordium ducere, atque factum esse : quippe quem etiam propter hominem factum esse constat, cui singulis suis partibus deservit, longe indigniorem eo esse convenit, ac per hoc minime concedi oportet, hunc non esse factum, cum ille factus sit. Multo minus etiam convenit, ut suo regimine non rationalia quam rationalia nitantur; hominem autem quamvis rationalis sit, nequaquam suo regimini sufficere constat, cum seipsum quomodo vult in hujus vitæ pelago regere non valeat. Multo igitur minus proprio regimini committi convenit, quæ qua se regere possint ratione carere certum est. Id vero est mundus, sive ejus singulæ particulæ. Et his quidem vel consimilibus rationibus omnia quæ in mundo sunt conditorem seu rectorem habere manifestum arbitror, quem nos Deum dicimus.

De cujus nunc unitate superest disputare, ut magis videlicet unum condi-

[1] August. *de Civit. Dei*, lib. VIII, cap. II. — [2] Leg. *In Epistolis.*

torem ac rectorem mundo præesse conveniat quam plures, atque unum potius Deum ac Dominum omnium quam plures credi oporteat. Certum quippe est, omnia tanto majori concordia regi, quanto paucioribus cura regiminis eorum commissa est. Nihil autem melius aut majori concordia regi quam mundum constat universum, sicut supra Tulliana exposuit ratio. Uni igitur ejus regimen subjectum est. Nihil quippe, ut dictum est, majori concordia quam mundus regitur, nec etiam res ea quælibet, cui unus tantum præsidet rector. Nullo itaque modo pluribus rectoribus mundus subjacet, sed uni tantum. Tanto quippe major in omnibus custoditur concordia, quanto major tenetur identitas; et tanto amplius a concordia receditur, quanto ab unitate magis absceditur. Ut ergo summa sit concordia, summa teneatur identitas, ac præcipua conservetur unitas. Nihil autem cum aliquo ita ut secum idem esse vel unum potest, nec ita alii concordare ut sibi, cum a seipso nihil dissimile sit. Ad unum itaque cuncta spectare ac referri convenit, ut quod rerum diversitate agitur, una ratione concorditer administretur, modo in omnibus quem oportet servato. Sed nec plures ad rerum creationem magis quam ad generale earum regimen convenire credendum est, sed ab uno naturas omnes fieri sicut et regi opportune creditur, ut tanto concordius regi valeant, quanto majori sunt connexæ concordia. Tanto autem major est earum concordia, quanto amplius ab uno eodemque penitus semper principio manant, et earum artifex a multiplicitate ac diversitate recedit. Facta autem sunt primitus, ut optime postea regerentur, et quæ fiebant ut regerentur, ad regendum utique dum fierent præparabantur. Ut ergo optime regerentur facta, optime dum fierent ad regendum erant præparanda. Quomodo autem optime præparantur dum fierent, ut facta postmodum optime regerentur, nisi summa invicem concordia ex ipsa creatione sui colligentur, ut eo amplius concorditer atque melius regantur, quanto concordius in ipsa eorum conditione naturæ ipsorum sunt invicem colligatæ? Ad quam etiam conditionis concordiam sicut et regiminis, unitas ipsa atque identitas maxima conditoris perficit, ut hinc quoque unum eumdemque penitus conditorem sicut et rectorem omnium esse constet, quem nos Deum dicimus, ac summum jure profitemur bonum. Qui quomodo summum diceretur Bonum, nisi ceteris omnibus præcelleret bonis? quod vero omnibus aliis præcellit, unum profecto et unicum esse convenit; et quod in se perfectum esse conceditur, atque ad omnia quæ facienda sunt, ex propria voluntate per se sufficiens, ex quo et omnipotens dicitur, compar aliquod bonum habere non potest. Neque enim bonum esse poterit, quod superfluum sit. Superfluus autem alius vel creator esset vel rector, si unus ad omnia æque sufficiat ut plures. Sufficit autem cum sit summum ac perfectum, atque ad omnia sufficiens, ut dictum est, bonum. Nullo itaque modo plures Deos esse sive credi convenit.

Sed fortassis inquies, quia quo melius est quodlibet bonum, ejus multiplicatio melior esset, atque ita illud Summum Bonum quod dicitur Deus, melius fore multiplicatum, quam unicum : et si ipsum extollere cupimus ac magnificare, magis ipsum multiplex, quam simplex prædicandum esse. Sed ad hoc primo respondendum arbitror, quod juxta hanc rationem, quanto plures prædicaverimus Deos, tanto amplius divinæ gloriam excellentiæ amplificabimus. Infinitos itaque prædicari oporteret Deos, ut infinitam ejus gloriam magnificemus : præsertim cum nulla sit ratio, qua ad certum numerum aliquem ea reduci queat, quam juxta prædictam rationem tanto magis amplificabimus, quanto amplius numerum ejus extenderimus. Atque ita plura esse summa bona quam inferiora conveniret : immo omnino infinita esse, ut nec eorum scientia esse possit, quorum nullus in natura terminus occurreret, nec ipse etiam Deus ea per scientiam comprehenderet, quæ nullo naturæ termino comprehenduntur. Præterea si plures sunt dii, quomodo deum quemcumque summum bonum dicemus, cum aliquid majus sit ipso, ipsa videlicet deorum multitudo, quam quislibet unus ex ea multitudine? Sed nec bonum dicendum esset, quod, ut jam ostendimus, superfluum esset. Denique omnis multitudo totum quoddam est, et omne totum propriis partibus posterius esse naturaliter constat : atque omne quod simplicius est, tanto firmius esse necesse esse, cum omne compositum natura dissolubile sit, et tanto infirmius, quam dissolutioni magis obnoxium. Quis etiam quodlibet bonum tanto pretiosius esse deneget, quanto rarius, et eo magis gloriosum, quo magis est unicum? Unde et plerumque ea etiam quæ minus sunt necessaria aliis, raritate tamen sui eis omnino præferuntur, ut aurum ferro, piper frumento. Commendat itaque divinæ gloriam excellentiæ ipsa quoque ejus singularitas, quæ operum quoque ipsius maxima est commendatio, tam in his faciendis, quam in eis disponendis atque regendis. Nulla quippe tanta fieri concordia vel regi possunt, quanta illa quæ unus tantum et condit et regit.

Hæc quidem ad adstruendam divinæ singularitatem excellentiæ pro rationibus induci satis arbitror : quibus et facile assentire quemque bonum existimo, qui nulli invidus, omnium rerum commendationi plurimum congaudet. Magis autem honestis quam necessariis rationibus nitimur; quoniam apud bonos id semper præcipuum statuitur, quod ex honestate amplius commendatur, et ea semper potior est ratio, quæ ad honestatem amplius, quam ad necessitudinem vergit, præsertim cum quæ honesta sunt per se placeant, atque nos statim ad se sua vi alliciant. Quam honestum vero sit ac salubre omnia ad unum optimum tam rectorem quam conditorem spectare; et cuncta potius ratione, quam casu fieri seu regi, nullus est cui propriæ ratio non suggerat conscientiæ. Quæ

enim sollicitudo bonorum nobis operum inesset, si quem nec amore nec timore vereremur, Deum penitus ignoraremus? Quæ spes aut malitiam refrænaret potentum, aut ad bona eos alliceret opera, si omnium justissimus ac potentissimus frustra crederetur? Ponamus itaque, ut dum bonis prodesse ac placere quærimus, obstinatos cogere non possimus, cum ora eorum non necessariis obstruamus argumentis : ponamus, inquam, hoc si volunt; sed opponamus quod nolunt, summam eorum impudentiam arguentes, si hoc calumniantur quod refellere nullo modo possunt, et quod plurima tam honestate quam utilitate commendatur. Inquiramus eos qua ratione malint eligere Deum non esse quam esse; et cum ad neutrum cogi necessario possint, et alterum multis commendetur rationibus, alterum nullis, iniquissimam eorum confundamus impudentiam, qui id quod optimum esse non dubitent, omnibusque est tam rationibus quam auctoritatibus consentaneum, sequi respuant, et contrarium complectantur. Quod si de occultis rerum naturis, ac de ipso quoque rerum cœlestium statu, quas experimentis non possunt discutere, ut certi non valeant esse, auctoritatibus hominum cedunt, cur de auctore omnium Deo eisdem non acquiescunt? Sed hæc hactenus adversus hanc primam ac maximam infidelium obstinationem.

Nunc autem ab unitate divinæ substantiæ, quam quasi fundamentum subjecimus, ad discretionem trium personarum, quæ eidem insunt substantiæ, ordo est commeare, et de divina potentia, vel sapientia, seu benignitate, juxta quæ, ut dictum est, tres distinguuntur personæ, ad perfectam et integram illius summi Boni commendationem, superest diligenti examinatione disserere : ut quo amplius, ut supra meminimus, hujus boni perfectio cognita fuerit, magis ad amorem sui quemque alliciat, præsertim cum multæ super his fidelium quoque animos difficiles movere possint quæstiones, et tanto facilius minus eruditos ad maxima trahere scandala, atque infideles juvare, quanto difficiliores ad solvendum videntur. Ac primo nobis de omnipotentia Dei consideratio sit.

Quærendum itaque primo videtur, quomodo vere dicatur omnipotens, si non possit omnia efficere; aut quomodo omnia possit, si quædam nos possumus, quæ ipse non possit. Possumus autem quædam, ut ambulare, loqui, sentire, quæ a natura divinitatis penitus aliena sunt, cum necessaria istorum instrumenta nullatenus habere incorporea queat substantia. Quibus quidem objectis id prædicendum arbitror, quod juxta ipsos quoque philosophos, et communis sermonis usum, numquam potentia cujusque rei accipitur, nisi in his quæ ad commodum vel dignitatem ipsius rei pertinent. Nemo enim hoc potentiæ hominis deputat, quod ille superari facile potest, immo impotentiæ et debilitati ejus quod minime suo resistere potest incommodo, et quicquid ad vitium hominis vergit,

magisque personam improbat, quam commendat, impotentiæ potius, quam potentiæ adscribendum est. Unde et Aristoteles in secundo qualitatis genere, ubi scilicet de potentia naturali et impotentia agitur, sanativum et durum ad potentiam reducit, et ægrotativum et molle ad impotentiam, cum tamem ægrotativum dicamus qui facile ægrotare potest, hoc est, non valet facile hujusmodi passioni resistere; et molle quod leviter secari aut dissipari possit. Sanativum vero et durum e contrario ad potentiam reducit, cum tamen sanativum dicatur quod non potest facile infirmari, et durum quod non potest[1] leviter secari. Sicut ergo in suprapositis, id est ægrotativo et molli, illa posse quæ ad incommodum vel debilitatem rei attinent, impotentiæ est potius quam potentiæ : ita et eadem non posse e contrario potentiæ est adscribendum. Alioquin e converso impotentiam diceremus potentiam, et potentiam impotentiam. Nemo itaque Deum impotentem in aliquo dicere præsumat, si non possit peccare sicut nos possumus, quia nec in nobis ipsis hoc potentiæ tribuendum est, sed infirmitati. Unde et Augustinus *de Trinitate* libro XV[2] : « Magna ejus potentia est non posse mentiri. Sunt etiam quædam quæ in aliis rebus potentiæ deputanda sunt, in aliis vero minime, et quæ in aliis laudabilia sunt, in aliis reprehensibilia sunt, cum eadem sæpe aliarum rerum dignitatem commendent, aliarum vero minime, veluti si quis hominum ursum viribus superare possit, hoc magnæ hominis potentiæ adscribendum est. Unde ceteris ipse præcelleret et commendabilior esset, quod in leone tamen vel elephante pro magno nullus haberet. Indc enim potentem hominem comparatione aliorum hominum diceremus; sed non ita leonem vel elephantem. Sic et in homine quod ambulare valet potentiæ est adscribendum, quoniam ejus necessitudini congruit, nec in aliquo ejus minuit dignitatem. In Deo vero, qui sola voluntate omnia complet, hoc omnino superfluum esset, quod in nobis necessarium est, atque ideo non potentiæ, sed vitio penitus tribuendum esset in eo, præsertim cum hoc in multis excellentiæ ipsius derogaret, ut ambulare videlicet posset. Ex quo et moveri localiter posset, et compositionem pedum admitteret, ut et mobilis et dissolubilis esset ejus corporea et compacta substantia. Non absurde tamen, et de his omnibus quæ efficere possumus Deum potentem prædicabimus, et omnia quæ agimus ejus potentiæ tribuemus, « in quo vivimus, movemur, et sumus[3], » et « qui omnia operatur in omnibus[3]. » Utitur enim nobis ad efficiendum quæ vult, quasi instrumentis, et id quoque facere dicitur, quæ nos facere facit, sicut dives aliquis turrem componere per opifices quos adhibet, et posse omnia efficere dicitur qui sive per se, sive per subjectam creaturam omnia quæ vult, et

[1] *Facile-potest* quæ desunt in editis restituimus e cod. Tur. — [2] *Opp.*, t. VIII. — [3] *Corinth.*, cap. XII, v. 6.

quomodo vult, operatur, et ut ita fiant ipse etiam facit. Nam etsi non potest ambulare, tamen potest facere ut ambuletur, hoc est ut aliquis ambulet, cum ipse ad hoc a sua creatione quemque aptum præparet, et in ipso etiam actu ipsum conservet et sustentet, ut hunc ille actum expleat. Posse itaque Deus omnia dicitur, non quod omnes suscipere possit actiones, sed quod in omnibus quæ fieri velit, nihil ejus voluntati resistere queat[a]. Unde et Apostolus[1], « Voluntati ejus, inquit, quis resistet? » Et Psalmista[2], « Quæcumque voluit fecit. » Sed et cum idem alibi dicat Apostolus[3] « Deus vult omnes salvos fieri et neminem perire, » juxta illud prophetæ[4] : « Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat ; » et per semetipsam Veritas obstinatæ et damnandæ dicat civitati[5] : « Quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? » patet divinæ voluntatis vocabulum duobus modis esse sumendum; alioquin cum Deus omnia quæcumque voluit faciat, et omnes salvos fieri velit, cogemur utique profiteri, juxta illum detestabilem Origenis errorem, quod usque etiam ad dæmones salvationem extenderit, omnes quandoque salvandos esse, et Veritatem ipsam Veritati contraire, ubi de impiis et justis loquitur, dicens[6] : « Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. » Qui rursus impiis ait[7] : « Ite, maledicti, in ignem æternum qui præparatus est diabolo et angelis ejus. » Velle itaque Deus duobus modis dicitur, aut secundum videlicet providentiæ suæ ordinationem, secundum quod scilicet aliquid disponit apud se ac deliberat, statuitque sua providentia, ut sic postmodum compleat, aut secundum consilii sui adhortationem vel approbationem, qua unumquemque ad hoc admonet, quod per gratiam suam remunerare paratus est. Et juxta priorem quidem modum quo Deus velle aliquid dicitur, hoc est ex gratia sua ordinare atque apud se firmare, ut fiant aliqua, tam nos quam

[a] Hinc illud est quod in *Enchiridio* beatus commemorat Augustinus[8] : « Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quicquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus. » Idem in libro *de Spiritu et littera* : « Non potest facere injusta, quia ipse est summa justitia, et bonitas. Omnipotens vero est, non quod possit omnia facere, sed quia potest efficere quicquid vult : ita ut nihil valeat resistere ejus voluntati quin compleatur, aut aliquo modo impedire eam. » Johannes Chrysostomus *Homilia* xxviii, de expositione symboli, quæ sic incipit : Super fabricam totius Ecclesiæ : « Omnipotens dicitur, quia posse illius non potest inveniri non posse, dicente propheta, « Omnia quæcumque voluit fecit. » Ipse est ergo omnipotentia, ut totum quod vult possit.

[1] *Rom.*, cap. ix, v. 19. — [2] *Psalm.* ciii, v. 15. — [3] *Tim.* I, cap. ii, v. 4. — [4] Ezech., cap. xxxiii, v. 11.— [5] Matth., cap. xxiii, v. 37. — [6] Matth., cap. xxv, v. 46. — [7] Matth., cap. xxv, c. 41. — [8] Cap. cxiv, *Opp.* t. VI. Locus iste in *Introductione ad Theologiam* etiam legitur, textui ipsius operis insertus. Vide supra pag. 122 hujus voluminis.

Apostolus, in his quæ fieri vult, nihil ejus voluntati resistere posse dicimus, nec eam aliquo impediri casu, cui omnia necesse sit obedire. Secundum autem posteriorem modum, multa dicitur velle fieri, quæ non fiunt : hoc est multa adhortari, quæ certum est ex gratia ejus remunerari, si fierent, quæ minime fiunt. Sic quippe unicuique homini consulit de salute sua, et ad hanc eum adhortatur, cum obediant pauci. Vult itaque Deus peccatorem converti, quia id ei consulit quod esset benigne remuneraturus. Quodammodo enim gratum ei dicitur in quo ejus gratiam experturi essemus. E contrario nolle illa dicitur quæ dissuadet, aut quæcumque punire magis deberet, quam dono aliquo remunerare, et in quibus iram ipsius potius quam gratiam sentiremus, hoc est vindictam potius quam præmium.

Quærendum arbitror utrum plura facere possit Deus vel meliora quam faciat, aut ab his etiam quæ facit ullo modo cessare posset, ne ea umquam videlicet faceret. Quod sive concedamus, sive negemus, multas fortassis inconvenientium anxietates incurremus. Si enim ponamus ut plura vel pauciora facere possit, vel ab his quæ facit cessare, profecto multum summæ ejus bonitati derogabimus. Constat quippe eum nonnisi bona facere posse[a]. Si autem bona cum possit non faciat, et ab aliquibus quæ facienda essent se retrahat, quis eum tamquam æmulum vel iniquum non arguat, præsertim cum nullus eum labor in faciendo aliquid gravet, cujus æque omnia voluntati sunt subjecta, secundum quod dictum est[1] : « Dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt. » Hinc est illa

[a] Non ita ut æstimat Nabuchodonosor operatur Deus, more videlicet eorum, qui in his quæ faciunt, non tam quod bonum est attendunt, quam ut suæ satisfaciant voluntati, qualiscumque ipsa sit, de qualibus scriptum est : Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Sed magis velle dicendus est singula ut fiant, quia bonum esse ut forent vidit. Patet itaque quicquid Deus faciat aut dimittat, justam ac rationabilem subesse causam, ut sola illa faciat aut dimittat, quæ fieri vel dimitti oporteat, atque ipsum deceat. Quod si quod facit, eum facere oportet : justum est utique ut faciat quicquid facit, ac sine dubio quicquid facere debet. Quod si debet, non potest profecto juste dimittere ne faciat. Omne quippe quod justum est fieri, injustum est dimitti; et quisquis id non facit, quod ratio exigit, æque delinquit, ac si faciat quod rationi minime concordat. Sed fortassis inquies, quod sicut justum est aut bonum seu rationabile id quod modo facit, ita bonum esset atque æque bonum si aliud faceret et hoc dimitteret. Atqui si æque illud bonum esset quod dimisit facere, quando istud elegit, nulla profecto ratio fuit cur illud dimitteret atque istud eligeret. Fuit autem inquies, quia cum non utrumque fieri oporteret et æque hoc vel illud fieri bonum esset, quodcumque eorum fieret rationabiliter factum esset. Sed juxta hanc profecto rationem, æque fieri oportebat quod factum non est, sicut quod factum est; et æque bonum erat illud fieri sicut hoc. Cum vero quid fieri bonum est, et rationabilem habet causam qua faciendum sit, irrationabiliter profecto agit, qui quod a se fieri debere non ignorat, præ-

[1] *Psalm.* CXLVIII, v. 5.

Platonis verissima ratio, qua videlicet probat Deum nullatenus mundum meliorem potuisse facere, quam fecit. Sic quippe in *Timæo* ait : « Dicendum cur conditor, etc. » Quis etiam neget unumquemque tantum velle bene agere quantum potest, aut unumqumque tantum debere bene agere, quantum potest? Quod si hoc in nobis judicium tenemus; quanto magis in eo qui summe est bonus, et quem nullus operationis labor gravare potest? Quomodo autem vult et potest Deus, si non perficit? Aut quomodo justus est, si quod debet et etiam potest non facit? Sed et si minus benefaceret quam posset, perfecte bonus non esset. Facit itaque omnia quæ potest Deus, et tantum bene quantum potest. Sed non cessare ab iis potest quæ facit, ut videlicet ea tunc non faciat quando facienda sunt. Quippe si cessaret a bonis quæ posset, cum ea fieri oporteret, profecto et ex hoc non esse perfecte bonum convincendus esset. Præterea quæcumque ei naturaliter insunt, carere non potest. Ei[1] autem, quem necesse est summe bonum esse atque benignum, nec in sua minui posse bonitate, bona voluntas naturaliter ac substantialiter inest, non sicut nobis per accidens; unde eam quam habet bonam voluntatem deponere non potest, quam et Deum esse concedi convenit. Quamcumque itaque bonam habet voluntatem, carere non potest. Necesse est igitur, ut omnia quæ vult, ipse velit; sed nec inefficax ejus voluntas esse potest : necesse est ergo ut quæcumque vult ipse perficiat, cum eam videlicet sumamus voluntatem, quæ ad ipsius pertinet ordinationem. Istis ergo rationibus astruendum videtur, quod plura Deus nullatenus facere possit quam faciat; aut melius facere, aut ab his cessare, sed omnia ita ut facit necessario facere. Sed rursus singulis istis difficillimæ occurrunt objectiones, ut utroque cornu graviter fidem nostram oppugnet complexio. Quis enim negare audeat, quod non possit Deus eum qui damnandus est salvare, aut meliorem illum qui salvandus est facere, quam ipse futurus sit collatione suorum donorum, aut omnino dimisisse ne eum umquam crearet? Quippe si non potest Deus hunc salvare, utique nec ipse salvari a Deo potest. Necessaria quippe est hæc reciprocationis consecutio, quod si iste salvatur a Deo, Deus hunc salvat. Unde si possibile est hunc salvari a Deo, possibile est Deum hunc

termittit; atque ita jam in suprapositum inconveniens relabemur. Sin autem dicas de altero quod factum non est, quia non erat bonum ut faceret, nisi ita ut alterum cessaret, profecto eadem ratione de altero quod factum est non erit simpliciter concedendum ut bonum esset illud fieri, cum æque concessum sit tam hoc quam illud fieri bonum esse. Fecit itaque Deus quod non erat bonum fieri? Absit. Quod si illud solum quod facit, fieri ab eo bonum est, profecto illud solum quod facit facere potest, qui nihil facere potest, nisi quod ab eo fieri bonum est.

[1] Male in editis *si* pro *ei*.

salvare. Non enim possibile est antecedens, nisi possibile sit et consequens : alioquin ex possibili impossibile sequeretur, quod omnino falsum est. Sic enim in primo *Hypotheticorum* Boetius, impossibile diffiniens ait : « Impossibile est, quo posito, aliquid falsum atque impossibile comitatur, » hoc est, id impossibile est quod habet ad aliquid impossibile necessariæ argumentationis adjunctionem; hoc quippe propter syllogismorum complexiones inducebat, in quibus per inductionem impossibilium conclusionum, impossibilia esse præmissa convicturus erat. Quis autem necessariam negare audeat et hujus argumentationis inferentiam : Iste a Deo salvatur, ergo Deus hunc salvat? Cum itaque possibile sit inferens, possibile est et illatum. Atque ita si possibile sit hunc salvari a Deo, possibile est Deum hunc salvare,, et si non sit possibile Deum hunc salvare, non est possibile hunc a Deo salvari : hoc est, ut supra posuimus, si non potest Deus hunc salvare, utique nec ipse salvari a Deo potest, ac per hoc nec omnino salvari, quem nonnisi per Deum salvari posse constat. Quod si salvari iste non potest, profecto liberum jam perit arbitrium, frustraque homini illi ea quæ ad salvationem pertinent injunguntur, qui salvari omnino non potest, nec ea facere quibus salvari potest. Similiter et si illum Deus meliorem facere non potest, utique nec ipse ab eo melior fieri potest, atque ita nec ullo modo melior fieri, quod utique si fieret, a Deo fieri necesse esset. Absit autem ut aliquem nostrum adeo bonum esse concedamus ac perfectum, ut ulterius crescere non possit, quamquam in contrariam Plato plurimum declinare videatur sententiam, cum omnia a Deo tam bona fieri dicat, quantum singulorum permittit natura, et Deum ex ipsa summa sua bona voluntate, quam omnium faciendorum causam constituit, ad faciendum singula compulsum, et ad faciendum tantum bona, quantum eorum fert et natura. Sic quippe scriptum est in *Timæo* : « Dicendum, inquit, cur conditor fabricatorque geniture omne hoc instituendum putaverit. Optimus erat. Ab optimo porro invidia longe relegata est. Itaque consequenter sui similia cuncta, prout cujusque natura capax beatitudinis esse poterat, effici voluit, quam quidem voluntatem Dei originem rerum certissimam si quis ponat, recte eum putare consentiam. Volens siquidem Deus bona quidem omnia provenire, mali porro nullius, prout eorum quæ nascuntur natura fert, reliquit propaginem. » Et hæc quidem Platonis verba plane omnia a Deo tam bona fieri perhibere videntur, quantum fieri bona possunt, vel quantum ipse ea bona facere potest, quam etiam rationem sancti secuti videntur, cum Deum Patrem probarent Filium tam bonum genuisse, quantum potuit, ut ei æqualis esset. Unde Augustinus libro *Quæstionum LXXXIII*, cap. LXIV[1] : « Deus, inquit, quem

[1] *Opp.* t. VI.

genuit, quoniam meliorem se generare non potuit, nihil enim Deo melius, debuit æqualem. Si enim voluit et non potuit, infirmus est. Si potuit et noluit, invidus est. » Ad hoc et illud pertinet Nicæni concilii, quod sicut in primo libro præfati sumus, beatus retractat Hieronymus dicens[1] : « Absit ergo in Filio Dei aliquid plus minusve aut in loco, aut in tempore, aut in potentia, aut in scientia, aut in æqualitate, aut in subjectione, cum dicitur hoc ut Deitati ejus non carni ascribatur. Si enim plus minusve aliquid invenitur, excepto hoc quod genuit Pater Filium, et excepto hoc quod Filius non ex semetipso natus est, sed de Patre, aut invidens, aut impotens Pater, insuper etiam temporalis agnoscitur. » Hac itaque ratione, qua convincitur quia Deus Pater tam bonum genuerit Filium quantum potuit, cum videlicet aliter reus esset invidiæ, clarum est et omnia quæ facit quantum potest egregia facere, nec ullum commodum quod conferre possit subtrahere velle. Nihil quippe est quod aut faciat aut dimittat, nisi optima et rationabili causa, licet illa nobis[2] occulta sit. Unde et illud est Platonicum : « Omne quod gignitur, ex aliqua causa necessaria gignitur. Nihil enim fit, cujus ortum non legitima causa et ratio præcedat. » Hinc et illud est Augustini, cum omnia in mundo fieri vel disponi divina providentia convinceret, et nihil casu, nihil fortuitu evenire, sed omnia ex divino provenire consilio. Ait quippe sic *Quæstionum LXXXIII*, capite XXVI : « Quicquid casu fit, temere fit; quicquid temere fit, non fit providentia. Si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non providentia universus mundus administratur. » Item, « Illud bonum, cujus participatione sunt bona cetera, non per aliud, sed per semetipsum bonum est. Quod divinam etiam providentiam vocamus. » Nihil igitur casu fit in mundo. In tantum autem in omnibus quæ Deus facit, quod bonum est attendit, ut ipso boni pretio potius quam voluntatis suæ libito ad singula facienda inclinari dicatur. Hinc est illud Hieronymi in expositione versionis *super Danielem* III, ubi de Deo sic Nabuchodonosor loquitur[3] : « Juxta voluntatem enim suam facit tam in cœlo quam in terra, et non est qui resistat manui ejus, et dicat : Cur fecisti ? » « Et hoc, inquit Hieronymus, loquitur quasi homo sæculi. Non enim quod vult, hoc facit; sed quod bonum est, hoc vult Deus. Nabuchodonosor autem sic locutus est, ut dum potentiam Dei prædicat, justitiam ejus videatur arguere, quod immerito pœnas sustinuerit. » Tale ergo est quod ait Hieronymus : « Non enim quod vult hoc facit, sed quod bonum est hoc vult Deus, » ac si diceret[4] : In omnibus itaque

[1] *Expos. Fid. ad Cyrill.*, Opp. t. V, col. 125. — [2] Male in editis *non occulta*. — [3] Daniel, c. IV, v. 32. — [4] Ea quæ sequuntur usque ad *quod tam a veritate* desunt in codice Turonensi, nec unde ab editore benedictino repetita sint, nobis liquet. Locus certe et in editis et in codice mutilus est. Nam cum Petrus noster infra scribat : *quod tam a veritate quam a nostra remotum est opinione*, id minime quadrat cum verbis præcedentibus. Extat in codice annotatiuncula quæ referenda videtur ad partem paginæ superiorem in qua, licet abcissa est,

Deus quæ facit aut dimittit, rationabilem habet causam cur ab eo faciendum sit aut dimittendum. Si igitur ratio est cur facere aut dimittere debeat, profecto ab eo fieri debet aut dimitti. Quod autem ab eo fieri debet, quomodo dimittere potest, vel quod dimittere debet, quomodo facere potest? Qui enim facit quod omnino ab eo fieri non convenit, non recte agit. Deus autem cum aliquid omnino dimittit, ut non faciat, videt profecto quare ab eo numquam sit faciendum. Quod tam a veritate, quam a nostra remotum est opinione : quod tamen postmodum si poterimus, aliqua liniemus expositione. Nunc ad incœpta redeamus : Quomodo etiam, inquam, diceremus non posse dimittere quin ea quandoque faciat quæ facit, nisi ea necessario quandoque faciat[1]? Facit autem hunc hominem bonum : necesse est ergo hunc hominem bonum fieri, nec ullo modo eum damnari posse, quod omnino falsum est. Scriptum quippe est ad laudem justi viri de eo[2], « qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit. » Scriptum quoque est quod potuerit Deus alio modo quam fecerit humanum genus redimere. Unde est illud beati Augustini in libro *de Trinitate* XIII, cap. x[3]: « Eos, inquit, qui dicunt : Itane defuit Deo modus alius quo liberaret homines, ut unigenitum Filium hominem fieri vellet, mortalemque factum mortem perpeti? parum est sic refellere, ut istum modum, quo nos liberare dignatur, asseramus bonum, verum etiam ut ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æque subjacent; sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem alium modum non fuisse. Cur non fieret mors Christi, immo cur non prætermissis innumerabilibus modis, quibus ad nos liberandos uti posset Omnipotens, ipsa potissimum eligeretur? » Item[4] : « Poterat utique Deus hominem aliunde suscipere, in quo esset mediator Dei et hominum, non de genere illius Adam, sicut illum quem primum creavit, non de genere creavit alicujus. Poterat vel sic, vel alio quo vellet modo creare unum alium, de quo vinceretur victor prioris. Sed melius judicavit, de ipso quod victum fuerat genere hominem assumere. » Item in libro *Quæstionum veteris et novæ legis* : « Potuit Deus simul cuncta facere; sed ratio prohibuit. » Item : « Po-

hæc leguntur : « .... qui non est salvandus vel quem non est salvaturus vel quem non est bonum salvari. Non potest facere id quod non est bonum eum facere. Quod enim non facit, non est bonum eum facere : alioquin dimitteret id facere quod est bonum eum facere. Si melius esset omnes homines salvari quam aliquos, et Deus illud posset quod melius esset, et quod minus bonum est faceret, utique non esset perfecte bonus. Si non potest Deus facere, nisi quod bonum est eum facere, non potest salvare eum quem non salvabit, quoniam eum utique non est bonum salvari. Duo sunt egentes quorum uterque æque dignus eleemosyna; alteri illa datur quæ dividi non potest, nec utrisque sufficere potest; sed nequaquam ratio est cur illi detur potius quam isti. Non igitur rationabiliter datur isti potius quam illi. Si potest disturbare Deus malum aliquid, Deus, quando non disturbat, videtur consentiens esse. » Ista quæ in editis desunt, sequi debet, ut conjicimus, *quod tam a veritate*, etc.

[1] Hic interseruntur in codice Turonensi : « Si enim non potest illa non facere, utique hæc eum necesse est facere; ac per hoc ea necesse est fieri. Omnia itaque quæ facit Deus necesse est ut quandoque fiant. — [2] *Eccli.*, cap. XXXI, v. 10. — [3] August. *de Trinit.*, lib. XIII, cap. x, *Opp.* t. VIII. — [4] *Ibid.*, cap. XVIII.

terat animam limo terræ admiscere, et sic formare corpus, sed ratione infirmabatur, quia primum oportebat domum compaginari, et sic habitatorem induci. » Idem in *Enchiridio* : « Omnipotentis voluntas mala esse numquam potest. Præterea multa potest facere, quæ nec facit, nec vult. Potuit enim efficere ut XII legiones angelorum pugnarent contra eos qui eum ceperunt. Evangelista Matthæus[1], « An putatis quia non possum rogare Patrem, et exhibebit mihi modo « plusquam XII legiones angelorum. » Item : « Tunc in clarissima Sapientiæ luce videbitur, quod nunc fides habet, quam certe immutabilis efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit et non velit, nihil autem velit quod non possit. » Idem in libro *de Spiritu et Littera* : » Absurdum tibi videtur dici aliquid fieri posse, cujus desit exemplum, cum, sicut credo, non dubites numquam esse factum, ut per foramen acus camelus transiret; et tamen ille hoc quoque dixit Deo esse possibile. Item : « His addi possunt etiam illa quæ leguntur in libro *Sapientiæ*, Quoniam multa posset nova tormenta Deus exercere in impios, ad nutum sibi serviente creatura, quæ tamen non exercuit. Potest et de monte illo quem fides in mare transferret, quod tamen nusquam factum vel legimus vel audivimus. Quisquis horum aliquid Deo dixit impossibile, vides quam desipiat, quamque adversus fidem scripturæ ejus loquatur. Multa alia hujusmodi possunt occurrere vel legenti vel cogitanti, quæ possibilia Deo negare non possumus, quamvis eorum desit exemplum. » Idem in libro *de Natura et Gratia* : « Dominus Lazarum suscitavit. Sine dubio potuit : quia vero Judam non suscitavit, numquid dicendum est, Non potuit? Potuit ergo, sed noluit. Nam si voluisset, eadem etiam hoc potestate fecisset : quia Filius quos vult vivificat. » His itaque tam rationibus quam auctoritatibus, graviter in utraque parte complexionis impliciti, quo nos explicare possimus non facile aditum invenio; quo enim vehementiores sunt quæstionum impugnationes, difficiliores profecto necesse est esse solutiones. Sed quoniam divinum in omnibus integrum honorem servare, et prout possumus magnificare intendimus, ipsius opem super hoc confidenter imploremus, ut qui suos absolvit a peccatis, expediat a verbis, et horum quoque laqueos sicut illorum ad nominis sui laudem sua explicare gratia dignetur, ne nos mendacii vel præsumtionis in eum ab ipso arguamur, qui probator cordis et renum magis in omnibus intentionem attendit quam actionem, nec quæ fiant, sed quo animo fiant.

Eo itaque more, quo de Deo disserere cœpimus innitentes, quid et nobis super hoc visum sit sine aliqua obstinationis assertione proferamus. Visum autem itaque nobis est Deum qui summe bonus est, nec in sua crescere[2] vel minui boni-

[1] Matth., cap. XXVI, v. 53. — [2] Sic cod. Turon. Male in editis *exercere*.

tate potest, quam naturaliter ac substantialiter ex seipso, non nostro modo per actus habet, ex ipsa sua et ineffabili bonitate, adeo semper, ut humano more loquar, accensum, ut quæ vult necessario velit, et quæ facit necessario faciat, non enim carere sua potest bona voluntate quam habet, cum sit ei naturalis et coæterna, non adventitia, sicut nostra est nobis, et omne quod in natura est divinitatis, necessario ei atque omnibus modis inevitabiliter inest, utpote justitia, pietas, misericordia, et quæcumque erga creaturas bona voluntas. Qui itaque necessario tantum bonus est, quantum bonus est, nec minui potest in bonitate, necesse est ut tam bene velit de singulis, quam bene vult; et tam bene singula tractet, quantum potest. Alioquin, juxta etiam Platonem, æmulus esset, nec perfecte benignus. Quod si eam quam habet voluntatem faciendi aliquid, necessario habet, nec illa umquam efficacia possit carere; necesse est ut et ea necessario faciat quæ ejus voluntatem necessario comitantur. Quicquid itaque facit, sicut necessario vult, ita et necessario facit. Tanta quippe est ejus bonitas, ut eum necessario ad bona quæ potest facienda compellat, nec omnino possit abstinere quin bona quæ potest efficiat, et quo melius potest vel citius potest. Unde et in laudem ejus dicitur de his quoque quæ diu distulit, quia non tardabit. Nemo enim tardare in aliquo dicendus est, quod ideo differt ut convenientius fiat, sed is tantum tardare dicendus est, qui dum facere debet non facit; nam et differre sicut auferre bonum quod possis, non est bonitatis perfectæ, hoc est, ut quod jam faciendum esse censeas, in futurum differas, cum jam æque possis ut in futuro. Necessario itaque Deus mundum esse voluit ac fecit, nec otiosus extitit, qui eum, priusquam fecit, facere non potuit, quia priusquam fecit, fieri eum non oportuit. Si enim prius fecisset, utique et prius eum fieri oportuisset, quia facere quicquam nisi opportunum non potest, immo nisi optimum, id est tam bonum quantumcumque convenit, quod suo alto reservatur consilio.

MAGISTRI

PETRI ABÆLARDI

EXCERPTA EX EPITOME THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ.

Inter codices monasterii S. Emmerammi Ratisbonensis qui nunc in Bibliotheca aulica Monacensi asservantur, unus extat duodecimo vergente seculo exaratus, et viginti circiter abhinc annis a Clariss. viro Henr. Rheinwald primum in lucem editus, qui *Petri Abælardi Sententiæ* inscribitur. At quamvis eamdem in eo ac in *Introductione ad Theologiam* et in *Theologia christiana* doctrinam, brevioribus tantummodo verbis expressam facile deprehendas, non plane liquet opus e propria Petri nostri manu prodiisse; sed verisimilius nobis videtur istud e genuinis celeberrimi magistri libris a quodam ejus discipulo expromptum fuisse; quod cæterum satis innuit titulus ipse *Sententiæ Abælardi*. Integrum libellum non huic nostræ editioni annectendum esse judicavimus, ne fastidiosum legentibus esset, si eadem iterum argumenta in opere suspecto offenderent, quæ bis jam in aliis legitimis operibus pertractata erant; omissisque prioribus capitulis quæ nil novi habebant, ea solum inserimus quæ parti deperditæ *Introductionis ad Theologiam* respondere illamque in compendium redactam fideliter referre videntur.

ELENCHUS.

CAPUT XXI.

Quæ spectent ad sapientiam.

Viso de potentia et ejus effectibus, nunc de sapientia paululum disseramus. In sapientia igitur continetur providentia, vel, quod idem est, præscientia et prædestinatio. Ex sapientia siquidem sua præscit et providet omnia antequam fiant vel sint, quæ quidem providentia nullo modo falli potest. Quippe cum hoc provisum sit, non fieri non potest. Hinc quidam prave intelligentes omnia ex necessitate fieri putaverunt. Qui quidem tam ratione quam philosophorum auctoritate confutantur. Neque enim ex vera cum determinatione falsa simplex infertur propositio; ut, cum vera sit ista : Hoc provisum a Deo, necessario non inde potest inferri : Ergo hoc necessario futurum est. In nobis quoque illud falli promtum est; ut, me vidente currum agi, currus necessario agitur; neque enim sequitur, si non potest simul esse quod ego videam currum agi et currus non agatur. Nullam siquidem necessitatem infert providentia rerum eventibus, sed sicut se habent res ad utrumque, sic providentur se habere. Quæ providentia, sive mavis dicere præscientia omnino immutabilis est, neque novi scit aliquid Deus, quod ab æterno nescierit, nec in futuro quidquam sciturus est, quod modo nesciat; ut me modo vel hodie legere; ab æterno quippe scivit me lecturum hodie, in æternum sciet me legisse hodie. Et nota, quod hujusmodi adverbia eodem tempore prolata diversa significant, ut si modo dicam : Legi heri, lego hodie, legam cras. Diversa sunt, me legisse heri et me legere hodie et me lecturum cras. Diverso vero tempore prolata idem significant; ut, si quis dicat : Hermannus leget cras, qui idem dicat : Hermannus legit hodie, idem significat ac si quod ego hodie legerim. Idem namque est, me heri fuisse hodie lecturum, et me hodie legere, et cras me hodie legisse. Ipsa siquidem verba vel tempora licet sint mutata, idem tamen verum permanet. Ipse igitur cum sit, cui nulla mutatio temporis obsistat, quippe nihil est inter ejus æternitatem et ultimum temporis momentum, cum inquam hoc sit, quidquid fuit vel est vel erit, ei omnino præsens est. Nota igitur quod providentia seu præscientia et dispositio divina tam ad bona quam ad mala se habet, prædestinatio vero tantum ad bona. Augustinus tamen pro præscientia quandoque prædestinationem ponere solet. Fatum quoque notandum est, quod descendit a dispositione, tamquam ab actione passio. Siquidem cum fatum sit dispositio divina rebus mobilibus inhærens, nihil est aliud quam dispositio, actio ipsius disponentis, hoc excepto, quod dispositio immutabiliter facit. Quæ vero disponuntur nonnullam mutationem recipiunt, unde nihil est aliud fatari quam disponi. Unde quia ex hoc nomine fatum multi in errorem cadebant, putantes fatum esse constellationem, ideo sancti hoc nomine uti noluerunt. Est igitur fatum, ut ait Boetius, dispositio rerum in manu Dei. Quæ quidem a dispositione divina ut passio ab actione pendet. Prædestinatio, ut diximus, de bonis est tantum. Quod enim dicit Augustinus et de malis esse prædestinationem, pro præscientia accepit. Est autem prædestinatio gratiæ præparatio; incipit ab ipso genere donorum; per successionem divinorum bonorum deinde collatorum usque ad finem præsentis vitæ procedit. Sic igitur temporaliter fit ista præparatio. Si vero prædestinatio ab æterno esse dicatur, sicut providentia vel etiam dispositio, ut cum dicimus : Ab æterno

etiam prædestinavit hunc ad vitam, tale est ac si dicatur : Ab æterno providet, quod aliquid bonum daret huic, per quod salvaretur. Utrum plura possit disponere quam disponat, vel possit scire, vel etiam plures ad vitam prædestinare, satis est in promtu.

CAPUT XXII.

De his, quæ ad bonitatem divinam pertinent.

Dicto de potentia et sapientia hucusque, de bonitate aliqua subnectenda sunt breviter. Deus, ut diximus, benignus est, et misericors, et miserator. Hujus benignitatis effectum, cum ipse nihilo indigeat, utpote qui sibi per omnia sufficiens est, in creaturis suis exercet. Cum igitur in se solo sit affectu benignus, in creaturis solis efficit, quod bonitate tali constat efficiendum. At vero, qui summe bonus est, ab eo porro omnis invidia relegata est, omnis itidem ira, omnis furor ab eo remotus est. Quid igitur, quod dicitur : Ne irascatur furor tuus super nos? Quid etiam precatur Propheta : Domine, ne in furore tuo arguas me? Et hujusmodi affectuum nominibus translative utimur, cum de Deo loquimur, ut secundum effectum, et non secundum affectum de eo intelligamus. Tale est igitur : Deus iratus est, vel : Deus pacatus est, ac si dicatur : Deus punit illum, vel Deus parcit illi. Nullus enim hujusmodi affectus, nullus motus in eum cadit, qui in tranquillitate facit. Misericors ergo dicitur in se, sicut et benignus, miserator in exhibitione. Si ergo non esset, cui misereretur, nec miserator esset. Hic solet quæri, utrum benignior esse possit, vel magis miserator. Posset enim pluribus dona conferre, et eos salvare. Posset pluribus misereri et parcere. Sic igitur benignior et magis miserator, vel minus posset esse, aut etiam non miserator, cum etiam posset non fuisse, cui misereretur. Sed quid hic quoque responderi valeat, ex superioribus cognosci potest. Non enim pro ratione assignata superius pluribus bona conferre, vel pluribus misereri, vel aliter, quam faciat, facere potest.

CAPUT XXIII.

Cur deus homo?

Dicto de altera parte fidei, quæ est in cognitione Dei, de unitate scilicet divinæ substantiæ et trinitate personarum, et de pertinentibus ad utramque, quantum memoriæ occurrit : nunc de altera parte, scilicet de beneficiis nobis ab eo collatis breviter expediamus : quorum quod summum et maximum fuit, quod sapientia Dei carnem de virgine assumendo sua luce nos illuminavit, dilectionem suam nobis exhibuit. In hoc enim, quantam dilectionem haberet circa nos, ostendit, qui animam, quam assumsit, pro nobis posuit. Unde idem : Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis. Pro dilectione siquidem, quam erga nos habuit, ut nos a jugo peccati redimeret, carnem assumsit. A quo igitur nos redemerit, et quomodo redemtio illa facta sit, diligenter inquirendum esse ratio persuadet. Quidam dicunt, quod a potestate diaboli redemti sumus, qui hominem decipiendo ipsum sibi subjecit, et potestatem, quam prius non habuerat, n eum recepit. Ideoque, ut dicunt, missus est Filius Dei, ut, quoniam

potestate hominem ei auferre potuerat, magis justitia et humilitate in eum uteretur. Alioquin inferre ei injuriam videretur, cum jure hominem qui se illi mancipaverat, possideret. Ego vero e contra dico, et ratione irrefragili probo, quod diabolus in hominem nullum jus habuerit. Neque enim qui eum decipiendo a subjectione domini sui alienavit, aliquam potestatem super eum debuit accipere; potius, si quam prius haberet, debuit amittere. Qui enim concessa sibi abutitur potestate, ejus privilegium meretur perdere. Sicut si essent tres servi alicujus domini, quorum uni prærogativam super alios dedisset dominus, et ille a dominio domini et subjectione subtrahere niteretur, non super eos potestatem aliquam acciperet a domino, sed ante concessam ex nequitia sua perderet. Est et alia causa, quare jus nullum in eo habuerit, quia ille se ei emancipare non potuit. Quamquam enim aliquis servus a domino suo fugiat, non tamen alteri se jure pro servo tradere potest. Igitur cum servus emancipationem sui facere non possit, homo autem emancipationem istam fecerit, constat hominem sub potestate diaboli non fuisse, nec de ejus servitute redemptum esse. Venit ergo Filius Dei, non ut hominem de potestate diaboli redimeret, cum nec ipse diabolus pretium aliquod inde reciperet, immo hominem nunquam reconciliatum Deo vellet, sed ut eum a servitute peccati, dilectionem suam ei infundens, redimeret, se ipsum pretium et hostiam puram patri offerendo et solvendo. Hoc multis denique modis aliis, sed nullo tam convenienti facere potuit. Possibilitas tamen ista ad quid referatur, satis superque satis determinatum esse arbitror. Cum autem aliquid bene facere nobis sufficiat, non eum qui summe bonus est, nisi eo modo, quo melius potest evenire, quidquam facere convenit vel decet. Sed nullo meliori aut etiam tam bono modo redemptio ista potuit fieri, quam si Filius Dei homo fieret. Cum homo namque a peccato esset liberandus, oportebat, ut verbis prædicatio et operum exhibitio fieret. Hæc autem tam convenienter nequiret, nisi Filius Dei homo factus hominem instrueret. Sic enim et homo melior fieret, et diabolus magis doleret, qui quanto meliorem hominem videt, tanto magis invidet, et quanto magis invidet, tanto magis debet puniri. Est et alia rationabilis causa, scilicet humilitas, quia, ut in Ezechiele habetur, vox super firmamentum sonans alas extensas facit inclinare. Si enim martyres exemplum mortis Christi non habuissent, morte sua tantum pro Deo facere putassent, quo plus aliquis pro Deo facere posse nullatenus æstimaret : ideo tanta humilitas non esset. Sed vident Christum, qui omnia in manu sua habebat, universa contumeliarum genera passum, qui nocte captus, ad Annam, ad Caipham, ad Pilatum, ad Herodem ductus, faciem velatus, consputus, ligatus, flagellatus, illusus, spinis coronatus, purpura indutus, morte turpissima tandem condemnatus et cum iniquis est reputatus, et non solum in morte, verum etiam post mortem eum custodierunt, et famam ejus tam in se, quam in aliis exstinguere cupierunt. Quod autem passio ista præ cæteris difficilior fuerit, idem per Hieremiam testatur, dicens sic : O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, si est dolor sicut dolor meus. Huic ergo passioni cuncta martyrum tormenta comparata quasi nulla esse videbuntur, et ideo non potest aliquis se in passione illi æquiparare. Et hoc totum factum constat, ut ostenderet quantam dilectionem in homine haberet, ut et hominem magis ad sui dilectionem accenderet. Unde : In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. Et Apostolus : Ut quid Christus, cum adhuc infirmi essemus secundum tempus pro impiis mortuus est? Et alibi : Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Ut enim Hilarius dicit : Magis dilexit hominem quam cæteras creaturas. Unde et propter eum mundum fecit, et omnia, quæ sunt in ornatu mundi et eum quasi dominum et possessorem in medio locavit, eique angelos in ministerium depu-

tavit. Qui cum peccaret a domino suo per peccatum separatus est. Venit ergo Dei Filius, ut congruus mediator hominem a peccato liberaret et dilectionem suam ei immitteret. Hoc autem facit, hominem quem assumsit patri offerendo, id est, pretium pro homine hominem dando. Translative tamen pretium nuncupatur. Hæc igitur certa et propria redemtionis causa, quam et Apostolus ad Romanos et Christus in Evangelio docuerunt.

CAPUT XXIV.

De duarum naturarum in unam personam unione.

De unione amodo duarum naturarum in unam personam videndum est. Ad quam significandam expressiorem similitudinem aliam afferre non possumus, quam illam notabilem et catholicam, quam Athanasius attulit. Sicut caro, inquit, et anima rationalis unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. Nam sicut caro et anima in una persona conveniunt, sic in Christo divina et humana natura. Quamvis enim ibi sit Verbum, quod est tertia persona in trinitate, non tamen ibi est persona per se, quia sic persona jam esset in persona, et ita duæ personæ essent in Christo, sicut anima separata a corpore persona est, non tamen corpori juncta persona potest dici, quia cum corpore in unam personam conficiendam convenit. Quod autem in Christo non sint duæ personæ, et ratio demonstrat et auctoritas confirmat, quæ est : Assumsit naturam, et non personam. Boetius etiam, ut jam diximus, disputans contra Eutycen et Nestorium dicentes : Duas ibi esse personas et ita duos Christos, ostendit ibi unam personam tantum esse, secundum hoc, quod homini convenit, personam diffiniens scilicet : Persona est substantia rationalis individua. Christus igitur una est persona. Individuum siquidem hic accipiunt non pro prædicabili de uno solo, sed pro discreto et ab aliis separato. Per hoc ergo, quod Verbum non est ibi discretum et separatum ab homine, immo magis cum homine unam discretam et [ab] aliis separatam personam efficit, per hoc, inquam, ostendit, Christum unam solam esse personam. Sed cum Deus in sanctis hominibus esse dicatur, et sic etiam esse, ut eos repleat, eos inhabitet, solet quæri quomodo Verbum magis fuerit ibi per unionem, quam in aliis sanctis hominibus. In beata namque virgine sic fuit Spiritus sanctus, quod totam eam replevit, et in multis aliis, ex spiritu quorum et Spiritu Dei, ut ait Apostolus, unus efficitur, et ita in eis Spiritus sanctus sicut in Christo uniri videtur. Verum quamvis Spiritus sanctus sanctos homines replere et inhabitare dicatur, tamen nequaquam dici ullo modo potest, quod cum eis uniatur, cum nec in personam conficiendam cum eis conveniat, et si ad tempus aliquod remaneat, ab eis recedat. Quod autem recedat, in prophetis evidenter apparebat, qui modo eum habebant, modo profecto eo carebant. Quod vero ait Apostolus, quod cum spiritu eorum Spiritus Dei unus efficitur, unius intellexit voluntatis, ita tamen, quod quodcunque aliud volunt et appetunt vel contra, Spiritus sanctus nolle velleve suadeat. Aliter ergo Verbum in Christo fuit, quia sic fuit illi homini unitum, quod in unam personam cum illo convenit, et quod, sicut caro, animæ subjecta est, quod nullum motum, nullam operationem nisi ab anima habere potest : sic anima illa Verbo subjecta erat, quod nullum motum illi corpori attribuere poterat, nisi quantum Verbum inspirabat. Et sciendum quod unio illa sic facta est, quod, sicut dicit beatus Ambrosius, nulla illarum naturarum in aliam mutata est. Quod in homine quoque liquido monstrari potest. Sic enim anima et corpus in unam personam conveniunt, quod neutrum horum vertitur in

alterum. Quippe nec anima caro, nec caro anima propter hoc efficitur. Eodem quoque modo in Christo divina et humana natura in unam personam conveniunt, quod neutra illarum in alteram transit. Siquidem, ut ait Augustinus, si Verbum transiret in hominem, vel homo in Verbum, tunc non esset ibi, nisi tantum homo vel tantum Verbum. Solet etiam ambigi, an hæ duæ naturæ illius personæ partes sint dicendæ. At vero, nisi partes sint illius personæ, Athanasii illa similitudo pro nihilo videtur inducta. Item, si non essent partes, in aliquod conficiendum non convenirent, sed conveniunt in unam personam. Partes igitur eas esse necesse est, quod non solum hæc ratio et illa Athanasii similitudo compellit, verum quoque auctoritas hoc idem invenitur asserere. Ait enim Hieronymus : Christus pro parte est homo et pro parte est Deus. Augustinus tamen hoc approbare noluit, propter mutuam de se fortassis prædicationem. Quam ob rem de hac prædicatione, utrum vera sit an non, diligenter inquirere est consilium. Omnes enim locutiones istæ in auctoritatibus inveniuntur : Deus est homo, homo est Deus; Christus est filius hominis, Christus est filius Dei : Christus est Deus et homo : quarum nulla præter unam propria videtur. Si enim propria est ista locutio : Deus est homo, tunc æternum est temporale, simplex est compositum, creator est creatura ; similiter de aliis. Impropriæ igitur sunt, ut pars pro toto accipitur. Sæpe namque contingit, totum pro parte partemque pro toto accipi, ut anima, cum pars sit hominis, pro homine ponitur, ut : Videbit omnis caro salutare Dei. Eodem modo cum dicimus : Deus est homo, pro parte verum est, et est sensus : Deus est uniens sibi hominem. Rursus : Homo est Deus, hæc est significativa : Et est homo unitus Deo. Sic quoque ad partem referendæ sunt istæ[1] : Christus est homo, et Christus est Deus. Sola igitur ista : Christus est Deus et homo, propria est, id est, Christus est Verbum habens hominem, et Christus est homo et Deus, id est, homo habens Verbum.

CAPUT XXV.

De voluntate assumti hominis.

Expedito itaque de duarum naturarum unione in personam unam, de voluntate hominis assumti, an eadem fuerit cum voluntate Patris, restat inquiri. Quod vero non eadem fuerit non solum ratio, verum etiam Evangelium satis manifeste demonstrat. Ait enim Christus in Evangelio : Pater, si possibile est, transeat a me calix iste : verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Quod tale est ac si dicat : Si genus humanum sine morte mea salvari potest, non moriar, quia non possum velle mori : sin autem, voluntatem meam tuæ postpono. Ecce hic ostenditur aperte, quod alia et diversa fuerit illius hominis voluntas. Augustinus tamen et alii quidam dicunt, eum non per se dixisse hoc, sed per infirma membra, quæ in se transformavit, ut ea instrueret, quid in passionibus esset agendum, ut cum amplius passionem vitare non posset, voluntatem Dei suæ præponeret, ut diceret : Fiat voluntas tua. Similiter quando dixit : Tristis est anima mea usque ad mortem, et quando cœpit pavere et tædere. In his omnibus, ut dicunt, transformationem membrorum in se fecit. Et quidem satis sic potest exponi, quia, ut idem ait Augustinus, quando aliquem versum isti sic, illi aliter exponunt, bonæ et convenientes possunt esse expositiones,

[1] Rheinwald : referendæ *sunt : Iste* Ch.

quamvis diversæ : quia licet, qui scripserit, uno modo tantum intellexerit, tamen et tot et tam diversis modis posse convenienter exponi Spiritus sanctus cognovit.

Sed dicat Augustinus voluntatem suam, nos vero dicimus, quia, sicut veram humanitatem assumsit, ita humanæ infirmitatis veros defectus habuerit : quod et sancti unanimiter asserunt. Leo papa : Dominus, inquit, Jesus Christus omnia nostra præter peccatum assumsit. Idem quoque Augustinus : Voluntatem nostram assumsit et tristitiam : tristitiam confidenter dico, quia crucem prædico. Habuerit igitur veram tristitiam et veros dolores, et non simulatorios. De hoc enim, quod Hilarius dicit, eum non aliter sensisse clavos pedibus et manibus infixos, quam si ceræ infigerentur, errasse arguitur. Nisi enim esset ibi passio, non esset ibi aliquid contra voluntatem. Unde in futura vita, ubi nulla erit passio, nihil contra voluntatem fiet. Voluntas enim nunquam est nisi cum delectatione ; quippe quod delectat illud volumus, quod vero molestat abhorrere solemus. Contra voluntatem itaque dolores illos atque molestias patiebatur ; neque enim aliquod meritum ibi haberetur. Passus est ergo, non quod vellet pati [quod ?] in morte formidabat, sed quia Patrem diligebat, quem hoc velle sciebat, et quia per mortem suam salutem proximi fieri cupiebat. Nec sequitur, si propter hoc pati voluit, ergo pati voluit. Sicut de aliquo infirmo videri potest, qui nullo modo sanari potest, nisi incidatur vel coquatur. Vult ergo incidi ut sanetur, nec tamen vult incidi, immo incisionem reformidat. Id ipsum de aliquo incarcerato dici potest, qui aliter carcerem evadere nequit, nisi filium suum ipse in carcerem ponat. Ideo vult filium in carcerem ponere, ut ipse evadat : non tamen vult, filium incarcerari, potius inde dolet. Ubi vero est dolor vel passio, ibi non est, ut diximus, voluntas. Neque unquam in Christo aliter fuit de hoc quam in martyribus, qui quidem pati nolebant, unde persecutores, quantum poterant, fugiebant; volebant tamen pati propter dilectionem Christi. Velle autem lapidari vel comburi, si hoc fieri posset, nullius meriti esset. Propter Christum pati, propter dilectionem Dei velle truncari, meritum habet. Ubi Christus in fundamento ponitur, ubi Deus suprema et major causa constituitur, ibi meritum duntaxat habetur. Dicimus enim, quod martyrium dilectionem sive bonam voluntatem non donat, sed eam habitam et ostendit et augmentat quandoque. Quod autem martyrium per se alicui voluntarium non sit, inde patet quia jucundum non est. Quod non sit jucundum, Hieronymus ostendit super Ecce quam bonum et quam jucundum, ubi dicit : Est enim bonum, quod non est jucundum, ut martyrium. Hoc quoque Dominus Petro manifeste aperuit, cum dixit : Et ducet te, quo tu non vis. Si opponatur : Oblatus est, quia ipse voluit, dicimus, quia voluit, id est, necessariam mortem approbavit vel judicavit. Sic et Apostolus : Quod enim volo hoc non ago, sed quod nolo illud facio. Quod volo, ait, id est, quod approbo faciendum : quod nolo, id est, non approbo.

CAPUT XXVI.

De voluntate Dei.

Quia de voluntate Dei mentionem fecimus, circa eam pertractandam aliquantulum insistamus. Voluntas igitur Dei duobus modis dicitur. Cum dico enim : Deus vult hoc vel illud, duobus modis exponi potest : Vult hoc, id est, disponit : vel vult hoc, id est, consulit. His duobus modis tantum in divina scriptura voluntas Dei accipi invenitur, ut ibi : Omnia quæcunque voluit fecit, id est, disposuit. Et alibi : Voluntati ejus quis resistet? id

est, dispositioni. Aliter, ut : Vult omnes homines salvos fieri, id est, consulit vel approbat. Huic voluntati sæpe resistimus, cum scilicet quod ipse nobis consulit faciendum, non facimus. Dispositioni quoque, quantum in nobis est, resistimus, cum contra eam nitimur, cum tamen eam impedire nequeamus. Hoc autem quandoque fit cum culpa, quandoque sine culpa. Cum culpa : sicut quando non bono zelo, non pro aliquo dilectionis affectu, sed potius ex invidia vel aliqua nequitia in contrarium repugnamus, ut cum Deus alicui aliquod bonum administrat, quod ex invidia vel malevolentia aliqua, quantum possumus, impedimus, ne ille habeat. Sine culpa duobus modis nitimur. Cum enim quandoque videamus aliqua evenire, quæ nobis inconvenienter fieri videntur, non putamus illa a Deo disponi, et ideo contra vadimus, et ne eveniant desideramus. Hoc enim ignorantia excusat. Ex affectu quoque caritatis vel aliquo naturali affectu hoc idem facimus, ut cum videt quis patrem suum mori, scit sic esse in dispositione Dei, et tamen vult ut non moriatur, et dolet quia moritur. In quo notandum, quod quandoque bona voluntas hominis a voluntate Dei discordat, quandoque mala cum eo concordat. Hoc Augustinus in Enchiridio plane ostendit. Hoc etiam Ecclesia facit, ut cum videt aliquem martyrem trucidari vel lapidari, scit bene, quod hoc in beneplacito Dei est, et quod bonum est etiam illi, ut per martyrium illud de hac miseria ad beatitudinem transferatur : et tamen dolet et plorat, quod sic affligitur. Hujusmodi fletus et dolores, ut supra dictum est, irrationabiles sunt, quia in errore consistunt. Quicunque enim quod perficere nequeunt illud aggrediuntur, errant. Sunt tamen absque culpa, quia ex caritatis vel alicujus dilectionis affectu procedit. Ex eo igitur quod voluntas accipitur pro dispositione, aperte conjici potest, quod multa præcipit Deus quæ non vult fieri, et multa prohibet, quæ fieri disponit. Præcepit enim Abrahæ, ut filium suum immolaret, quem tamen noluit immolari : quod inde patet, quia nec fuerit immolatus, bene tamen præcepit et bene noluit. Præcepit siquidem, ut notam faceret obedientiam Abrahæ : noluit autem, quia non erat rationabilis causa ut filium suum Abraham immolaret. Prohibuit et mundatis leprosis ne se divulgarent : voluit tamen ut hoc facerent, et bene sciebat quod non celaretur. Et quidem bene prohibuit, ut scilicet exemplum humilitatis omnibus exhiberet. Bene quoque illud voluit divulgari, ut Deus scilicet inde glorificaretur. Ipsi etiam bene fecerunt quod in hoc ei non obedierunt, nec inde inobedientes, sed potius humiles exstiterunt. Sicut si aliquis ante episcopum genu flexo staret et ipse prohiberet, unusquisque quod suum esset faceret, et ille deferendo, majoribus enim deferendum, et episcopus prohibendo, quia humilitatis exemplum ab omnibus exhibendum est. Unde Salomon : Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Omnibus communiter præcipit Deus : Diliges dominum Deum tuum : et bene scit quosdam non obedituros. Sed ne quis diceret : Illis præcepit, et mihi non, et ideo nescio, in quo debeam ei obedire, vel non sum reus, si non hoc facio, quia hoc facere non est mihi injunctum, et sic excusabilis sum : ne, inquam, hoc diceret, ut omnem removeat excusationem omnibus præcipit. Non vult tamen ut omnes obediant, quia sicut rationabile est quosdam obedire, sic et alios non obedire. Similiter de prohibitione ratiocinari licet. Quod ut evidentius cognoscas, de Petro et Juda exemplum tibi sumas. Utrique præceptum dilectionis dedit. Petrus obedivit, Judas non, quia non voluit, ut obediret : et sicut rationabilis causa fuit, quare voluit ut obediret Petrus, sic rationabilis causa fuit, quare noluit ut Judas obediret et damnaretur. Nota : non disponit mala esse, sed permittit esse : tamen mala, id est, de illis bene ordinat. Nec sequitur, si disponit et vult, quia eum velle aliquid non est aliud quam ei placere et ipsum remunerare.

CAPUT XXVII.

An unio illa in morte Christi fuerit divisa?

De unione illa adhuc quæritur, an in morte fuerit divisa? Quidam auctores volunt, quod Verbum nunquam deseruit hominem, et verum est, quod non deseru(er)it humanam naturam. Augustinus quoque dicit, quod non etiam carnem deseruerit, ex quo eam assumsit. Ambrosius vero velle videtur, quod divinitas in morte a carne fuerit separata; ait enim super Lucam : Clamat moritura separatione divinitatis. Quod quidem rationabilius esse videtur, quod a corpore fuerit separata. Sicut enim non potuit adjungi, nisi anima mediante, sic in eo non debuit remanere, anima separata. Quod vero non potuit adjungi nisi anima mediante, Augustinus dicit. Sic igitur etsi unio remaneret cum anima, non tamen cum anima et corpore. Quæritur etiam utrum eamdem scientiam habuerit anima illa, quam Verbum habebat. Quidam dicunt, quod eamdem : et ita tantum sciebat creatura illa, quantum Creator. Sic igitur perfecta erat in scientia, sicut Deus. Æqualis ergo erat creatura illa in hoc Creatori suo, quod irrationabile esse videtur. Non itaque dicimus, quod eamdem habuerit scientiam; quod etiam super eum locum Ambrosius ostendit : Nemo scit ea quæ sunt Dei, et cætera : nemo scit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis. Hic, ut ait Ambrosius, ostendit Apostolus contra hæreticos quosdam, scilicet non esse creaturam. Si vero hæc anima habet eamdem scientiam quam et Verbum Dei, hic Apostoli sermo nullus est, cum hæc anima creata sit. Licet autem tantum non sciret, Deum tamen perfectissime videbat. Sed opponitur, quod Deus ait ad Moysen : Non videbit me homo et vivet. Sed dicimus, esse dictum de animali vita. Animalem autem vitam dicimus vivificationem et motum illum, quem (vitalem animam) caro habet ab anima, quia nullo modo corpus potest moveri nisi per animam. Vita vero Christi non talis erat, immo ut jam diximus, quod facit anima corpori, hoc faciebat Verbum animæ illi, quia nihil motus poterat corpori conferri nisi per Verbum. De affectionibus autem naturalibus, sicut dolore et ceteris, nihil est ad opponendum, quia naturaliter in anima illa erant. Si quis autem dicat, similiter et motus corpori præstare illi animæ naturale erat, acquiescimus quidem, sed alterum abstulit, quo solet homo peccare, et alterum dimisit, quo verus homo remaneret. De hoc etiam ambigi potest, cum Verbum ubique sit per essentiam, an ullam diversitatem habeat essendi. Sic enim videtur. Nam cum Verbum in homine illo esset per unionem, ubi non erat homo ille, ibi non erat Verbum unitum : ubi non erat homo ille, ibi non erat mediator Dei et hominum, et ita in existentia sua diversitatem recipiebat. Sic esse modo potest dici, quod aliter hic, aliter in cœlo est. Sed, ut supra diximus, sic est Deus ubique, quod non est alicubi; quod plane retulit beatus Augustinus, cum probavit ipsum non esse corpus, quoniam alicubi non sit. Est igitur ubique per potentiam, qui ubique potest. Est ubique per essentiam, quia omnia loca per administrationem ita sunt ei præsentia, quod nullo sui loco indiget vicario. In omni loco quod conveniens est administrat. Sic beatus Gregorius eum esse ubique describit. Supra est, inquit, omnia regendo, infra omnia sustentando et intra omnia regendo. Sic igitur est unitus homini, quod non est in aliquo loco, sicut anima sic est unita corpori, quod in loco non sit. Sed sicut anima esse in corpore nihil aliud est, quam movere corpus, sic Verbum in homine illo non erat aliud, quam ipsum sic movere, quod a se nullum

motum [1], quia nec etiam digitum movere poterat, nisi quantum ei inspirabat. Sic ergo omnes oppositiones cassantur, quæ erant : aliter hic est, aliter est ibi : hoc est, hic [2]? unitur, ibi non est unitum, et cetera.

CAPUT XXVIII.

De sacramento baptismi.

Ostenso hucusque de summo beneficiorum, ad beneficium sacramentorum divertamus. Sicut enim necessarius fuit ejus adventus, sic quoque necessaria post suum transitum sacramenta reliquit. Decebat enim, novum regem nova jura sibi relinquere, sicut et adhuc fieri solet, cum reges substituuntur. Horum sacramentorum alia sunt spiritualia, alia non. Spiritualia sunt illa majora, quæ scilicet ad salutem valent : quorum tamen unum est, quod non ad salutem spectat, sed magnæ rei sacramentum est, scilicet conjugium. Ducere siquidem uxorem non est alicujus meriti ad salutem, sed propter inconvenientiam ad salutem est concessum. Est autem sacramentum invisibilis gratiæ visibilis species, vel sacræ rei signum, id est, alicujus secreti. Primum horum est baptismus, qui circumcisionis obtinet locum. Ut enim ait beatus Gregorius : hoc facit nobis baptismus, quod olim his, qui de genere Abrahæ erant, circumcisio, aliis sacrificia vel pro parvulis fides parentum. Dicunt tamen quidam, quod in hoc differunt, quod aditus cœli modo patet baptizatis, tunc vero non. Sed nos dicimus, quod hoc non facit baptismus, sed passio adjuncta; quæ si circumcisioni addita esset, et faceret, sicut de duobus nummis videre possumus. Cum enim plus accipiamus pro duobus quam pro uno, non tamen plus valet unus quam alter. Sed dicet aliquis : Cur ita mutata est circumcisio? Propter novi regis novam legem instituendam, propter inimicitias inter Judæos et Gentiles dissolvendas, propter superbiam Judæorum retundendam. Cum enim propter legalia Judæis Gentiles et e converso inimicarentur, nunquam Gentiles illa reciperent. Item si reciperent, Judæi inde superbirent et quasi inde se jactarent, qui dicerent : Velitis nolitis, ad nostra sacramenta venistis modo. Ideoque conveniens fuit, illa evacuari et alia, quæ utique forent communia, constitui. Propter hoc quoque baptismus loco circumcisionis subiit, quia circumcisio imperfectum erat sacramentum, utpote solis attinens maribus. Baptismus vero perfectum est sacramentum, quia utrique sexui accommodatur. Solet quæri, cur magis in aqua quam in alio liquore baptismus conficiatur. Ad quod quidem plura responderi possunt : primo, quia propter decorem sacramenti hoc factum est. Nullus enim liquor adeo valet ad abluendum ut aqua, et ideo conveniens erat et decorum ut, sicut ablutio animæ melior est omnibus aliis, sic per ejus liquoris ablutionem significaretur, quod magis valet ad abluendum. Item propter majorem facultatem habendam, ut omnes tam pauperes, quam divites hoc possent habere, nec propter inopiam excusarentur. Si enim fieret in alio liquore, non tam facile quilibet posset habere. In hoc sacramento, sicut et in aliis, duo sunt, ipsum scilicet sacramentum et ipsius res. Sacramentum est ipsa exterior ablutio : res hujus sacramenti interior est ablutio. Hoc sacramentum, sicut et sacramentum altaris, alii ad vitam, alii ad mortem accipiunt. Qui enim vere accedunt, et rem et sacramentum

[1] Sic Rheinwald. An non *motam habebat?* — [2] Rheinwald omittit *hic*.

accipiunt : qui autem ficte, tantum sacramentum. Unde si resipiscant, quia sacramentum recipiunt, nec postea baptizantur. De quibus tamen Augustinus quandam opinionem ponit, quia non videtur consentaneum esse, quod Spiritus sanctus efficaciam suam non debeat semper habere, et ideo dicit, quod si fiat eis peccatorum remissio, ad horam transit, et hoc est, quod ipse dicit : Non impeditur etiam fraterno odio gratia baptismi; solvitur enim hesternus dies, et cetera. Hæc ablutio significata est in Ezechiele propheta : Lavatur aqua, ungitur oleo, vestitur discoloribus, hoc est : anima fidelis, quæ ut regio amplexu sit digna, mundatur sorde peccati, gratia ungitur olei, id est, fit membrum Christi. Christus enim chrismate unctus dicitur, vestitur discoloribus, diversis virtutibus ornatur. De hoc sacramento, sicut de aliis, videndum est, quia nihil refert, a quocunque detur ministro, quia minister ministrat, Christus baptizat : unde hic est, qui baptizat. Quapropter sive ab hæreticis sive a laicis sive etiam a mulieribus necessitate imminente detur, nunquam reiteretur. De verbis illis quæri solet, cujus sint, an scilicet pueri an patrini. Cujuscunque siquidem sint illa verba, mentiri certe videtur, qui respondet. Si enim de se respondeat : Volo baptizari, mentitur quidem, quia non in conscientia sua gestit velle baptizari. Si item de puero dicat, nec a mendacio penitus excusari potest. Scit enim procul dubio, ipsum puerum quidem hanc voluntatem non habere, quippe cum nullius voluntatis sit compos. Quod hoc, inquam, nolit puer, inde facile potest perpendi, quod quantum potest recalcitrat. Sed dicimus, quod patrinus in persona sui loquitur. Cum autem ait : Credo, tale est ac si dicat, talem fidem habeo, per quam hic salvari potest. Cum similiter respondet : Volo baptizari, sensus est, volo, ut iste baptizetur in fide mea. Servantur tamen verba pueri ipsius, ut ex identitate verborum pueri identitas patrini ad puerum notetur. De hac forma sciendum est, quod ubique servanda est. Dicit tamen beatus Ambrosius, in nomine Christi baptizari posse, quia ibi Trinitas intelligitur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, id est, invocatione illius, cui nihil resistere potest, qui omnia sapienter agit, qui de omnibus eodem modo provenire facit, quo melius inde potest evenire.

Post hoc sacramentum sequitur aliud; quod quidem majus est quantum ad ministrorum dignitatem; hoc enim a summis pontificibus traditur, sicut a solis Apostolis tradebatur. Prius est unctio, postea sequitur Confirmatio. Ibi peccatum dimittitur, hic gratiæ dona dantur. Nam hic illa gratia procul dubio datur, qua contra singula vitia, etsi non semper, quandoque tamen pugnatur. Est autem gratia illa quasi armatura quædam, qua in hoc deserto post transitum baptismi contra vitia repugnamus. Sicut enim submersis Ægyptiis, a tergo sequentibus filios Israel, alii hostes per desertum eos oppugnaverunt, sic submerso diabolo in baptismate, qui primum nos insequebatur, multa nobis per hujus vitæ desertum vitia resistunt, contra quæ gratia in hoc sacramento data quasi armatura et munitione quadam munimur. Quocirca procul dubio sciendum est quod quantumque indignus sit episcopus, in consecratione tamen ei hæc facultas exhibetur, ut per ministerium hæc gratia detur. Sicut de Caipha habetur, quia cum esset pontifex anni illius, non personæ sed dignitati gratia prophetandi data est. Cum enim in se dignus non esset, ex officio tamen prophetavit, et Spiritu sancto dixit : Expedit vobis, ut unus, et cetera.

CAPUT XXIX.

De sacramento altaris.

Sequitur de sacramento altaris. Hujus sacramenti causa est memoria mortis et passionis Christi. Quam causam ipsemet, quando sacramentum istud in cœna consecravit, omnibus aperuit, cum ait : Quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis. Ex memoria enim amicorum nostrorum multum solet in nobis dilectio eorum. Ad majorem igitur sui dilectionem habendam hoc sacramentum in memoriam sui fieri instituit. Sic enim in sacramento Christum præ oculis habere debemus, tamquam ad passionem ductum, passum et crucifixum pro nobis; quæ repræsentatio dilectionis illius nos memores facit, quam ipse nobis exhibuit. Unde et majori dilectione ad eum amplectendum et pro eo patiendum accendimur; quæ vicaria dilectio et illum nobis et nos illi conjungit. Hoc sacramentum in pane et vino celebratur. Unde notandum, quod panis ille ante consecrationem panis est, et vinum similiter vinum est : post consecrationem vero et panis corpus Christi et vinum sanguis. Sic igitur verum corpus Christi est, imo ipse Christus. Hoc corpus sacramentum est illius corporis Christi, quod est Ecclesia : quia sicut hoc corpus, quod ipse assumsit de Virgine, habet membra diversa, quorum alia aliis mutuo necessaria erant, sic hoc corpus, quod est Ecclesia. Unde et Apostolus Ecclesiam quasi quoddam animal describit habens caput suum, ipsum scilicet Christum, oculos spiritales prælatos qui aliis prævident, manus ipsos operatores, pedes ipsos minores qui ad corpus portandum necessarii sunt. Sic enim alterno indigent adjumento, ut et majores minoribus et minores majoribus vicissim suppeditare oporteat. Sic enim in corpore humano videmus, quod oculos manibus et e converso, et manus pedibus et e converso subministrare conveniant. Sanguis autem sacramentum spiritus Ecclesiæ, quod per septiformem gratiam eam vivificat et in ea operatur. Sicut enim, ut ait Augustinus, anima vita est corporis, ita Deus vita est animæ. Et bene per sanguinem vivificatrix illa gratia significatur, quia majorem vim et efficaciam habet anima in sanguine, quam in alio aliquo humore. Unde Moyses: Anima, inquit, cujuscunque carnis in sanguine est. Illa vero perceptio et incorporatio, quæ est in assumendo illud sacramentum, est unionis et incorporationis, quæ est membrorum ad caput. Nam quando aliquis accedit ad illud assumendum, ostendit, se non tunc Christo uniri sed jam perfici et dilectionem unitam esse et in membris ejus transisse. De hac re hujus sacramenti dixit Dominus noster : Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet. Non de sacramento dixit, quia multi de corpore suo sunt, qui hoc sacramentum non accipiunt, et multi accipiunt, qui ejus membra non sunt. Accepit enim Judas hoc sacramentum, sicut Petrus : sed unus ad salutem, alter ad mortem. Quare magis in pane et vino voluit hoc sacramentum tradere, quam in aliis cibis, solet quæri. Sed manifestum est, quod panis validior est cibus omnibus aliis cibis et magis sustentat. Unde nec plena refectio nec copia mensæ potest esse sine pane. Inde quoque Propheta : Et panis, inquit, cor hominis confirmat. Voluit igitur tradere corpus suum in specie panis potius quam alterius cibi, ut aperte daret intelligi, quod sicut cibus iste prævalet in sustentatione corpori administranda, sic sacramentum istud præ ceteris valet in dilectione Dei, quæ sustentatio est animæ in nobis augmentanda. In nullo siquidem aliorum tantum ejus dilectione afficimur, quantum in isto. In vino quoque sanguinem

suum dare maluit, quam in alio potu, quia per vinum lætitia significatur. Unde : Vinum lætificat cor hominis. Per hoc quoque aperte ostendit, inæstimabilem lætitiam per passionem suam Ecclesiæ affuturam, quam Sancti, qui ante adventum suum fuerunt, minime habuerunt, quia moriendo non transibant ad vitam, imo in inferno detinebantur. Unde nec eorum natalitia in ecclesia celebrantur. De aqua non legimus, quod Christus huic sacramento addiderit. Cur igitur vino admiscetur? Sed dicimus, quod per aquam populus gentium designatur. Unde aquæ multæ populi multi; ut enim semper in fluxu et in mobilitate aqua, ita populus ille in fluxu carnis et instabilitate quadam detinebatur. Nam nullo legis vel Prophetarum jugo refrænatus, per lucos et aras dæmonum hinc inde raptabatur. Cum igitur ante mortem Christi populus iste in Ecclesiam non intrasset, non erat conveniens, quod aqua, quæ gaudium de ejus introitu exprimit, adderetur. Cum vero postea intraret, Ecclesia de ejus introitu et societate gaudens, aquam adjunxit. De fractione illa, quæ ibi apparet, ambigi similiter, an ipsum corpus Christi, sicut vere est ibi, ita in veritate frangatur. Sed dicimus, quod sicut esse videtur panis, et non est, videtur quoque vinum esse, cum tamen vinum non sit : sic videtur frangi, cum fractionem nullam recipiat nullamque partium sectionem suscipiat. Nec est propter hoc phantastica visio illa, quia non est ad deceptionem vel fidei errorem, sed sacramenti commendationem. Sed cum de fractione illa, quæ fit in altari, facile sit responderi, de illa, quam Christus fecit in cœna, de qua Evangelista : Fregit et dabat discipulis suis, grave videtur absolvere, an scilicet in veritate corpus suum fregerit et per partes divisum discipulis suis tradiderit. Ad quod equidem respondendum videtur, quod totum integrum et perfectum, sicut de Virgine traduxit, ita unicuique discipulorum totum et integrum tradidit. Sic etiam in altari ab unoquoque fidelium recipitur. Quod autem dixit Evangelista : Fregit et dedit discipulis suis, sic sane intelligendum liquet, fregit, id est, revelavit, et aperuit discipulis, quid hoc sacramentum significaret, quod videlicet corpus ecclesiam, quod sanguis hilaritatem illam quam ecclesia de sui redemtione habet figuraret. Unde qui hoc ignorant, non fractum, id est, non revelatum secundum sui significationem accipiunt. Quod autem sic sane et convenienter exponi possit, Hieremias ostendit : Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. Panis iste scriptura est, quem panem, id est, quam scripturam parvuli infirmi ante adventum Christi sibi frangi, id est, aperiri et exponi petebant, et non erat qui frangeret eis, donec veniret Christus, qui aperiret eis scripturas. Unde Joannes in apocalypsi : Et nemo poterat aperire librum et solvere signacula ejus, etc. Et bene dicitur scriptura panis, quia ea ut cibo spiritali interior homo, sicut et corporali exterior, reficitur et sustentatur. Quæ frangenda, id est, exponenda est, quia, sicut duri panis crusta frangenda sunt, ut ad medullam et micam, quæ intus est, veniamus, sic cortex et testa literæ frangenda est, id est, series literæ exponenda, ut ad medullam, id est, ad interiorem sensum venire valeamus.

Solet quoque quæri, quare discipulis ipsum tradidit, passibile videlicet an impassibile. Ad quod dicimus, quod de auctoritate hoc diffinitum non habemus. Possumus tamen de hoc secure respondere, quod dedit tale quale voluit. Si enim voluit eis tradere immortale, bene quidem in illo tempore impassibilitatem sui potuit assumere, sicut et in morte claritate se vitæ immortalis venustavit. Si autem voluerit dare passibile et hoc utique potuit, ita tamen, quod cum eorum dentibus attereretur, nihil inde sentiret nihilque defectionis in se assumeret : sicut etiam beato Vincentio talem corporis soliditatem dedit, quod parum de illis tormentis, quæ ei inferebantur, sensit. Si enim aliquis, qui non haberet eamdem vim in corpore suo, tantum decimam partem illarum pœnarum susce-

pisset, nunquam amplius vivere posset. Similiter, si Christus vellet, omnes alias tam infirmitates corporis quam affectiones animi deposuisset.

De specie quoque illa panis et vini dubitatur, cujus sit? Ad quod sane respondendum, quod ipsum corpus, propter horrorem assumendi, eas in se formas recipiat. Nam si opponatur, quod, ex quo illud corpus assumsit, nunquam formam illius deposuit, et ideo aliam formam, illa non deposita, habere non potest, dicimus, quia sicut quod de Spiritu sancto conceptum est, quod clauso utero intravit et exivit, quod super aquas ambulavit, quod clausis januis ad discipulos intravit, quod simul et eodem tempore in diversis locis habetur, sicut, inquam, hæc omnia ad singularitatem illius corporis attinent, sic istud quoque, quod diversas simul habet formas. Si enim hoc est admirandum, nihilominus unumquodque aliorum constat esse stupendum, quod omnia de eo sunt admiranda. Manna quoque hujus veri panis sacramentum extitisse, aperte insinuavit. Cum siquidem filiis Israel manna plueret, admirantes, quid esset, invicem quærebant : Manhu, id est, quid est hoc? Eodem modo hic semper quæri potest : Quid est hoc? Quippe nec humanum ingenium nec lingua depromere quid sit, plene sufficit. Si enim nolumus dicere, quod illius corporis sit hæc forma, possumus satis dicere, quod in aere sit illa forma ad occultationem propter prædictam causam carnis et sanguinis reservata, sicut forma humana in aere est, quando angelus in homine apparet. De hoc, quod negligentia ministrorum evenire solet, quod scilicet mures videntur rodere et in ore portare corpus illud, quæri solet. Sed dicimus, quod Deus illud non dimittit ibi, ut a tam turpi animali tractetur; sed tamen remanet ibi forma ad negligentiam ministrorum corrigendam.

Nunc de efficacia hujus sacramenti videamus. Efficacia enim hujus major et fortior est, quam alicujus alterius, quia in tantum confirmat, quod qui devote accipit, quamdiu per infirmitatem suam ipsum a se non rejicit, nullam diaboli tentationem patitur, quia per hujus eucharistiæ perceptionem diabolus vincitur et religatur, et licet in se, qui talis est, semper[1] habeat, tamen ipsum semper recipit et in eo habitaculum facit.

CAPUT XXX.

De sacramento unctionis.

De sacramento unctionis videndum restat. Sciendum igitur, hoc sacramentum esse ejusdem rei sacramentum, cujus et sacramentum altaris, quia illam unctionem capitis et membrorum significat, quæ sacramento altaris significatur. Unctio enim ista sicut trina in capite præcessit, sic et in membris subsequitur. Verum quia hoc sacramentum ultimum est omnium, et quasi consummatio, ideo prærogativa quadam, licet in aliis unctio continuatur, hoc unctionis sacramentum jure vocatur, quod quidem in capite nostro Christo, ut dictum est, trina præcessit. Unde et Christus, id est, chrismate unctus, dictus est. Ipse namque oleo spirituali ab ipsa conceptione unctus fuit. Unde et Christus : Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritos corde; et cetera. Hinc etiam Psalmista : Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, et cetera. Postea perunxit Maria pedes ejus in domo Simonis leprosi, deinde caput, quando alabastrum fudit super caput ejus. Has duas

1. Hic aliquid deesse videtur.

unctiones suscepit, quia rex et sacerdos erat. Duæ similiter personæ unguuntur in ecclesia, rex et sacerdos, una major, altera minor. Minor vero a majore benedicitur, ut Apostolus ait. In unctione igitur pedum minor persona, id est, sacerdos, in unctione capitis major, id est, rex figuratur. David etiam, qui in Christi figura præcessit, unctus fuisse legitur, primo in domo patris a Samuele, secundo super partem Israel, tertio super totum. Eodem quoque modo unusquisque Christianus ter ungitur, primo ad inchoationem, in baptismate scilicet, ubi peccata dimittuntur, secundo in confirmatione, ubi dona gratiæ conferuntur, tertio in exitu, ubi vel omnia, si qua sunt peccata, vel eorum maxima pars deletur.

Videndum igitur, quæ res, quæ sit efficacia hujus sacramenti, utrum idem sit res, et efficacia, an potius inter se diversa. Ad quod dicendum, quod quædam sacramentorum in hoc conveniunt, quod videlicet alia est eorum efficacia et aliud eorum res. Quædam vero in hoc discrepant, utpote baptismus idem habet rem et effectum. Sacramentum vero altaris non sic se habet. Cum enim idem sit res et quod efficit, tamen aliud efficit sacramentum altaris, de qua efficacia superius ostendimus sufficienter, et alia est res ejus. Similiter et hujus sacramenti alia est res et alia efficacia. Res eadem, quæ et sacramenti altaris. Nam non hoc sacramentum, quod figurat[1], sed ostendit factum esse. Prius siquidem est aliquis membrum Christi, quod fit in baptismo, quam ad consecrationem altaris accedat. Similiter ante est membrum Christi, quam sic unguatur. Per singulos quoque sensus hæc unctio fieri debet, ut quæcunque sensibus sunt perpetrata, ex toto vel ex maxima parte remittantur. De iteratione secundum diversas consuetudines fiat ecclesiarum. Jacobus enim cum dicat: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, et unguant eum, et bene habebit, non videtur prohibere, quin repetatur. De majoribus enim, ut baptismo confirmatione et altaris sacramento, dictum est, nullum sacramentum reiterandum. Neque eadem hostia consecratur bis, cum tamen idem corpus ab eodem frequenter sumatur.

CAPUT XXXI.

De conjugii sacramento et quod non confert aliquod donum, sicut cetera faciunt. Item de caritate.

Nunc de conjugio dicendum est, quod quidem sacramentum est, sed non confert aliquod donum, sicut cetera faciunt, sed tamen mali remedium est. Datur enim propter incontinentiam refrænandam, unde magis ad indulgentiam pertinet. Sic autem diffinitur : conjugium est maris et fœminæ fœderatio legitima, propter quam licet eis sine culpa commisceri. Fœderatio vero alia est de conjugio contrahendo, ut est, quando promittit, quod eam accipiat sibi uxorem, alia conjugii, ut quando dicit : Trado me tibi ad usum carnis meæ, ita ut, quamdiu vixeris, non me alii conjungam. Et hæc fœderatio adprime facit conjugium. Sciendum vero est, quod in hoc sacramento multa olim fuerunt licita, quæ modo licita non sunt, quia in veteri testamento licebat uni multas uxores habere, ut populus Dei augeretur, sed non mulieri multos viros, quia multæ possunt ex uno fœcundari, sed non una ex multis. Nunc vero non licet, quia populus Dei auctus est. Etiam tunc regibus non licebat multas, sed unam habere, ut subditis suis providere possent. Si enim multas haberent, earum sollicitudine animus impediretur et ita minus providerent.

1. Supple *Facit.*

Quod vero David et Salomon multas habuerunt, plane contra legem fecerunt. Nostrum vero conjugium ad regum conjugium redactum est, quia reges sumus, de quibus Petrus : Nos sumus genus electum, regale sacerdotium. Hoc sacramentum, ut dictum est, mali remedium est, etsi donum non conferat. Unde : Qui potest capere capiat, id est, qui potest continere contineat, qui non potest uxorem ducat. Et Apostolus : Unus quisque habeat suam propter fornicationem vitandam.

Utrum clerici matrimonium contrahere possint, quæri solet. Sacerdotes, qui non fecerunt, possunt. Si vero aliquis in ecclesia quæ votum suscepit, fuerit qui non votum fecerit, potest ducere, sed in ecclesia illa officium non exercebit, quod est, parochiam non tenebit. Græcorum vero sacerdotes, quia votum non susceperunt, bene uxores ducere possunt, qui quando consecrantur, de manu episcopi uxores accipiunt, et virgines quæ si moriantur, non alias accipiunt nec ipsæ alios. Præceptum etiam erat eis, ut unusquisque de tribu sua uxores duceret, ne tribus commiscerentur et ne transiret possessio unius tribus in possessionem alterius, quia terra per tribus divisa erat. Nunc autem non licet, sed de aliena gente, quod ecclesia propter propagationem caritatis (quod), a Romanis (ecclesia) accepit. Romani enim, quando amicitiam cum aliis civitatibus facere volebant, uxores ex eis ad confœderationem amicitiæ ducebant. Similiter Ecclesia constituit, ut non de sua, sed de aliena prosapia uxorem quis ducat, quia non putavit hoc sufficere ad dilatationem caritatis, quia per uxorem quam accipit totam illam progeniem diligit. Multa sunt, quæ conjugium impediunt, cognatio, votum, ordo, frigiditas. Sunt, qui in secreto continentiam vovent. Hi, si non possunt continere, de voto pœniteant et uxores ducant. Qui vero in manifesto votum faciunt, ut monachus et sacerdos, matrimonium contrahere nequeunt. Ordines impediunt; possunt tamen ducere usque ad acolythum, sed beneficia dimittere debent. Qui vero supra acolythum ordinati sunt, ducere non possunt. Gregorius tamen Anglicis permisit, quia nuper conversis ad fidem si hoc (eis) prohiberetur, facile relabi possent. Servitus etiam impedit. Si quis enim, se ignorante, ancillam ducit alterius, si noluerit in servitutem redigi, aut etiam redimat aut dimittat. Item, si quis frigidus uxorem duxerit et eam habere non potuerit, Leo papa dicit, quod eam dimittere potest. Gregorius vero dicit, esse conjugium, et si non potest eam habere ut uxorem, habeat ut sororem, et non minus erit conjugium, sicut conjugium Mariæ et Joseph. Si vero mulier non potuerit continere, et hoc dixerit, non propter hoc separanda, quia necesse est eam continere. Inde Hieronymus et Theophrastus dicunt : Nulli sapienti ducenda est uxor. In aliis enim experiri possumus, qualia sint, antequam habeamus, ut equum, antequam emamus, et cetera; sed mulierem experiri non permittimur, nisi postquam in uxorem accipimus. Item mulier aut casta est aut incesta. Si casta superba; si incesta, nunquam erit libera a suspicione. Conjugium etiam servitus dicitur. Unde Apostolus : Servus vocatus es, et cetera, id est, in conjugio utere servitute,id est, habita etiam occasione dimittendi, non dimittas. Si autem liber, id est, sine conjugio, ne accipias uxorem, si vis esse liber.

Tria sunt bona conjugii, fides, proles, sacramentum. Fides, non catholica, sed pactio conjugalis, quod, quamdiu vixerit, cum alia non commisceatur. Proles, ut susceptus filius religiose educetur, et est ad decorem, ut quod ibi per peccatum commissum est, filiorum fructu recompensetur. Sacramentum est Christi et ecclesiæ, quia sicut uxor unius viri et vir unius uxoris, sic Christus unius sponsæ, id est, ecclesiæ sponsus est, et ecclesia unius sponsi, id est, Christi sponsa.

Quæritur, si inter infideles possit esse conjugium. Potest utique. Unde Joannes Chry-

sostomus[1] : Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Joannes dicit, quod adulterium erat, et sic conjugium. Sed opponitur : Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Sed intelligendum est, quod non est ex fide, id est, quod contra conscientiam. Quod conscientia testatur malum esse, illud, si fiat, peccatum est. Augustinus dicit, quod conjugium bonum naturale est, quod diffunditur inter omnes, etiam inter infideles. Item conjugium est inter fideles et infideles. Unde Apostolus : Si quis fidelis habuerit uxorem infidelem et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat eam. Christianus etiam Judæam posset ducere, si recompensatio inde sequeretur.

Diximus superius summam salutis in his tribus, scilicet fide et sacramento et caritate constare. Nunc de duobus, fide et sacramento, sufficienter expedito, de tertio, caritate, amodo disseramus. Caritas, ut supra diximus, est amor honestus, id est amor, qui ad eum finem, ad quem referri debet, refertur. Est autem amor bona voluntas erga aliquem propter ipsum. Si enim diligam aliquem propter aliquam utilitatem, non est amor ad ipsum, sed ad meam utilitatem. Unde si optem vitam æternam alicui non propter se, sed ut ab eo liberer, jam vellem ut in paradiso esset, non eum diligo, sed aliquod de morte sua commodum mihi desidero. Nec est igitur honestus amor, id est, non tendens in eum finem, in quem debet, id est, in ipsum Deum. Licet enim multi et diversi fines esse possint in dilectione, vel in aliquo, ut in domo propter pauperes facienda pauperes sunt in causa, tamen finis, id est, finalis causa et suprema scilicet Deus unus est. Unde quamvis diligam aliquem propter se, illum in finem dilectionis constituere non debeo, sed ipsum Deum, et tunc ad primum amor ad eum refertur finem, ad quem debet. Gemina vero hæc dilectio in dilectione utique Dei et proximi consistit. Non enim possumus diligere Deum, nisi proximum diligamus. Hoc tamen non posse ad naturam, sed ad institutionem præcepti referatur; posset enim esse, quod nullus homo præter me esset, et bene diligere Deum possem. Est quoque de obstinatis in proximum illud Joannis intelligendum : Qui non diligit proximum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? quasi diceret, qui adeo erga proximum, quem videt, induratus est, quod nullo modo ad ejus dilectionem revocari potest, ille, dum talis est, Deum non potest diligere; hoc enim jam nihil aliud est, quam proximum odio habere, et qui proximum odit, Deum non diligit.

CAPUT XXXII.

Quibus modis nos diligat Deus et quibus modis nos Deum vel proximum diligere debeamus.

Nunc vero, quibus modis nos diligat et quibus modis nos Deum vel proximum diligere debeamus, dicendum videtur, ut, quis ordo in caritate servari debeat, evidenter appareat. Deum igitur aliquem diligere non est aliud, quam ipsum ab æterno bene de eo disponere et per temporum successionem donis gratiæ suæ ad vitam æternam eum præparare. Unde cum dico : Deus diligit illum, sensus est : de salute ejus ab æterno disposuit, ut scilicet in præsenti vita aliquod bonum ei largiatur, per quod salvetur. Nullus enim motus est in Deo ad nos diligendum, sicut est in nobis ad ipsum. Nos enim cum Deum diligimus, talem motum animi ad ipsum habemus. Est enim caritas, ut ait Augustinus, motus animi ad Deum diligendum propter se, et proximum propter Deum. Hic

1. Leg. *Joannes Baptista.*

solet quæri, an Deus aliquem diligat modo, quem non semper dilexerit. Sed dicimus minime. Quæritur etiam, si Deus omnes diligat, qui eum diligunt. Non. Si opponatur, quod ait : Ego diligentes me diligo, et similia, dicimus, quod de perseveranti dilectione dictum est. Sed notandum, quod in dilectione Dei nullus modus, nullus denique terminus est statutus. In dilectione vero proximi est mensura. Dictum est enim, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, etc. Ex toto corde diligit, qui paratus est ei obedire pro posse suo. Cetera, quæ sequuntur, inculcationes sunt; tale enim est, ac si dicatur : Ad ejus obsequium implendum totam intentionem tuam extendas. In dilectione vero proximi mensura est, ubi dictum est : Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Non ait quantum, sed sicut. Est igitur sensus : illud bonum, quod tibi velles fieri, si esses in eo gradu, ei velis in eo gradu, in quo est. Unde alibi : Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, eadem vos facite illis. Omnia siquidem debemus aliis facere, quæ vellemus nobis fieri, si essemus in eodem gradu et in eadem dignitate. Quæcunque vultis, id est, approbatis. Si enim volo, mihi adduci scortum, hoc non approbo. Hinc etiam dictum est, Quod tibi non vis fieri, alii non feceris. Quorum alterum naturale, ut hoc : alterum positivum, ut illud : Quæcunque vultis, ut faciant, etc. Sic vero et Deus diligendus est et proximus, ut charitas nostra sit ordinata. Sicut enim Deus præ hominibus bonus est, sic super omnia diligendus est, et sicut præ omnibus diligendus est, sic honor et reverentia magis est ei exhibenda, post ipsum etiam de singulis in gradu suo est facienda. Si enim aliquem video magis bono dignum, quam ego sim, et ipsum ei magis, quam mihi cupere debeo. Sic siquidem ordo in caritate servatur, ut pro meritis et pro convenientia cujusque magis vel minus in diversis gradibus eos diligamus. Notandum tamen (quod) cum talem ordinem in dilectione retinere debeamus, quod magis debeam diligere aliquem religiosum, quam patrem meum, qui non est adeo religiosus. In exhibitione profecto charitatis aliter est faciendum, quia, si non possum utrique sufficere, illi sane subtraham et patri meo tribuam. Magis enim in exhibitione me ad eos quorum curam gero, extendere debeo, nec tamen propter hoc tantum patrem meum, quantum illum diligo. Hic notandum, quod, si aliqua infirmitate superatus in fornicationem vel homicidium incidam, vel in aliquod aliud peccatum, dummodo Christum in fundamento habeam, non propter hoc verum est, quod Deum non diligam. Bene enim possum in aliquo dominum meum contemnere ad tempus, et ipsum præ omnibus diligere et super alios æstimare. David enim quando peccavit caritatem habebat, quia Christum in fundamento habebat. Christum autem in fundamento habere est aliquem sic eum diligere, quod si ei optio daretur, prius permitteret se interfici, quam eum negaret. In talibus cum peccat quis, lapis est motus, non evulsus. Cadat justus, labatur justus, resurgat justus, melior erit. Sanctis enim omnia cooperantur in bonum.

Cum igitur caritas summa virtutum sit, et in qua omnis virtus alia quam ipsa sit innitatur, de virtutibus latius et vitiis inquiramus. Sed prius hoc de caritate videamus, quod Augustinus omnem virtutem caritatem esse velle videtur. Cum enim caritas facit fortem, fortitudo caritas est : cum facit humilem, humilitas caritas est : cum facit patientem, patientia caritas est, et sic de aliis. Unde Apostolus : Caritas omnia suffert, omnia sustinet, etc. Quidam tamen hanc auctoritatem Augustini, quæ est : Omnis virtus est caritas, sic exponunt. Omnis virtus est caritas, vel ex caritate : hoc autem propter eas virtutes quæ non voluntates, sed magis potentiæ sunt, ut in sequentibus melius apparebit. Quomodo igitur diffiniatur virtus, et in quot principales partes dividatur, intelligendum est. Virtus est, ut aiunt philosophi, habitus mentis optimus vel bene constitutæ mentis.

Notandum autem, quod Sancti diffinitiones virtutum a philosophis positas et divisiones per species non mutaverunt, sed eas ab eis acceptas diligenter exposuerunt et retinuerunt. Videamus igitur diffinitionem, quomodo sit intelligenda. Virtus est habitus mentis, id est, bona voluntas mentis sic in habitum per animi applicationem versa, quod vix aut nunquam separari possit. Hoc enim notatur per hoc, quod dicitur habitus mentis. Nam sunt aliqui, qui cum modo habeant voluntatem cuique reddendi quod suum est, facile tamen hac permutantur. Similiter in aliis videre licet : ut est aliquis, qui modo voluntatem carnis restringere conatur, cum tamen eam paulo pleniter exerceat. Ut enim virtus sit, ex animi applicatione venire debet. Unde Aristoteles : Tales enim sunt scientiæ et virtutes. Quia vero sunt nonnulli, qui virtutes continentiæ vel etiam pietatis affectum erga alios habent, sed non propter Deum, ideo non valet eis ad salutem, ideo subjungitur : Optimus, id est talis, qui prosit ad vitam optimam vel in quo meritum consistat. Nota, quod David, quum concumbebat cum Bethsabee, non habebat dilectionem proximi in exhibitione. Scriptum est enim : Dilectio proximi malum non operatur. Nam non adulterabis, etc. Salva igitur auctoritate ista, dicemus quod diligebat Uriam affectu, sed non effectu. Hæc vero auctoritas de dilectione in effectu intelligitur.

Nunc de speciebus virtutis videamus, quas quidam in majori, quidam in minori numero constituerunt. Socrates enim sub virtute prudentiam constituens quatuor virtutis species esse docuit, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Dixit enim prudentiam discretionem esse bonarum vel malarum rerum cum ornatu morum. Talem prudentiam vocavit scientiam vel sapientiam. De hac rhetorica multum eloquentiæ, parum scientiæ vel sapientiæ. Aristoteles autem a virtutibus eam separavit, ubi dixit : Tales sunt scientiæ et virtutes. Aristoteles vero noluit vel etiam non putavit esse virtutem, qnod æque bonis et malis habet convenire. Secundum Aristotelem igitur tres sunt species virtutis, justitia scilicet, temperantia, fortitudo. Justitiam vero sic definiunt philosophi : Justitia est habitus animi reddens unicuique quod suum est, communi utilitate servata. Hoc idem Justinianus notavit sua diffinitione, cum diceret sic : Justitia est constans et perpetua voluntas, etc. Per hoc enim, quod ait : constans et perpetua voluntas, qualitatem mentis venientem ex applicatione et difficile mobilem notavit. Per hoc quod dixit : suum unicuique jus tribuens, optimum notavit. Suum potest referri tam ad accipientem quam ad tribuentem. Si ad accipientem referatur, tunc determinandum communi utilitate servata. Justitiæ siquidem est omnia ad communem utilitatem referre. Sic igitur in republica quidem fieri debet, ut cum aliquis tantum meruerit remunerari vel tanta pœna puniri, deliberetur, an si tantum præmium ei detur aut tanta pœna multaretur, reipublicæ præjudicetur. Tantum enim posset quis remunerari seu etiam puniri, quod respublica magnum detrimentum inde pateretur. Sicut est in republica, sic sit etiam in Ecclesia. Sic judex quisque discretus tam secularis quam ecclesiasticus totum, quod facit, ad communem utilitatem reipublicæ aut etiam parochiæ suæ referre debet. Sic quoque communem utilitatem in suo judicio conservat. Quod enim hunc sic remunerat, illum sic punit, alios divinæ [justitiæ] magis obnoxios reddit. Si autem suum ad tribuentem referatur, non adjectione opus est. Sic enim punit et remunerat judex, ut se decet et quod quidem sibi debet, ut quod justitia debet esse, crudelitas vel dissolutio non sit, quod esset, vel si non remitteret ex parte vel ex toto remitteret. Hoc etiam sibi debet terrenus judex, ut inde commendabilior et majoris auctoritatis ad faciendam justitiam reddatur. Similiter quod Deus hunc punit minus quam meruerit, vel illum remunerat magis quam meritum exigit, suæ justitiæ est, id est, ad justitiam sui reddentis pertinet. Hæc bona

voluntas, quia vel aliquo timore mundano vel aliqua mundiali cupiditate præpediri potest adeo quod justitia in aliquo dissolvatur, ideo duobus quasi postibus et firmamentis indiget. Si enim aliquis sit, quem debeam honorare et de rebus meis ei dare, quia sapiens est et talis cui ex justitia hoc debeam : aliquis vero dicat : Ne hoc facias, ne eum tibi adjungas, quia regis inimicus est, et ideo facile regis inimicitias incurres : hoc timore profecto ab hac quam illi debeo justitia retrahi possum, et tum fortitudine opus est. Fortitudo enim virtus est contra adversa, quæ facit ne justitiam timore vel aliquo tali deseramus. Similiter cum debeam alicui dare de rebus meis, quia ipse indiget, et ego concupiscam quod habeo retinere, quia utile mihi putem illud, vel quia non facile recuperarem illud, tunc necessaria est temperantia contra prospera, quæ concupiscibilitatem temperans justitiam illæsam conservat. Hæc animi voluntas his duobus quasi fulcimentis innixa, justitia est. Notandum vero est, quod cum justitia voluntas animi sit, fortitudinem et temperantiam, cum earum contrariæ impotentiæ sint, potentias esse necesse est. Intemperantia enim et debilitas, quæ earum contrariæ sunt, impotentiæ videntur. Ex caritate igitur sunt hæc fulcimenta, non caritas. Cum enim diceret Augustinus omnem virtutem esse caritatem, hoc intellexit, quod omnis esset caritas, vel effectus caritatis : caritas, ut omnes illæ quæ in voluntate consistunt; effectus, ut quæcunque sunt potentiæ. Hoc dico, si huic sententiæ assentire volumus, quod fortitudo et temperantia et quæ sub eis continentur potentiæ animi sint, et secundum hoc bene dicimus, quod multi sine virtute salvantur, quia multi sine perfecta caritate salvantur, quia cum quando moriuntur, hanc voluntatem habeant, quod si optio eis daretur, morarentur[1], non tamen habent illam voluntatem difficile mobilem, quia si viverent, mutaretur illa voluntas et ideo non est virtus. Si autem volumus dicere quod omnis virtus sit voluntas bona, possumus, quod omnis virtus est caritas, et ita caritas erit genus omnium virtutum. Diximus, tres esse species virtutis, justitiam scilicet, fortitudinem et temperantiam. Nunc inquirendum est, quomodo omnes virtutes ad istas tres, et quæ ad quas reducantur.

Primum igitur videamus, quæ ad justitiam reducantur. Omnes illæ virtutes, quæ pertinent ad reddendum unicuique quod suum est, ad justitiam spectant. Virtus illa, quæ pertinet ad reddendum Deo quod suum est, id est, religio ad justitiam pertinet. Similiter, quæ reddit parentibus quod suum est, id est, pietas et virtus, quæ reddit majoribus, vel minoribus, vel æqualibus quod suum est, vel virtus quæ pauperibus quod suum est largitur : hæc, inquam, omnia ad justitiam tamquam partes integrales referuntur. Unde : Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum. Et de eleemosyna David : Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi : quæ omnia faciunt sic justitiam, sicut scientia inveniendi et judicandi logicam faciunt. Neque enim species justitiæ dici possunt, cum nulla illarum per se justum faciat, id est, reddentem unicuique quod suum est, sed sicut conventu parietis tecti et fundamenti domus efficitur, sic istarum virtutum conventu justus efficitur. Visis ergo, quæ ad justitiam reducantur : quæ ad fortitudinem, quæ ad temperantiam referantur, videre restat. Fortitudo, et temperantia, ut dictum est, potentiæ sunt, quia earum contrariæ ut impotentiæ quædam existunt, et cum hoc sit, non tamen desinunt habitus esse. Potentia vero naturalis et habitus opposita sunt. Sed potentiæ quæ per applicationem subjecti veniunt, habitus sunt. Temperantia igitur cum sit potentia illicitos motus refrenandi, omnia quæ ad illicitos motus pertinent refrenandos, ad eam referenda esse manifestum est, ut continentia quæ

[1]Sic Rheinwald, quod nobis absque sensu est. Forsan conjeceris *morirentur*.

luxuriam, castitas quæ libidinem, sobrietas quæ ingluviem refrænat. Istæ virtutes in prosperis necessariæ. Fortitudo vero potentia est, quæ reddit animum constantem contra adversa.

CAPUT XXXIII.

De vitiis, quæ virtutibus contraria sunt.

Nunc de vitiis, quæ istis virtutibus contraria sunt, itidem disseramus. Unaquæque virtus habet vitium sibi contrarium, ut justitiæ contraria est injustitia, temperantiæ intemperantia, fortitudini debilitas, quoniam bono ex necessitate malum contrarium est, quia, si aliquid bonum est, necessario ejus contrarium malum est, sed non convertitur; potest enim malo malum contrarium esse. Injustitia est vitium animi, quo non redditur unicuique quod suum est et quod debetur. Est igitur talis mala voluntas injustitia sicut bona est justitia. Intemperantia est impotentia resistendi motibus illicitis, ut luxuria est contraria castitati, gulositas sobrietati. Fortitudini vero debilitas mentis est contraria, et sicut prædictum est, fortitudo in adversis, temperantia in prosperis necessaria est. Nota vero, hujusmodi potentias non illas naturales, quæ actu non adsunt, vel certe si adsunt facile mobiles sunt, sed potius quæ secundum animi applicationem insunt, ut iste dicitur cursor, non quod illam potentiam naturaliter habeat, sed quia se ad hoc disposuit. Multi namque infidelium has naturales potentias habent, qui tamen virtutibus carent, quippe ad istas non ex dilectione applicantur. Omnis enim virtus, ut diximus, vel caritas est, ut ea quæ voluntas est, vel ex caritate, ut potentia talis quæ ex dilectione est. Non enim fortis vel sobrius vel justus vel humilis vel talis dicitur, nisi quem caritas facit vel sobrium vel talem.

Viso de virtute quid sit, nunc quid vitium, quid sit peccatum, quæque inter ea sit differentia, videamus. Est igitur vitium corruptio naturæ talis, quæ reddit hominem impotentem resistere illicito motui, vel nolentem cuique reddere quod suum est, sicut irascibilitas, luxuria, gula et cetera. Peccatum vero est velle irasci, velle luxuriari. Hinc igitur facile videri potest, in multis esse peccatum sine vitio et vitium sine peccato : sicut aliquis, qui facile mobilis est ad irascendum, qui se in tantum cohibet, quod in ardorem malæ voluntatis in alterum non irrumpit, vel certe materiam commovendi in alterum non habet. Idem de luxurioso conjectare licet. Multi siquidem sunt, qui cum proni sunt ad hoc, voluntatem tamen cohibent. Unde et majoris meriti in tantum esse deprehenditur, quod victores in lucta efficiuntur. Sunt etiam alii, qui cum materiam exterius ad hoc non habent, etsi ad hoc naturaliter proni sunt, non tamen ad hoc moventur, ut sunt multi de claustralibus viris, de solitariis et hujusmodi. Sic quoque in ceteris facile est considerare. Est et peccatum in aliquo sine vitio, ut in eo qui hujus vel illius potentiæ non est, aliqua tamen grandi causa interveniente ad iram vel iracundiam commovetur. Sic igitur vitia in naturæ corruptione, peccata vero in voluntate consistunt, ac per hoc vitia ex maxima parte ex complexione tali vel tali habent inesse. Unde et carnalia vocantur. Sunt enim quædam, quæ tantum animæ sunt, ut superbia, invidia et cetera. Peccatum nihil est aliud, quam ipsa culpa, quæ, ut ostendimus in multis, sine vitio potest esse. Est autem culpa nihil aliud, quam contemtus creatoris, quod est, dum vel volumus contra conscientiam, quod ei displicere scimus et ab eo esse prohibitum, vel nolumus, quod ei scimus placere et ab eo esse præceptum. Unde nec in pueris nec in naturaliter stultis,

quia nihil contra scientiam agunt, aliqua culpa esse deprehenditur. Notandum vero est, quod translative ipsa pœna peccatum dicitur, ut cum dicitur : Deus dimittit ei peccatum, id est, pœnam æternam relaxat.

Horum peccatorum alia sunt venialia, alia mortalia. Veniale dicitur, quod per se ad damnationem non sufficit, quale est omne illud quod dum fit, memoriæ non occurrit, quod Deo displiceat. Nec tamen potest dici, quod contra conscientiam non sit; etsi enim tunc a memoria sejunctum sit, tamen dum ad memoriam reducimus, ex conscientia non probamus. Mortale vero illud peccatum, quod solum ad mortem sufficiens est, ut est omne illud, quod contra conscientiam ex animi deliberatione perpetratur. Quantumcunque igitur, ut ait Augustinus, in se leve sit peccatum, dum placeat ut ex industria perpetretur, mortale est. Quantumcumque autem sit grave, dum displiceat et ex animi deliberatione non fiat, veniale est. Horum mortalium est aliud criminale, aliud non. Criminale est illud, quod notabilem et infamem reddit personam. Criminale est, quod est accusatione dignissimum, et sunt maxime criminalia in aperta consuetudine et fratrum corruptione. Unde, qui tales sunt, quod crimine aliquo notabiles sunt, a communione Ecclesiæ, nisi resipiscere velint, resecantur. Est autem tale quodlibet, ut ebrietas, rapacitas et cetera, dum in promtu et consuetudine habentur. Notandum igitur videtur, quod peccatum Adæ, etsi mortale fuerit, non tamen criminale fuit. Cum enim contra conscientiam vetitum appeteret, sciebat enim hoc esse vetitum, mortale fuit. Cum vero hoc ex consuetudine non haberet, immo tamquam invitus hoc ageret, putans se per pœnitentiam satisfacere posse, et ideo uxori morem gerere voluit, criminale non fuit. Constat igitur, nonnullos multo gravius peccare quam Adam peccaverit, sed ideo illud primum peccatum tam graviter Deus punire voluit, ut sibi peccatum displicere ostenderet, et ut horrorem peccandi omnibus posteris incuteret.

CAPUT XXXIV.

De meritis, ubi consistant.

Viso de virtutibus et vitiis, data etiam differentia inter peccata et vitia, inter ipsa quoque peccata diversitate ostensa, de meritis ubi consistant, amodo relinquitur videndum. Quemadmodum igitur omne peccatum in sola voluntate consistit, sic et meritum. Meritum autem nihil aliud est, quam id quod bona voluntate meremur, id est, vita æterna, quam quia diversis voluntatibus boni meremur, secundum quas stella a stella differt ibi in claritate, ideo diversa et plura merita vocitamus. Dicitur etiam meritum ipsa bona voluntas, qua meremur. Quod autem meritum in sola voluntate consistat, Augustinus multis modis et exemplis inductis probat, ut de discipulis Joannis qui jejunabant, et discipulis Domini qui comedebant, a quibus tamen justificata est sapientia. Unde Dominus : Venit, inquit, Joannes jejunans, et dixistis, dæmonium habet. Venit autem filius hominis manducans et bibens, et dicitis, quod vorax est et potator vini et amicus publicanorum. Justificata est autem sapientia a filiis suis. De vidua quoque, quæ duo minuta in gazophylacio posuit, ait Dominus, quod plus quam divites obtulerit. Unde Hieronymus : Non pensat Deus censum, sed affectum. Idem quoque de Josia rege dicit, quod cum exiret ad pugnandum pro populo Dei cum inimicis, non propter hoc plus meruit, quam primum, cum in voluntate hoc haberet, sed ideo hoc fecit, ut aliis etiam regibus et principibus

exemplum daret pro populo Dei pugnandi contra inimicos. Similiter de martyribus dicimus, quod eos exteriora patibula meliores non faciebant, sed tales esse, qui Christum diligerent, ostendebant. Sic quoque de Christo sane asserimus, quod, quando ad passionem ductus est, et in ligno affixus est, non plus meruit, quam ab ipsa conceptione. Neque enim tunc melior effectus, quam ab ipsa pueritia extitisset, cum ex tunc Deum ex toto corde diligeret. Sic igitur in voluntate, non in operibus quæ bonis et malis communia sunt, meritum omne consistit. Sæpe enim plus jejunat, magis etiam se affligit quilibet hypocrita, quam aliquis sanctus. Quod in sola voluntate meritum sit, inde quoque conjectare licet, quod Deus dicitur scrutator renum et cordium, qui dicitur in occulto, scilicet in voluntate, videre. Unde et Apostolus : Judicabit, inquit, occulta hominum, secundum evangelium meum, id est, juxta prædicationem meam. Tale etenim est, ac si diceret : Opera, quæ in se indifferentia sunt, non curat, sed puritatem intentionis exigit. Hoc idem attestatur Isaias, ubi dicit : Non judicabit secundum visum oculorum neque secundum auditum aurium arguet. Si enim inde quis magis placet Deo, quod ædificat domum pauperibus, et hoc quia potest, quam ille qui eamdem habet voluntatem nec ædificat, quia pauper est : negari non potest, quin ex hoc, quod dives est, magis placeat Deo. Item si Hermannus eamdem habet voluntatem cum magistro suo Petro, et uterque pecuniam ad faciendam domum pauperibus paravit, et alter ædificat, cui pecunia remanet, alter vero minime, cum ei pecunia ablata sit, non qui ædificat, quam qui hoc non facit, majoris meriti apud Deum esse debet. Aliter non est ratio, quare latrones non sint [causa?] diminuendi meritum apud Deum; quod quidem quam irrationabile sit omnium judicio relinquamus. Non vero negamus, [in] exterioribus quandoque meritum aliquod temporale sequi, ut vel magis ad amorem Dei accendamur, vel ut aliis, qui nos vident remunerari, exemplum bene operandi exhibeamus. Sed cum de meritis hæc disseramus, quasi nulla esse videntur, quia gratia meritis usque adeo repugnare videtur, quod cum omnia ex gratia sint, merita non existant. Unde Apostolus : Si ex meritis, jam non ex gratia. Videtur enim, quod ex nobis nihil boni possimus. Sic enim de nobis est, ut de medico et infirmo, qui cum habeat medicamen apparatum, et dicat infirmo : Vide, hoc medicamentum consulet sanitati tuæ, si surrexeris et acceperis : infirmus autem cum surgere non possit, nihil medicamen illud illi valebit, sicque cum per se surgere non possit, adjumento medici ad surgendum indiget, ut medicamen accipiat et acceptum sibi proficiat. Quapropter nisi dicamus, quod homo ex se etiam per liberum arbitrium ex natura sua habeat diligere, et ei adhærere, non possumus vitare, quin gratia meritis nostris præjudicare probetur; quod quidem quia in epistola ad Romanos super eum locum : Jacob dilexi, etc. diligenter expressi, hoc quasi notum prætereundum existimo. Si autem creatura ad imaginem et similitudinem Dei facta, ex sui natura magis ad malum quam bonum prona esset, in sui quidem natura bona non existeret. Velle autem bonum unicuique naturale est. Unde et Apostolus : Velle adjacet mihi.

CAPUT XXXV.

De remissione peccatorum.

Nunc de remissione peccatorum videamus. In reconciliatione peccatoris ad Deum tria necessaria sunt, cordis contritio, oris confessio, operum satisfactio. Cordis contritio sive

gemitus est dum peccator de peccatis suis dolet et interius turbatur, quod est, dum peccatum et iniquitas displicet, non timore pœnæ, sed amore justitiæ; alioquin non est cordis contritio ad salutem, sed mentis consternatio ad damnationem. Sic enim et mali in futuro dolebunt, non de peccato quo Deum offenderunt, sed de hoc, quod est peccatum, quia inde punientur. Qui igitur sic pro peccatis gemunt, non peccata eis displicent propter Deum, sed propter pœnam. Talis igitur contritio nullius meriti est apud Deum. De ea vero, quæ fit ex dilectione Dei, ex amore justitiæ, dictum est etiam per prophetam : In quacunque hora conversus fuerit peccator, etc. Nota, quod non dixit, die vel mense vel anno, quia cum Deo nihil tardum sit vel absens, quantocius aliquis vere pœnitet, tantocius et ipse præsens remittit. Unde et David : Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, id est, deliberavi in corde meo illud quod contemnendo Deum feci, mihi displicere propter Deum. Promptum est igitur et manifestum quod ex quo aliquis vere de peccato gemit, ipsum sibi a Deo dimitti. Non vero aliud est Deum pecata dimittere, quam æternam pœnam pro ipso debitam relaxare.

CAPUT XXXVI.

De confessione peccatorum.

De confessione quoque sciendum, quod valde est utilis. Ad majorem siquidem humilitatis exhibitionem instituta est. Unde : Confitemini alterutrum peccata vestra. Cum enim in sua potestate homo positus a Deo discesserit, conveniens erat, ut idem sub alio positus cum humilitate et devotione rediret. Ideoque instituit Deus sacerdotem sui vicarium et quasi medicum, cui (sua) peccata quasi vulnera ad sanandum delegarentur, ut non a se sed ab alio, majoris humilitatis causa, modum satisfactionis accipiat. Notandum tamen, quodsi articulo necessitatis imminente non confiteatur, non propter hoc æternaliter punietur. Si autem ex contemtu vel ex negligentia remanserit, de hac æternaliter puniendum asserimus. Neque enim veram cordis contritionem habuisse videtur, et si habuerit, ex hoc tamen quod instituta Ecclesiæ contemnit, æternaliter puniendus esse convincitur. Si vero, ut diximus, aliqua causa præpediente, ad minorem nequit accedere sacerdotem, accedat ad majorem, de quo in Ecclesiastico : Ecce sacerdos magnus, etc. Et Apostolus : Plures facti sunt sacerdotes, etc. Cui enim visibilis sacerdos deest, ab eo invisibilis minime abest, immo qui vult confiteri et non potest, quod visibilis sacerdos ministraret, hoc ei invisibilis supplere nunquam dedignatur. Notandum sane est, quod ex dispensatione quoque potest aliquis a confessione cessare, qui propter hoc non magis puniendus extitit. Quod in Petro perpendi facile liquet. Cum enim Petrus in primitiva Ecclesia esset, ubi omnes adhuc infirmi erant, ex dispensatione confessionem de negatione reticuit, quia si hunc tantum Ecclesiæ architectum tam graviter alii corruisse novissent, multum in eo scandalizati fuissent. Quod autem infirmi essent ad scandalum proni, ipse Dominus ostendit, ubi ait : Sinite eos abire, ut impleatur Scriptura : Ex his, quos tradidit mihi pater, non perdidi quemquam. Super hunc etenim locum dicit Augustinus : Non erant tantæ fidei, in qua salvari possent, et ideo si tunc mortui essent æternaliter damnati essent. Quod vero Petrus non confessus fuerit, ex auctoritate habemus; ait enim Leo papa : Lacrymas Petri legi, confessionem non invenio. Delent ergo lacrimæ peccata, quæ pudor est confiteri. Et Ambrosius hoc idem modo ibi de sacramentis confirmat. Gregorius quoque

hanc super hoc sententiam profert, quod nullum est manifestius indicium remissionis peccati quam lacrymæ, quia ex quo præ nimio dolore peccati in lacrymas quis prorumpit, certum est ei peccatum esse dimissum. Notandum tamen, quod si pudor ille ad propriam personam referatur, superbia est, si vero ad ecclesiam, dispensatio salubris. Unde si aliquis cum uxore principis peccasset, vel tale aliquid fecisset, quod si sciret ecclesia inde scandalum pateretur, et conscientia sua ei testaretur, quod si parochiano suo diceret vel etiam alicui celari non posset, si hac, inquam, dispensatione reticeret, non propter hoc æternaliter puniretur. Si vero propter suam propriam personam hoc faceret, ne scilicet infamis et contemtibilis apud alios fieret, superbia quidem, et valde damnabile esset.

CAPUT XXXVII.

De operum satisfactione.

Viso de cordis contritione, de oris confessione, de operum satisfactione videamus, quæ utique admodum utilis est propter temporalem pœnam, quæ remanet. Æterna namque pœna relaxata, temporalis relinquitur, ut quod animæ illicita delectatione seu etiam carnali voluptate commissum est, satisfactionis amaritudine digne purgetur. Unde et Joannes : Facite dignos fructus pœnitentiæ. Tunc dignos fructus pœnitentiæ facimus, quando quod male commissum est in præsenti sic expiatur, ut nihil in futuro expiandum relinquatur. Quantumcunque siquidem futura pœna parva subsistat, qualibet tamen hujus vitæ gravissima gravior esse contenditur. Quantum igitur hujus vitæ satisfactio necessaria sit, ex prædictis pleniter probatum esse existimo. Quod vero gehenna, remissa pœna, temporaliter existat, in baptismate manifeste apparet, quia cum ibi gehenna quæ pro originali peccato dimissa sit, manet tamen dissolutio corporis, manet et numerosa defectuum multitudo. Unde Augustinus de origine peccati : Transit, inquit, reatu, manet actu. Quod non solum ob jam dictam causam contigit, sed, ut idem ait Augustinus, pœna ista fit materia exercendæ virtutis. Omnis quippe virtus in infirmitate perficitur. Remanet quoque hac de causa, ut ait idem Augustinus, ne aliquis ad baptismi sacramentum ut[1] ad præsentis vitæ immortalitatem accederet et non propter Deum, et sic nec istam vitam digne haberet, nec ad æternam perveniret. Sciendum quoque quod an peccata prius dimissa postea redeant, a[2] plerisque ambiguum videtur : quod quidem ex illa parabolica similitudine quidam affirmare nituntur : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi. Super hunc siquidem locum ait Hieronymus : Si non dimiserimus ex corde, quod in nobis delinquitur, et hoc per pœnitentiam dimissum erat, a nobis exigitur. Idem quoque beatus Gregorius in quadam homilia ait. Sed sic debet intelligi, quod dicunt de reditu peccati: Peccator fit, sicut prius erat, et de ingratitudine misericordiæ sibi impensæ magis reus efficitur. Et hoc est, quod ait in illa parabola : Nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum, quasi diceret : misericordia impensa ingratus extitisti, et ideo non exibis hinc, donec reddas universum debitum. Universum quidem debitum dicit, non illud quod jam condonatum erat, sed potius misericordiam quam aliis impendere debuit pro eo, quod a domino misericordiam acce-

[1] *Ut* supplevit Rheinwald. — [2] Rheinwald delendum *a* existimat.—[3] Rheinwald *misericordiæ impensæ;* male, ut opinor.

perat. Unde et alibi : Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Hæc enim parabola de misericordia est. Tale est igitur, ac si dicatur : Si aliis non vultis misereri, sicut Deus misertus est, peccata condonando, et pater vester cœlestis hoc debitum exiget a vobis. Quidam dicunt expositores : Quod dimissum erat per pœnitentiam a nobis exigitur, ad terrorem dictum esse intelligitur. Quod autem universum debitum sic debeat intelligi, ut diximus, inde quoque liquido comprobatur, quod non ait usque ad primum, sed usque ad novissimum quadrantem, quia de hoc, quod post dimissum peccatum durus et obstinatus erga proximum quisque extitit, inde graviter est puniendus.

MAGISTRI

PETRI ABÆLARDI

ETHICA SEU LIBER DICTUS: SCITO TEIPSUM.

In *Commentario* de Epistola Beati Pauli ad Romanos, Abælardus lectorem haud semel remittit ad *Ethicam* [1], in qua quæstiunculas quasdam ad philosophiam moralem conscientiamque pertinentes, leviter tantum in cæteris suis operibus delibatas, penitus perscrutari cogitabat. Neque dubium est quin idem sit illud opus, quod Divus Bernardus in litteris suis ad Pontificem summum Innocentem frequenter memoraverit sub hoc titulo *Liber scito teipsum*, librum denuntians, ut « segete sacrilegiorum et errorum silvescentem, de potestate ligandi atque solvendi, de originali peccato, de concupiscentia, de peccato delectationis, de peccato infirmitatis, de peccato ignorantiæ, de opere peccati, de voluntate peccandi [2]. » Memoratur quoque *Liber scito teipsum* a Guillelmo abbate S. Theodorici [3], et in *Disputatione* abbatis [4] anonymi quem Gaufridum Altissiodorensem fuisse credunt; nec dubitat And. Quercetanus [5] quin eum etiam legisset anonymus quidam poeta qui scripsit anno 1376, definitionemque liberi arbitrii ex Abælardo sic protulit :

Pierre Abalard en un chapitre
Où il parle de franc-arbitre
Nous dit ainsi en vérité
Que c'est une habilité
D'une voulenté raisonnable
Soit de bien ou de mal prenable
Par grâce est à bien faire encline
Et à mal quand elle descline.

Verum hæc *Ethica*, quamvis diligentissime perquisita, a Quercetano, ut ipse ait, non reperta fuit, diuque viris doctis desiderata est, dum eam primus e membranaceo codice Emmerammensi qui sexcentorum circiter annorum erat, in *Thesauro Anecdotorum novissimo*, tom. III, edidit B. Pezius. Si quis autem e cæteris Abælardi operibus conjecerit scriptorem in principiis rerum ac fundamentis constituendis audacem, in consequentiis vero indagandis ubertate quadam ac vi rationis præstantem, pari sententiarum sermo-

[1] Vide supra, pag. 213, 327, 336, etc. — [2] S. Bernardi opera, Parisiis 1690, in-fol., t. II, Epist. 188. G. Epist. 192. — [3] *Bibliotheca patrum Cisterciensium*, op. B. Tissier, Bonofonte 1660-1669 in-fol., t. IV, p. 113. — [4] *Bibl. patr. Cist.*, ibid., p. 259. — [5] *In Notis ad Histor. calamitat.* Vid. Tom. I. hujusce editionis, p. 53.

nisque libertate in scientia morali ac in theologia usum esse, opinionem istam certè non fefellit liber ab eruditissimo viro in lucem editus. Nusquam enim Abælardus curiosum se magis, sagacem, indocilemque præbuit, nusquam a priorum vestigiis discessit liberius, quam in parte hujus operis non satis cognita in qua actus ad conscientiam vere spectantes secernit separatque a cæteris animi affectibus, ita ut peccatum non in pravis de honesto judicando opinionibus quibus homo abripitur, neque etiam in ipso facinore atque actu, sed in certa tantum voluntate versari contendat, neque aliam esse normam qua liceat actus ullius honestatem seu pravitatem metiri. Constat vero eum illam opinionem tuendo, ultra quam satis est processisse, et in errores incidisse qui et D. Bernardi et omnium christianæ fidei adhærentium vituperationem merito moverunt. Etenim usque adeo persuasum habet, quum de rebus iis agitur quæ ad honestum pertinent, omne momentum esse in voluntate, nullum vero in actu ipso, ut, si ei credideris, abominanda alias facinora fiant non inhonesta, dummodo ea homines bona mente vel per ignorantiam patraverint, et « ipsi insectatores Christi sanctorumque quos persequendos credebant gravius, inquit, peccassent, si contra conscientiam iis pepercissent. »

B. Pezius non totum opus Abælardi præ manibus habuit; nam in ea parte quam in lucem edidit, non omnes quæstiones instituuntur quas in *Commentario* de Beato Paulo noster se in *Ethicam* reservare declaravit. Præterea Catalogus Librorum Mss. Angliæ et Hiberniæ[1] fragmentum alterius libri memorat, quo manifestum est opus illud vel duobus, vel pluribus etiam libris constitisse. Hoc fragmentum nobis comparavimus, ut truncatum libellum possimus resarcire, et Abælardi opera hac saltem parte quam minime claudicarent : totum vero una tantum pagina continebatur in codice qui supplementum *Introductionis Theologiæ* nobis suppeditaverat. Non dubitavimus tamen illud edere post librum primum a B. Pezio publici juris factum, nihil negligendum rati ut Abælardi opinionibus lucem possemus afferre.

Quum *Ethicam* commentarii de D. Paulo jam polliceantur, hanc postea compositam fuisse satis liquet. An *Theologiam Christianam* tempore pariter secuta sit, ut existimat Dom. Clemens[2], non possumus affirmare; nempe locus in cap. XXIII *Ethicæ* allatus quo scriptor doctissimus innititur, non ad *Theologiam Christianam*, ut ille arbitrabatur, sed ad *Introductionem Theologiæ* est referendus.

PROLOGUS.

Mores dicimus animi vitia vel virtutes quæ nos ad mala vel bona opera pronos efficiunt. Sunt autem vitia seu bona non tantum animi, sed etiam corporis, ut debilitas corporis, vel fortitudo quam vires appellamus; pigredo vel velocitas; claudicatio vel rectitudo; cæcitas vel visio. Unde ad differentiam talium, cum dicimus *vitia*, præmisimus : *animi*. Hæc autem vitia scilicet animi, contraria sunt virtutibus, ut injustitia justitiæ, ignavia constantiæ, intemperantia temperantiæ.

[1] Oxoniæ 1697, in-fol. — [2] *Hist. littér.*, t. XII, pag. 126.

CAPUT PRIMUM.

De vitio animi, quod ad mores pertinet.

Sunt autem animi quoque nonnulla vitia, seu bona quæ a moribus sejuncta sunt; nec vitam humanam vituperio, nec laude dignam efficiunt, ut habitudo animi vel velocitas ingenii; obliviosum vel memorem esse; ignorantia vel scientia. Quæ quidem omnia cum æque reprobis ut bonis eveniant, nihil ad morum compositionem pertinent, nec turpem vel honestam efficiunt vitam. Unde bene cum superius præmisissemus « animi vitia, » ad exclusionem talium subjunximus : « quæ ad mala opera pravos efficiunt, » id est, voluntatem inclinant ad aliquid quod minime convenit fieri, vel demitti.

CAPUT II.

Quid distet inter peccatum et vitium inclinans ad malum.

Non est autem hujusmodi animi vitium idem quod peccatum; nec peccatum idem quod actio mala. Verbi gratia iracundum esse, hoc est, pronum vel facilem ad iræ perturbationem, vitium est, et mentem inclinat ad aliquid impetuose et irrationabiliter gerendum, quod minime convenit. Hoc autem vitium in anima est, ut videlicet sit ad irascendum, etiam cum non movetur ad iram : sicut claudicatio, unde claudus dicitur homo, in ipso est, quando etiam non ambulat claudicando : quia vitium adest etiam cum actio deest. Sic et multos ad luxuriam sicut ad iram, natura ipsa, vel complexio corporis pronos efficit; nec tamen in ipso hoc peccant quia tales sunt, sed pugnæ materiam ex hoc habent ut per temperantiæ virtutem de se ipsis triumphantes coronam percipiant, juxta illud Salomonis[1] : « Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium. » Non enim religio ab homine vinci, sed a vitio turpe existimat. Illud quippe bonorum quoque hominum est; in hoc a nobis declinamus. Hanc nobis victoriam commendans Apostolus, ait[2] : « Non coronabitur quis nisi legitime certaverit. » Certaverit, inquam, non tam hominibus quam vitiis resistendo, ne nos videlicet in consensum pertrahant pravum : quæ, etsi homines cessent, impugnare nos non cessant : ut tanto periculosior eorum

[1] *Prov.*, cap. XVI, v. 32. — [2] *Tim.* II, cap. II, v. 5.

pugna sit, quanto frequentior; et tanto victoria clarior quanto difficilior. Homines vero quantumcumque prævaleant, nihil vitæ nostræ turpitudinis ingerunt, nisi cum more vitiorum, et quasi nobis in vitia conversis, turpi nos consensu subjiciunt. Illis corpori dominantibus, dum liber animus fuerit, nihil de vera libertate periclitatur, nihil obscœnæ servitutis incurrimus. Non enim homini servire sed vitio turpe est; nec corporalis servitus, sed vitiorum subjectio animam deturpat : quidquid enim bonis pariter et malis commune est, nihil ad virtutem vel vitium refert.

CAPUT III.

Quid sit animi vitium et quid proprie dicatur peccatum.

Vitium itaque est, quo ad peccandum proni efficimur, hoc est, inclinamur ad consentiendum ei quod non convenit, ut illud scilicet faciamus aut dimittamus. Hunc vero consensum proprie peccatum nominamus; hoc est, culpam animæ, qua damnationem meretur, vel apud Deum rea statuitur. Quid est enim iste consensus, nisi Dei contemptus, et offensa ipsius? Non enim Deus ex damno, sed ex contemptu offendi potest. Ipse quippe est summa illa potestas, quæ damno aliquo non minuitur, sed contemptum sui ulciscitur. Peccatum itaque nostrum contemptus Creatoris est, et peccare est Creatorem contemnere, hoc est, id nequaquam facere propter ipsum, quod credimus propter ipsum a nobis esse faciendum; vel non dimittere propter ipsum quod credimus esse dimittendum. Cum itaque peccatum diffinimus abnegative, dicentes scilicet non facere, vel non dimittere quod convenit, patenter ostendimus nullam esse substantiam peccati, quod in non esse potius quam esse subsistat, velut si tenebras diffinienter dicamus : Absentiam lucis ubi lux habuit esse.

Sed fortassis inquies quia et voluntas mali operis peccatum est, quæ nos apud Deum reos constituit, sicut voluntas boni operis justos facit : ut quemadmodum virtus in bona voluntate, ita peccatum in mala voluntate consistat; nec in non esse tantum, verum etiam in esse sicut et illa. Quemadmodum enim volendo facere quod Deo credimus placere, ipsi placemus; ita volendo facere quod Deo credimus displicere, ipsi displicemus, et ipsum offendere sive contemnere videmur.

Sed dico quia si diligenter attendamus, longe aliter de hoc sentiendum est, quam videatur. Cum enim nonnunquam peccemus, absque omni mala voluntate, et cum ipsa mala voluntas refrænata, non exstincta palmam resistentibus pariat, et materiam pugnæ, et gloriæ coronam conferat, non tam ipsa pec-

catum, quam infirmitas quædam jam necessaria dici debet. Ecce enim : Aliquis est innocens, in quem crudelis dominus suus per furorem adeo commotus est, ut eum evaginato ense ad interimendum persequatur. Quem ille diu fugiens, et quantumcumque potest, sui occisionem devitans, coactus tandem et nolens occidit eum, ne occidatur ab eo. Dicito mihi, quicumque es, quam malam voluntatem habuerit in hoc facto? Volens siquidem mortem effugere, volebat propriam vitam conservare. Sed nunquid hæc voluntas mala erat? Non, inquies, hæc, arbitror : sed illa quam habuerit de occisione domini persequentis. Respondes bene et argute dicis, si voluntatem posses assignare in eo quod asseris. Sed, jam ut dictum est, nolens et coactus hoc fecit, quod, quantum potuit, vitam incolumem distulit, sciens quoque ex hac interfectione vitæ sibi periculum imminere. Quomodo ergo illud voluntarie fecit, quod eum ipso etiam vitæ suæ periculo commisit?

Quod si respondeas ex voluntate id quoque esse factum, cum ex voluntate scilicet mortem evadendi, non dominum suum occidendi, constet in hoc eum esse juste inductum, nequaquam id refellimus; sed, ut jam dictum est, nequaquam voluntas ista tanquam mala est improbanda, per quam ille, ut dicis, mortem evadere, non dominum voluit occidere : et tamen deliquit consentiendo, quamvis coactus timore mortis, injustæ interfectioni quam eum potius ferre quam inferre oportuit; gladium quippe accepit per se, non traditum sibi habuit a potestate : unde Veritas : « Omnis, » inquit[1], « qui acceperit gladium, gladio peribit; » hoc est, damnationem atque animæ suæ occisionem ex hac temeritate incurrit. Voluit itaque, ut dictum est, ille mortem evadere, non dominum occidere, sed quia in occisionem consentit, in quam non debuit, hic ejus injustus consensus, qui occisionem præcessit, peccatum fuit.

Quod si quis forte dicat : Quia voluit dominum suum interficere propter hoc ut mortem evaderet; non ideo simpliciter inferre potest, quia voluit eum occidere; veluti si dicam alicui : Quia volo ut habeas cappam meam propter hoc, ut des mihi quinque solidos; vel libenter eam pro pretio isto fieri tuam volo; non ideo concedo, quod eam tuam esse velim. Sed et si quis in carcere constrictus velit filium suum ibi pro se ponere, ut redemptionem suam perquirat, numquid ideo simpliciter concedimus quod filium suum in carcerem mittere velit, quod cum magnis lacrymis et cum multis gemitibus sustinere cogitur? Non utique talis ut ita dicam voluntas, quæ in magno dolore animi consistit, dicenda est *voluntas*, sed potius *passio*. Et tale est, quia hoc vult propter illud, tanquam si diceretur quia quod non vult, tolerat propter illud,

[1] Matth., cap. XXVI, v. 52.

quod desiderat. Sic et infirmus uri vel secari dicitur ut sanetur, et Martyres pati ut ad Christum perveniant; vel Christus ipse, ut nos ejus Passione salvemur. Non tamen ideo simpliciter concedere cogimur, ut hoc velint : nusquam enim passio voluntas esse potest, nisi ubi contra voluntatem aliquid sit; nec quisquam in eo patitur, ubi suam implet voluntatem, et quod fieri eum oblectat. Et certe Apostolus qui ait[1] : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo; » id est, ad hoc mori, ut ad eum perveniam, ipse alibi commemorat[2] : « Nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a vita. » Quam etiam sententiam a Domino dictam beatus Augustinus meminit, ubi Petro dixit[3] : « Extendes manus tuas et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. » Qui etiam juxta infirmitatem humanæ naturæ assumptam Patri ait[4] : « Si possibile est, transeat a me Calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. » Magnam quippe mortis passionem anima ejus naturaliter formidabat, nec voluntarium ei esse poterat quod pœnale sciebat. De quo cum alibi scriptum sit[5] : « Oblatus est quia ipse voluit; » aut secundum Divinitatis naturam accipiendum est, in cujus voluntate fuit illum assumptum hominem pati, aut *voluit* dictum est pro *disposuit :* juxta illud Psalmistæ[6] : « Quæcumque voluit fecit. » Constat itaque peccatum nonnunquam committi sine mala penitus voluntate, ut ex hoc liquidum sit, quod peccatum est, voluntatem non dici.

Equidem, inquies, ita est, ubi coacti peccamus, sed non ita, ubi volentes : veluti si tale quid committere velimus, quod nequaquam debere a nobis committi scimus. Ibi quippe mala illa voluntas et peccatum idem esse videtur, verbi gratia : videt aliquis mulierem, in concupiscentiam incidit, et delectatione carnis mens ejus tangitur, ut ad turpitudinem coitus accendatur. Hæc ergo voluntas et turpe desiderium quid aliud, inquis, est quam peccatum?

Respondeo : quid si ista voluntas temperantiæ virtute refrenetur nec tamen extinguatur, ad pugnam permaneat et ad certamen persistat nec deficiat victa? Ubi enim pugna, si pugnandi desit materia : aut unde præmium grande, si non sit quod toleremus grave? Cum certamen defuerit, non jam superest pugnare, sed præmium percipere; hic autem pugnando certamus, ut alibi certaminis triumphatores coronam percipiamus. Ut vero pugna sit, hostem esse convenit, qui resistat, non qui prorsus deficiat. Hæc vero est nostra voluntas mala, de qua triumphamus, cum eam divinæ subjugamus, nec eam prorsus extinguimus, ut semper habeamus, contra quam dimicemus.

Quid enim magnum pro Deo facimus, si nihil nostræ voluntati adversum

[1] *Philip.* I, cap. I, v. 23. — [2] *Corinth.* II, cap. v, v. 4. — [3] Joan., cap. XXI, v. 18. — [4] Matth., cap. XXVI, v. 39. — [5] Isai., cap. LIII, v. 7. — [6] *Psalm.* CXIII, v. 3.

toleramus, sed magis quod volumus implemus? Quis etenim nobis grates habeat, si in eo quod pro ipso nos facere dicimus, voluntatem nostram impleamus? Aut quid, inquies, apud Deum meremur ex eo quod volentes aut inviti agimus? Nihil certe, respondeo : cum ipse animum potius quam actionem in remuneratione penset, nec quidquam ad meritum actio addat, sive de bona, sive de mala voluntate prodeat, sicut postmodum ostendemus. Cum vero voluntatem ejus nostræ præponamus, ut illius potius quam nostram sequamur, magnum apud eum meritum obtinemus, juxta illam Veritatis perfectionem[1] : « Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me. » Ad quod et nos exhortans ait[2] : « Si quis venit ad me et non odit patrem et matrem, adhuc autem et animam suam, non est me dignus ; » hoc, est nisi suggestionibus eorum vel propriæ renuntiet voluntati, et præceptionibus meis se omnino subjiciat. Sicut ergo Patrem odire, non perimere jubemur : ita et voluntatem nostram, ut non eam sequamur, non ut funditus eam destruamus. Qui enim ait[3] : « Post concupiscentias tuas non eas ; » Et : « A voluntate tua avertere » præcepit nos concupiscentias nostras non implere; non penitus eis carere. Illud quippe vitiosum est : hoc autem infirmitati nostræ impossibile. Non ita concupiscere mulierem, sed concupiscentiæ consentire peccatum est : nec voluntas concubitus, sed voluntatis consensus damnabilis est.

Quod de luxuria diximus, hoc et de gula videamus. Transit aliquis juxta hortum alterius, et conspectis delectabilibus fructibus, in concupiscentiam eorum incidit; nec tamen concupiscentiæ suæ consentit; ut inde aliquid furto vel rapina auferat, quamquam delectatione cibi in magnum desiderium mens ejus sit accensa. Ubi autem desiderium, ibi procul dubio voluntas consistit. Desiderat itaque fructus illius esum in quo delectationem esse non dubitat : ipsa quippe suæ infirmitatis natura compellitur id desiderare, quod inscio domino vel non permittente, non licet accipere. Desiderium ille reprimit, non extinguit : sed quia non trahitur ad consensum, non incurrit peccatum.

Quorsum autem ista? Ut denique pateat in talibus ipsam quoque voluntatem vel desiderium faciendi quod non licet, nequaquam dici peccatum, sed ipsum potius, ut diximus, consensum. Tunc vero consentimus ei quod non licet, cum nos ab ejus perpetratione nequaquam retrahimus, parati penitus, si daretur facultas, illud perficere. In hoc itaque proposito quisquis reperitur, reatus ad peccati augmentum quidquam addit, sed jam apud Deum æque reus est, qui ad hoc peragendum quantum valet nititur, et quantum in se est, illud peragit, ac si, ut Beatus Augustinus meminit, in opere quoque ipso esset deprehensus. Cum autem voluntas peccatum non sit, et non nunquam inviti, ut diximus,

[1] Joan., cap. VI, v. 38. — [2] Luc., cap. XIV, v. 26. — [3] *Eccli.*, cap. XVIII, v. 30.

peccata committamus, nonnulli tamen omne peccatum voluntarium esse dicunt; in quo et quamdam differentiam peccati a voluntate inveniunt, cum aliud voluntas, aliud voluntarium dicatur, hoc est, aliud voluntas, aliud per quod voluntas committitur.

At vero si peccatum dicimus, quod proprie dici peccatum præfati sumus, hoc est, « contemptum Dei sive consensum in eo quod credimus propter Deum dimittendum, » quomodo dicimus peccatum esse voluntarium, hoc est, nos velle Deum contemnere, quod est peccare, vel deteriores fieri, aut dignos damnatione effici? Quamvis enim velimus facere id quod debere puniri scimus, vel unde puniri digni simus, non tamen puniri volumus; in hoc ipso manifeste iniqui, quod hoc volumus facere quod est iniquum, non tamen pœnæ quæ justa est, subire volumus æquitatem. Displicet pœna quæ justa est; placet actio quæ est injusta. Sæpe etiam contingit, ut cum velimus concumbere cum ea quam scimus conjugatam, specie illius illecti, nequaquam tamen adulterari cum ea vellemus, quam esse conjugatam nollemus. Multi e contrario sunt qui uxores potentum ad gloriam suam eo magis appetunt, quia talium uxores sunt, quam si essent innuptæ; magis adulterari quam fornicari cupiunt, hoc est, magis quam minus excedere. Sunt quos omnino piget in consensum concupiscentiæ vel malam voluntatem trahi, et hoc ex infirmitate carnis velle coguntur, quod nequaquam vellent velle. Quomodo ergo hic consensus quem habere non volumus, voluntarius dicetur, ut, secundum quosdam, velut dictum est, omne peccatum dicamus voluntarium, profecto non video, nisi voluntarium intelligamus ad exclusionem necessarii, cum videlicet nullum peccatum inevitabile sit, vel voluntarium dicamus quod ex aliqua procedat voluntate. Nam etsi ille qui coactus dominum suum occidit, non habuit voluntatem in occisione, id tamen ex aliqua commisit voluntate, cum videlicet mortem evadere, vel differre vellet.

Sunt qui non mediocriter moveantur cum audiant nos dicere operationem peccati nihil addere ad reatum vel ad damnationem apud Deum. Objiciunt quippe quod in actione peccati quædam delectatio sequatur, quæ peccatum augeat, ut in coitu vel esu illo quem diximus. Quod quidem non absurde dicerent, si carnalem hujusmodi delectationem peccatum esse convincerent, nec tale quid committi posse nisi peccando. Quod profecto si recipiant, utique nemini licet hanc carnis delectationem habere; unde nec conjuges immunes sunt a peccato, cum hac sibi carnali delectatione concessa permiscentur; nec ille quoque qui esu delectabili fructus sui vescitur. Essent etiam in culpa quilibet infirmi qui ad recreationem, ut de infirmitate convalescant, suavioribus cibis foventur, quos nequaquam sine delectatione sumunt, vel si sumerent, non

prodessent. Denique et Dominus, ciborum quoque creator, sicut et corporum, extra culpam non esset, si tales eis sapores immitteret, qui necessario ad peccatum sui delectatione nescientes cogerent. Quomodo enim ad esum nostrum talia conderet, vel esum eorum concederet, si hæc nos edere sine peccato impossibile esset? Quomodo etiam in eo quod est concessum, dici potest committi peccatum? Nam et illa quæ quandoque illicita fuerunt atque prohibita, si postmodum concedantur, et sic licita fiant, jam omnino absque peccato committuntur, ut esus carnium suillarum, et pleraque alia Judæis quondam interdicta, nunc vero nobis concessa. Cum itaque videmus Judæos quoque ad Christum conversos hujusmodi cibis, quos lex interdixerat, libere vesci, quomodo eos inculpabiles defendimus, nisi quia jam eis hoc a Deo esse concessum asserimus? Si ergo in esu tali olim eis prohibito, sed nunc concesso, ipsa concessio peccatum excusat, et contemptum Dei removet, quis quempiam in eo peccare dicat, quod ei licitum divina concessio fecit? Si ergo concubitus cum uxore, vel esus etiam delectabilis cibi a primo die nostræ creationis, quo in paradiso sine peccato videbatur, nobis concessus est, quis nos in hoc peccati arguat, si concessionis metum non excedamus?

Sed rursum inquiunt quia conjugalis quidem coitus et delectabilis cibi esus ita concessus est, ut delectatio ipsa non concedatur, sed ut ista omnino sine delectatione agantur. Sed profecto si ita est, sic fieri sunt concessa, quomodo ea nullatenus fieri possunt : nec rationabilis fuit permissio, quæ ita fieri concessit, quomodo eam certum est non posse fieri. Qua insuper ratione lex ad matrimonium olim cogebat, ut unusquisque semen relinqueret in Israel; vel Apostolus conjuges debitum invicem solvere compellit, si hæc nullatenus absque peccato fieri possunt? Quomodo in hoc debitum dicit, ubi jam necessario est peccatum? Aut quomodo quis ad hoc agendum est cogendus, in quo agendo Deum sit offensurus? Ex his, ut arbitror, liquidum est, nullam naturalem carnis delectationem peccato adscribendam esse, nec culpæ tribuendum in eo eos delectari, quo cum perventum sit, delectationem necesse est sentiri; veluti si quis religiosum aliquem vinculis constrictum inter feminas jacere compellat, et ille mollitie lecti, et circumstantium feminarum contactu in delectationem, non in consensum trahatur; quis hanc delectationem, quam natura facit necessariam, culpam appellare præsumat?

Quod si objicias, ut quibusdam videtur, delectationem carnis, in concubitu quoque legitimo peccatum imputari, cum David dicat[1] : « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. » Et Apostolus cum dixisset[2] : « Iterum revertimini in id

[1] *Psalm.* L, v. 7. — [2] *Corinth.* I, cap. VII, v. 5.

ipsum, etc., » tandem adjungat : « Hoc autem secundum indulgentiam dico, non secundum imperium, » magis nos auctoritate quam ratione videntur constringere, ut ipsam scilicet carnis delectationem peccatum fateamur : non enim in fornicatione, sed in matrimonio David conceptum fuisse constat; nec indulgentia, hoc est, venia, ut asserunt, intercedit, ubi culpa penitus absistit. Quantum vero mihi videtur quod ait David, in iniquitatibus vel peccatis fuisse se conceptum, nec addit quorum, generalem originalis peccati maledictionem induxit, qua videlicet unusquisque ex culpa priorum parentum damnationi subjicitur, juxta illud quod alibi scriptum est : « Nemo mundus a sorde, nec infans unius diei si sit vita ejus super terram. » Ut enim beatus meminit Hieronymus, et manifesta ratio habet, quamdiu anima infantili ætate constituta est, peccato caret. Si ergo a peccato munda est, quomodo sordibus peccati immunda est, nisi quia hoc de culpa, illud intelligendum est de pœna? Culpam quippe non habet ex contemptu Dei, qui quidem quid agere debeat, nondum ratione percipit; a sorde tamen peccati priorum parentum immunis non est, a qua jam pœnam contrahit, etsi non culpam, et sustinet in pœna quod illi commiserunt in culpa. Sic cum ait David, in iniquitaitbus vel peccatis se esse conceptum, generali sententiæ damnationis ex culpa priorum parentum se conspexit esse subjectum; nec tam ad proximos parentes, quam ad priores hæc delicta retorsit.

Quod vero Apostolus indulgentiam dixit, non ita, ut volunt, est accipiendum, ut indulgentiam permissionis veniam dixerit peccati. Tale quippe est quod ait : « secundum indulgentiam, non secundum imperium; » ac si diceret : secundum permissionem, non secundum coactionem. Si enim volunt conjuges, et pari consensu decreverint, abstinere possunt penitus ab usu carnis, nec per imperium ad eum sunt cogendi. Quod si non decreverint, indulgentiam habent, hoc est, permissionem ut a vita perfectiore in usum declinent laxioris vitæ. Non ergo Apostolus hoc loco indulgentiam intellexit veniam peccati, sed permissionem laxioris vitæ pro evitatione fornicationis, ut inferior vita peccati magnitudinem præveniret, et minor esset in meritis, ne major fieret in peccatis. Hæc autem ad hoc induximus ne quis volens forte omnem carnis delectationem esse peccatum, diceret ex actione ipsum peccatum augeri, cum quis videlicet consensum ipsum animi in exercitium duceret operationis, ut non solummodo consensu turpitudinis, verum etiam maculis contaminaretur actionis, tanquam si animam contaminare posset, quod exterius in corpore fieret. Nihil ergo ad augmentum peccati pertinet qualiscumque operum executio, et nihil animam nisi quod ipsius est, coinquinat, hoc est, consensus quem solummodo peccatum esse diximus in voluntate, eam præcedentem, vel actionem operis subsequentem. Etsi enim velimus vel faciamus quod non convenit, non ideo tamen

peccamus, cum hæc frequenter sine peccato contingant; sicut e converso, consensus sine istis, sicut jam ex parte monstravimus; de voluntate quidem sine consensu in eo qui incidit in concupiscentiam visæ mulieris, sive alieni fructus, nec tamen ad consensum pertractus est; de consensu vero malo sine mala concupiscentia, in illo qui invitus dominum suum interfecit.

De his autem quæ fieri non debent quam sæpe absque peccato fiant, cum per vim scilicet, aut ignorantiam committantur, neminem latere arbitror : veluti si quæ vim passa, cum viro alterius concubuerit; vel aliquis quoquo modo deceptus, cum ea dormierit, quam uxorem putavit; vel eum per errorem occiderit, quem a se tanquam a judice occidendum credidit. Non est itaque peccatum uxorem alterius concupiscere, vel cum ea concumbere, sed magis huic concupiscentiæ, vel actioni consentire, quem profecto consensum concupiscentiæ lex concupiscentiam vocat, cum ait[1] : « Non concupisces; » non enim concupiscere, quod vitare non possumus, vel in quo, ut dictum est, non peccamus, prohiberi debuit, sed assentire illi. Sic et illud intelligendum est, quod ait Dominus[2] : « Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam; » hoc est : qui viderit sic, ut in concupiscentiæ consensum incidat, « jam mœchatus est in corde suo, » etsi non mœchatus sit in opere; hoc est, jam peccati reatum habet, etsi adhuc effectu caret.

Et si diligenter consideremus, ubicumque opera sub præcepto, vel prohibitione concludi videntur, magis hæc ad voluntatem, vel consensum operum, quam ad ipsa opera referenda sunt : alioquin nihil quod ad meritum pertineat, sub præcepto poneretur; et tanto minus præceptione sunt digna, quanto minus in nostra potestate sunt constituta. Multa quippe sunt, a quibus operari perhibemur, voluntatem vero semper et consensum in nostro habemus arbitrio. Ecce Dominus ait[3] : « Non occides. Non falsum testimonium dices. » Quæ si de operatione tantum, ut verba sonant, accipiamus, nequaquam reatus interdicitur, nec culpa sic prohibetur, sed actio culpæ. Non enim hominem occidere peccatum est, nec concumbere cum aliena uxore, quæ nonnunquam absque peccato committi possunt : neque enim ille qui falsum testimonium vult dicere, vel etiam in dicendo consentit, dummodo illud non dicat, quacumque de causa reticens, reus legis efficitur, si prohibitio hujus modi de opere, sicut verba sonant, accipiatur. Non enim dictum est, ut non velimus falsum testimonium dicere, vel ore in dicendo consentiamus, sed solummodo, ne dicamus. Aut cum lex prohibet, ne sorores nostras ducamus, vel eis permisceamur, nemo qui hoc præceptum servare possit, cum nemo sorores suas recognoscere queat,

[1] *Deut.*, cap. v, v. 21. — [2] Matth., cap. v, v. 28. — [3] *Deut.*, cap. v. 17 et 20

nemo, inquam, si de actu potius quam de consensu prohibitio fiat. Cum itaque accidit, ut quis per ignorantiam ducat sororem suam, nunquid transgressor præcepti est, quia facit quod facere lex prohibuit? Non est, inquies, transgressor, quia transgressioni non consensit in eo quod ignoranter egit. Sicut ergo transgressor non est dicendus qui facit quod prohibetur, sed qui consentit in hoc quod constat esse prohibitum : ita, nec prohibitio de opere, sed de consensu est accipienda, ut videlicet cum dicitur : « Ne facias hoc vel illud, » tale sit : Ne consentias in hoc vel illo faciendo; ac si dicatur : « Ne scienter hoc præsumas. » Quod et Beatus diligenter considerans Augustinus, omne peccatum vel prohibitionem ad charitatem seu cupiditatem potius quam ad opera reducens, ait : « Nihil præcipit lex, nisi charitatem, et nihil prohibet, nisi cupiditatem. » Unde et Apostolus[1] : « Omnis lex, inquit, in uno sermone completur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. » Et rursum : « Plenitudo legis est dilectio. » Nihil quippe ad meritum refert, utrum eleemosynam indigenti tribuas, et te paratum tribuere charitas faciat, et præsto sit voluntas cum desit facultas; nec in te remaneat facere quod potes, quocumque præpediaris casu. Constat quippe opera quæ fieri convenit, aut minime, æque a bonis, sicut a malis hominibus geri, quos intentio sola separat. In eodem quippe facto, ut prædictus Doctor meminit, in quo videmus Deum Patrem et Dominum Jesum-Christum, videmus et Judam proditorem. Facta quippe est a Deo Patre traditio Filii; facta est et a Filio; facta est et a proditore illo : cum et « Pater Filium tradidit et Filius seipsum[2], » ut Apostolus meminit, et Judas magistrum. Fecit ergo proditor quod et Deus; sed nunquid ille bene fecit? Nam etsi bonum, non utique bene, vel quod ei prodesse debuerit. Non enim quæ fiant, sed quo animo fiant, pensat Deus; nec in opere sed in intentione meritum operantis, vel laus consistit. Sæpe quippe idem a diversis agitur : per justitiam unius et per nequitiam alterius : ut si unum reum duo suspendant, ille quidem zelo justitiæ, hic antiquæ odio inimicitiæ, et cum sit suspensionis eadem actio, et utique quod bonum est fieri, et quod justitia exigit, agant, per diversitatem tamen intentionis idem a diversis fit, ab uno male, ab altero bene.

Quis denique ipsum diabolum nihil facere ignoret, nisi quod a Deo facere permittitur, cum vel iniquum punit pro meritis; vel ad purgationem, vel ad exemplum patientiæ justum aliquem permittitur affligere? Sed quia id quod agere eum Deus permittit, nequitia sua stimulante agit, sic potestas ejus bona dicitur vel etiam justa, ut voluntas ejus semper sit injusta. Hanc enim a Deo accipit, illam a se habet. Quis etiam electorum in his quæ ad opera pertinent, hypocritis

[1] *Rom.*, cap. XIII, v. 8 et 10. — [2] *Rom.*, cap. VIII, v. 32; *Galat.*, cap. II, v. 20.

potest adæquari? Quis tanta sustinet vel agit amore Dei, quanta illi cupiditate humanæ laudis? Quis denique nesciat nonnunquam ea quæ Deus prohibet fieri, recte geri, vel esse facienda : sicut e contrario, non nulla quandoque præcipi, quæ tamen fieri minime convenit? Ecce enim non nulla ejus novimus miracula, quibus cum infirmitates curaverit, revelari prohibuit ad exemplum scilicet humilitatis, ne quis forte de gratia sibi collata simili gloriam appeteret. Nec tamen minus illi qui beneficia illa susceperant, publicare illa cessabant, ad honorem scilicet ejus, qui et illa fecerat, et revelari prohibuerat : de qualibus scriptum est[1] : « Quanto eis præcipiebat ne dicerent, tanto plus prædicabant, etc. » Nunquid tales reos transgressionis judicabis, qui contra præceptum quod acceperant egerunt, atque hoc etiam scienter? Quid eos excuset a transgressione, nisi quia nihil egerunt per contemptum præcipientis, quod ad honorem ipsius facere decreverunt? Dic, obsecro, si præcepit Christus quod præcipiendum non fuit, aut si illi dimiserunt, quod tenendum fuit? Fuit bonum præcipi, quod non fuit bonum fieri. Utique et in Abraham accusabis Dominum, cui primum præcepit de immolando filio, quod postmodum ipse inhibuit. Nunquid non bene præcepit Deus id fieri, quod non erat bonum fieri? Si enim bonnm, quomodo postea prohibitum? Si autem idem et bonum fuit præcipi, et bonum prohiberi, nec enim quicquam absque rationabili causa Deus permittit, nedum[2] facere consentit, vides quia sola intentio præcepti, non actio facti Deum excusat, cum id bene præcepit, quod non est bonum fieri. Non enim Deus ad hoc intendebat, vel agi præcipiebat, ut Abraham filium immolaret; sed ut ex hoc maxime obedientia ejus, et constantia fidei vel amoris in eum probaretur, et in exemplo nobis relinqueretur. Hoc quippe patenter et Dominus ipse postmodum profitetur cum ait[3] : Nunc cognovi quod timeas Dominum; » ac si aperte diceret : Ad hoc istud tibi præcepi ad quod te paratum exhibuisti; ut ab aliis facerem cognosci, quod ante secula de te ipse cognoveram. Recta igitur hæc intentio Dei fuit in facto quod rectum non fuit; et sic recta prohibitio ejus in illis quæ diximus, quæ ad hoc prohibuit, non ut prohibitio teneretur, sed ut vitandæ inanis gloriæ nobis infirmis exempla darentur. Præcepit itaque Deus quod fieri bonum non fuit; sicut e contrario prohibuit, quod fieri bonum fuit. Et sicut ibi excusat eum intentio, ita et hic eos, qui præceptum opere non impleverunt. Sciebant quippe non ob hoc eum præcepisse, ut teneretur, sed ut prædictum exemplum præponeretur. Salva itaque voluntate jubentis, non eum contempserunt; cujus voluntati se non esse contrarios intellexerunt.

Si ergo opera magis quam intentionem pensemus, videbimus non nunquam

[1] *Marc.*, cap. VII, v. 36. — [2] Cod. *Necdum.* — [3] *Genes*, cap. XXII, v. 12.

contra præceptum Dei non solum velle fieri, verum etiam fieri aliquid, et hoc scienter, sine ullo reatu peccati; nec malam voluntatem vel actionem ideo esse dicendam, quia præceptum Dei non servat in opere, cum a voluntate præcipientis non discrepat ejus intentio cui præceptio fit. Sic enim intentio jubentis excusat ipsum, qui præcipit fieri quod tamen minime convenit fieri : ita et eum cui fit præceptio, excusat charitatis intentio.

Ut ergo brevi conclusione supra dicta colligam, quatuor sunt quæ præmisimus, ut ab invicem ipsa diligenter distingueremus : vitium scilicet animi, quod ad peccandum pronos efficit; ac postmodum ipsum peccatum, quod in consensu mali, vel contemptu Dei statuimus, deinde mali voluntatem malique operationem. Sicut autem non idem est velle, quod voluntatem implere; ita non idem est peccare, quod peccatum perficere. Illud quippe de consensu animi, quo peccamus; hoc de effectu operationis est accipiendum, cum videlicet illud, in quo prius consensimus, opere implemus. Cum ergo peccatum, vel tentationem tribus modis dicimus peragi, suggestione scilicet, delectatione, consensu, ita est intelligendum, quod ad operationem peccati per hæc tria frequenter deducimur, sicut in primis contigit parentibus. Persuasio quippe diaboli præcessit, cum ex gustu vetitæ arboris immortalitatem promisit; delectatio successit, cum mulier videns lignum pulchrum et ipsum intelligens suave ad vescendum, in concupiscentiam ejus exarsit, cibi voluptate, quam credebat correpta. Quæ cum reprimere concupiscentiam deberet, ut præceptum servaret, consentiendo in peccatum tracta est. Quod etiam peccatum cum per pœnitentiam deberet corrigere, ut veniam mereretur, ipsum denique consummavit in opere; et ita tribus gradibus ad perpetrandum peccatum incessit. Sic et nos frequenter non ad peccandum, sed ad peccati perpetrationem, iisdem passionibus pervenimus, suggestione scilicet, hoc est, exhortatione alicujus nos incitantis ad agendum quod non convenit. Quod quidem agere si delectabile noverimus, ante ipsum etiam factum ipsius facti delectatione mens nostra corripitur, et ipsa cogitatione per delectationem tentamur. Cui videlicet delectationi dum assentimus per consensum, peccamus. His tandem tribus ad operationem peccati pervenimus.

Sunt qui suggestionem carnis, etiamsi persona suggerens desit, comprehendi nomine suggestionis velint, veluti si quis visa muliere, in concupiscentiam ejus incidat. Sed hæc profecto suggestio nihil aliud quam delectatio videtur esse dicenda; quam quidem delectationem quasi necessariam factam et cæteras hujusmodi, quas non peccatum esse supra meminimus, humanam tentationem Apostolus vocat cum ait[1] : « Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Fidelis

[1] *Corinth.* I, cap. x, v. 13.

autem Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis : sed faciet cum tentatione proventum ut possitis sustinere. » Tentatio autem generaliter dicitur quæcumque inclinatio animi ad aliquid agendum quod non convenit, sive illa voluntas sit, sive consensus. Humana vero tentatio dicitur, sine qua jam humana infirmitas vix aut nunquam subsistere potest, ut concupiscentia carnalis, vel delectabilis cibi desiderium, a quibus se liberari postulabat qui dicebat[1] : « De necessitatibus meis erue me, Domine ; » hoc est, de his tentationibus concupiscentiarum, quæ quasi naturales ac necessariæ jam factæ sunt, ne ad consensum pertrahant, vel vita ista, plena tentationibus, finita, prorsus eis caream. Quod ergo ait Apostolus : « Tentatio vos non apprehendat nisi humana, » consimilis sententia est ac si diceret : Si inclinatur animus ex delectatione quæ est, ut diximus, humana tentatio, non usque ad consensum pertrahat, in quo peccatum consistit. Quod quasi aliquis quæreret, qua nostra virtute concupiscentiis istis possumus resistere? Fidelis, inquit, Deus qui non patietur vos tentari. Tanquam si diceret : De ipso potius est confidendum, quam de nobis præsumendum, qui nobis auxilium promittens, in omnibus verax est promissis, quod est, eum fidelem esse, ut ei scilicet de omnibus adhibenda sit fides. Tunc vero non patitur nos tentari supra id quod possumus, cum per misericordiam suam ita hanc tentationem humanam temperat, ut non plus ad peccatum premat, quam perferre possimus, ei videlicet resistendo. Tunc autem insuper hanc ipsam tentationem nobis convertit ad commodum, dum per eam sic nos exercet, ut deinceps cum occurrerit, minus gravare possit, et jam minus impetum hostis timeamus, de quo jam triumphavimus et perferre novimus. Omnis quippe pugna quam nondum experti sumus, gravius sustinemus et amplius formidamus[2]. Cum vero in consuetudinem victoribus venerit, pariter virtus ejus et metus evanescit.

CAPUT IV.

De suggestionibus dæmonum.

Sunt autem suggestiones non solum hominum, sed et dæmonum : quia et isti non nunquam ad peccatum nos incitant non tam verbis quam factis. Periti quippe naturæ rerum tam ingenii subtilitate, quam longa experientia, unde et dæmones, hoc est, scientes sunt appellati, noverunt vires rerum naturales, unde ad libidinem, vel ad cæteros impetus humana infirmitas facile poss

[1] *Psalm.* XXIV, v. 17. — [2] Sic in codice legebatur.

commoveri. Sic et in languorem, Deo permittente, nonnunquam aliquos mittunt, ac postmodum supplicantibus sibi remedia conferunt, et frequenter cum cessant lædere, curare creduntur. Denique in Ægypto multa contra Moysem mirabiliter operari per magos sunt permissi, ac quidem naturali vi rerum, quam noverant, non tam eorum quæ faciebant creatores dicendi quam compositores : velut si quis juxta documentum Virgilii[1], tunsa carne tauri apes inde fieri laborando efficeret, non tam apum creator quam naturæ præparator dicendus esset. Ex hac itaque rerum peritia quam habent in earum naturis dæmones nos in libidinem, vel cæteras animi passiones commovent, quacumque arte nobis ignorantibus eas admovendo, sive in gustu, sive in tactu[2] eas ponendo, vel quolibet modo eas interius vel exterius collocando. Multæ quippe sunt in herbis, vel seminibus, vel tam arborum quam lapidum naturis vires ad commovendos vel pacandos animos nostros aptæ, quas qui diligenter nossent, hoc agere facile possent.

CAPUT V.

Cur opera peccati magis quam ipsum puniatur.

Sunt etiam qui non mediocriter moventur, cum audiunt nos dicere opus peccati non proprie peccatum dici, vel quicquam non addere ad peccati augmentum, cur gravior satisfactio pœnitentibus injungatur de operis effectu quam de culpæ reatu. Quibus quidem hoc primum respondeo, cur non præcipue mirentur pro eo, quod non nunquam magna satisfactionis instituitur pœna, ubi nulla intercesserit culpa ; et eos quandoque punire debeamus, quos innocentes scimus ? Ecce enim pauper aliqua mulier infantulum habet lactentem, nec tantum indumentorum habet, ut et parvulo in cunis, et sibi sufficere possit. Miseratione itaque infantuli commota, eum sibi apponit, ut propriis insuper foveat pannis, et tandem infirmitate ejus vi naturæ superata, opprimere cogitur quem amore summo amplectitur. « Habe, inquit Augustinus, charitatem et fac quidquid vis. » Quæ tamen pro satisfactione, cum ad Episcopum venerit, gravis ei pœna injungitur, non pro culpa quam commiserit, sed ut ipsa deinceps vel cæteræ feminæ in talibus providendis cautiores reddantur. Nonnunquam etiam contingit aliquem ab inimicis suis apud judicem accusari, et tale quid illi imponi, unde illum innocentem esse judex cognoscit. Quia tamen illi instant, et audientiam in judicio postulant, statuto die causam ingrediuntur, testes proferunt licet falsos ad eum quem accusant, convincendum : quos tamen testes cum nequa-

[1] *Georg.*, lib. IV, v. 310. — [2] Pezius *Stratu.*]

quam judex manifestis de causis refellere possit, eos suscipere lege compellitur; et eorum probatione suscepta, punire innocentem debet, qui puniri non debet. Itaque punire debet, licet non meruerit, cum tamen lege præcipiente hoc juste judex peragit. Ex his itaque liquet non nunquam pœnam rationabiliter injungi ei in quo nulla culpa præcessit. Quid igitur mirum, si ubi culpa præcesserit, operatio subsecuta pœnam augeat apud homines in hac vita, non apud Deum in futura? Non enim homines de occultis, sed de manifestis judicant, nec tam culpæ reatum, quam operis pensant effectum. Deus vero solus qui non tam quæ sunt, quam quo animo fiant, attendit, veraciter in intentione nostra reatum pensat, et vero judicio culpam examinat : unde et « probator cordis et renum[1] » dicitur, et in abscondito videre[2]. Ibi enim maxime videt ubi nemo videt : quia in puniendo peccatum, non opus adtendit, sed animum; sicut nos e converso non animum quem non videmus, sed opus quod novimus. Unde sæpe per errorem, vel per legis, ut diximus, coactionem, innocentes punimus, vel noxios absolvimus. Probator cordis et renum dicitur Deus; hoc est, quarumlibet intentionum ex affectione animæ, vel infirmitate, seu delectatione carnis provenientium.

CAPUT VI.

De peccatis spiritualibus vel carnalibus.

Cum enim omnia peccata sint animæ tantum, non carnis, ibi quippe culpa et contemptus Dei esse potest, ubi ejus notitia et ratio consistere habet, quædam tamen peccata spiritualia, quædam carnalia dicuntur, hoc est, quædam ex vitiis animæ, quædam ex infirmitate carnis provenientia. Et quamvis concupiscentia solius sit animæ, sicut et voluntas, non enim concupiscere vel desiderare aliquid nisi volendo possumus, concupiscentia tamen carnis, sicut et concupiscentia spiritus dicitur : Caro enim, ait Apostolus[3], concupiscit adversus Spiritum et Spiritus adversus carnem; hoc est, ex delectatione quam habet in carne, quædam appetit, quæ tamen judicio rationis refugit, vel appetenda censet.

[1] *Probator justi qui vides cor. et renes.*, Jerem., cap. xx, v. 12. — [2] *Vides quæ faciunt unusquisque in abscondito.* Ezech., cap. VIII, v. 12. — [3] *Galat.*, cap. v, v. 17.

CAPUT VII.

Cur Deus dicatur inspector carnis et renum.

Juxta igitur hæc duo, concupiscentiam carnis et concupiscentiam animæ, quæ præmisimus, probator cordis et renum dictus est Deus, hoc est, inspector intentionum vel consensuum inde provenientium. Nos vero qui hoc discutere ac judicare non valemus, ad opera maxima judicium nostrum convertimus, nec tam culpas quam opera punimus, nec in aliquo tam quod ejus animæ nocet, quam quod aliis nocere possit vindicare studemus, ut magis publica præveniamus damna, quam singularia corrigamus, juxta quod et Dominus Petro ait[1] : « Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum solum. » Quid est : « Peccaverit in te, » quasi non in alium, ut magis injurias nobis quam aliis illatas corrigere vel vindicare debeamus? Absit : « Si peccaverit in te, » dixit cum manifeste agit unde te per exemplum corrumpere possit. Quod si enim in se tantum peccat, cum culpa ejus occulta eum solum reum constituit, non ad reatum alios quantum in se est per exemplum trahit. Etsi enim desunt qui malam ejus actionem imitentur vel etiam cognoverint, actio tamen ipsa magis quam animi culpa castiganda est apud homines : quia plus offensæ contrahere potuit, et perniciosius per exemplum fieri, quam culpa latens animi. Omne namque quod in communem perniciem, vel in publicum redundare potest incommodum, castigatione majori est puniendum, et quod contrahit majorem offensam, graviorem inter nos promeretur pœnam, et majus hominum scandalum majus inter homines incurrit supplicium, etsi levior præcessit culpa. Ponamus enim aliquem coitu suo mulierem aliquam corrupisse in ecclesia : quod cum ad aures populi delatum fuerit, non tantum de violatione feminæ ac veri templi Dei, quantum de infractione corporalis templi commoventur; cum tamen gravius sit in mulierem, quam in parietes præsumere, et homini quam loco injuriam inferre. Et incendia domorum majori pœna vindicamus, quam in peracta fornicatione, cum longe apud Deum hæc illis habentur graviora.

Et hæc quidem non tam justitiæ debito, quam dispensationis aguntur temperamento, ut quemadmodum diximus, publica præveniendo damna communi consulamus utilitati. Sæpe igitur minima peccata majoribus pœnis vindicamus, non tam æquitate justitiæ adtendentes, quæ culpa præcesserit, quam discretione providentiæ cogitantes, quanta hinc contingere possit incommoditas, si leviter

[1] Matth., cap. XVIII, v. 15.

puniatur. Culpas itaque animi divino reservantes judicio, effecta earum de quibus judicare habemus, prosequimur nostro, dispensationem in talibus, hoc est prudentiæ, quam diximus, rationem magis quam æquitatis adtendentes puritatem. Deus vero unius cujusque pœnam secundum culpæ quantitatem disponit, et quicumque ipsum æqualiter contemnunt, æquali postmodum pœna puniuntur, cujusque conditionis aut professionis sint. Si enim monachus et laicus in consensum fornicationis pariter veniant, et mens quoque laici in tantum sit accensa, ut neque ipse, si monachus esset, pro reverentia Dei ab ista turpitudine desisteret, eamdem quam monachus pœnam meretur. Sic et de illis sentiendum est quorum alter manifeste peccans multos scandalizat, ac per exemplum corrumpit; alter vero, cum occulte peccet, soli sibi nocet. Si enim qui occulte peccat, in eodem, quo ille, proposito et pari contemptu Dei existit, ut quod alios non corrumpit, fortuitu magis eveniat, quam ipse propter Deum dimittat, qui nec sibi ipsi propter Deum temperat, profecto pari reatu apud Deum constringitur. Solum quippe animum in remuneratione boni vel mali, non effecta operum Deus adtendit, nec quid de culpa vel bona voluntate nostra proveniat pensat, sed ipsum animum in proposito suæ intentionis, non in effectu exterioris operis dijudicat. Opera quippe quæ, ut prædiximus, æque reprobis ut electis communia sunt, omniaque in se indifferentia, nec nisi pro intentione agentis bona vel mala dicenda sunt, non videlicet quia bonum vel malum sit ea fieri, sed quia bene vel male fiunt, hoc est, ea intentione qua convenit fieri, aut minime. Nam, ut beatus meminit Augustinus, ipsum malum esse bonum est, cum eo quoque bene utatur Deus, nec aliter ipsum esse permittat, cum tamen ipsum nequaquam sit bonum. Cum itaque dicimus intentionem hominis bonam, et opus illius bonum, duo quidem distinguimus, intentionem scilicet ac opus, nec unam tamen bonitatem intentionis; veluti si dicamus bonum hominem, et filium boni hominis, duos quidem homines, non duas bonitates figuramus. Sicut ergo homo bonus ex propria bonitate dicitur, filius autem boni hominis cum dicitur nihil in se boni habere, ex hoc monstratur : ita cujusque intentio bona in se vocatur, opus vero bonum non ex se appellatur quod ex bona procedat intentione. Una itaque est bonitas, unde tam intentio quam operatio bona dicitur, sicut una est bonitas, ex qua bonus homo, et filius hominis boni appellatur; vel una bonitas, ex qua bonus homo, et bona hominis voluntas dicitur.

Qui ergo solent objicere operationem quoque intentionis remuneratione dignam esse, vel ad aliquod remunerationis augmentum proficere, adtendant quod nugatoria eorum sit objectio. Duo, inquiunt, bona sunt, intentio bona et bonæ intentionis effectus, et bonum bono adjunctum plus aliquid valere quam singula debet.

Quibus respondeo : quod si ponamus plus illud totum valere quam singula ; nunquid ideo majori remuneratione dignum cogimur concedere? Non utique. Multa quippe sunt tam animata quam inanimata, quorum multitudo ad plura utilis est, quam unumquodque in ea multitudine comprehensum, quibus tamen omnibus nulla prorsus remuneratio debetur. Ecce enim bos bovi vel equo adjunctus, sive lignum ligno vel ferro, res quidem bonæ sunt, et plus eorum multitudo quam singula valet, cum tamen nihil omnino remunerationis amplius habeat.

Revera, inquies, ita est ; quia non sunt talia quæ mereri possint, cum ratione careant. Sed nunquid opus nostrum rationem habet, ut mereri possit ? Nequaquam , inquies ; sed tamen mereri opus dicitur, quia nos mereri facit, hoc est, dignos remuneratione, vel saltem majore. Sed hoc profecto supra negavimus, et cur negandum sit extra ea quæ diximus, accipe. Sunt duo in eodem proposito ædificandi domos pauperum, alter devotionis suæ affectum implet, alter vero pecunia quam præparaverat, sibi violenter ablata, quod proposuit consummare non permittitur, nulla sui culpa interveniente, sed sola eum violentia præpediente. Nunquid ejus meritum id quod exterius est actum, minuere potuit apud Deum, aut malitia alterius eum minus acceptabilem Deo facere potuit, qui, quantumcumque potuit, pro Deo fecit? Alioquin magnitudo pecuniæ unumquemque meliorem ac digniorem facere posset, si videlicet ad meritum vel augmentum meriti proficere ipsa posset, et quo ditiores homines essent, meliores fieri possent, cum ipsi ex copia divitiarum devotioni suæ plus possent in operibus addere. Quod quidem existimare, ut opes scilicet ad veram beatitudinem, vel ad animæ dignitatem quicquam valeant conferre, vel de meritis pauperum quicquam auferre, summa est insania. Si autem animam meliorem efficere non potest possessio rerum, utique nec eam Deo cariorem facere potest, nec eam in beatitudine meriti quicquam obtinere.

CAPUT VIII.

De remuneratione operum exteriorum.

Nec tamen negamus in hac vita bonis istis operibus vel malis aliquid tribui, ut ex præsenti retributione in præmio vel pœna amplius ad bona incitemur, vel a malis retrahamur; et de aliis alii exempla sumant in faciendis quæ conveniunt, vel cavendis quæ non conveniunt.

CAPUT IX.

Quod Deus et homo in Christo uniti non sit melius aliquid quam solus Deus.

Denique ut ad præmissa redeamus, ubi videlicet dictum est, quia bonum bono additum quiddam melius efficit quam unumquodque eorum per se sit; vide ne illuc usque ducaris, ut Christum, id est, Deum et hominem sive invicem in persona unitos melius quiddam dicas quam ipsa Christi divinitas vel humanitas sit, hoc est, ipse Deus homini unitus, vel ipse homo a Deo assumptus. Constat quippe in Christo tam assumptum hominem, quam Deum assumentem esse bonum, et utramque substantiam non nisi bonam intelligi posse : sicut et in singulis hominibus tam corporea quam incorporea substantia bona est, licet ad dignitatem vel meritum animæ bonitas corporis nihil referat. At vero quis totum id quod Christus dicitur, hoc est simul Deum et hominem, vel quamcumque rerum multitudinem Deo præferre audebit, tanquam eo melius aliquid esse possit, qui et summum bonum est, et ab ipso quidquid boni habent, accipiunt omnia ? Quamvis enim ad aliquid agendum nonnulla ita necessaria esse videantur, ut non id facere Deus sine illis possit tanquam quibusdam adminiculis, vel primordialibus causis; nihil tamen, quantacumque sit rerum magnitudo, Deo melius dici potest. Etsi enim bonarum rerum numerus constat, ut bonitas in pluribus sit, non ideo bonitatem majorem esse contingit : velut si scientia in pluribus abundet, aut scientiarum numerus crescat, non ideo scientiam cujusque crescere necesse est, ut major scilicet fiat quam prius. Sic et cum in se Deus bonus sit et innumerabilia creet, quæ nec esse, nec bona esse nisi per illum habent, bonitas per eum in pluribus est, ut major sit numerus bonarum rerum, nulla tamen bonitas ejus bonitati præferri vel æquari potest. Bonitas quippe in homine et bonitas in Deo est, et cum diversæ sint substantiæ vel naturæ quibus bonitas inest, nullius tamen rei bonitas divinæ præferri vel æquari potest; ac per hoc nihil melius, hoc est, majus bonum quam Deus, vel æque bonum dicendum est.

CAPUT X.

Quod multitudo bonorum non est melius uno bonorum.

In opere vero et intentione nec bonitatum aut bonarum rerum numerus consistere videtur. Cum enim bona intentio et bona operatio dicitur, hoc est, ex bona intentione procedens, sola bonitas intentionis designatur; nec in eadem significatione nomen boni retinetur, ut plura bona dicere possimus. Nam et cum dicimus simplicem hominem esse, et simplicem dictionem; non ideo hæc esse concedimus plura simplicia, cum hoc nomen *simplex* aliter hic, et aliter ibi sumatur. Nemo ergo nos cogat, ut cum bonæ intentioni bona operatio additur, concedamus, bonum bono superaddi tanquam plura sint bona, pro quibus remuneratio crescere debeat, cum, ut dictum est, nec plura bona recte dicere possimus illa, quibus boni vocabulum nequaquam uno modo convenit.

CAPUT XI.

Quod intentione bona sit opus bonum.

Bonam quippe intentionem, hoc est, rectam in se dicimus: operationem vero, non quod boni aliquid in se suscipiat, sed quod ex bona intentione procedat. Unde et ab eodem homine cum in diversis temporibus idem fiat, pro diversitate tamen intentionis ejus operatio modo bona, modo mala dicitur, et ita circa bonum et malum variari videtur. Sicut hæc propositio *Socrates sedet*, vel ejus intellectus circa verum et falsum variatur, modo Socrate sedente, modo stante. Quam quidem permutationem varietatis circa verum et falsum ita in his Aristoteles contingere dicit, non quod ipsa, quæ circa verum vel falsum mutantur, aliquid suscipiant sui mutatione, sed quod res subjecta, id est, Socrates, in se ipso moveatur, de sessione scilicet ad stationem, vel e converso.

CAPUT XII.

Unde bona intentio sit dicenda.

Sunt autem qui bonam vel rectam intentionem esse arbitrantur, quotiescumque se aliquis bene agere credit, et Deo placere id quod facit; sicut et illi

qui Martyres persequebantur, de quibus Veritas in Evangelio[1] : « Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. » Qualium ignorantiæ Apostolus quidem compatiens ait[2] : « Testimonium illis perhibeo, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam ; » hoc est, magnum fervorem habent ac desiderium in his faciendis, quæ Deo placere credunt ; sed quia in hoc animi sui zelo vel studio decipiuntur, erronea est eorum intentio, nec simplex est oculus cordis, ut clare videre queat, hoc est, ab errore sibi providere. Diligenter itaque Dominus, cum secundum intentionem rectam vel non rectam opera distingueret, oculum mentis, hoc est, intentionem « simplicem » et quasi a sorde puram, ut clare videre posset, aut e contrario « tenebrosam » vocavit, cum diceret[3] : Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, » hoc est, si intentio recta fuerit, tota massa operum inde provenientium, quæ more corporalium rerum videri possit, erit luce digna, hoc est bona : sic e contrario. Non est itaque intentio bona dicenda, quia bona videtur, sed insuper quia talis est, sicut existimatur ; cum videlicet illud ad quod tendit, si Deo placere credit, in hac insuper existimatione sua nequaquam fallatur. Alioquin ipsi etiam infideles sicut et nos bona opera haberent, cum ipsi etiam non minus quam nos per opera sua se salvari, vel Deo placere credant.

CAPUT XIII.

Quod peccatum non est nisi contra conscientiam.

Si quis tamen quærat utrum illi Martyrum vel Christi persecutores in eo peccarent quod placere Deo credebant ; aut illud sine peccato dimittere possent, quod nullatenus esse dimittendum censebant, profecto secundum hoc quod superius peccatum esse descripsimus contemptum Dei, vel consentire in eo, in quod credit consentiendum non esse, non possumus dicere eos in hoc peccasse, nec ignorantiam cujusquam, vel ipsam etiam infidelitatem, cum qua nemo salvari potest, peccatum esse. Qui enim Christum ignorant, et ob hoc fidem Christianam respuunt, quia eam Deo contrariam credunt, quem in hoc Dei contemptum habent quod propter Deum faciunt, et ob hoc bene se facere arbitrantur, præsertim cum Apostolus dicat[4] « Si cor nostrumn on reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum : « tanquam si diceret : Ubi contra conscientiam nostram non præsumimus, frustra nos apud Deum de culpa reos statui formidamus? Aut si talium ignorantia peccato minime est ascribenda, quomodo

[1] Joan., cap. XVI, v. 2. — [2] *Rom.*, cap. X, v. 2. — [3] Matth., cap. VI, v. 22. — [4] Joan. I, cap. III, v. 21.

ipse Dominus pro crucifigentibus se orat dicens[1] : Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt : vel Stephanus hoc instructus exemplo pro lapidantibus supplicans ait[2] : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Non enim ignoscendum videtur, ubi culpa non præcessit; nec aliud solet dici ignosci, nisi pœnam condonari quam culpa meruit. Stephanus insuper peccatum patenter appellat, quod de ignorantia erat.

CAPUT XIV.

Quot modis peccatum dicatur?

Sed ut objectis plenius respondeamus, sciendum est nomen peccati diversis modis accipi : proprie tamen peccatum dicitur ipse Dei contemptus, vel consensus in malum, ut supra meminimus : a quo parvuli sunt immunes, et naturaliter stulti, qui cum merita non habeant tanquam ratione carentes, nihil eis ad peccatum imputatur, et solummodo per sacramenta salvantur. Dicitur etiam peccatum hostia pro peccato, secundum quod Apostolus Jesum Christum dicit factum esse peccatum[3]. Pœna etiam peccati dicitur peccatum sive maledictum, juxta quod dicimus peccatum dimitti, hoc est pœnam condonari, et Dominum Jesum portasse peccata nostra, hoc est pœnam peccatorum nostrorum, vel ex eis provenientes sustinuisse. Sed cum parvulos originale peccatum dicimus habere, vel nos omnes, secundum Apostolum, in Adam peccasse, tale est, ac si diceretur a peccato illius originem nostræ pœnæ vel damnationis sententiam incurrisse. Opera quoque ipsa peccati, vel quidquid non recte scimus aut volumus, non nunquam peccata dicimus. Quis est enim aliquem fecisse peccatum, nisi peccati implesse effectum? Nec mirum : cum e converso ipsa peccata vocemus facta, juxta illud Athanasii : « Et reddituri sunt, inquit, de factis propriis rationem, et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum. » Quid est enim de factis propriis? An tanquam de his tantum quæ opere impleverunt, faciendum sit judicium, ut plus accipiat in remuneratione qui plus habuerit in opere? vel a damnatione sit immunis, qui in eo quod intendit, effectu caruit, sicut ipse diabolus qui, quod præsumpsit affectu, non obtinuit effectu? Absit. De factis itaque propriis dicit de consensu eorum quæ implere decreverunt, hoc est de peccatis quæ apud Dominum pro opere facti deputantur; cum ille scilicet sic puniat illa sicuti nos opera. Cum autem Stephanus peccatum dicit, quod per ignorantiam in ipsum committebant Judæi, pœnam ipsam quam patiebatur ex peccato primorum parentum, sicut et ceteras provenientes : vel

[1] Luc., cap. XXIII, v. 34. — [2] *Act. Apost.*, cap. VII, v. 59. — [3] *Corinth.* II, cap. V, v. 21.

injustam eorum actionem quam habebant in lapidando, peccatum dixit. Quod quidem rogabat eis non statui, hoc est, propter hoc eos nec corporaliter puniri. Sæpe etenim Deus aliquos hic corporaliter punit, nulla eorum culpa hoc exigente, nec tamen sine causa, veluti cum justis etiam afflictiones immittit ad aliquam eorum purgationem vel probationem, vel aliquos cum affligi permittit, ut postmodum hinc liberentur, et ex collato beneficio glorificetur, sicut in illo cæco actum est, de quo ipse ait[1] : « Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ut cæcus nasceretur, sed ut manifestentur opera Dei in illo. » Quis etiam neget quandoque cum malis parentibus pro culpa eorum innocentes filios periclitari, vel affligi, sicut in Sodomis factum est, vel in multis populis sæpe contingit, ut quo pœna magis extenditur, amplius mali terreantur? Quod diligenter Beatus Stephanus adtendens, peccatum, hoc est pœnam quam tolerabat a Judæis, vel id quod non recte agebant, orabat eis non statui, hoc est propter hoc nec corporaliter puniri.

In hac quoque sententia Dominus fuerat, cum dicebat[2] : « Pater, dimitte illis, id est : Ne vindices id quod agunt in me, vel corporali pœna : quod quidem fieri rationabiliter posset, si nulla etiam culpa eorum præcessisset, ut cæteri scilicet hoc videntes vel ipsi etiam recognoscerent ex pœna se non recte in hoc egisse. At vero Dominum decebat hoc suæ orationis exemplo nos maxime ad patientiæ virtutem et ad summæ dilectionis exhibitionem exhortari, ut quod ipse docuerat verbis nos, videlicet pro inimicis quoque orare, proprio exemplo nobis exhiberet in opere. Quod ergo dixit : « dimitte, » non ad culpam præcedentem, vel contemptum Dei, quem hic haberent, respexit, sed ad rationem inferendæ pœnæ, quæ non sine causa, ut diximus, subsequi posset, quamvis culpa non præcessisset : sicut in Propheta contigit, qui contra Samariam missus, comedendo egit quod Dominus prohibuerat; in quo tamen, cum nihil per Dei contemptum præsumeret, sed per alium Prophetam deceptus, non tam ex reatu culpæ quam ex operis perpetratione innocentia ejus mortem incurrit[3]. « Deus quippe, ut Beatus meminit Gregorius, nonnunquam sententiam mutat, consilium vero nunquam » : hoc est, quod præcipere vel comminari aliqua de causa decrevit, sæpe id non implere disponit. Consilium vero ejus fixum permanet, hoc est, quod in præsentia sua disponit ut faciat, nunquam efficacia caret. Sicut ergo quod in Abraham præceptum est de immolatione filii, vel comminationem in Ninivitis factam non tenuit, et sic, ut diximus, sententiam mutavit; ita prædictus Propheta, cui prohibuerat comedere in via, mutari ejus sententiam credidit, et se maxime delinquere, si alium Prophetam non audiret, qui se ad hoc a Domino

[1] Joan., cap. IX, v. 3. — [2] Luc., cap. XXIII, v. 34. — [3] *Reg.* III, cap. XIII, v. 24.

mitti asserebat, ut ejus lassitudinem reficeret cibo. Absque culpa igitur hoc fecit, in quo culpam vitare decrevit, nec ei mors repentina nocuit, quem ab ærumnis vitæ præsentis liberavit, et multis ad providentiam profuit, cum justum sic videant sine culpa puniri, et illud in eo impleri quod alibi domino dicitur: « Tu Deus, cum justus sis, juste omnia disponis, cum eum quoque, qui non debet puniri, condemnes[1]. » Condemnas, inquit, ad mortem non æternam, sed corporalem. Sicut enim sine meritis nonnulli salvantur, ut parvuli, et sola gratia vitam assequuntur æternam; ita non absurdum est nonnullos pœnas corporales sustinere, quas non meruerunt, sicut et de parvulis constat sine baptismi gratia defunctis, qui tam corporali quam æterna morte damnantur, et multi etiam innocentes affliguntur. Quid itaque mirum si crucifigentes Dominum ex illa injusta actione, quamvis eos ignorantia excusat a culpa, pœnam, ut diximus, temporalem non irrationabiliter incurrere possent, atque ideo dictum est : « dimitte illis, » hoc est pœnam, quam hinc, ut diximus, non irrationabiliter incurrere possent, ne inferas ?

Sicut autem, quod isti per ignorantiam egerunt, vel ipsa etiam ignorantia peccatum proprie, hoc est, contemptus Dei, non dicitur : ita nec infidelitas, quamvis ipsa necessario æternæ vitæ aditum adultis ratione jam utentibus intercludat. Ad damnationem quippe sufficit Evangelio non credere, Christum ignorare, sacramenta Ecclesiæ non suscipere, quamvis hoc non tam per malitiam quam per ignorantiam fiat. De qualibus et Veritas ait[2]: « Qui non credit, jam judicatus est. » Et Apostolus : « Et qui ignorat, » inquit[3], « ignorabitur. » Cum autem dicimus ignoranter nos peccare, hoc est, tale quid, quod non convenit facere, *peccare* non in contemptu, sed in operatione sumimus. Nam et Philosophi peccare dicunt inconvenienter aliquid facere seu dicere, quamvis illud nihil ad offensam Dei videatur pertinere. Unde et Aristoteles in *Ad aliquid*[4], cum de vitiosa relativorum assignatione loqueretur, ait : « At vero aliquotiens non videbitur converti, nisi convenienter ad quod dicitur assignetur. Si enim peccet is qui assignat, ut ala si assignetur, avis non convertitur, ut sit avis alæ[5]. » Si ergo isto modo peccatum dicamus omne quod vitiose agimus, vel contra salutem nostram habemus, utique et infidelitas et ignorantia eorum quæ ad salutem credi necesse est, peccata dicemus, quamvis ibi nullus Dei contemptus videatur. Proprie tamen peccatum illud dici arbitror, quod nusquam sine culpa contingere potest. Ignorare vero Deum, vel non ei credere, vel opera ipsa quæ non recte fiunt, multis

[1] Textus male citatus ab Abælardo, *Sapient.*, cap. XII, v. 15, sic habet : « Cum ergo sis justus, juste omnia disponis, ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare; exterum æstimas a tua virtute. » — [2] Joan., cap. III; v. 18. — [3] *Corinth.* I, cap. XIV, v. 38. — [4] Hæc verba quæ sic interseruntur in impresso post *Aristoteles*, capitulum libri indicare videntur. — [5] *Categ.*, cap. VII.

sine culpa possunt accidere. Si quis enim Evangelio vel Christo non credit, quia prædicatio ad ipsum non pervenerit, juxta illud Apostoli[1] : « Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine predicante? » Quæ hinc ei culpa potest assignari quod non credit? Non credebat Cornelius in Christum, donec Petrus ad eum missus de hoc ipsum instruxit, qui quamvis antea lege naturali Deum recognosceret atque diligeret, ex quo meruit de oratione sua exaudiri, et Deo acceptas eleemosynas habere, tamen si eum ante fidem Christi de hac luce migrasse contingeret, nequaquam ei vitam promittere auderemus, quantumcunque bona opera ejus viderentur, nec cum fidelibus, sed magis infidelibus connumeraremus, quantocunque studio salutis esset occupatus. Abyssus quippe multa Dei judicia sunt, qui non nunquam reluctantes vel minus de salute sua sollicitos trahit, et se offerentes, vel ad credendum paratiores, profundissimo dispensationis suæ consilio respuit. Sic enim illum se offerentem[2] : « Magister, sequar te quocumque ieris, » reprobavit. Et alterum excusantem se per sollicitudinem quam habuit de patre, nec ad horam in hac pietatis excusatione toleravit. Denique et quarumdam civitatum obstinationem increpans, ait[3] : « Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone virtutes factæ fuissent, quæ factæ sunt in vobis, jam olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. » Ecce illis obtulit non solum prædicationem suam, verum etiam miraculorum exhibitionem, quas tamen prius noverat esse non credituras. Has vero Gentilium alias civitates, quas ad fidem suscipiendam faciles esse non ignorabat, sua tunc visitatione non censuit dignas, in quibus quidem, cum aliqui, subtracto sibi prædicationis verbo, tamen ad suscipiendum ipsum parati, perierunt, quis hoc eorum imputet culpæ, quod nulla negligentia videmus accidere? Et tamen hanc eorum infidelitatem in qua defuncti sunt, ad damnationem sufficere dicimus, quamvis hujus cæcitatis, in qua Dominus eos dimiserit, causa minus nobis appareat. Quam profecto si quis peccato eorum sine culpa adscribat, fortassis licebit, cum absurdum ei videatur tales sine peccato damnari?

Nos tamen proprie peccatum, ut sæpe jam meminimus, illud solum dici arbitramur, quod in culpa negligentiæ consistit, nec in aliquibus esse potest, cujuscumque sint ætatis, quin ex hoc damnari mereantur. Non credere vero Christum, quod infidelitatis est, quomodo parvulis, vel his quibus non est annuntiatum, culpæ debeat adscribi, non video, vel quidquid per ignorantiam invincibilem fit, cui vel prævidere non valuimus; veluti si quis forte hominem quem non videt in sylva sagitta interficiat, dum feris vel avibus sagittandis intendit. Quem tamen dum peccare per ignorantiam dicimus, sicut nos quando-

[1] *Rom.*, cap. x, v. 14. — [2] Matth., cap. iv, v. 19. — [3] *Ibid.*, cap. xi, v. 21.

que fatemur non solum in consensu, verum etiam in cogitatione peccare, hoc loco non proprie pro culpa ponimus, sed large accipimus, pro eo scilicet, quod nos facere minime convenit, sive id per errorem, sive per negligentiam, vel quocumque modo inconvenienti fiat. Tale est ergo per ignorantiam peccare, non culpam in hoc habere, sed quod nobis non convenit facere, vel peccare in cogitatione, hoc est, voluntate, quod nos velle minime convenit, vel in locutione, aut in operatione, loqui nos vel agere quod non oportet, etsi per ignorantiam nobis invitis illud eveniat. Sic et illos si persequebantur Christum vel suos quos persequendos credebant, per operationem peccasse dicimus, qui tamen gravius culpam peccassent, si contra conscientiam eis parcerent.

CAPUT XV.

Utrum omne peccatum sit interdictum.

Quæritur autem, utrum omne peccatum Deus nobis interdicat? Quod si recipiamus, videtur hoc irrationabiliter agere, cum nequaquam vita ista sine peccatis saltem venialibus transigi possit. Si enim omnia nos cavere peccata præcepit, nos autem omnia cavere non possumus, utique nequaquam, sicut ipse promisit, jugum suave nobis, vel onus leve imponit, sed quod longe vires transcendens nostras minime portare valemus : sicut et de jugo legis Petrus Apostolus profitetur. Quis enim a verbo saltem otioso semper sibi prævidere potest, ut in eo nunquam excedens perfectionem illam teneat, de qua Jacobus ait[1] : « Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir? » Qui etiam cum præmisisset : « In multis offendimus omnes; » et alius magnæ dicat perfectionis Apostolus[2]: « Si dixerimus quia peccatum non habemus, non ipsos seducimus, et veritas in nobis non est; » quam difficile, imo impossibile nostræ infirmitati videatur, immunes omnino a peccato manere, neminem latere reor. Ita, inquam, si peccati vocabulum large, ut diximus, accipientes, illa etiam vocemus peccata, quæcumque non convenienter facimus. Si autem proprie peccatum intelligentes solum Dei contemptum dicamus peccatum, potest revera sine hoc vita ista transigi, quamvis cum maxima difficultate. Nec profecto illud, ut supra meminimus, nobis a Deo prohibitum est, nisi consensus mali, quo Deum contemnimus, etiam cum de opere præceptio fieri videtur, sicut superius exposuimus, ubi etiam ostendimus aliter nequaquam a nobis præcepta posse sua custodiri.

Peccatorum autem alia venialia dicuntur, et quasi levia, alia damnabilia sive

[1] Jacob., cap. III, v. 2. — [2] Joan. I, cap. I, v. 8.

gravia. Rursus damnabilium quædam criminalia dicuntur, quæ in illis personam infamem vel criminosam facere habent, si in audientiam veniant : quædam vero minime. Venialia quidem vel talia peccata sunt, quando in eo consentimus cui non consentiendum esse scimus, sed tunc tamen non occurrit memoriæ illud quod scimus, multa quippe scimus, etiam dormientes, vel quando eorum non recordamur. Non enim dormiendo nostras amittimus scientias, vel stulti efficimur, aut cum vigilamus, sapientes efficimur. Quandoque itaque vel in vaniloquium, vel in superfluum esum vel potum consentimus, quod tamen nequaquam esse faciendum scimus : sed tunc minime recordabamur, quod non esset faciendum. Tales itaque consensus quos per oblivionem incurrimus, venialia aut levia dicuntur peccata, hoc est, non magnæ satisfactionis pœna corrigenda, ut vel extra ecclesiam positi, vel gravi abstinentia pressi ob talia plectamur; pro quibus quidem negligentiis pœnitentibus dimittendis verba quotidianæ confessionis frequentamus, in qua minime commemoratio graviorum culparum facienda est, sed tantum leviorum. Neque enim ibi dicere debemus : Peccavi in perjurio, in homicidio, in adulterio, et consimilibus, quæ damnabilia et graviora dicuntur peccata : hæc quippe non per oblivionem, sicut illa incurrimus, sed tanquam ex studio et deliberatione committimus, abominabiles etiam Deo effecti, juxta illud Psalmistæ[1] : « Abominabiles facti sunt in studiis suis » : quasi execrabiles et valde odibiles ex his, in quibus scienter præsumpserunt. Horum autem alia criminalia dicuntur, quæ per effectum cognita nævo magnæ culpæ hominem detrahunt, ut consensus perjurii, homicidii, adulterii, quæ plurimum ecclesiam scandalizant. Cum vero supra quam necesse est cibo indulgemus, vel non mediocri cultu ex vana gloria nos adornamus, etsi hoc scienter præsumimus, non hæc crimini adscribuntur, et apud multos plus laudis habent quam vituperationis.

CAPUT XVI.

Utrum melius sit a levioribus culpis quam gravioribus abstinere.

Sunt qui perfectius et ideo melius dicunt providere a venialibus peccatis quam a criminalibus, eo quod difficilius id videatur, et majoris studii sollicitudine indigeat. Quibus primum illud respondeo Tullianum : Quod si laboriosum, non ideo gloriosum. Alioquin majoris meriti apud Dominum essent qui grave jugum legis portaverunt, quam qui evangelica libertate deserviunt;

[1] *Psalm.* XIII, v. 1.

quia timor pœnam habet, quam perfecta charitas foras mittit, et quæcumque timore aguntur, plus opere laborant, quam quos charitas spontaneos facit. Unde laborantes et oneratos ad suave jugum et onus leve sumendum Dominus exhortatur, ut videlicet de servitute legis, qua premebantur, ad libertatem transeant Evangelii; et qui a timore inceperant, charitate consummantur, quæ sine difficultate omnia suffert, omnia sustinet : nihil quippe amanti difficile, maxime cum non carnalis sed spiritualis amor Dei tanto est fortior quanto verior. Quis etiam nesciat difficilius nobis provideri a pulice quam ab hoste; vel ab offendiculo parvi lapidis quam magni? Sed numquid ideo id cavere quod difficilius est melius aut salubrius judicamus? Non utique. Quare? Quia quod difficilius est cavere minus potest nocere. Sic ergo, etsi ponamus difficilius a venialibus peccatis quam a criminalibus providere, plus tamen hæc vitari quam illa[1] quæ periculosiora sunt, convenit, et quæ majorem merentur pœnam, et quibus amplius offendi credimus Deum, et magis ei ea displicere. Quo enim amplius ipsi per amorem inhæremus, eo sollicitius cavere debemus quibus magis offenditur, et quæ ipse magis improbat. Qui enim vere aliquem diligit, non tam damnum suum, quam offensam amici, vel contemptum cavere satagit; juxta illud Apostoli[2] : « Charitas non quærit quæ sua sunt; » et rursum[3] : « Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. » Si ergo non tam pro nostro damno, quam pro Dei offensa debemus cavere peccata, profecto plus ea cavenda sunt, in quibus magis offenditur. Quod si illam quoque poeticam attendamus sententiam de morum scilicet honestate :

Oderunt peccare boni virtutis amore[4],

tanto majori odio quælibet sunt habenda quanto turpiora in se censentur, et ab honestate virtutis amplius recedunt, et naturaliter quoslibet magis offendunt.

Denique, ut singula sibi conferendo diligentius peccata dijudicemus, comparemus venialia criminalibus, ut pote superfluam comestionem perjurio et adulterio; et quæramus in transgressione cujus magis peccetur, vel amplius Deus contemnatur atque offendatur. Nescio, fortassis respondebis; cum non nulli philosophorum omnia peccata paria censuerunt. At si hanc philosophiam, imo manifestam stultitiam sequi velis, æque bonum a criminalibus et venialibus abstinere peccatis; quia æque malum est hæc et illa committere : cur ergo abstinere a venialibus præferre quis audeat abstinentiæ criminalium? Quod si quis forte requirat, unde conficere possimus, Deo magis displicere transgres-

[1] Pezius *hoc vitari quam quæ periculosiora*, male, ut conjicimus. — [2] *Corinth.* I, cap. XIII; v. 5. — [3] *Corinth.* I, cap. X, v. 24. — [4] Horat., *Epist.*, I, XVI, v. 52.

sionem adulterii, quam superfluitatem cibi, lex divina, ut arbitror, docere nos potest, quæ ad aliud puniendum nullam pœnæ satisfactionem instituit; hoc vero non qualibet pœna, sed summæ mortis afflictione damnari decrevit. Quo enim charitas proximi, quam Apostolus « plenitudinem legis » dicit[1], amplius læditur, magis contra eam agitur et amplius peccatur.

Quod si ad hunc modum singulis venialibus pariter et criminalibus peccatis invicem collatis, simul etiam tam ista omnia quam illa conferre velimus, ut omnino scilicet satisfacere valeamus, nequaquam refugio. Ponamus ergo ut aliquis magno studio ab omnibus venialibus caveat peccatis et nulla criminalia curet vitare, et cum illa omnia caveat, hoc præsumat; quis eum in hoc levius peccare judicabit, aut meliorem esse, si hæc præcavens illa incurrat? Collatione itaque facta tam singulorum, ut diximus, quam omnium simul invicem peccatorum, liquere arbitror, non melius vel majoris perfectionis esse venialia peccata cavere, quam criminalia. Si quis tamen, cum illa primum vitaverit, hæc postmodum, ut oportet, vitare valuerit; in hoc quidem fateor virtutem ejus ad perfectionem pervenisse; nec tamen ideo posteriora, in quibus consummatio virtutis consistit, sunt prioribus præferenda, nec tanta retributione sunt digna. Sæpe namque in operatione alicujus ædificii minus agunt qui perficiunt ipsum, quam qui antea operati sunt, et qui extremo assere in consummatione operis posito ipsum perficiunt, ut sic domus perfecta fiat, quæ dum imperfecta fuit, domus opus non erat.

Sufficere huc usque arbitror nos ad cognitionem peccati, quantum memoriæ occurrit, laborasse, ut eo melius caveri possit, quo diligentius cognitum fuerit. Mali quippe notitia justo deesse non potest, nec cavere quis vitium nisi cognitum valet.

CAPUT XVII.

De peccatorum reconciliatione.

Et quoniam plagam animæ monstravimus, curationis remedium studeamus ostendere; unde illud Hieronymi : « O medice, si peritus es, sicut posuisti causam morbi, ita indica sanitatis! » Cum igitur peccando Deum offendimus, superest quibus ei modis reconciliari possimus. Tres itaque sunt in reconciliatione peccatoris ad Deum, Pœnitentia scilicet, Confessio, Satisfactio.

[1] *Rom.*, cap. XIII, v. 10.

CAPUT XVIII.

Quid proprie dicatur pœnitentia?

Pœnitentia autem proprie dicitur : Dolor animi super eo, in quo deliquit; cum aliquem scilicet piget in aliquo excessisse. Hæc autem pœnitentia tum ex amore Dei accidit et fructuosa est; tum damno aliquo, quo nollemus gravari, qualis est illa damnatorum pœnitentia de quibus scriptum est[1] : « Videntes turbabuntur terrore horribili et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, et pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt quos aliquando habuimus in derisu, etc. » Legimus et pœnitentiam Judæ super hoc quod Dominum tradiderat[2]; quod non tam pro culpa peccati, quam pro vilitate sui, qui se omnium judicio damnatum sentiebat, credimus accidisse. Cum enim quis alium pecunia, vel quoquomodo corruptum ad perditionem traxerit, nemini vilior, quam ei proditor habetur, et nemo ei minus se credit, quam is qui infidelitatem ejus amplius expertus est. Multos quippe quotidie de hac vita recessuros de flagitiis perpetratis pœnitere videmus et gravi compunctione ingemiscere, non tam amore Dei quem offenderunt, vel odio peccati quod commiserunt, quam timore pœnæ, in quam se præcipitari verentur. Qui in eo quoque iniqui permanent, quod non tam eis iniquitas displicet culpæ, quam, quæ juxta est, gravitas pœnæ; nec tantum odio habent id quod commiserunt, quia malum fuit, quam justum Dei judicium quod in pœna formidant, æquitatem potiusquam iniquitatem odientes. Quos diu obcæcatos atque vocatos ut a malitia sua converterentur, ita tandem in reprobum sensum Divina Justitia tradit, et cæcitate percussos a facie sua prorsus abjicit, ut ne salubris pœnitentiæ notitiam habeant, nec qualiter satisfaciendum sit, advertere queant.

Quam plurimos quippe quotidie cernimus morientes graviter ingemiscere, multum se accusare super usuris, rapinis, oppressionibus pauperum, vel in quibuscumque injuriis quas commiserunt, et pro emendatione istorum sacerdotem consulere. Quibus si hoc, ut oportet, consilium detur, ut venditis omnibus quæ habent, restituant aliis quæ abstulerunt, juxta illud Augustini : « Si res aliena, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur; » statim quam inanis eorum pœnitentia, responsione sua profitentur. Unde ergo, inquiunt, domus mea viveret? Quid filiis meis, quid uxori relinquerem? Unde se sustentare possent? Quibus illa primum Dominica occurrit increpatio[3] :

[1] *Sap.*, cap. v, v. 2 et 3. — [2] Matth., cap. xxvii, v. 3. — [3] Luc., cap. xii, v. 20.

« Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te ; quæ autem parasti cujus erunt? » O miser quicumque talis es, imo miserorum omnium miserrime, et stultorum stultissime, non provides quid tibi conserves, sed quid aliis thesaurizes? Qua præsumptione Deum offendis, ad cujus horrendum judicium raperis, ut tuos habeas propitios quos ditas de pauperum rapinis? Quis super te non rideat, si audierit te sperare alios magis tibi propitios fore quam te ipsum? Confidis in eleemosynis tuorum quos, quia successores habere te credis, iniquitatis pariter heredes constituis, quibus aliena per rapinam possidenda relinquis. Vitam pauperibus eripis, sua illis auferendo, unde sunt sustentandi, et in eis rursum occidere Christum machinaris, juxta illud quod ipsemet ait[1] : « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. » Quid ergo tu male pius in tuos, et crudelis in te pariter atque Deum, a judice justo exspectas, ad quem velis, nolis, judicandus properas, qui non solum de rapinis, sed etiam de verbo otioso rationem exigit? Qui quam districtus sit in vindicta primorum hominum statim exhibuit pœna. Semel Adam peccavit, et comparatione nostrorum, sicut Beatus meminit Hieronymus, levissimum ejus peccatum fuit. Non quemquam per violentiam oppressit, nec quidquam alicui abstulit; de fructu qui reparabilis erat, semel gustavit. In qua quidem tam levi transgressione, in posteritatem quoque totam per pœnam redundata, præmonstrare Dominus decrevit, quid de majoribus facturus sit culpis. Dives quem ad inferos Dominus descendisse dicit, non quod aliena rapuerit, sed quia propria quibus tanquam licitis vescebatur, indigenti Lazaro non impertivit, patenter edocet qua pœna feriendi sunt, qui rapiunt aliena, si sic ille damnatus est, atque in inferno sepultus, qui non tribuerit bona sua. Tecum memoria tui sepulta, et cito siccatis lacrymis eorum quos in exequiis habuisti, juxta rhetoris Apollonii : « Lachryma nihil citius arescit, » tua conjux in proximo ad novas nuptias se præparavit, ut novi mariti voluptatibus deserviret de his quas ei dimisisti rapinis, et præsente adhuc corpore tuo, lectulum calefaciet alieno, te misero flammis gehennæ voluptates illas plexuro. Idem et a filiis tuis expectandum est.

Quod si quis forte interroget, cur non tui recordantes, eleemosynis suis tibi propitientur, multis se de causis excusare posse videntur. Quia enim, si respondeant : cum ille sibi propitius esse noluerit, quanta stultitia fuit sibi alios sperare propitios, et animæ suæ salutem aliis committere, de qua ipse debuit plurimum providere! Quem sibi propitium magis credidit quam seipsum? Qui sibi crudelis erat, de cujus misericordia confidebat? Possunt denique et in excusationem avaritiæ suæ prætendere ac dicere : Scimus insuper ea quæ ipse nobis dereliquit,

[1] Matth., cap. XXV, v. 40.

non hujusmodi esse, ut de ipsis nobis sint eleemosynæ faciendæ. Ridebunt omnes, et ridere debent, qui hæc audient. Ille vero miser qui expoliatos pauperes ad horam flere coegit, in perpetuum ibi flebit. Sunt qui suam negligentiam hominibus non Deo volentes occultare, ad excusandas excusationes in peccatis dicunt tot eos esse quos exspoliaverunt, ut omnino cognoscere vel reperire nequeant : de quo cum nullam sollicitudinem assumant, illud Apostolicæ sententiæ judicium incurrunt[1] : « Et qui ignorat ignorabitur. » Non inveniunt illos quia non quærunt; inveniet illos dextera Dei, quem contempserunt. De qua etiam scriptum est[2] : « Dextera tua inveniet omnes qui te oderunt. » Quam idem propheta, qui hoc dixit, vehementer expavescens, et locum nullum evadendi considerans, alibi ait[3] : « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam ? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. » Et quia plerumque non minor[4] est avaritia sacerdotis quam populi, juxta illud Prophetæ[5] : « Et erit sicut sacerdotes, sic populus, » multos morientium seducet cupiditas sacerdotum vanam eis securitatem promittentium, si quæ habent sacrificiis obtulerint, et missas emant quas nequaquam gratis haberent. In quo quidem mercimonio præfixum apud eos pretium constat esse, pro una scilicet missa unum denarium, et pro uno annuali quadraginta. Non consulunt morientibus ut rapinas restituant, sed ut in sacrificio ipsas offerant; cum e contrario scriptum sit[6] : « Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris; » plus enim gravat patrem occisio filii coram se facta, quam si non videret eam; et quasi filius immolatione occiditur, dum substantia pauperis, in qua vita ejus consistebat, in sacrificio ponitur. Et Veritas sacrificio misericordiam præferens[7] : « Euntes, inquit, discite quid est : Misericordiam volo et non sacrificium. » Pejus autem est rapinas retinere, quam misericordiam non impendere, hoc est, pauperibus auferre sua, quam non impendere nostra, sicut et supra in damnatione divitis meminimus.

CAPUT XIX.

De fructuosa pœnitentia.

Et quia de infructuosa diximus pœnitentia, tanto diligentius quanto salubrius fructuosam consideremus. Ad quam Apostolus quemlibet invitans obstinatum, nec horrendum Dei judicium adtendentem ait[8] : « An divitias bonitatis ejus et

[1] *Corinth.*, XIV, v. 38. — [2] *Psalm.* XX, v. 9. — [3] *Psalm.* CXXXVIII, v. 8. — [4] *Cod. Si minor.* — [5] Ose., cap. IV, v. 9, — [6] *Eccli*, cap. XXXIV, v. 24. — [7] Matth., cap. IX, v. 13. — [8] *Rom.*, cap. II, v. 4.

patientiæ et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? » Quibus videlicet verbis quæ sit pœnitentia salubris, et ex amore Dei potius quam ex timore proveniens, manifeste declarat, ut videlicet doleamus Deum offendisse vel contempsisse, quia est bonus magis quam quia justus est. Quo enim diutius eum contemnimus, quia statim eum contemptum suum judicare non credimus; sicut e contrario Principes seculi faciunt, qui cum offenduntur nesciunt parcere, nec suarum injuriarum ultionem differre; eo justius graviorem infert sui contemptus pœnam; et tanto districtior est in ultione, quanto patientior fuit in expectatione. Quod subsequenter prædictus Apostolus ostendit dicens[1] : « Secundum duritiam autem tuam, et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ. » Tunc quidem iræ, modo mansuetudinis; quia, tunc vindictæ, modo patientiæ. Ibi justitia exigente, tanto gravius sui contemptum ulciscetur, quanto minus contemni debuit, et diutius toleravit. Timemus homines offendere, et quorum offensam timore non effugimus, verecundia vitamus. Latebras quærimus, cum fornicamur, ne ab hominibus videamur, nec unius hominis aspectum tunc sustinere possumus. Scimus Deum præsentem esse, quem nihil potest latere; videri ab ipso et tota curia Cœli in hujus actione turpitudinis non erubescimus, qui ad unius homunculi aspectum confunderemur ! Ante judicem terrenum præsumere aliquid maxime timemus, a quo nos judicandos scimus temporali tantum pœna, non æterna. Multa nos facere vel tolerare carnalis affectus cogit, pauca spiritualis. Utinam tanta propter Deum, cui omnia debemus, quanta propter uxorem vel filios, vel quamcumque meretricem facimus vel toleramus !

Qua obsecro pœna hæc injuria est judicanda ut meretricem quoque ipsi præponamus ? Conqueritur ipse per prophetam quod nec ei amor tanquam Patri, nec timor exhibeatur tanquam Domino. « Filius, inquit[2], honorat patrem, et servus dominum suum timet ; si ego Pater, ubi honor meus ? Et si ego Dominus, ubi timor meus ? » Conqueritur sibi patrem vel dominum præferri. Attende igitur, quantum indignetur meretricem quoque sibi anteferri, et de summa suæ bonitatis patientia, unde plus debuit amari, magis contemni. Quam quidem bonitatem et patientiæ longanimitatem hi qui salubriter pœnitent, adtendentes non tam timore pœnarum quam ipsius amore ad compunctionem moventur; juxta prædictam Apostoli exhortationem, ubi salubrem pœnitentiam diligenter descripsit ; cum e contrario dixit : « an divitias bonitatis ejus, » hoc est, divitem et copiosam bonitatem, sive abundantem benignitatem longanimis patientiæ, qua tamdiu te tolerat, « contemnis, » quia videlicet non cito punit, « ignorans, » hoc

[1] *Rom.*, cap. II, v. 5. — [2] Malach., cap. I, v. 6.

est non adtendens, « quoniam tanta ejus benignitas ad pœnitentiam, » quantum in se est, « te adducit, » hoc est, facit cur eam adtendendo ad pœnitentiam deberes converti, quod tam benignum contempsisti? Et hæc quidem revera fructuosa est pœnitentia peccati, cum hic dolor atque contritio animi ex amore Dei, quem tam benignum adtendimus, potius quam ex timore pœnarum procedit.

Cum hoc autem gemitu et contritione cordis, quam veram pœnitentiam dicimus, peccatum non permanet, hoc est, contemptus Dei, sive consensus in malum : quia charitas Dei hunc gemitum inspirans non patitur culpam; In hoc statim gemitu Deo reconciliamur, et præcedentis peccati veniam assequimur, juxta illud Prophetæ[1] : « Quacumque hora peccator ingemuerit, salvus erit; » hoc est salute animæ suæ dignus efficietur. Non ait : quo anno, vel quo mense, sive qua hebdomada, vel quo die, sed qua hora; ut sine dilatione venia dignum ostendat: nec ei pœnam æternam deberi, in qua consistit condemnatio peccati. Etsi enim articulo necessitatis præventus, non habeat locum veniendi ad confessionem vel peragendi satisfactionem, nequaquam in hoc gemitu de hac vita recedens gehennam incurrit; quod est condonari a Deo peccatum, hoc est, eum talem fieri quem jam non sit dignum sicut antea[2] propter illud quod præcessit peccatum, æternaliter a Deo puniri. Non enim Deus cum peccatum pœnitentibus condonat, omnem pœnam eis ignoscit, sed solummodo æternam. Multi namque pœnitentes, qui præventi morte, satisfactionem pœnitentiæ in hac vita non egerunt, pœnis purgatoriis, non damnatoriis in futura reservantur. Unde suprema judicii dies, qua multi fidelium puniendi sunt, quanto spatio temporis extendatur, incertum est : quamvis resurrectio « in momento, in ictu oculi[3] » fiat; ut videlicet ibi de culpis satisfaciant, quantum Deus decreverit, de quibus satisfacere distulerint, aut permissi non sunt.

CAPUT XX.

Utrum quis de uno peccato sine altero pœnitere possit?

Sunt qui quærunt utrum quis de uno peccato pœnitere possit et non de alio, ut pote de homicidio, et non de fornicatione quam adhuc perpetrare non desistit? Sed si fructuosam illam pœnitentiam intelligamus, quam Dei amor immittit, et quam Gregorius describens ait : « Pœnitentia est commissa deflere et flenda non committere; » nequaquam pœnitentia dici potest, ad quam nos amor Dei compellit, quoties unus contemptus retinetur. Si enim amor Dei, sicut

[1] Ezech., cap. XXXIII, v. 12 et 19. — [2] Sic legendum suspicamur. Pezius *animam*. — [3] *Corinth.* I, cap. XV, v. 52.

oportet, ad hoc me inducit atque animum trahit, ut de hoc consensu doleam propter hoc tantum quia in eo Deum offendi, non video qualiter idem amor de illo contemptu eadem de causa pœnitere non cogat; hoc est, non in eo proposito mentem meam statuat, ut quisquis excessus memoriæ occurrerit, de ipso similiter doleam, et ad satisfaciendum paratus sim. Ubicumque igitur vera est pœnitentia, ex amore scilicet Dei solo proveniens, nullus Dei contemptus remanet, maxime cum Veritas dicat[1] : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Quicumque ergo in amore Dei persistunt, salvari necesse est : quæ salvatio nequaquam contingeret uno peccato, id est, uno Dei contemptu retento. Cum autem in pœnitente jam nullum Deus reperit peccatum, nullam ibi invenit damnationis causam; et ideo necesse est ut, peccato cessante, non restet damnatio, hoc est, perennis pœnæ afflictio; et hoc est peccatum quod præcessit a Deo condonari a pœna æterna quam inde meruerat ei, ut diximus, a Deo provideri. Quamvis enim Deus jam non inveniat in pœnitente, quod perenniter debeat punire, pœnam tamen præcedentis peccati dicitur condonare, cum per hoc, quod gemitum ei pœnitentiæ inspiraverit, eum indulgentia dignum fecit; hoc est, talem cui nulla tunc debeatur pœna æterna, et quem in hoc statu de hac vita recedentem, salvari necesse est. Quod si forte et in eumdem recidat contemptum, sicut redit ad peccatum, ita etiam relabitur ad pœnæ debitum, ut rursum puniri debeat, qui prius pœnitendo non puniri meruerat.

Si quis forte dicat : « Peccatum a Deo condonari, » tale esse tanquam diceretur, Deum propter illud quod commissum est, nequaquam hominem esse damnaturum; vel hoc, Deum apud se statuisse, ut eum propter hoc non damnaret; profecto et antequam pœnitens peccasset, concedendum videtur Deum condonasse illud peccatum; hoc est, apud se statuisse, quod propter illud non esset eum damnaturus : nihil quippe recenter apud se Deus statuit, vel disponit, sed ab æterno quæcumque facturus est, in ejus prædestinatione consistunt et in ejus providentia præfixa sunt, tam de condonatione cujuscumque peccati, quam de cæteris quæ fiunt. Melius itaque nobis esse videtur ita intelligendum Deum condonare peccatum, quemlibet, ut diximus, per inspiratum ei pœnitentiæ gemitum dignum indulgentia efficere; hoc est, talem cui tunc damnatio non debeatur, nec unquam ulterius, si in tali proposito perseveret. Peccatum itaque Deus condonat, cum ipse a quo pœna fieri debuit, faciat, pœnitentiam inspirando, cur jam non debeat inferri.

[1] Joan., cap. XIV, v. 23.

CAPUT XXI.

Injustum non esse dignum præmio non donari.

Sed fortassis requiris, si is qui pœnitet, jam dignus sit vita æterna, qui damnatione dignus non est? Quod si concedamus, objicitur nobis eum quoque qui post pœnitentiam lapsus periit, dum pœniteret, dignum vita æterna fuisse : et Deum arguendum injuriæ esse videri, qui præmium quo ille tunc dignus erat, ei tunc saltem non reddidit, ut sic ejus damnationem præveniret. Sicut enim si tunc moreretur, ex illo in quo tunc erat proposito, dignus vita æterna salvaretur : ita et si postea lapsus sit, ex eodem animo quem prius habuit, dignus salvari fuit. Sed dico, quia sicut multi sæpe damnatione digni sunt, nec tamen in hac sua nequitia moriuntur, ut damnatio, quam meruerant, eis a Deo reddatur; nec tamen ideo Deus injustitiæ est arguendus, quia non reddidit eis pœnam quam meruerant : ita nec in præmiis reddendis, quæ perseverantibus tantum promittuntur, Veritate adtestante[1] : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » Non ergo concedere cogimur, ut quia quandoque pœna vel præmio quis dignus fuerit, ideo dignum vel justum sit, Deum illud ei conferre, cum alio modo melius utendum eo esse providerit, quia etiam malis bene utitur, et quæcumque pessima optime disponit. Quod si forte quis dicat, eum qui ad horam Deum amando, vere pœnituit, sed tamen in hac pœnitentia vel amore non perseveraverit, non ideo fuisse præmio dignum vitæ : profecto cum nec tunc damnatione dignus fuisse conceditur, nec justus, nec peccator tunc exstitisse videbitur.

CAPUT XXII.

De peccato inremissibili.

Cum autem, ut diximus, omne peccatum per pœnitentiam statim remissionem accipiat, quæritur cur Veritas quoddam peccatum inremissibile dixerit, vel nunquam ipsum remissionem, hoc est, condonationem, habiturum, quale est illud peccatum blasphemiæ in Spiritum Sanctum, de quo eum dixisse Matthæus sic refert[2] : « Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur ; et quicumque dixerit verbum contra Filium ho-

[1] Matth., cap. x, v. 22. — [2] *Ibid.*, cap. xii, v. 31.

minis, remittetur ei ; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro? » Quod quare diceret, Marcus aperuit dicens[1] : « Quoniam dicebant : Spiritum immundum habet. » Hoc autem peccatum quidem desperationem veniæ dicunt; cum quis videlicet ob magnitudinem peccatorum diffidit penitus a bonitate Dei, quæ per Spiritum Sanctum intelligitur, ut nec pœnitendo, vel aliqua satisfactione veniam possit impetrare. Sed si hoc dicimus peccare vel blasphemare in Spiritum, quid dicemus peccare in Filium hominis? Quantum vero mihi videtur, peccare vel blasphemare in Filium hominis hoc loco dicitur excellentiæ humanitatis Christi derogare, tanquam eam negaremus sine peccato conceptam, vel a Deo assumptam propter visibilem carnis infirmitatem. Id quippe nulla humana ratione comperi poterat, sed Deo tantum revelanti credi. Tale est ergo quod ait[2] : « Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus : Spiritus autem blasphemia non remittetur; » tanquam si diceret : de nulla alia blasphemia diffinitum est apud Deum, quod nullis hominibus dimittatur, nisi de ista; et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, hoc est, nullus qui assumpti hominis dignitati, ut diximus, deroget, propter hoc damnabitur, si aliæ non interveniant damnationis causæ. Non enim in hoc aliquis contemptu Dei notari potest, si veritatem per errorem contradicat, nec contra conscientiam agat, maxime cum id tale sit, quod humana ratione investigari non possit, sed magis ratione videatur contrarium. Blasphemare autem in Spiritum, est ita opera manifestæ gratiæ Dei calumniari, ut illa quæ credebant per Spiritum Sanctum, hoc est, divina bonitate misericorditer fieri, per diabolum tamen assererent agi, tanquam si dicerent illum quem Spiritum Dei credebant, esse Spiritum nequam, et sic Deum esse diabolum.

Quicumque igitur sic in Christum peccaverunt, dicendo scilicet contra conscientiam eum in Beelzebub principe dæmonium ejicere dæmonia, ita prorsus a regno Dei sunt proscripti, et ab ejus gratia penitus exclusi, ut nullus illorum deinceps per pœnitentiam mereretur indulgentiam. Nec quidem negamus eos salvari posse si pœniterent, sed solummodo eos dicimus nec pœnitentiæ actus assecuturos esse.

[1] Marc., cap. III, v. 30. — [2] Matth., cap. XII, v. 30.

CAPUT XXIII.

Utrum pœnitentes gemitum sui doloris hinc secum deferant?

Quærit fortassis aliquis, utrum hi qui de hac vita pœnitentes recedunt in hoc gemitu cordis, et contritione doloris, ubi verum Deo sacrificium offertur, juxta illud[1] : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus, » utrum, inquam, tales de hac luce migrantes hunc gemitum et dolorem secum deferant; ut in vita quoque illa cœlesti hæc se commisisse doleant, quo, ut scriptum est[2], « aufugit dolor et gemitus atque tristitia. » Sed profecto sicut Deo vel Angelis peccata nostra sine aliqua pœna doloris displicent, eo videlicet quod illa non approbant, quæ mala considerant; ita et tunc nobis illa displicebunt, in quibus deliquimus. Sed utrum nos illa fecisse velimus, quæ bene ordinata esse a Deo scimus, et nobis quoque in bonum cooperata, juxta illud Apostoli[3] : « Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ? » Alia est quæstio, quam pro viribus nostris tertio *Theologiæ* nostræ libro absolvimus.

CAPUT XXIV.

De confessione.

Nunc de confessione peccatorum nobis agere incumbit. Ad hanc nos Apostolus Jacobus exhortans ait[4] : « Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua. » Sunt qui soli Deo confitendum arbitrantur, quod non nulli Græcis imponunt. Sed quid apud Deum confessio valeat, qui omnia novit, aut quam indulgentiam nobis lingua impetret, non video : licet propheta dicat[5] : « Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. » Multis de causis fideles invicem peccata confitentur, juxta illud Apostoli quod præmissum est; tum videlicet propter subpositam causam, ut orationibus eorum magis adjuvemur, quibus confitemur : tum etiam quia in humilitate confessionis magna pars agitur satisfactionis, et in relaxatione pœnitentiæ majorem assequimur indulgentiam : sicut de David scriptum est; qui cum accusatus a Natham propheta, responderit : « Peccavi; » statim ab eodem Propheta responsum audivit[6] : « Dominus quoque

[1] *Psalm.* L., v. 19. — [2] Isai., cap. XXXV, v. 10. — [3] *Rom.*, cap. VIII, v. 28. — [4] Jac., cap. V, v. 16. — [5] *Psalm.* XXXI, v. 5. — [6] *Reg.* II, cap. XII, v. 13.

transtulit peccatum tuum : » quo enim major erat regis sublimitas, acceptior Deo fuit confitens humilitas. Denique sacerdotes quibus animæ confitentium sunt commissæ, satisfactiones pœnitentiæ illis habent injungere ; ut qui male arbitrio suo et superbe usi sunt Deum contemnendo, alienæ potestatis arbitrio corrigantur; et tanto securius id agant, quanto melius prælatis suis obediendo non tam suam quam illorum voluntatem sequuntur. Qui si fortassis non recte præceperint, cum ille ad obediendum paratus sit, illis magis quam istis imputandum est. « Non ignoramus, » inquit Apostolus[1], « astutias Sathanæ. » Nec ejus nequitia hoc loco prætereunda est qua nos ad peccatum impellit et a confessione retrahit. Ad peccatum quippe nos incitans timore pariter ac verecundia nos exuit, ut nihil jam restet quod nos a peccato revocet. Multa namque timore pœnæ committere non audemus ; multa pro detrimento nostræ famæ aggredi erubescimus, etsi hoc impune possemus. His ergo duobus quasi retinaculis male quilibet expeditus, præceps ad quodvis perpetrandum peccatum efficietur. Quo quidem pacto eadem quæ prius ei abstulit ut peccatum perficeret, postmodum reddit ut a confessione revocet. Tunc confiteri timet vel erubescit quod, cum oportuerit primum, non timuit nec erubuit. Timet ne forte per confessionem cognitus puniatur ab hominibus, qui puniri non timuit a Deo : rubescit ab hominibus sciri, quod non erubuit coram Deo committi. Sed qui plagæ quærit medicamentum, quantumcumque ipsa sordeat, quantumcumque oleat, medico revelanda est, ut competens adhibeatur curatio. Medici vero locum sacerdos tenet, a quo, ut diximus, instituenda est satisfactio.

CAPUT XXV.

Quod nonnunquam confessio dimitti potest.

Sciendum tamen, non nunquam salubri dispensatione confessionem vitari posse, sicut de Petro credimus, cujus lachrymas de negatione sua novimus, satisfactionem vero aliam, vel confessionem non legimus. Unde et Ambrosius super Lucam de hac ipsa Petri negatione ac fletu ejus : « Non invenio, inquit, quid dixerit, invenio quod fleverit : lachrymas ejus lego, satisfactionem non lego. Levant lachrymæ delictum quod voce pudor est confiteri, et veniæ fletus consulunt et verecundiæ; lachrymæ sine horrore culpam loquuntur, sine offensione verecundiæ confitentur; lachrymæ veniam non postulant, sed merentur. Invenio cur tacuerit Petrus, ne scilicet tam cito veniæ petitio plus offenderet. » Quæ vero

[1] *Corinth.* II, cap. II, v. 11.

ista sit verecundia vel reverentia confessionis, ut flendo magis quam confitendo Petrus satisfecerit, videndum est. Si enim propter hoc unum confiteri verecundabatur, ne cognito peccato suo vilior haberetur, profecto superbus erat, et honoris sui gloriæ magis quam animæ suæ saluti consulens. Sin autem verecundia non tam sua quam Ecclesiæ retinebatur, non est hoc improbandum. Providebat se fortassis super Dominicam plebem a Domino constituendum esse principem, et verebatur ne si hæc trina ejus negatio per confessionem ejus cito in publicum prodiret, super hoc Ecclesia graviter scandalizaretur, et erubescentia vehementi confunderetur quod tam facilem ad negandum et tam pusillanimem Dominus ei præfecisset. Si ergo tam pro honore sibi conservando, quam pro hac animi erubescentia Ecclesiæ confiteri distulit, provide hoc, non superbe fecit. Timor quoque in causa rationabilis fuit, de damno Ecclesiæ magis, quam de propriæ detrimento famæ. Sciebat quippe sibi specialiter a Domino Ecclesiam esse commissam, cum ei diceret[1] : « Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. » Si ergo eo propria confessione convicto, ad aures Ecclesiæ præveniret hic ejus tam abhorrendus lapsus, quis non leviter diceret[2] : « Nolumus hunc regnare super nos; » et non facile Dominicum improbaret consilium, quod ad confirmandos fratres eum elegit, qui primus defecit? Hac quoque providentia multi confessionem differre, vel omnino dimittere possent sine peccato ; si videlicet plus illam nocere quam prodesse crederent : quia nullam Dei offensam ex culpa incurrimus, in quo eum nequaquam contemnimus. Distulit Petrus confiteri peccatum, cum adhuc tenera in fide atque infirma esset Ecclesia, donec virtus Petri prædicatione ipsius vel miraculis esset probata. Postea vero cum de hoc jam constaret, ipsemet Petrus sine ullo Ecclesiæ scandalo contra desperationem lapsorum confiteri hoc potuit, ut scriptum etiam relinqueretur ab Evangelistis.

Sunt fortassis quibus videatur Petrum qui cæteris omnibus præerat, nec superiorem habebat, cui anima ejus esset commissa, nequaquam habere necessarium homini confiteri peccatum, tanquam ab illo instituenda esset ei satisfactio, ac si præcepto ejus quasi superioris obediret. Sed si non pro satisfactione injungenda confiteri alicui debuerit, propter orationis suffragium non incongrue fieri potuit; de quo quidem cum diceretur[3] : « Confitemini alterutrum peccata vestra, » subjunctum est, « et orate pro invicem ut salvemini. » Nihil etiam impedit, ne prælati eligant subjectos ad confessionem faciendam, vel ad satisfactionem suscipiendam, ut quod agitur, tanto Deo fiat acceptius, quanto ab illo geritur humilius. Quis etiam vetet quemlibet in talibus personam religio-

[1] Luc., cap. XXII, v. 32. — [2] Luc., cap. XIX, v. 14. — [3] Jac., cap. V, v. 16.

siorem, vel magis discretam eligere, cujus arbitrio satisfactionem suam committat, et orationibus ejus plurimum adjuvetur? Unde et cum præmissum sit : « et orate pro invicem ut salvemini, » statim adjunctum est : « multum enim valet deprecatio justi assidua. » Sicut enim multi fiunt imperiti medici, quibus infirmos committi periculosum est aut inutile : ita et in prælatis Ecclesiæ multi reperiuntur nec religiosi, nec discreti, atque insuper ad detegendum confitentium peccata leves, ut confiteri eis non solum inutile, verum etiam perniciosum videatur. Tales quippe nec orare intendunt, nec in orationibus suis exaudiri merentur, et cum instituta canonum ignorent, nec in statuendis satisfactionibus moderari sciant, frequenter in talibus vanam securitatem promittunt, et spe cassa ipsos confitentes decipiunt, juxta illud Veritatis[1] : « Cæci sunt duces cæcorum ; » et rursum : « Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. » Qui cum etiam, ut diximus, leviter confessiones quas suscipiunt, revelant, pœnitentes ad indignationem commovent, et qui curare peccata debuerant, novas peccatorum plagas inferunt, et a confessione audientes deterrent.

Non numquam etiam peccata vel ex ira, vel ex levitate revelando graviter Ecclesiam scandalizant, et eos qui confessi sunt in periculo magno constituunt. Unde qui pro his incommoditatibus prælatos suos vitare decreverunt, et alios in talibus eligere, quos ad ista commodiores credunt, nequaquam sunt improbandi, sed potius comprobandi quod ad solertiorem medicum declinant; in quo tamen faciendo, si assensum prælatorum impetrare possunt, ut ab eis ad alios dirigantur, tanto id convenientius agunt, quanto humilius per obedientiam hoc faciunt. Sin autem prælati superbi hoc eis interdicunt, tanquam se viliores æstimando, si meliores medici requirantur, ægrotus tamen de salute sua sollicitus, quod melius credit medicamentum majori sollicitudine requirat, et meliori consilio cedat plurimum. Nemo enim ducem sibi ab aliquo commissum, si eum cæcum deprehenderit, in foveam sequi debet; et melius est eligere eum videntem, ut quo tendit, perveniat, quam male sibi traditum male sequi ad præcipitium. Quippe qui ei talem ducem tradidit tanquam viam ostensurum, aut scienter hoc fecit per malitiam, aut innocenter per ignorantiam. Si per malitiam, cavendum fuit ne malitia ejus impleretur; si per ignorantiam, nequaquam contra ejus voluntatem agitur, si illum non sequimur ad periculum, quem ipse dederat nobis ad ducatum. Utile tamen est, ut eos primum consulamus, quibus animas nostras committi scimus, et eorum consilio audito, salubrius, si quod speramus, medicamentum non deserere; maxime cum eos legem ignorare

[1] Matth., cap. xv, v. 14.

credamus, et non solum quid agant non curent, sed quid doleant ignorent; deteriores habendi his, de quibus Veritas ait[1] : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : quæcumque ergo dixerint vobis, servate et facite, secundum autem opera eorum nolite facere. « Tanquam si diceret : Magisterium legis tales obtinent, quorum opera cum sint mala, et ob hoc respuenda, verba tamen Dei quæ de cathedra Moysi, hoc est, de magisterio legis, proferunt, suscipienda sunt, ut simul quæ ipsorum sunt opera rejiciamus, et quæ Dei sunt verba retineamus.

Non est ergo talium doctrina contemnenda qui bene prædicant, licet male vivant, et qui erudiunt verbo, licet non ædificent exemplo, et viam ostendunt quam sequi nolunt, non tam de cæcitate ignorantiæ quam de culpa negligentiæ judicando. Qui vero nec viam subjectis ostendere valent qui ducatui eorum committere se debent, et ab eis require documentum, qui docere nesciunt. Nec tamen desperandum est subjectis a misericordia Dei, cum ad satisfactionem omnino parati, prælatorum suorum, quamvis cæcorum, arbitrio se tradunt, et quod illi per errorem minus instituunt, isti per obedientiam diligenter eos sequuntur. Non enim error prælatorum subjectos damnat, nec illorum vitium istos accusat; nec jam in subjectis culpa remanet qua moriantur, quos jam antea pœnitentia Deo, ut diximus, reconciliaverat, prius scilicet quam ad confessionem venirent vel satisfactionis institutionem susciperent. Si quid tamen de pœna satisfactionis minus est institutum quam oporteat, Deus qui nullum peccatum impunitum dimittit, et singula quantum debet punit, pro quantitate peccati satisfactionis æquitatem servabit; ipsos videlicet pœnitentes non æternis suppliciis reservando, sed in hac vita vel in futura pœnis purgatoriis affligendo, si nos, inquam, in nostra satisfactione negligentes fuerimus. Unde Apostolus[2] : « Si nos, inquit, dijudicaremus, non utique dijudicaremur. » Quod est dicere : Si nos ipsi nostra puniremus vel corrigeremus peccata, nequaquam ab ipso gravius essent punienda. Magna profecto misericordia Dei cum nos nostro judicio dimittit, ne ipse puniat graviori. Has autem pœnas vitæ præsentis, quibus de peccatis satisfacimus, jejunando, vel orando, vigilando, vel quibuscumque modis carnem macerando, vel quæ nobis subtrahimus egenis impendendo, satisfactionem vocamus; quas alio nomine in Evangelio « fructus pœnitentiæ[3] » novimus appellari, ubi videlicet ait : « Facite fructus dignos pœnitentiæ; » ac si aperte diceretur : Digna satisfactione quod deliquistis, emendando, ita hic reconciliamini Deo, ut deinceps quod ipse puniat, nequaquam inveniat; et graviores pœnas mitioribus prævenite. Ut enim Beatus asserit Augustinus : « Pœnæ vitæ

[1] Matth., cap. XXIII, v. 2. — [2] *Corinth.* I, cap. XI, v. 31. — [3] Matth., cap. III, v 8.

futuræ, etsi purgatoriæ sint, graviores sunt istis omnibus vitæ præsentis. » Magna itaque cautela est eis adhibenda, et magna opera danda, ut secundum instituta sanctorum Patrum talis hæc satisfactio suscipiatur, ut nihil ibi purgandum restet. Cum ergo indiscreti fuerint sacerdotes, qui hæc instituta canonum ignorant, ut minus de satisfactione quam oportet, injungant, magnum hinc incommodum pœnitentiæ incurrunt, cum male de ipsis confisi gravioribus pœnis postmodum plectantur, unde hic per leviores satisfacere potuerunt.

Sunt nonnulli sacerdotum, non tam per errorem quam cupiditatem, subjectos decipientes, ut pro nummorum oblatione satisfactionis injunctæ pœnas condonent vel relaxent; non tam adtendentes quid velit Dominus, quam quid valeat nummus; de quibus ipse Dominus per Prophetam conquerens ait[1] : « Sacerdotes mei non dixerunt : Ubi est Dominus? » Tanquam si diceret : Sed ubi est nummus? Nec solum sacerdotes, verum etiam ipsos principes sacerdotum, hoc est Episcopos ita impudenter in hanc cupiditatem exardescere novimus, ut cum in dedicationibus Ecclesiarum, vel in consecrationibus altarium, vel benedictionibus cimiteriarum, vel in aliquibus solemnitatibus populares habent conventus, unde copiosam oblationem exspectant, in relaxandis pœnitentiis prodigi sint; modo tertiam, modo quartam pœnitentiæ partem omnibus communiter indulgentes, sub quadam scilicet specie charitatis, sed in veritate summæ cupiditatis. Qui de sua se jactantes potestate, quam, ut aiunt, in Petro vel Apostolis susceperunt, cum eis a Domino diceretur[2] : « Quorum remiseritis peccata, remittentur eis; » vel : « Quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cœlis, » tunc maxime quod suum est agere gloriantur, cum hanc benignitatem subjectis impendunt. Atque utinam id saltem pro ipsis, non pro nummis facerent, ut qualiscumque benignitas potius quam cupiditas videretur. Sed profecto si hoc in laude benignitatis habendum est, quod tertiam vel quartam pœnitentiæ partem relaxant, multo amplius eorum pietas prædicanda erit, si dimidiam vel totam ex integro pœnitentiam dimitterent, sicut licere sibi profitentur, et Domino concessum esse, et quasi in manibus eorum cœlos esse positos, secundum remissionis vel absolutionis peccatorum supra posita testimonia. Magnæ denique impietatis e contrario arguendi videntur, cur non omnes subjectos ab omnibus absolvant peccatis, ut videlicet neminem illorum damnari permittant; si ita, inquam, in eorum potestate constitutum est, quæ voluerint peccata dimittere vel retinere, vel cœlos his quibus decreverint, aperire vel claudere; quod utique beatissimi prædicandi essent, si hos sibi, cum vellent,

[1] Jerem., cap. II, v. 6. — [2] Joan., cap. XX, v. 23.

aperire possent. Quod quidem si non possunt vel nesciunt, certe illud poeticum, in quantum arbitror, incurrunt :

Nec prosunt domino quæ prosunt omnibus artes.

Appetat quislibet, non ego, potestatem illam, qua potius aliis quam sibi proficere possit, tanquam in potestate sua habeat alienas animas salvare magis quam propriam; cum e contrario quislibet discretus sentiat.

CAPUT XXVI.

Utrum generaliter ad omnes pertineat prælatos solvere et ligare.

Cum ergo quæritur quæ sit illa potestas vel claves regni cœlorum, quas Apostolis Dominus tradidit, ac similiter eorum vicariis, scilicet Episcopis concessisse legitur, non parva quæstio videtur. Cum enim multi sint episcopi nec religionem, nec discretionem habentes, quamvis episcopalem habeant potestatem; quomodo eis æque ut Apostolis convenire dicemus : « Quorum remiseritis peccata remittentur eis, et quorum retinueritis retenta sunt[1]? » Nunquid si indiscrete vel supra modum velit Episcopus pœnam peccati augere vel relaxare, hoc in ejus est potestate; ut videlicet secundum ejus arbitrium pœnas Deus disponat, ut quod minus puniendum est, ipse magis puniat, e converso, cum æquitatem rei magis quam hominum voluntatem Deus adtendere debeat? Nunquid si Episcopus per iram, vel odium quod habeat in aliquem, tantumdem eum pœnitere decreverit de levioribus peccatis quantum de gravioribus; vel pœnam ejus in perpetuum extendere, vel nunquam ei relaxare statuerit, quantumcumque ille pœniteat, numquid hanc ejus sententiam Dominus confirmabit? Quod itaque Dominus Apostolis ait : « Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, » etc., ad personas eorum[2], non ad omnes Episcopos referendum videtur, sicut et quod eis alibi ait[3] : « Vos estis lux mundi; » et : « Vos estis sol terræ, » vel pleraque alia de personis eorum specialiter accipienda. Non enim hanc discretionem vel sanctitatem quam Apostolis Dominus dedit, successoribus eorum æqualiter concessit; nec omnibus æque dixit[4] : « Beati oculi qui vident quæ vos videtis; » et rursum[5] : « Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis; » et iterum[6] : « Cum venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem. »

[1] Joan., cap. xx, v. 23. — [2] Error Abælardi. — [3] Matth., cap. v, v. 13, 14. — [4] Luc., cap. x, v. 23. — [5] Joan., cap. xv, v. 15. — [6] Joan., cap. xvi, v. 13.

Quod si forte quis de Juda objiciat, qui etiam cum hæc dicerentur unus ex Apostolis erat; sciat Dominus non ignorasse ad quos id quod dicebat deberet intendere; sicut et cum ait[1] : « Pater, ignosce illis quia nesciunt quid faciunt; » non de omnibus persequentibus eum hæc ejus oratio accipienda censetur. Cum enim dicitur « his, » vel « vos, » quæ demonstrativa pronomina sunt, pro intentione loquentis sermo dirigitur, vel ad omnes pariter qui adsunt, vel ad aliquos ex illis quos decreverit, sicut et hæc quæ prædicta sunt, non ad omnes generaliter Apostolos, sed ad solos electos referenda sunt. Sic et fortassis sentiendum videtur de illo quod ait : Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis; in quo consimilis esse putatur sententia : quod diligenter beatus adtendens Hieronymus, cum ad hæc verba in Matthæo exponenda venisset, ubi Dominus Petro ait : « Quodcumque ligaveris super terram[2], » istum, inquit, locum Episcopi et Presbyteri non intelligentes aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio; ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur : cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in *Levitico* de leprosis, ubi jubentur ut ostendant se sacerdotibus[3]; et si lepram habuerint, tunc a sacerdote immundi fiant; non quod sacerdotes mundos faciant vel immundos, sed quod notitiam habeant de leprosis et non leprosis, et possint discernere quis immundus vel mundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos immundum facit : sic et hic alligat vel solvit Episcopus vel Presbyter non eos qui sontes sunt vel innoxii, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus vel qui solvendus sit. » Ex his, ni fallor, verbis Hieronymi, liquidum est illud quod Petro vel cæteris similiter Apostolis dictum est de ligandis vel solvendis peccatorum vinculis, magis de personis eorum quam generaliter de omnibus Episcopis accipiendum esse; nisi forte, juxta hoc quod ipse ait Hieronymus, hanc ligationem vel absolutionem intelligamus prædictum judicium omnibus generaliter concessum; ut videlicet qui ligandi vel absolvendi sint a Deo, ipsi habeant judicare et inter mundum et immundum discernere. Hinc et illud Origenis super eumdem locum in Matthæo electos Episcopos qui hanc gratiam meruerint, quæ Petro concessa est, a cæteris ita distinguentis : « Quæcumque ligaveris super terram, » quoniam, inquit, qui Episcopatus vindicant locum, utuntur hoc textu quemadmodum Petrus, et claves regni cœlorum acceptas a Christo docent, qui ab eis ligati fuerint, in cœlo ligatos esse, et qui ab eis soluti fuerint, id est, remissionem acceperint, esse et in cœlo solutos, dicendum est, quia bene dicunt, si opera habent illa, propter quæ dictum est illud Petro : « Tu es Petrus[4], » et tales sunt ut super

[1] Luc., cap. XXIII, v. 34. — [2] Matth., cap. XVI, v. 19. — [3] *Levit.*, cap. XIII, v. 7. — [4] Matth., cap. XVI, v. 18.

eos ædificetur Ecclesia Christi, si portæ inferorum non prævalent eis. Alioquin ridiculum est, ut dicamus eum qui vinculis peccatorum suorum ligatus est, et trahit peccata sua sicut funem longum, et tanquam juge lorum vitulæ iniquitates suas, propter hoc solum quoniam dicitur Episcopus, habere hujusmodi potestatem, ut soluti ab eo super terram, sint soluti in cœlo : aut ligati in terris, sint ligati in cœlo. Sit ergo Episcopus irreprehensibilis, qui alterum ligat aut solvit, dignus ligare vel solvere in cœlo; sit unius uxoris vir, sobrius, castus, ornatus, hospitabilis, docibilis, non violentus, non percussor, sed modestus, non litigiosus, non concupitor pecuniarum, bene præsidens domui suæ, filios habens subditos cum omni castitate. Si talis fuerit, non injuste ligabit super terram et neque sine judicio solvet; præterea quæcumque solverit qui ejus modi est, soluta erunt et in cœlo; et quæcumque ligaverit super terram, ligata erunt et in cœlo : si enim fuerit quis, ut ita dicam, Petrus, et non habuerit quæ in hoc loco dicuntur quasi ad Petrum, et putaverit se posse ligare ut sint ligata in cœlo, et solvere ut sint soluta in cœlo, ipse se fallit non intelligens voluntatem Scripturæ, et inflatus incidit in judicium diaboli. »

Patenter itaque Origenes ostendit, sicut et manifesta ratio habet, quod in his quæ diximus Petro concessum est, nequaquam omnibus Episcopis a Domino collatum esse; sed his solis qui Petrum non ex sublimitate cathedræ, sed meritorum imitantur dignitate. Non enim suam voluntatem sequentes, et a voluntate Dei se avertentes contra divinæ rectitudinis justitiam quicquam possunt; nec cum inique aliquid agunt, ad iniquitatem Deum inclinare possunt, ut eum quasi similem sui efficiant. Qualis quidem ipse vehementer arguens et graviter eis comminans ait[1] : « Existimasti inique quod ero tui similis. Arguam te et statuam contra faciem tuam : intelligite hæc qui obliviscimini Deum, etc. » Quis enim magis Deum oblivisci, et in reprobum sensum dari dicendus est, quam qui hanc sibi arrogat potestatem, ut in subjectis pro arbitrio suo ligandis atque solvendis divinam sibi subjacere sententiam dicat; ut quod etiam injuste præsumpserit, summam Dei justitiam pervertere queat, quasi reos vel innocentes facere possit quos voluerit. Quod ne unquam præsumant, magnus ille Doctor Ecclesiæ Augustinus, et inter ipsos Episcopos præclarus, occurrit sexto decimo sermone de verbis Domini dicens : « Cœpisti habere fratrem tuum tanquam publicanum; ligas eum in terra, sed ut juste alliges vide : nam injusta vincula disrumpit justitia. » Beatus quoque Gregorius patenter asserit et Dominicis convincit exemplis nihil ecclesiasticam potestatem in ligando vel solvendo posse, si deviet ab æquitate justitiæ, et non divino concordet judicio. Unde illud est quod ait in

[1] *Psalm.* XLIX, v. 21.

Evangeliorum homilia vicesima quinta : « Plerumque contingit, ut locum judicis teneat, cujus ad locum vita minime concordat; ac sæpe agitur ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat. Sæpe in solvendis vel ligandis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur; unde fit ut ipsa ligandi et solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, et non pro subditorum moribus exercet. Sæpe fit ut erga quemlibet proximum odio vel gratia moveatur pastor; judicare autem digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua, vel alia, vel gratiam sequuntur : unde per prophetam « mortificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt[1]. » Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat; et non victurum vivificare nititur qui reum a supplicio absolvere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, ac tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda est; videndum quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam; ut suos omnipotens per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum tantum sequitur arbitrium judicis. Quod bene quadrituani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia prius Dominus mortuum vocavit, et vivificat dicens : « Lazare, veni foras[2]; » et postmodum is, qui vivus egressus fuerat a discipulis est solutus. » Item : « Ecce illum discipuli jam solvunt quem Magister suscitaverat mortuum; si enim mortuum Lazarum discipuli solverent, fœtorem magis ostenderent quam virtutem. Ex qua consideratione nobis intuendum est, quod illos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus per resuscitationis gratiam vivificare; quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa jam cognovimus confessione peccatorum; unde et ipsi mortuo nequaquam dicitur : Revivisce, sed : Veni foras; ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur : Foras jam per confessionem egredere, qui apud te interius per negligentiam lates. Veniat itaque foras, id est, culpam confiteatur peccator; venientem vero foras solvant discipuli, ut pastores Ecclesiæ ei pœnam relaxent, qui non erubuit confiteri quod fecit. » Item : « Sed utrum juste alliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is qui subest, et cum injuste forsitan ligatur, ipsam obligationis sententiam ex alia culpa mereatur. » Item : « Qui sub manu pastoris est, timeat ligari vel juste vel injuste; nec pastoris sui judicium temere reprehendat, ne, etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat. »

Ex his Gregorii dictis et divinæ auctoritatis exemplis, liquidum est nihil Episcoporum sententiam valere, si ab æquitate discrepat divina, juxta illud

[1] Ezech., cap. XIII, v. 19. — [2] Joan., cap. II, v. 43.

propheticum « mortificare vel vivificare volentes quos non possunt. » Qui episcoporum quoque sententia ab ipsorum communione privantur, cum subjectos injuste a communione sua privare præsumpserint. Unde Africanum concilium ccx : « Ut non temere quemquam communione privet Episcopus; et quamdiu excommunicato suus non communicaret Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis : ut magis Episcopus caveat, ne dicat in quemquam quod aliis documentis convincere non potest. »

FRAGMENTUM LIBRI SECUNDI.

Superior Ethicæ nostræ libellus cognoscendis vel corrigendis peccatis operam dedit, et ipsa peccata distinxit a vitiis quæ virtutibus dicuntur contraria. Hunc vero superest ut ordine congruo, juxta illud Psalmistæ [1], « Declina a malo et fac bonum, » postquam de malis egimus declinandis, ad bona facienda doctrinæ nostræ stylum convertamus. Prudentia, boni malique discretio, mater est virtutum potius quam virtus; ad hanc pertinet pro tempore vel loco et personarum dignitate dispensationes facere. Sicut autem vitia distinximus a peccatis, ita virtutes illis contrariæ vitiis nonnullam differentiam habere videntur ab his quibus beatitudinem promeremur bonis, quæ in bono consistunt obedientiæ. Sicut enim virtutes vitiis variæ sunt, ita peccatum quod proprie dicitur Dei contemptus, videtur adversum obedientiæ bonum, et voluntas ad obediendum Deo parata. Multi quippe sunt fidelium qui tantæ constantiæ non sunt, ut agones martyrum sustinere possent, vel non facile in adversitatibus deficerent, quorum infirmitati Dominus providens, non permittit eos tentari supra id quod possunt, nec eos adversis probat quos pusillanimes vel imbecilles considerat, qui hujus quoque beneficii non immemores, et hinc non minimas Deo gratias agentes, tanto humiliores existunt, quanto se debiliores recognoscunt, nec ab amore Dei possunt esse alieni, cujus beneficiis non permanent ingrati, et cui se plus debere fatentur, a quo in talibus accepisse videntur. (*Cætera desunt.*)

[1] *Psalm.* XXXVI, v. 35.

MAGISTRI
PETRI ABÆLARDI
DIALOGUS
INTER
PHILOSOPHUM, JUDAEUM ET CHRISTIANUM.

Dialogus inter Judæum, Philosophum et Christianum spectat ad quæstionem quæ veterum sæpissime sapientum sollicitavit animos, et recentiores etiam in varias distrahit opiniones. Quæritur quid sit bonum malumque, et quæ ad hominis felicitatem infelicitatemve potissimum conferant. Philosophus quidem qui lege naturali contentus est, illius partes ac causam suscipit adversus Judæum, illi exprobrans ritus consuetudinesque lege Mosis consecratas quæ, ne iis quidem terris, hominem felicem præstet, quum post tot et tanta Dei ipsius promissa, gens Judæorum omnium etiam miserrima sit. Ad Christianum deinde sermonem convertit, cujus legem minus esse imperfectam fatetur, quoniam est recentior, et postquam ambo fusius disseruerunt, in hoc deinde conveniunt, omnem hominis felicitas positam esse in futuræ vitæ deliciis, et in iis virtutibus quibus hanc vitam possumus adipisci, id est in justitia, fortitudine, temperantia, et prudentia. Sed quænam illæ sunt deliciæ? In hoc versantur, ut Deum unice diligas ejusque contempleris naturam perfectam atque infinitam, quæ nobis erit « lux indeficiens, sanctitas summa, quies perpetua, pax omnem sensum exsuperans, omne denique bonum, omnis virtus, omne gaudium. » Hic dialogus primum implicitus in subtili quadam disputatione de visione beatifica, de sede Dei, de supremo malo et de Inferis, fit tandem uberrimus, quum, postulante Philosopho, Christianus bonas malasque res definire apte ac diligenter aggreditur, et primum demonstrat sæpe bono malum necessario adhærere, ideoque a Deo in his terris admissum fuisse. Quum vero eo liber devenerit, non ultra progreditur, seu quia mancus sit, seu quia non fuerit absolutus.

Nusquam hic dialogus ab Abælardo memoratur neque ab ullo scriptorum ejusdem ætatis neque recentiorum illi attributus est. Nemo tamen potest credere opus esse commentitium, cum in ipso sermonis exordio, unus eorum quos Abælardus loquentes induxit, auctorem compellat arbitrum litis futurum, laudatque « ingenii ejus acumen, et quarumlibet scientiam scripturarum, et consueta scholarum studia quibus.... præ omnibus magistris.... constat illum floruisse, denique Opus illud mirabile Theologiæ quod nec invi-

dia ferre potuit, nec auferre prævaluit, sed gloriosius persequendo effecit.» Ex hac scriptoris quasi expressa imagine, quis non agnosceret Abælardum, et *Introductionem Theologiæ* cujus Lotulfus et Albericus, æmulatione quadam impulsi atque invidia, delatores fuere? Postea in eodem opere affertur liber secundus *Christianæ Theologiæ* contra eos qui fidem rationibus investigandam esse denegant. Adjiciendum est in hoc opusculo copiam, et audaciam, easque etiam opiniones inveniri quas in cæteris Abælardi operibus reperias.

Dialogus inter Judæum, Philosophum ei Christianum identidem sub hoc titulo vel sub alio in Catalogo librorum manuscriptorum Angliæ et Hiberniæ[1] haud semel memoratus est; hinc autem Cas. Oudinus[2] scriptoresque Rei Literariæ[3] quidquid de hoc opusculo dixere, exscripserunt. Primo editus est a Frid. Rheinwald[4] e codice Vindobonensi quem Dionysius descripsit inter Codices theologicos Bibliothecæ Palatinæ[5], et qui videtur ad sæculi XIII initium referri posse. Quum nullus sit in Gallia codex manuscriptus hujus operis, textum a primo editore datum fideliter transcripsimus, paucis tamen mutatis quæ in notulis indicavimus.

Quo tempore hoc opus fuerit compositum non satis compertum est; sed ex ipsius libelli natura ac ratione conjici potest, illum scriptum fuisse paulo post *Ethicam* et *Theologiam Christianam* cujus in eo, ut diximus, mentio fit.

Aspiciebam in visu noctis, et ecce viri tres, diverso tramite venientes, coram me astiterunt, quos ego statim juxta visionis modum, cujus sint professionis, vel cur ad me venerint, interrogo. Homines sumus, inquiunt, diversis fidei sectis innitentes. Unius quippe Dei cultores esse nos omnes pariter profitemur, diversa tamen fide et vita ipsi famulantes. Unus quippe nostrum gentilis ex his quos philosophos appellant, naturali lege contentus est. Alii vero duo scripturas habent, quorum alter Judæus, alter dicitur Christianus. Diu autem de diversis fidei nostræ sectis invicem conferentes atque contendentes, tuo tandem judicio cessimus.

Ego super hæc itaque vehementer admirans, quis in hæc ipsos induxerit vel congregaverit quæro, et maxime cur in hæc me judicem elegerint? Respondens autem philosophus : Mea, inquit, opera hoc est inceptum, quoniam id summum est philosophorum, rationibus veritatem investigare et in omnibus non opinionem hominum, sed rationis sequi ducatum. Nostrorum itaque scholis

[1] Oxoniæ, 1697 in-fol., P. I, n. 458, 2,392; P. II, n. 6086, 8206. — [2] *Comment. de Scriptor. Eccles.* Lipsiæ 1722, in-fol., tom. II, col. 1170. — [3] *Hist. littéraire de la France*, tom. XII, p. 132. — [4] Berolini, 1831, in-8. — [5] *Cod. Mss. Theol. Bibl. Palat. Vindobon.*, etc., recensuit, digessit, etc. Mich. Denis, Vindobonæ, 1754, in-fol., vol. I, P. II, p. 1996.

corde intentus et tam ipsorum rationibus quam auctoritatibus eruditus, ad moralem tandem me contuli philosophiam, quæ omnium finis est disciplinarum, et propter quam cetera omnia prælibanda judicavi. Hic de summo bono et de summo malo et de his quæ vel beatum hominem vel miserum faciunt, quoad potui instructus, statim apud me diversas etiam fidei sectas, quibus nunc mundus divisus est, studiose scrutatus sum, et omnibus inspectis et invicem collatis, illud sequi decrevi, quod consentaneum magis sit rationi. Contuli me igitur ad Judæorum quoque et Christianorum doctrinam et utrorumque fidem et leges sive rationes discutientes. Comperi judæos stultos, christianos insanos, ut cum salva pace tua, qui christianus diceris, ista loquar. Contuli diu cum utrisque, et nostræ collationis altercatione nondum finem adepta, partium suarum rationes, tuo committere decrevimus arbitrio. Te quippe nec philosophicarum rationum vires, nec utriusque legis munimenta latere, novimus. Christiana namque professio sic propria lege nititur, quam Novum nominant Testamentum, ut respuere tamen non præsumat Antiquum, et utriusque lectioni maximum impendat studium. Aliquem nobis judicem oportebat eligere, ut altercatio nostra finem acciperet, nec quemquam, nisi in aliqua harum trium sectarum reperire potuimus.

Ac deinde, tanquam adulationis oleum vendens, et caput meum hoc unguento demulcens, statim intulit : Quanto igitur ingenii te acumine et quarumlibet scientia scripturarum fama est præminere, tanto amplius in hoc judicio favendo sive defendendo constat valere, et cujuscunque nostrum rebellioni satisfacere posse. Quod vero ingenii tui sit acumen, quantum philosophis et divinis sententiis memoriæ tuæ thesaurus abundet, præter consueta scholarum tuarum studia, quibus in utraque doctrina præ omnibus magistris, etiam tuis, sive ipsis quoque repertarum scientiarum scriptoribus constat te floruisse, certum se nobis præbuit experimentum opus illud mirabile theologiæ, quod nec invidia ferre potuit, nec auferre prævaluit, sed gloriosius persequendo effecit.

Tum ego : Non ambio, inquam, hujus honoris gratiam, quam mihi reservastis, ut sapientibus scilicet omissis, stultum pro judice statueritis. Nam et ego similis vestri, vanis hujus mundi contentionibus assuetus, non grave perferam audire, quibus oblectari consuevi. Tu tamen philosophe, qui, nullam professus legem, solis rationibus cedis, non pro magno æstimes, si in hoc congressu prævalere videaris. Tibi quippe ad pugnam duo sunt gladii; alii vero uno tantum in te armantur. Tu in illos tam scripto quam ratione agere potes; illi vero tibi, quia legem non sequeris, de lege nihil objicere possunt, et tanto etiam minus in te rationibus possunt, quanto tu amplius assuetus, philosophicam uberiorem habes armaturam. Quia tamen hoc ex condicto, et pari

statuistis consensu, et de viribus vestris singulos vestrum confidere video, nequaquam ausibus vestris nostra erubescentia referet repulsam, præsertim cum ex his aliquam percipere me credam doctrinam. Nulla quippe, ut quidam nostrorum meminit, adeo falsa est doctrina, ut non aliqua intermisceat vera, et nullam adeo frivolam disputationem arbitror, ut non aliquod habeat documentum. Unde et ille maximus sapientum, in ipso statim *Proverbiorum* suorum exordio, lectorem sibi attentum præparans, ait[1] : « Audiens sapiens sapientior erit, intelligens gubernaculum possidebit. » Et Jacobus apostolus[2] : « Sit, inquit, omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. »

Assentiunt, de nostro assensu gratulantes.

Philosophus. Meum est, inquit, primum ceteros interrogare, qui et naturali lege, quæ prima est, contentus sum. Ad hoc vos ipse congregavi, ut de superadditis inquirerem scriptis. Prima, inquam, non solum tempore, verum etiam natura. Omne quippe simplicius naturaliter prius est multipliciori. Lex vero naturalis in scientia morum, quam ethicam dicimus, in solis consistit documentis moralibus. Vestrarum autem legum doctrina his quædam exteriorum signorum addidit præcepta, quæ nobis omnino videntur superflua, de quibus etiam suo loco nobis est conferendum.

Annuunt utrique philosopho priorem in hujus pugnæ congressu locum.

Tum ille : Unde, inquit, primo vos simul interrogo, quod ad vos pariter attinere video, qui maxime scripto nitimini, utrum videlicet in has fidei sectas ratio vos induxerit aliqua, an solam hic hominum opinionem, ac generis vestri sectemini amorem, quorum quidem alterum, si sit, maxime est probandum, sicut alterum penitus improbandum. Quod tamen verum, postremum esse, nullius hominis discreti conscientiam credo negare. Ita namque singulis hominibus proprii generis et eorum cum quibus educantur, insitus est amor, ut contra eorum fidem quicquid dicatur, abhorreant; et consuetudinem in naturam vertentes, quicquid didicerunt pium pueri, obnixe tenent adulti, et antequam ea quæ discuntur, capere valeant, credere se affirmant, ut enim et poeta meminit, « quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu[3]. » Quales quidem philosophorum quidam arguit, dicens : « Neve, si quid in puerilibus disciplinis acceperint, id sacro sanctum judicetur! quoniam quidem res teneris auribus accommodatas sæpe philosophiæ senior tractatus eliminat. » Quid enim? mirabile est, cum per ætatum seriem et temporum successionem, humana in cunctis rebus creatis intelligentia crescat, in fide cujus errori summum periculum imminet, nullus est profectus? Sed æque minores ut majores, æque

[1] *Prov.*, cap. I, v. 5. — [2] Jac., cap. I, v. 19. — [3] Horat., *Epist.*, I, II, v. 69.

rustici ut litterati de hac sentire asseruntur, et ille firmissimus in fide dicitur, qui communem populi non excedit sensum. Quod profecto ideo certum est accidere, quod nemini apud suos quid sit credendum licet inquirere, nec de his quæ ab omnibus dicuntur impune dubitare. Pudet namque homines de his se interrogari, de quibus respondere non sufficiunt. Nemo quippe libenter accedit, qui de propriis viribus diffidit, et ultroneus currit ad pugnam, qui victoriæ sperat gloriam. Hi etiam in tantam sæpe prorumpunt insaniam, ut quod se non posse intelligere confitentur, credere se profiteri non erubescant, quasi in prolatione verborum potius quam in comprehensione animi fides consistat, et oris ipsa sit magis quam cordis. Qui hinc quo maxime gloriantur, cum tanta credere videantur, quæ nec ore disseri nec mente concipi valeant. Quos etiam adeo præsumptuosos et elatos facit propriæ sectæ singularitas, ut quoscunque a se viderint in fide divisos, a misericordia Dei alienos, et omnibus aliis condemnatis, solos se prædicent beatos. Diu itaque hanc ego generis humani cæcitatem atque superbiam considerans, ad divinam me contuli misericordiam, suppliciter et jugiter eam implorans, ut de tanta errorum voragine et tam miserabili charybdi me dignetur educere atque ad portum salutis de tantis procellis dirigere. De quo etiam nunc me videtis sollicitum et responsionum vestrarum documentis tanquam discipulum vehementer intentum.

Judæus. Duos quidem simul interrogasti, sed duos simul respondere non convenit, ne multitudo loquentium præpediat intellectum. Respondebo, si placet, ego primus, quia primi nos in cultum Dei venimus, vel primam legis suscepimus disciplinam. Frater vero iste qui se christianum profitetur, ubi me deficere vel minus sufficere conspexerit, imperfectioni meæ quod defuerit supplebit, qui quasi duo cornua in duobus gerens Testamentis, quibus armatus validius hosti resistere poterit et dimicare.

Philosoph. Assentio.

Judæus. Hoc autem ante collationis nostræ conflictum præmonere te volo, ne si forte simplicitatem meam philosophicarum veritate rationum superare videaris, te nostros ideo vicisse glorieris, nec imbecillitatem unius homunculi ad populi totius convertas ignominiam, nec ex hominis vitio fidem redarguas, nec eam calumnieris erroneam, quod ego eam disserere minus sufficiam.

Philos. Et hoc quoque provide satis videtur esse dictum; sed nulla est necessitate præmissum, cum me videlicet ad veritatis inquisitionem, non ad elationis ostentationem laborare non dubitetis, nec ut sophistam corrixari, sed ut philosophum rationes scrutari, et, quod est maximum, me salutem animæ venari.

Judæus. Dominus ipse qui hunc zelum tibi visus est inspirasse, ut pro salute animæ tuæ tanta eum inquiras sollicitudine, nobis hanc conferat collationem,

per quam eum salubriter possis invenire. Nunc me ad interrogata, prout ipse concesserit, superest respondere.

Philos. Sic profecto convenit juxta propositi nostri condictum.

Judæus. Omnes quidem homines dum parvuli sunt nec adhuc discretionis ætate pollent, constat eorum hominum fidem vel consuetudinem sequi, cum quibus conversantur, et eorum maxime, quos amplius diligunt. Postquam vero adulti sunt, ut jam proprio regi possint arbitrio, non alieno sed proprio committi judicio debent, nec tam opinionem sectari quam veritatem scrutari convenit. Hæc autem ideo prælibavi, quia fortasse primo ad hanc fidem nos carnalis originis affectus induxerit et consuetudo quam primo novimus. Sed jam nos hic ratio detinet potius quam opinio.

Philos. Hanc nobis, obsecro, rationem aperi, et sufficit.

Judæus. Lex ista quam sequimur, si, ut credimus, a deo nobis data sit, arguendi non sumus ei obtemperando, immo de obedientia remunerandi, et qui eam contemnunt vehementer errant, quod si nos eam cogere non possumus a Deo datam fuisse, nec vos hoc refellere valetis. Ut autem ex humanæ consuetudine vitæ sumamus exemplum, da mihi, obsecro, consilium. Servus sum cujusdam domini, et eum offendere vehementer timeo, et multos habeo conservos eodem timore sollicitos. Dicunt illi mihi, dominum nostrum quiddam præcepisse omnibus servis suis me absente, quod ego non ignoro, quod et illi operantur, et ad cooperandum me hortantur. Quid mihi laudas faciendum esse, si de eo dubitaverim præcepto, cui ego non interfui? Non credo vel te vel alium mihi consulere, ut servorum omnium consilio spreto, sensum proprium sequens unum me sequestrem ab eo quod illi communiter agunt, et quod omnes præcepisse dominum testantur, maxime cum tale videatur præceptum, quod nulla possit ratione refelli? Quid mihi necesse est de periculo dubitare, a quo possum securus existere? Si hoc dominus præcepit, quod multorum testimonio confirmatur, et plurimum habet rationis, inexcusabilis omnino sum, qui non obedio. Si autem consilio vel exhortatione et exemplo conservorum deceptus, quod præceptum non sit operor, etsi operandum non fuerit, illis potius quam mihi est imputandum, quem ad hoc reverentia domini traxit.

Philos. Certe tu ipse consilium aperuisti quod requisisti, nemoque contra hoc discretus senserit; sed apta propositæ similitudinis exemplum ad hoc quo tendimus.

Judæus. Multæ, sicut ipse nosti, generationes, præcesserunt ex quo populus noster hoc testamentum, quod sibi datum a Deo autumant, obediendo custodierunt, et omnes pariter de observatione ipsius tam verbo quam exemplo posteros instruxerunt, et fere in hoc universus consentit mundus, quod hæc

nobis a Deo lex data sit. De qua, si quos forte non possumus incredulos cogere, nemo tamen est, qui hoc, quod credimus, ratione possit aliqua refellere. Pium quippe est sentire et omnino rationi consentaneum et tam divinæ bonitati quam humanæ congruum saluti, Deum in tantum curam hominum gerere, ut eos quoque legis scripto dignaretur instruere, et timore saltem pœnarum nostram malitiam reprimere. Si enim salubriter ad hoc secularium principum leges institutæ sunt, quis summum omnium benignissimum principem contradicat de hoc quoque curam suscepisse? Quomodo enim quis sine lege subjectum populum gubernare poterit, si videlicet quisque suo dimissus arbitrio, quod elegerit, sequatur? Aut quomodo juste, puniendo malos, eorum malitiam compescit, nisi prius lex statuta sit, quæ mala fieri vetet? Hac ratione liquidum esse credo, divinam legem in hominibus præcessisse, ut hujus quoque boni mundus exordium et auctoritatem a Deo sumeret, cum aliquarum legum institutione malitiam refrenare vellet; alioquin facile videri posset, Deum res humanas non curare, et ipsum mundi statum fortuitu potius agi, quam providentia regi. Si qua vero lex a Deo data esse creditur mundo, de qua magis consentiendum, quam de nostra quæ tandem ex vetustate et communi hominum opinione nacta est auctoritatem? Sit denique dubium mihi sicut et tibi, quod hanc Deus legem instituerit, quod tot tamen testimoniis et ratione confirmatur, cogeris tamen secundum suppositæ similitudinis inductionem, id mihi consulere, ut ipsi obediam, maxime cum ad hoc propria me invitet conscientia. Fidem tecum de unius Dei veritate communem habeo, æque ipsum fortassis, ut tu, diligo, et ex operibus, quæ tu non habes, id insuper exhibeo. Quid mihi hæc opera, si non prosint, officiunt, etiam si non sint præcepta, quia non sunt prohibita? Quis me etiam arguere possit, si nullo et constrictus præcepto amplius pro Domino laboro? Quis hanc arguerit fidem quæ divinam bonitatem maxime, ut dictum est, commendat et plurimum nostram in eum caritatem accendit, qui adeo de nostra sollicitus sit salute, ut nos etiam scripto legis dignetur instruere? Aut igitur aliquid in hac lege argue, aut, cur eam sequamur, inquirere desiste! Crudelissimum Deum astruit esse, quisquis hujus zeli nostri perseverantiam, tanta sustinentem, a mercede vacuam esse censet. Nulla quippe gens unquam tanta pro Deo pertulisse noscitur, aut etiam creditur, quanta nos jugiter pro ipso sustinemus, nullaque rubigo peccati esse potest, quam non consumere fornacem hujus afflictionis concedi debeat. Nonne in omnes dispersi nationes soli sine rege vel principe terreno tantis exactionibus gravamur, ut singulis fere diebus vitæ nostræ miseræ redemptionem exsolvamus intolerabilem? Tanto quippe nos contemptu et odio digni censemur ab omnibus, ut quisquis nobis aliquam inferat injuriam, id maximam credat justitiam

et summum Deo sacrificium oblatum. Non enim tantæ captivitatis calamitatem nisi ex summo Dei odio nobis autumant accidisse, et justæ imputant ultioni, quamcunque in nos exercent sævitiam tam gentiles quam christiani. Gentiles quidem antiquarum memores oppressionum quibus eorum primo terram possedimus, et diuturnis eos postmodum persecutionibus attrivimus atque delevimus, quicquid nobis ingerunt, debitæ imputant ultioni. Christiani vero quia, ut aiunt, eorum Deum interfecimus, majorem in nos persecutionis causam habere videntur. Ecce inter quales nostra exsulat peregrinatio et de quorum nobis est patrocinio confitendum! Summis inimicis nostris vitam nostram committimus, et in infidelium fidem nos credere cogimur. Somnus ipse, qui laxatam maxime fovet ac recreat naturam, tanta nos inquietat sollicitudine, ut dormientes etiam non nisi de juguli nostri periculo liceat cogitare. Nusquam nisi ad cœlum tutus nobis patet ingressus, quibus ipse etiam habitationis locus est periculosus. Egressuri ad quælibet proxima loca, ipsum, de quo parum confidimus, conductum non modico pretio conducimus. Principes ipsi, qui nobis præsunt et quorum graviter emimus patrocinium, tanto amplius mortem nostram desiderant, quanto licentius ea quæ possedimus, arripiunt. Quibus etiam constrictis et oppressis, quasi in nos solos conjurasset mundus, hoc ipsum mirabile est, si vivere licet, nec agros aut vineas aut terrenas aliquas possessiones habere conceditur, quia non est, qui eas nobis ab infestatione manifesta vel occulta protegere possit. Unde nobis præcipue superest lucrum, ut alienigenis fœnerantes hinc miseram sustentemus vitam, quod nos quidem maxime ipsis efficit invidiosos, qui se in hoc plurimum arbitrantur gravatos. De hac autem vitæ nostræ miseria summa, et quibus incessanter periculis laboramus, ipse magis status noster omnibus loqui sufficit, quam lingua possit. Ipsa quoque legis præcepta, quanta difficultate sint implicita, neminem qui eam attigerit, latet, ut tam hominum oppressione, quam jugo legis intolerabiliter affligamur. Quis non ipsum circumcisionis nostræ sacramentum, cum ex erubescentia tum ex pœna, suscipere non abhorreat aut trepidet? Quæ tam tenera humani corporis portio, quam illa cui hanc plagam in ipsis quoque infantulis lex infligit? Quæ tanta est agrestium lactucarum amaritudo, quas in condimento paschalis sacrificii sumimus? Quis non videat etiam omnes fere delicatos cibos et eos maxime, qui facile comparari possunt, nobis esse prohibitos? Carnes quælibet a bestiis[1] prægustatæ nobis immundæ sunt, et quælibet morticina vel suffocata nobis sunt interdicta. Nec de bestiis nobis edere licet, nisi quas nos ipsi macta-

[1] Hunc locum ita legendum esse conjicimus qui ab editore sic male lectus aut emendatus esse videtur *quælibet ab æstus* [istis] *prægustatæ*. Vid. *Exod.*, cap. XXII, v. 31.

verimus, et diligenter adipe et venis purgaverimus, quod nos etiam non modice gravat, et tunc maxime cum integrum pecus emere non sufficimus. Sicut enim nos carnes a gentibus mactatas, sic illi a nobis procuratas abhorrent. Vino quoque ab aliis procurato omnes pariter abstinemus. Ex quo liquidum esse constat, quam difficile inter nos nostra propter Deum vivat peregrinatio. Quis denique legalium pœnarum austeritatem non solum sufferre sed etiam reis inferre non abhorreat? Quis fratri suo dentem pro dente, oculum pro oculo, animam quoque pro anima tolleret? nedum etiam in semet ipso hæc tolerare consentiat, ne videlicet legi contrarius exsistat? Ex quibus profecto et innumeris aliis observationibus liquet unumquemque nostrum legi obtemperantem illud psalmistæ Deo recte profiteri[1] : « Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. »

Philos. Revera zelus hic quem in Deum habere videmini multa et magna quæcunque intentione sustinet. Sed plurimum refert, utrum hæc intentio recta sit an erronea. Nulla quippe est fidei secta quæ se Deo famulari non credat, et ea propter ipsum non operetur, quæ sibi placere arbitratur. Non tamen ideo sectas omnium approbatis, qui solam vestram defendere aut longe ceteris nitimini præferre. Quod tamen quantum a ratione sit dissonum volo te perpendere et ipso quoque scripto legis quam sequeris, arguere.

Judæus. Et hoc ego libenter suscipio.

Philos. Constat ante ipsam legis traditionem vel sacramentorum legalium observationes, plerosque lege naturali contentos, quæ videlicet in dilectione Dei consistit et proximi, justitiam coluisse, et acceptissimos Deo extitisse; utpote Abel, Henoch, Noe, et filios ejus, Abraham quoque, Loth atque Melchisedech, quos lex etiam vestra commemorat, et plurimum commendat. Quorum quidem Henoch in tantum Deo placuisse refertur, ut eum Dominus vivum in paradisum intulisse dicatur, sicut et quidam ex vobis his astruit verbis[2] : « Henoch placuit Deo et translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam. » Sed et Noe, ut scriptum est[3], « virum justum atque perfectum in generationibus suis, » quantum dilexerit Dominus manifestis exhibuit factis, cum videlicet universis aliis diluvio submersis, ipsum solum et domum ejus pro humani generis semine reservavit. His quoque insignes illos patriarchas vestros adjunge, Abraham videlicet, Isaac et Jacob, in quibus et eorum semine omnium gentium benedictio futura promittitur, qui etiam legem præcesserunt, et vide quam sit excellentior eorum prærogativa ceterorum qui post legem exstiterunt. Unde et specialiter Deus eorum esse dicitur, et ipse legislator per eorum merita et ad ipsos promissiones factas iratum populo dominum conciliat. Scriptum est enim[4] :

[1] *Psalm.* xvii, v. 4. — [2] *Eccli.*, cap. xliv, v. 16. — [3] *Genes.*, cap. vi, v. 9. — [4] *Exod.*, cap. xxxii, v. 11.

« Moyses autem orabat dominum dicens : Quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitiam populi tui. Recordare Abraham, Isaac et Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temet ipsum, dicens : Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et universam terram hanc de qua locutus sum dabo semini vestro, et possidebitis eam semper. Placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat. » Ex quo liquide colligitur, quam accepta Deo fuerint illa priorum patrum obsequia gratuita, ad quæ nondum eos aliqua lex constringebat, in qua nos adhuc ei libertate deservimus. Quod si in Abraham legem quodammodo dicas incepisse, propter circumcisionis scilicet sacramentum, nullam profecto reperies eum ex hoc remunerationem apud Deum obtinere, ne qua sit vobis ex lege gloriatio, nec quicquam justificationis adeptum esse. Scriptum quippe est, ipsum nondum circumcisum per fidem sicut priores patres justificari, cum dicitur[1] : « Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam. » Cujus etiam religio antea promissionem terræ vel multiplicationis futuræ tam sibi quam semini suo susceperat. Qui et postea circumcisus, cum audit a Domino, in se vel in semine suo gentes omnes benedicendas, non hoc ex circumcisione, sed ex illa meruit obedientia qua voluit filium immolare. Denique si universam testamenti vestri revolvas historiam, nullam reperies circumcisionis remunerationem promissam, sed id tantum a Domino constitutum esse, ut quisquis de semine Abrahæ circumcisus non fuerit, in populo suo, id est inter filios Abrahæ, non connumeretur. Sic quippe scriptum est, Domino Abraham dicente[2] : « Statuam pactum meum inter me et te, et semen tuum post te, etc. Hoc est pactum quod observabitis. Circumcidetur ex vobis omne masculinum. Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, etc. » Quod quidem « perire, » si de damnatione quoque animæ intelligendum esse dixeritis, tanto minus habet rationis institutio circumcisionis, quanto periculosius est eam non habere, sine qua prius nihil officiebat esse. Quæ etiam sententia regnum cœlorum præstruit infantibus ante diem octavum morientibus, qui nullam tamen adhuc commiserunt noxam qua damnari meruerint. Quod etiam diligenter attendas quam remunerationem observantiæ totius legis Dominus promittat ac præfigat. Nihil utique inde ab eo nisi terrenam prosperitatem potestis exspectare, cum nihil aliud ibi promissum esse videatis. Qui cum nec ostendat utrum hanc saltem obtineatis, qui vestro quoque judicio super omnes mortales affligimini, qua spe in hac legis obedientia tot et tanta sustineatis non mediocriter est mirandum, cum illo videlicet commodo præcipue

[1] *Genes.*, cap. xv, v. 6. — [2] *Genes.*, cap. xvii, v. 7 et sqq.

frustrati sitis, quod specialiter ex ipso promissionis debito vobis est exspectandum. Aut igitur non impletis legem et per hoc maledictum legis incurritis damnandi, aut qui hæc implentibus legem promisit, verax in suis non existit promissis. Quodcunque autem horum eligatis, nihil de lege video vobis confidendum esse, parum etiam ad beatitudinem meretur. Quid, rogo, exstitit, quod cum ad legis observantiam ex ejus remuneratione nos Deus invitaret, quod minimum est promisit, et quod est maximum penitus reticuit! Non discrete profecto peroravit, si utrumque ad legis obedientiam sufficere novit, cum id videlicet, quod suasione plurimum valebat, omnino præteriit. Nihil quippe, ut dictum est, de vera illa et æterna beatitudine ibidem in remuneratione commemoratum, sed in tantum terrena prosperitas intimatur, ut hoc tantum in causa obedientiæ constituatur; et iterum commendatur, ut per hujus responsionem omni posterorum inquisitioni satisfieri censeatur. Sic quippe scriptum est, ipso legislatore Moyse populum instruente adversus quamlibet legis impugnationem, atque dicente[1] : « Audi Israel, custodi præcepta Domini Dei tui ac testimonia et ceremonias quas præceperit, et fac quod placitum est et bonum in conspectu Domini, ut bene sit tibi, et ingressus possideas terram optimam, de qua juravit patribus tuis, ut deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est. Cum interrogaverit te filius tuus cras dicens, quid sibi volunt testimonia hæc et cerimoniæ atque judicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis, dices ei : Servi eramus Pharaonis in Egypto, et eduxit nos Dominus de Egypto in manu forti, fecitque signa, prodigia atque magna et pessima in Egypto contra Pharaonem et omnem domum illius in conspectu nostro, et eduxit nos inde, ut introductis daret terram, super qua juravit patribus nostris. Præcepitque nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima hæc et timeamus Dominum Deum nostrum et bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie. » Item[2] : « Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt supra terram. Custodi ergo præcepta et cerimonias atque judicia, quæ ego mando tibi hodie ut facias. Si custodieris ea, et feceris, custodiet et Dominus Deus tuus tibi pactum et misericordiam quam juravit patribus tuis, et diliget te ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, et fructui terræ tuæ, frumento atque vindemiæ, oleo et armentis, gregibus ovium tuarum super terram pro qua juravit patribus tuis ut daret eam tibi. Benedictus eris inter omnes populos, scilicet non erit apud te sterilis utriusque sexus tam in hominibus quam in gregibus tuis. Auferet a te omnem languorem et infirmitates Egypti pessimas, quas non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis. Devorabis omnes

[1] *Deut.*, cap. VI, v. 17. — [2] *Ibid.*, cap. VII, v. 6 et sqq.

populos, quos dominus Deus tuus daturus est tibi. » Et rursum[1] : « Dabit pluviam terræ nostræ temporaneam et serotinam, ut colligatis frumenta, vinum et oleum, fenum ex agris, ad pascenda jumenta, et ut ipsi comedatis et saturemini. Venientque[2] super te universæ benedictiones istæ, et apprehendent te, si tantum præcepta ejus audieris. Benedictus tu in civitate et benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui et fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, et caulæ ovium tuarum. Benedicta horrea tua et benedictæ reliquiæ. Benedictus eris ingrediens et egrediens. Benedicet cunctis operibus manuum tuarum et fenerabis gentibus multis et ipse a nullo fenus accipies. » Ecce in remuneratione implendæ legis sicut hominibus ita et fructui jumentorum tuorum, gregi armentorum tuorum, et caulis ovium benedictio promittitur, et nulla spiritualis benedictionis animæ fit mentio, nec quicquam quod ad salutem animæ vel damnationem attinet, obedientibus vel transgredientibus promittitur, sed sola commoda vel incommoda terrena memorantur, his quæ maxima sunt, omnino prætermissis. Quæro etiam, si nunc quoque post legem nobis datam, sicut et antea, lex naturalis ad salutem aliquibus sufficere possit, absque videlicet exterioribus illis et propriis legis operibus. Quod quia nulla ratione negare potestis, cum legem hanc constet tantum vobis esse datam, non aliis populis, nec circumcisiones nisi Abrahæ et semini ejus esse injunctas. Ad cujus quidem semen soli pertinent illi, qui de Isaac nascuntur, Domino ad ipsum dicente[3] : « Quia in Isaac vocabitur tibi semen. » Qui etiam postea quam circumcisionis pactum instituisset inferius adjecit[4] : « Pactum vero meum statuam ad Isaac. » Job quoque gentilem, quem post Abraham sine lege exstitisse non dubitatis, in tantum Dominus commendavit, ut diceret[5] : « Quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo. » Qui per semet ipsum suam nobis exponens justitiam quam imitemur, nihil de illis legis operibus commemorat, sed tantum legis naturalis opera, quæ unicuique ipsa ratio naturalis persuadet. « Si ambulavi, » inquit[6], « in vanitate, aut festinavit in dolo pes meus, si negavi quod volebant pauperibus et oculos viduæ exspectare feci, etc., » quæ ipse nobis gentilibus tam verbis quam exemplis tanquam legem instituit. Quod si hæc vel ante legem vel etiam nunc aliquibus ad salutem sufficiant, quid necesse fuit jugum legis addere, et multiplicatis præceptis transgressiones augere ? Ubi enim non est lex, nec ejus prævaricatio accidere potest. Quomodo peculiarem populum lege data constituit, et qua ratione Israel primogenitum suum nominat, quem tanta sarcina sine causa gravat ?

[1] *Deut.*, cap. XI, v. 14 et sqq. — [2] *Ibid.*, cap. XXVIII, v. 2 et sqq. — [3] *Genes.*, cap. XXI, v. 12. — [4] *Genes.*, cap. XVII, v. 21. — [5] Job., cap. I, v. 8. — [6] Job., cap. XXXI, v. 5 et 16.

Quis etiam vos a maledicto legis excusare possit, qui vestris exigentibus peccatis, sicut ipsi profitemini terram promissionis amisistis, extra quam implere legem nullatenus valetis, quibus nec vestras permittitur justitiarum exercere vindictas, nec licet ipsa celebrare sacrificia vel oblationes ad peccatorum purgationem institutas, nec ipsa etiam divinarum laudum persolvere cantica. Quod quidem et vos ipsi profitemini, dicentes[1] : « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? » Ex quo tam opera legis quam verba, sicut et ejus remunerationem constat amisisse, nec jam vos aut uxores vestras hostiis vel oblationibus amissis mundari posse vel Domino consecrari, sacerdotio pariter et templo privatos; ut nec terrenæ dignitatis solatium habeatis, qui nunquam a Domino nisi terrena postulatis, nec nisi in terrenis promissionem remunerationis, ut dictum est, accepistis.

Judæus. Multa continue objecisti, quæ non est facile recordari, ut singulis ordine respondeam. Prout tamen hæc mihi occurrerint respondere conabor. Etsi concederemus nunc quoque more priorum sanctorum homines salvari posse sola naturali lege, absque videlicet circumcisione, aut ceteris legis scriptæ carnalibus observantiis, non tamen hæc superflue adjuncta esse concedendum est, sed plurimum utilitatis habere ad amplificandam vel tutius muniendam religionem, et ad malitiam amplius reprimendam. Unde et ex his quæ ipse induxisti nonnullas accipe rationes. Quamdiu fideles passim infidelibus permixti vixerunt, nec adhuc Dominus eis terram concesserat propriam, nulla legis observantia fuerunt ab eis divisi cum quibus vivere cogebantur, ne videlicet ipsa vitæ dissimilitudo pareret inimicitias. Postquam vero Dominus Abraham de terra et cognatione sua eduxit, ut ei et semini ejus terram in hereditatem daret per quam a gentibus segregarentur, corporalibus quoque legis operibus eos penitus separare decrevit, ut tanto minus fideles ab infidelibus corrumpi possent, quanto amplius ab ipsis tam loco quam corporibus disjungerentur. Unde Abrahæ et semini ejus facta hujus terræ promissione in qua sibi Dominus populum aggregaret et in qua civitatem propriam sibi constitueret, legem statim cepit instituere secundum quam ibi essent victuri, a circumcisione inchoans. Sciebat quippe Dominus, duram populi nostri cervicem futuram, et eum ad idolatriam[2] quoque pravosque gentilium mores facile inclinari, sicut re ipsa postea probatum est. Unde legalibus observantiis quasi maceria quadam interpositis, decrevit eorum ritus ita disjungere, ut nulla conversationis vel familiaritatis conjungerentur societate, immo perpetuas hinc adversus se conciperent inimicitias. Maximam vero inter homines familiaritatem copula matrimonii et

[1] *Psalm.* CXXXVII, v. 4. — [2] Restituit Rheinwald *Idololatriam*, nescimus an jure; teste enim Du Cange, non semel vox *Idolatria* apud auctores medii ævi reperitur.

communio mensæ contrahere solet. Unde ad hæc maxime removenda et circumcisionem instituit Dominus et delicatorum ciborum esum interdixit. Adeo namque circumcisionis signum Gentibus abominabile videtur, ut si nos eorum feminas affectaremus, nullatenus nobis in hoc consentirent. Unde, etsi aliæ essent rationes, has in præsenti credo sufficere. Quod tamen circumcisionis seu legis meritum evacuare vel extenuare laboras, ex ipsa scilicet auctoritate Scripturæ, per ipsam credo refelli posse, si ea videlicet, quæ de serie Scripturæ furatus esse reticendo videris, diligenter attendas, quæ tibi credo nocitura videbas. Cum enim pactum quod per circumcisionem Dominus, cum ipso institueret, dixit Abrahæ[1] : « Statuam pactum meum inter me et te et semen suum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus et seminis tui. » Cum enim, « fœdere sempiterno » ait, « ut sim Deus tuus et seminis tui, » patenter edocet nos ex circumcisione Deo perenniter esse fœderandos, et per hæc nos eum promereri Deum, ut nec in hac vita, scilicet nec in futura disjungamur ab ipso. Quod etiam ipse repetens, ut magis memoriæ commendet adjecit : « Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum; » ut quemadmodum scilicet circumcisio in carne semel facta aboleri jam non potest, sic nequeamus adeo ulterius disjungi. Qui nos spiritualiter[2] confortans ait : « Eritis mihi in populum et ego vobis ero in Deum. » Unde et Deum specialiter Hebræorum, non tantum Deum Abraham, Isaac et Jacob se ipse nominat. Intantum vero ex circumcisione Deus sive filiorum sive ejus fieri innuitur, qui ante circumcisionem nec horum, nec hominum Deus sit appellatus. Congruum autem fœderis signum inter se et nos circumcisionis instituit; ut qui illo membro scilicet generantur, quod specialiter post susceptæ circumcisionis obedientiam consecratur, ex ipso quoque suæ generationis instrumento se sanctificari Domino admoneantur, ut sic videlicet interius a vitiis circumcidantur in corde, sicut jam exterius circumcisi sunt in carne; et a præcedente sua Chaldæorum infidelium origine, ita moribus se amputent, sicut primam illius membri partem a se removerunt, non tam ab eis cum Abraham corpore quam mente egredientes, sicut David commemorat fidelem animam invitans sic[3] : « Obliviscere populum tuum et domum patris tui. » Unde et Dominus populum vineæ comparans electæ, conqueritur, se expectasse « ut faceret uvas et fecit labruscas[4]. » Sicut autem totus ejus populus vineæ comparatur, sic singuli fideles vitibus et eorum genitalia propaginibus[5] congrue conferuntur. Palmes autem vitis, nisi in se præcidatur, labruscas potius quam uvas affert, et remanet. Ad hanc itaque

[1] *Genes.*, cap. XVII, v. 7. — [2] Vel, ut conjicit Rheinwald, *specialiter*. — [3] *Psalm.* XLIV, v. 11. — [4] Isai., cap. V, 2. — [5] *Palmitibus* conjicit Rheinwald.

similitudinem divinæ circa nos culturæ diligentiam præputium signat amputatum, ex quo nos Deus excolere incipit. Quod si etiam humanæ culpæ in primis parentibus exordia revolvas, et dominicam in mulierem sententiam pœnæ prolatam, cum ei videlicet dicitur[1] : « In dolore paries filios, » videbis quoque virum participem peccati in genitali præcipue membro recte fieri pœnæ consortem, ut in illo videlicet membro recte patiatur, per quod vitæ præsentis exilio filios generat morituros, de paradiso se et nos pariter propria transgressione in hujus vitæ dejiciens ærumnas. Nam et mulier in partu laborans recte ex illo quo concipit et generat membro patitur, et propter ipsam concupiscentiæ voluptatem, quam habet in conceptu, plectitur in partu, et pœnam insuper solvit quam peccando adquisivit. Quæ quoniam prior peccavit et virum postmodum ad peccatum traxit, non incongrue in hac etiam pœna ipsa præcessit. Nec tamen Deus omnino virum ipsum punire distulit, cui statim in pœna constitutum est et dictum a Domino[2] : « Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes eam cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, » etc. At ubi opulentiam promissæ terræ adepti sumus non jam spinas et tribulos germinantis, quod de pœna ibi est diminutum, in circumcisione non incongrue est recompensatum. Quæ tamen post ipsius terræ promissionem, antequam ipsa obtineretur, a patriarchis statim est inchoata, ut firmiorem ad posteros auctoritatem transmitteret. Hæc de circumcisione in præsentiarum satis arbitror. Qui vero ex scriptura convincere niteris, eam his tantum esse injunctam qui ex semine ducuntur Abrahæ; non animadvertis, quod ibidem scriptum est, de his etiam qui de hac stirpe non sunt. Cum enim Dominus præmisisset : « Infans octodierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris : tam vernaculus quam emptitius circumcidetur; » statim adjecit : « Et quicunque non fuerit de stirpe vestra. » Quod itaque Isaac solum et semen ejus ad circumcisionem pertinere astruis, vide quantam habeat dissonantiam, et ex ipso quoque Abrahæ facto te corrige. Ipse quoque ex dominico præcepto Ismaelem quoque secum et omnes viros domus suæ tam vernaculos quam emptitios et alienigenas pariter circumcidisse memoratur; « statim, » ait Scriptura, in ipso die, sicut præceperat ei Dominus, antequam adhuc Isaac natus fuisset; ut a vobis eam accepisse sciatis, et tanto vobis eam quasi magis naturalem vindicetis. Nunc ergo si placet ipsa etiam scripturæ verba ponamus, quæ sunt hujus modi[3] : « Tulit autem Abraham Ismaelem filium suum et omnes vernaculos domus suæ, et circumcidit carnem præputii eorum, statim in ipso die, sicut præceperat ei Dominus. Et iterum eadem die circumcisus est Abraham et Ismael filius ejus, et omnes viri domus

[1] *Genes.*, cap. III, v. 16. — [2] *Ibid.*, v. 17. — [3] *Genes.*, cap. XVII, v. 23.

ejus tam vernaculi quam emptitii et alienigenæ pariter circumcisi sunt. » Quod etiam induxisti : « Pactum vero meum statuam ad Isaac, » animadvertatur volens hoc tantum de pacto circumcisionis, non terrenæ promissionis, intelligere ; nihil etiam impedit, sicut paulo ante præmissum est, quod dicitur : « Constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum ; et semini ejus post eum. » Etsi enim Ismael quoque ex præcepto Domini circumcisus sit, non in eo Dominus circumcisionem statuit, in cujus posteritate non perseveravit. Quod vero Job gentilem in exemplum duxisti, cum eum incircumcisum non possis convincere aut post institutionem circumcisionis exstitisse, sicut enim Ismaelem ab Abraham, sic Esau ab Jacob, et reprobos quoque filios sicut electos a patriarchis secundum præceptum Domini constat esse circumcisos, ut hinc etiam ipsorum posteri, si qui Deo adhærerent, circumcisionis exemplum sumerent, sic et vos ipsi usque hodie servatis, qui Ismaelem patrem vestrum imitantes anno duodecimo circumcisionem accipitis. Scimus et populum nostrum multos ex gentibus ad legem conversos habuisse proselytos, non tam videlicet ex parentum imitatione, quam ex cognata virtute, quod de Job quoque potuit accidere, quem etiam more nostro accepta Deo sacrificia tam pro filiis quam amicis videmus obtulisse. Quod etiam objectum est nec observationi totius legis remunerationem fuisse promissam, nisi temporalem atque terrenam, nec Dominum ad persuasionem sive condemnationem legis provide perorasse, si non legalium præceptorum impletio vitam mereatur æternam, facile est refelli, cum ex ipsa quoque circumcisione quam lex præcipit, Domino in perpetuum fœderati sumus, ut dixi. Ad quid etiam nos ex universis gentibus in populum peculiarem sibi elegit et legem per quam sancti efficeremus dedit, si præsentis tantum vitæ gaudia, quæ magis reprobi quam electi possident, ex superaddita legis observantia deberentur? Si sanctitas vobis vel quibuslibet hominibus beatam et immortalem vitam adquirit, constat præcipue et hanc ex lege nobis deberi, si vos ejus observantia sanctificat. Sanctificat autem profecto sicut et ipse Dominus nobis per Moysen loquitur dicens [1] : « Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis ; mea est enim omnis terra, et vos mihi in regnum sacerdotale et gens sancta. » Quomodo igitur nos populum peculiarem et proprium sibi elegit et per legem sanctificat, si vos vel alios beatiores efficit? Et post aliqua cum nos ad obedientiam legis adhortaretur ait [2] : « Ego enim sum Deus tuus faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me et custodiunt præcepta mea. » Quid autem est faciens misericordiam in millia, nisi faciens misericordiam perfectam atque consummatam super quam nulla ex-

[1] *Exod.*, cap. XIX, v. 5 et 6. — [2] *Ibid.*, cap. XX, v. 6.

tendi possit, sicut nulla nova numerorum nomina millenarium excedunt. Et alibi[1] : « Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. » Item infra[2] : « Sanctificamini et sancti estote, quia ego sum sanctus Dominus Deus vester. Custodite præcepta mea et facite ea. Ego Dominus qui sanctifico vos. » Et post aliqua[3] : « Eritis sancti mei, quia sum sanctus Dominus, et separavi vos a ceteris populis ut essetis mei. » Et iterum[4] : « Ego Dominus qui sanctifico vos et eduxi de terra Egypti, ut essem vobis in Deum. » Et rursum[5] : « Si in præceptis meis ambulaveritis, ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. » Et alibi[6] : « Quis det, inquit, talem eos habere mentem ut timeant me et custodiant universa mandata mea, in omni tempore ut bene sit eis, et filiis eorum in sempiternum? » Evæ aperte Dominus profitetur, ex obedientia legum sempiternam remunerationem, non quæ finem habet. Moyses etiam post illam, quam supra meministi remunerationem terrenam, his qui legem custodiunt, adjunxit, misericordiam eis insuper a Deo implendam, patenter aliam nobis quam terrenam remunerationem pollicens. Cum enim præmiserit[7] : « Et bene sit vobis cunctis diebus vitæ vestræ sicut est hodie, » statim adnexuit : « Eritque nostri misericors, si custodierimus et fecerimus omnia præcepta ejus sicut mandavit nobis, » et quibusdam interpositis, cum dixisset : « Te elegit Dominus ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, » adjecit inferius[8] : « Et scies quia Dominus Deus tuus ipse Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se et his qui custodiunt præcepta ejus in mille generationes. » Quam perfectam autem Dei aut proximi dilectionem in quibus legem naturalem consistere dicis lex ipsa præcipiat non te reor [9] latere. Legem quippe Moyses in novissimo consummans ait [10] : « Et nunc Israel, quid dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, et servias Domino Deo tuo in toto corde tuo et in tota anima tua, custodiasque mandata Domini et cerimonias ejus quas ego hodie præcipio, ut bene sit tibi? En Domini Dei tui cœlum, et cœlum cœli, terra et omnia quæ in eis sunt, et cum patribus tuis conglutinatus est Dominus et amavit eos elegitque semen eorum post eos, id est vos de cunctis populis, sicut hodie comprobatur. » Intantum vero dilectionem Dei, ut perfecta sit, diligenter lex exprimit atque amplificat; ut Deum diligendum ex toto corde et ex tota anima et ex tota fortitudine nostra præcipiat. Proximum vero tanquam nos diligere jubemur, ut videlicet amor Dei supra nos etiam extensus nulla mensura concludatur? Ipsos quoque advenas apud nos commorantes quasi nosmet ipsos amare præcipimur, intan-

[1] *Levit.*, cap. XIX, v. 2. — [2] *Ibid.*, cap. XX, v. 7 et cap. XXII, v. 31. — [3] *Ibid.*, cap. XX, v. 26. — [4] *Ibid.*, cap. XI, v. 45. — [5] *Ibid.*, cap. XXVI, v. 11. — [6] *Deuter.*, cap. V, v. 29. — [7] *Ibid.*, cap. VI, v. 24, 25. — [8] *Ibid.*, cap. VII, v. 6, 9. — [9] Sic optime conjicit Rheinwald. Codex *rem* pro *reor*. — [10] *Deuter.*, cap. X, v. 12.

tumque dilectionis sinum lex ipsa laxat, ut nec ipsis inimicis vel injuriosis desint ipsius beneficia. De quibus nunc aliqua proferamus[1] : « Si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc ei. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. Peregrino molestus non eris, et ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti. Non quæras ultionem nec memor eris injuriæ civium tuorum[2]. Si habitaverit advena in terra vestra et moratus fuerit inter vos, ne exprobetis ei, sed sit inter vos quasi indigena, et diligetis eum quasi vosmet ipsos, fuistis enim et vos advenæ in terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester. » Et alibi[3] : « Non deerunt pauperes in terra habitationis vestræ; ideo præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo et egeno et pauperi qui tecum versantur in terra. » Ex his perpende, obsecro, quantum extendat lex tam ad homines quam ad Deum dilectionis affectum, ut tuam etiam legem quam naturalem appellas in nostra concludi cognoscas, ut si alia quoque cessarent præcepta, hæc quæ perfectæ dilectionis sunt nobis etiam sicut et vobis ad salvationem sufficerent. Quibus et priores patres nostros salvari, non denegatis, ut tanto magis nobis securitas relinquatur, quanto superaddita cetera legis præcepta arctiorem nobis vitam instituerunt. Quæ quidem additio non tam ad sanctorum morum religionem quam ad eam tutius muniendam mihi pertinere videtur. Ad omnem quippe animi virtutem vera Dei et hominum dilectio sufficit. Et si desint opera, tamen bona ac perfecta voluntas, merito nequaquam minuitur. Sed sicut loco nos Dominus ab infidelibus separare voluit, ne per ipsos scilicet corrumperemur, ita et operum ritibus, ut dixi, faciendum esse decrevit. Cum ergo dilectionis perfectio ad beatitudinem veram promerendam sufficiat, profecto arctioris vitæ superaddita præcepta vel in hac vita saltem, aliquid insuper obtinere debuerunt, ut terreni quoque beneficii solatio alacriores et securiores in Deum efficeremur, et cum augerentur erga nos ejus dona, cresceret in eum devotio nostra, et infidelium populus externus qui hæc videret, commodis nostris ad cultum Dei facilius invitaretur. Quod vero Dominus in remuneratione legis sæpius vel apertius terrena beneficia quam æterna commemorare videtur, maxime propter carnalem adhuc rebellemque populum, quem de opulentia Ægypti super qua jugiter murmurabat, ad asperrimam solitudinem educebat, factum esse intelliges. Superfluumque id in promissione commemorare videbatur, de æterna scilicet beatitudine, quam etiam sine legis traditione priores ante constabat adeptos esse. Deinde quanta legis sit perfectio hoc uno collige fine, de quo in novissimis Moyses his scribit verbis[4] : « Et nunc, Israel, audi præcepta et judicia, quæ ego doceam te, etc. Non addetis ad verbum quod

[1] *Exod.*, cap. XXIII, v. 4.— [2] *Levit.*, cap. XIX, v. 33. — [3] *Deuter.*, cap. XV, v. 11.— [4] *Ibid.*, cap. IV, v. 1 et 2.

loquor vobis, neque auferetis ex eo. » Et rursum : « Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam nec minuas. » Perfectum quippe est cui nihil addendum est. Aut si quid perfectionis deesset, mala hæc esset prohibitio, quæ quod deest prohibet, et beatitudinis iter nobis obstruit. Quid etiam ad purificationem vel emundationem nostram atque indulgentiam peccatorum nostrorum lex aliqua in sacrificiis vel ceteris observationibus fieri jubet, si hoc ad veram beatitudinem nihil attineat? Nihil quippe illos excludit a beatitudine, quibus peccata dimittuntur. Alioquin nec vobis illa esset speranda. Cur etiam peccata nobis per legem interdicit, nisi ut nobis illud reservet, quod peccata, si desint, conferunt, si adsint, præpediunt?

Philos. Miror te legis peritum tam inconsiderate loqui, ut adeo circumcisionem extollas, nec mentiri verearis dicendo scilicet post circumcisionem tantum et non ante Deum appellari hominum et eorum tantum qui circumcisi jam fuerint, veluti ipse Deus Abraham et Isaac et Jacob appellatur. Unde te aperte ipsa legis scriptura reprehendit, Noe antea longe dicente[1] : « Benedictus Dominus Deus Sem, sit Canaan servus ejus. » Ecce etenim Noe Deum Sem nominat. Unde et cum dicitur Deus Abraham, Deus Isaac sive Jacob, non incongrue addi solet, et Deus patrum nostrorum. Quod si etiam divina beneficia penses ex quibus vos maxime gloriamini tanquam ejus populus peculiaris, inde quia Enoch in paradisum felicius translatus est, quam vos in terram Canaam introducti, et hoc ille meruisse refertur, cum videlicet dicitur[2] : « Ambulavitque Enoch cum Deo et non apparuit, quia tulit eum Deus. Vos autem illud obtinuisse meritis, omnino Moyses denegat, dicens[3] : « Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus propter justitiam meam, introduxit me ut terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes, ut compleret verbum suum quod pollicitus est patribus tuis. » Scito igitur quod non propter justitias tuas Deus dederit tibi hanc terram optimam cum durissimæ cervicis sis populus. Noe vero propter justitiam suam, universis hominibus præter domum suam subversis, universorum quæ in terra vel in mari sunt constitutus est dominus, et omnia ei in esum præter sanguinem concessa, ut juxta Dei beneficia terrena quæ vos desiderastis, tanto priorum fidelium vita fuerit felicior, quanto liberior et universis terrenæ habitationis dominans creaturis. Quanto autem Noe et suorum vita liberior exstitit quam vestra, nondum videlicet jugo legis vestræ oppressa, tanto et nostra liberior est illa antiquior vita quam nullis exterioribus diræ legis operibus constringi potestis convincere. Quæ quidem ab ipso Noe inchoantes, cui de abstinentia sanguinis prior lex instituta est, diligenter con-

[1] *Genes.*, cap. IX, v. 26. — [2] *Ibid.*, cap. V, v. 24. — [3] *Deuter.*, cap. IX, v. 4, 6.

sideremus. Novi tamen legis quædam præcepta usque etiam ad alienigenas extendi, scilicet illos tantum, quos vernaculos vel servos haberetis vel qui intra portas vestras vel in terra vestra vobiscum habitarent. Quos quidem in pluribus locis Scriptura diligenter determinat, et quos tu ipse superius ex ipso legis præcepto, tanquam indigenas misericorditer tractandos esse ostendisti. Quos et vobis in pluribus observantiis lex aggregat et a ceteris peregrinis advenis aperte distinguit. Unde cum ait quodam loco[1] « Septimo anno facies remissionem quæ hoc ordine celebratur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini. A peregrino et advena exiges; » aperte docet peregrinum et advenam non tam misericorditer tractandum esse, sicut indigenam. Hunc quoque peregrinum superintellexerat, ubi ait[2] : « Omne quod mundum est comedite; quicquid morticinum est nemo vescatur ex eo. Peregrino qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei, quia tu populus sanctus Domini tui Dei es. » Longe namque antea in alio libro advenam etiam qui intra vos habitando non transeundo peregrinatur, sicut ea quæ ibi proxima præmittuntur, insinuant, a morticino comedendo sicut vos inhibuit, dicens[3] : « Anima quæ comederit morticinum vel captum a bestia tam de indigenis quam et de advenis, lavabit vestimenta sua et se ipsum aqua, et contaminatus erit usque ad vesperum, et hoc ordine mundus fiet. Quod si non laverit vestimenta sua et corpus, portabit iniquitatem suam. » Quem vero uno loco peregrinum et advenam dicit, quandoque alibi nominat alienum; veluti cum dicitur[4] : « Non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. » De his autem advenis, qui peregrinantur inter vos, non vos inter eos, alio loco scriptum est, cum dicitur[5] : « Homo quilibet de domo Israel, et de advenis qui peregrinantur inter vos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, et dispergam eum de populo suo. » Nullo quippe legis præcepto alium advenam comprehenderis nisi qui apud vos habitat, ac per hoc subjacet vestro dominio et disciplinæ. Unde divina nobis providente gratia quæ vobis omnino omnem terræ possessionem abstulit, ut nullus videlicet apud vos, vos apud omnes peregrinemini, nullis vos legitimis vestris sciatis obnoxios. Quod vero præcepto circumcisionis et exemplo Abrahæ nos ad circumcisionem urgere niteris, ut eos quoque legis sacramento includas quibus tamen nullatenus legem esse datam concedis aut etiam promissionem terræ fieri quæ in pacto circumcisionis statuitur, vide quam sit invalidum quod objicis. Cum enim præmisisset Dominus, « circumcidetur

[1] *Deut.*, cap. XV, v. 1 et sqq. — [2] *Ibid.*, cap. XIV, v. 20. — [3] *Levit.*, cap. XVII, v. 15, 16. — [4] *Deut.*, cap. XXIII, v. 19. — [5] *Levit.*, cap. XVII, v. 10.

ex vobis omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus quam emptitius et quicunque non fuerit de stirpe vestra; » profecto [per hoc] quod ait « ex vobis » non tantum Abraham et posteros ejus comprehendit, sed insuper eos quicunque ad familiam et possessionem eorum pertinent, ut eis videlicet imperare possent et ad circumcisionem cogere. Unde etiam postquam dixit: « et vobis, » et postea subdidit: « in generationibus vestris tam vernaculus quam emptitius, » et deinde adjecit: « et quicunque non fuerit de stirpe vestra, » [per hoc quod dixit « in generationibus vestris et quicunque non erit de stirpe vestra]: » diligenter expressit, quod superius comprehenderat cum dixit « ex vobis, » non solum videlicet suorum generationes posteriorum, sed etiam familiam quam possident alienigenarum. Qui etiam sententiam dicendo, « eritque pactum meum in carne vestra, » sic dixit generaliter « in carne vestra, » sicut ante dixerat « in vobis. » Alioquin multum incongrue esset promissum, quasi non pactum Dei in carne ipsorum apparere, nisi et advenæ sicut et ceteri circumciderentur. Unde et per hoc quod dicitur, « in carne vestra, » ipsos quoque advenas comprehendi constat. Illud quoque quod novissime additam sententiam consummat: « Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit, » quomodo ad præmissa quibus et advenæ jam sunt comprehensi refertur, nisi et cum advenis pactum suum sit, saltem cum dicitur: « Circumcidetur ex vobis, » etc. Quod vero æternam quoque animarum beatitudinem ex legitimis vestris vobis esse promissam astruere laboras, vilissimæ conjecturæ esse ex ipsa lege potest ostendi. Per hoc quippe quod dicitur cum fœdere sempiterno vel in fœdus æternum, eos qui ex præcepto Dei circumciduntur ei in perpetuum ita fœderatos intelligis, ut nec in futuro ab ejus gratia disjungantur. Unde et Israelem seu Esau vel plerosque reprobos nullatenus ambigendum est esse salvandos. Miror etiam quod non attendis æternum sive sempiternum frequenter in lege sic accipi, ut vitæ præsentis perseverantiam non excedat. Unde etiam ipso pacto circumcisionis cum præmittitur, « daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuæ et omnem terram Canaan in possessionem æternam, » non credo te adeo delirare, ut æternitatis vocabulo vitæ quoque futuræ beatitudinem includas, de qua hic superfluum est quicquam præcipere. Sæpe etiam, sicut nosti, in ipsis legis operibus quæ in hac tantum vita celebrabantur, lex adjungere solet, « legitimum sempiternum erit nobis in cunctis generationibus et habitationibus vestris. » Sic enim, ut ex pluribus aliquid afferamus exemplum, de celebranda festivitate tabernaculorum adjecit. Cum enim præmisisset: « Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ spatulasque palmarum, et ramos ligni diversarum frondium et salices de torrente, et lætabimini in Domino Deo vestro, celebrabi-

tisque solemnitatem ejus, septem diebus per annum; » statim adjunxit « legitimum sempiternum erit in generationibus vestris[1]. » Qui etiam celebrationem sabbati septimo die quodam loco instituens ait[2] « Pactum est sempiternum inter me et filios Israel signumque perpetuum. » Sed et cum ait Dominus de hebræo servo qui non vult egredi liber, quod erit servus in seculum[3], tempus tantum vitæ ejus comprehendit. Non enim hebræi servi secundum legem transmittuntur ad posteros, sicut illi qui de nationibus assumpti sunt. Unde[4] : « Servus et ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro sunt, et de advenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos et hæreditario jure transmittetis ad posteros ac possidebitis in æternum; fratres autem vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam. » Sufficiebat quippe Domino in remuneratione carnalis populi, qui non nisi terrena sciebat, eam ad tempus vitæ tantum præsentis accommodare. Quod vero perfectionem legis commendans asseruisti, ea tantum quæ Moyses præcepit, esse facienda, miror quod oblitus sis, te quidem superius astruxisse, laudabiliter multa præceptis ex gratia superaddi. Quod omnibus esse verissimum patet. Unde et vos nonnullas primas traditiones post legem accepistis, quas utilissimas judicatis, veluti cum exemplo Danielis cibos regios et vinum respuentis, ne in eis scilicet contaminaretur, vos quoque a nostro abstinetis vino. Sed et Rechabitæ, præcepto Jonadab patris sui, vino in perpetuum abstinentes tam præcepta Moysis quam omnes patrum vestrorum traditiones supergressi sunt. Ad quos etiam Jeremias a Domino missus, ut vinum biberent, non est ab eis exauditus. Unde intantum voce Domini eorum obedientia commendatur, ut eis promitteret dicens[5] : « Pro eo, quod obedistis præcepto Jonadab patris vestri et custodistis omnia mandata ejus, non deficiet vir de stirpe Jonadab, filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus. » Numquid et rex Ezechias[6] confringendo serpentem æneum, legis transgressor exstitit, videlicet laudabiliter destructo sine præcepto, quod utiliter factum fuerat ex præcepto? David etiam cum psalmos ad honorem Dei composuit, vel arcam Domini solemniter in Jerusalem adduxit, vel Salomon templum Domini construxit atque dedicavit, id profecto egerunt, quod nequaquam Moyses præceperat. Omnes quoque prophetiæ absque præcepto Moysis conscriptæ sunt et legis sibi traditæ, et innumera post Moysen a sanctis patribus vel ex præcepto Domini vel pro manifesta utilitate sunt acta, quæ nunquam in præceptis Moysis continentur. Non enim in his quæ manifestam habent utilitatem præcepta Domini sunt exspectanda, nec peccatum est facere

[1] *Levit.*, cap. XXIII, v. 39 et sqq. — [2] *Exod.*, cap. XXXI, v. 17. — [3] *Ibid.*, cap. XXI, v. 6. — [4] *Levit.*, cap. XXV, v. 44. — [5] Jerem., cap. XXXV. — [6] *Reg.* II, cap. XVIII, v. 5.

quod non est præceptum, sed facere contra præceptum. Alioquin nec diem unam præsentis vitæ possetis transigere nec domesticam curam uno die peragere, cum multa nos agere opus sit, vel emendo vel negotiando vel de hoc loco ad illum transeundo, vel denique comedendo sive dormiendo, quæ non habentur in præcepto. Præterea quis non videat, si plus vel minus quam Moyses præcepit, non sit faciendum, omnes qui legem custodiunt, æqualis esse meriti, nec inter eos alterum altero meliorem exsistere, quorum merita non possunt inæqualia esse? Patet igitur ex præmissis, quod nullo modo perfectionem legis per hoc potes commendare, quod intelligis contra legem agi, si quid quod in ea præceptum non sit, superaddatur. Nec te satis Dominum excusare agnoscas, quod cum legis obedientiam suaderet, id, ut dixi, maximum in ejus remuneratione prætermisit, si ad illud etiam promerendum eam sufficere judicaverit. Quod vero spiritale bonum peccatorum purificatione per sacrificia vel quælibet legis opera exteriora consequi confiditis, miror si, ut ipse professus es et manifesta veritas habet, vestra Dei et proximi dilectio ad justificationem sanctitatis sufficiat. Neque enim sine istis quicquam illa proderit, quantum ad animæ salutem pertineat, nec dubium est, cum ista quemlibet justum effecerint, jam non in eo reatu peccati esse ut spiritali egeat purificatione. Unde et de peccatore pœnitente scriptum habetis[1] : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus, etc., » et rursum[2] : « Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei. » Ecce quomodo sacrificium hoc contriti cordis ille commendat, qui illud exterius omnino alibi reprobat ex persona Domini dicens[3] : « Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Si esuriero, non dicam tibi, meus est enim orbis terræ et plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis et redde Altissimo vota sua et invoca me in die tribulationis : eruam te et honorificabis me. » Cordis sacrificium, non animalium esurit Dominus, et illo reficitur, et cum istud invenit, illud non quærit, et cum istud non invenit, illud omnino superfluit, quantum inquam ad animæ justificationem, non ad legalium pœnarum circumcisionem, secundum quas tamen peccata vobis condonari dicuntur. Lex quippe vestra, quæ tantum in hac vita vel impletionis vel transgressionis suæ persolvit merita et hic solummodo in utroque remunerationem habet, sic ad hanc vitam corporalem accommodat cuncta, ut nihil secundum animam, mundum vel immundum censeat, nec purificationes aliquas ad immunditias animarum, quas proprie peccata

[1] *Psalm.* L, v. 19. — [2] *Psalm.* XXXI., v. 5. — *Psalm.* XLIX, v. 9, 12. Locos e Scriptura integros restituimus, quorum maxima pars prima tantum cujusque vocis littera in codice et apud Rheinwald indicatur.

nominamus, ipsa referat. Unde et similiter cibos mundos vel immundos nominat, sicut et homines, lectos, sedes, et totam suppellectilem domus, seu etiam vestes et pleraque alia inanimata immunda seu polluta frequenter appellat. Quod si immunditias hominum, quarum purificationes institutæ sunt, his qui inquinantur peccatis connumeres, numquid feminam post partum per sacrificium mundatam ex hoc ipso, quod peperit, peccatum incurrisse judicas, cum illam potius maledictam censeatis, quæ non reliquerit semen in Israel? Quid etiam, peto, vir qui patitur fluxum seminis ex hoc contrahit? Quem tamen adeo abominabilem censet lex, ut lectus in quo dormierit immundus sit et ubicunque sederit. Vas etiam fictile quod contigerit, confringatur, ligneum vero lavetur. Si quis hominum tetigerit lectum ejus, vel sederit ubi ille sederat, lavabit vestimenta sua, et ipse etiam lotus aqua immundus erit usque ad vesperam[1]. Mulier quoque cum naturaliter accidentem menstruorum patitur fluxum adeo immunda censetur, ut id quoque in quo dormierit vel sederit iterum polluatur, ut suo tactu quælibet polluat, sicut et de viro patiente fluxum seminis supra dictum est. Quid vero hæc obsecro ad inquinationem animæ, ut lectus videlicet cujusquam contactus etiam polluatur? Quæ sunt istæ, oro, immunditiæ vel pollutiones? Certe illæ quæ et ciborum, ut sicut illi vobis vitandi sunt in esu, sic ista in tactu, et sicut illa immunda, quia non edenda, sic ista immunda vel polluta, quia non tangenda, et qui ea tangunt, etiam si compulsi vel ignorantes id faciunt, immundi similiter decernuntur, quia in familiaritate conversationis vitandi usque ad præfixum purificationis terminum. Quæ vero manifesta sunt peccata, sicut homicidium vel adulterium et similia, morte potius multantur quam sacrificiis expiantur, nec eis talium purificationum indulgetur remedium, quibus salvari qui ea commiserunt valeant. Ex quo magis has purificationes ad quamdam vitæ præsentis honestatem, quam ad animæ salutem intelligas accommodari. Et cum talium peccata condonari dicuntur, pœnas illas corporales quæ pro ipsis institutæ sunt, his qui a conversione communi separantur, relaxari constat. Numquid enim et aliud intelligendum est peccatum condonari, quam pœnam ei debitam relaxari, sive illa sit corporalis sive perpetua[2]. Animæ vero reatus sicut voluntate ipsius committitur, per ejus cor contritum ac veram pœnitentiæ compunctionem statim ita condonatur, ut ulterius pro ipso nullatenus damnetur, sicut dictum est[2] : « Dixi confitebor adversum me. » Postquam enim peccator pœnitens apud se constituit se ipsum inde per confessionem accusare, jam in hoc ipso, quod culpa perversæ voluntatis per quam deliquerat caret, reatus admissi et pœna ejus perpetua condonatur, etsi

[1] *Levit.*, cap. xv. — [2] *Psalm.* xxxi, v. 5.

adhuc temporalis ad correctionem servetur, sicut idem alibi commemorat vester propheta dicens : « Castigans castigavit me Dominus et morti non tradidit me. » Nec me super animæ meæ salute inquirendo de fide tua seu fide mea consuluisse satis arbitror. In qua quidem nostræ consultationis collatione id actum esse perpendo, ut nec auctoritate legis tuæ, etsi eam a Deo datam recipias, cognoscere possis, ad ejus sarcinam me debere submittere, tanquam illi quam nobis exemplo sui Iob præscribit legi quicquam necessarium sit addi, aut illi morum disciplinæ quam de virtutibus ad beatitudinem sufficientibus posteris prophetæ nostri reliquerunt. De quo nunc superest præsentis judicis sententiam audire, vel quod mihi superest, nostræ inquisitionis operam ad Christianum transferre.

[Judex.] Asserunt ambo nostri judicii sententiam excipere. Ego vero cupidus discendi magis, quam judicandi, omnium prius rationes me velle audire respondeo, ut tanto essem discretior in judicando, quanto sapientior fierem audiendo, juxta illud, quod supra memini, secundum summi sapientis proverbium[1] : « Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit. » In quo omnes pariter assenserunt, eodem accensi desiderio discendi.

Philos. Age nunc, Christiane, alloquor, ut tu inquisitioni meæ secundum propositi nostri conditionem respondeas. Cujus quidem lex tanto debet esse perfectior et remuneratione potior ejusque doctrina rationabilior, quanto ipsa est posterior. Frustra quippe populo priores leges scriberentur, nisi quid ad doctrinæ perfectionem eis adderetur. Quod quidam nostrorum in secundo *Rhetoricæ* diligenter considerans cum de contrariis legibus causam formaret, attendendum esse præcepit, utra lex posterior data sit : « nam postrema, inquit[2], quæque gravissima est. »

Christian. Miror te ab his quæ in exordio professus es, ita impudenter dissonare. Cum enim præmisisses, te inquisitionibus tuis reperisse Judæos stultos, Christianos insanos, postmodum dixeris te non ad concertationem contendere, sed ad inquirendam veritatem conferre, qua ratione nunc ab his, quos etiam insanos reperisti, tandem veritatis doctrinam exspectes ? Numquid jam post inquisitiones tuas, eorum insaniam arbitraris cessare, ut jam ad eruditionem tuam possint sufficere ? Certe si christianæ fidei sectam arbitraris insaniam et eos qui hanc sectantur deputas insanos, vide tu philosophus, de summis illis Græcorum philosophis quid æstimandum sit, qui illa rudi et inculta virorum simplicium prædicatione, id est apostolorum, omnes ad hanc conversi facti sunt insanissimi. Intantum vero apud Græcos hæc nostra, ut dicis, insania radicata est et confirmata, ut ibi tam evangelica quam apostolica doctrina conscripta

[1] *Prov.*, cap. I, v. 5. — [2] Cic., *Invent. Rhet*, II, 49.

ac postmodum magna concilia celebrata, omnem inde mundum repleverit et universas hæreses represserit.

Philos. Nonnunquam conviciis et inproperiis facilius homines provocantur quam supplicationibus et obsecrationibus flectuntur, et qui sic provocantur, studiosius satagunt de pugna, quam qui orantur, moventur ex gratia.

Christian. Ignoscendum tibi est, si hac intentione hoc egisti. Nunc vero ne ex diffidentia pugnam hanc differre videar, tam mihi quam tibi orandus est, ut quid tibi quærendum, quid mihi respondendum sit, ipse Dominus inspiret, qui vult omnes homines salvos fieri et ad cognitionem sui venire. Nunc igitur, si placet, cum ad perfectionem nostræ legis tam evangelicæ scilicet quam apostolicæ doctrinæ sis exsors, hanc primum inspiciamus et cum ceteris conferamus omnibus doctrinis, ut si hanc in illis quæ justificant præceptis vel exhortationibus perfectiorem videris, eam sicut oportet magis eligas. Quod et supra memoratus rhetor vester de contrariis, ut dixisti, legibus agens, consulit dicens[1] : « Si leges duæ vel plures servari non possunt, quia discrepant inter se, ea maxime conservanda putetur, quæ ad maximas res pertinere videtur. »

Philos. Nihil hoc consilio probabilius, et nihil stultius quam ab antiquis ad novas recedere leges, nisi doctrina potiores. Quas videlicet novas leges qui composuerunt, tanto eas cautius ac perfectius scribere potuerunt, quanto jam priorum legum disciplina et ipsa necessariarum rerum experientia instructi, facile, quæ deerant, ex proprio addere potuerunt ingenio, sicut etiam in ceteris contingit philosophiæ disciplinis. Tum autem de perfectione posteriorum scriptorum maxime est confidendum, si moderni scriptores æquare ingeniis antiquos potuerint. Sed quid si forte ipsos etiam longe transcendere sperandum est? Quod profecto de legislatore videlicet Christo, quem ipsam Dei sapientiam dicitis, nequaquam dubitatis. De quo etiam Job nostrum antea cecinisse asseritis[2]: « Ecce Deus in fortitudine sua et nullus ei similis in legislatoribus. » Cujus et apostolus vester præferens doctrinam, et primæ legis imperfectionem manifeste profitens ait[3] : « Multifarie multisque modis Deus olim loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio, etc. » Et iterum idem infra de veteris et novæ legis discretione indicans[4], « Reprobatio, inquit, fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex. Introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. »

Christian. Certe, ut video, non te ignorantia fidei nostræ, sed magis tuæ infidelitatis obstinatio damnat. Qui et nostræ legis perfectionem ex scriptis ipsius didicisti et adhuc, quod sequaris, inquiris, quasi perfectum ibi et omnibus aliis

[1] Cic., *Invent. Rhet.*, II, 49. — [2] Job., cap. XXXVI, v. 22. — [3] *Hebr.*, cap. I, v. 1. — [4] *Hebr.*, cap. VII, v. 18, 19.

excellentius non habeas documentum virtutum, quas ad beatitudinem sufficere nullatenus dubitas, de qua quidem perfectione, quæ deerant, id est veteri suo complente, cum ipse Dominus novum traderet testamentum, statim exorsus discipulis ait[1] : « Nisi abundaverit justitia vestra, etc. » Et statim per singula novæ legis abundantiam prosecutus, quæ morali deerant perfectioni diligenter expressit et veram ethicam consumavit, id est, cujus comparatione, quicquid tam ab antiquis patribus quam prophetis de disciplina morum ac discretione virtutum traditum fuerat, nihil esse facile convincetur, si diligenter hæc conferamus cum prioribus.

Philos. Harum me, ut nosti, collationum[2] tantummodo huc adduxit, et hac nos intentione congregati sumus.

Christian. Nunc profecto, quantum percipio, ad omnium disciplinarum finem et consumationem proficiscimur. Quam quidem vos ethicam, id est moralem, nos divinitatem nominare consuevimus. Nos illam videlicet ex eo, ad quod comprehendendum tenditur, id est Deum, nuncupantes, vos ex illis, per quæ illuc pervenitur, hoc est moribus bonis quas virtutes vocatis.

Philos. Assentio quod clarum est, et novam nuncupationem nominis vestri non mediocriter approbo. Quia enim ad quod pervenitur his, per quæ venitur, dignius æstimatis, et pervenisse felicius quam venire, hoc vestri nominis insigniorum est nuncupatio, ex origine propriæ divinationis lectorem plurimum alliciens. Quæ, si ita ex documento sicut ex vocabulo præmineat, nullam ei disciplinam comparandam censeo.

Christian. Nunc igitur, si placet, præfinire te volumus, in quo veræ ethicæ summa consistat et quid ex hac spectandum sit nobis disciplina, et quo cum perventum fuerit ejus sit intentio consummata. Hujus, ut arbitror, disciplinæ in hoc tota colligitur summa, ut, quo summum bonum sit et qua illuc via nobis sit perveniendum, aperiat.

Philos. Placet utique vehementer tam paucis verbis tantæ rei summam exprimi, et totius ethicæ tam diligenter intentionem comprehendi. Quæ quidem intentionis verba ista in se statim rapiunt auditorem, et hujus disciplinæ studium commendant, ut in ejus comparatione omnium artium vilescant doctrinæ. Quo enim summum bonum ceteris omnibus est excellentius, in cujus fruitione vera consistit beatitudo, constat procul dubio ejus doctrina ceteras tam utilitate quam dignitate longe præcedere. Longe quippe aliorum studia infra summum bonum remanent nec beatitudinis contingunt eminentiam, nec ullus in eis fructus apparet, nisi quantum huic summæ deserviunt philosophiæ, tanquam

[1] Matth., cap. v, v. 20. — [2] Hic aliquid deesse videtur.

circa dominam occupatæ pedissequæ. Quid enim ad studium grammaticæ vel dialecticæ, vel ceterarum artium de vera hominis beatitudine vestiganda? Longe omnes inferius ab hac eminentia jacent nec ad tantum se adtollere valent fastigium. Sed quædam genera locutionum tradunt vel rerum aliquas exercent naturas, quasi quosdam gradus ad hanc celsitudinem parantes, cum de ipsa nobis disserendum, et per aliquas rerum naturas in exemplum vel similitudinem quasi fuerit afferendum; ut per illas quasi quodam pedissequarum ducatu pertingamus ad dominam, in illis quidem progressionis nostræ transitum habentes, in hac requiem et nostræ fatigationis finem adepti.

CHRISTIAN. Gaudeo te hujus philosophiæ excellentiam tam diligenter attigisse et a ceteris distinxisse, ex quo te in ejus studio maxime occupatum intelligo.

PHILOS. Recte inquam occupatum. Hæc quippe sola est naturalis disciplina quæ præceptis moralibus tanto amplius philosophis congruit, quanto magis eos lege uti et rationibus constat inhærere, sicut ille vir[1] doctor meminit. Nam et « Judæi, » inquit[2] « signa petunt et Græci sapientiam quærunt. » Judæi quippe tantum, quod animales sunt et sensuales, nulla imbuti philosophia, qua rationes discutere queant, solis exteriorum operum miraculis moventur ad fidem, quasi hæc facere solius Dei sit et nulla in eis dæmonum illusio fieri possit. Quod quam sit stultum recipere et Magi in Egypto docuerunt, et vos Christus præcipue instruxit, qui de pseudophilosophis antichristi præmonens, eos in seductione hominum tanta operari miracula testatur, ut in « errorem, » inquit, « ducantur, si fieri potest, etiam electi. » Quasi ergo hæc signa quærere stultitia sit, e contrario per adjunctum prædictus meminit apostolus cum adjecit, et « Græci sapientiam quærunt, » hoc est rationes a prædicatoribus exigunt, quæ sunt certa sapientiæ instrumenta. Unde maxime vestra, id est christiana, prædicatio commendatur, quod eos ad fidem convertere potuit, qui rationibus plurimum nitebantur et abundabant, omnium videlicet liberalium artium studiis imbuti, rationibus armati. Quorum quidem ipsi non solum inquisitores, verum etiam inventores exstiterunt, et ex eorum fontibus in universum mundum rivuli manaverunt. Ex quo præcipue et nunc de vestra confidimus disciplina, ut quo jam amplius solidata convaluit, in conflictu plurimum possit.

CHRISTIAN. Immo post tantorum conversionem philosophorum nec tibi nec posteris de fide nostra ambigere licet, nec jam tali conflictu opus esse videtur, cum in secularibus disciplinis eorum omnia credatis auctoritati et non eorum exemplis ad fidem moneamini, dicentes cum propheta[3] : « Neque meliores sumus, quam patres nostri. »

[1] Sic Rheinwald. *Vester* pro *vir* legendum esse conjicimus. — [2] *Cor.* I, cap. I, v. 22. — [3] Matth., cap. XXIV, v. 24.

Philos. Nec eorum auctoritati ita concedimus, ut dicta ipsorum ratione non discutiamus, antequam approbemus. Alioquin philosophari desisteremus, si videlicet rationum inquisitione postposita, locis auctoritatis qui inartificiales indicantur, et a re ipsa omnino disjuncti sunt, in opinione potius quam in veritate consistentes, plurimum uteremur; nec ipsos majores nostros ad fidei vestræ confessionem tam ratione ductos quam vi victos crederemus, sicut et vestræ consentiunt historiæ. Ante imperatorum quippe vel principum ad fidem vestram per miracula, ut dicitis, conversionem, paucos sapientum vel nullos vestra purificatio acquisivit, quamvis tum facile a patentissimis idolatriæ erroribus gentes possent evelli et in quemcunque unius Dei cultum transferri. Unde et provide Paulus vester invectionis suæ in Athenienses occasionem sumens, sic exorsus ait[1] : « Viri athenienses, per omnia vos superstitiosos esse video, etc. » Jam tunc enim legis naturalis et divini cultus scientia evanuerat, et errantium multitudo paucitatem sapientum omnino deleverat vel oppresserat, atque ut ex nostra loquamur conscientia, et prædicationis christianæ non modicum approbemus fructum, per hanc maxime idolatriam in mundo non ambigimus deletam tunc fuisse.

Christian. Adjunge et quod patet et legem naturalem suscitatam esse, et perfectam morum disciplinam, qua vos, ut dicitis, sola nitimini, et ad salvandum sufficere creditis, nonnisi ab ipso traditam fuisse, a quo tamquam vera sophia, id est sapientia Dei, quicunque instructi veri sunt dicendi philosophi.

Philos. Ad quæ utinam, ut dicis, sic convincere possis, ut ab ipsa, ut dicitis, suprema sapientia, quam Græce logon, latine verbum Dei vocatis, vos vere logicos et verborum rationibus exhibeatis esse armatos. Nec illud Gregorii vestri me miserum refugium prætendere præsumatis. « Fides, » inquit[2], « non habet meritum, cui ratio humana præbet experimentum, c. r. p. h. e. » Quia enim apud vos fidem, quam astruunt, disserere non sufficiunt, statim ad suæ imperitiæ solatium hoc Gregorianum assumunt. Quod quidem juxta eorum opinionem quid aliud agit, nisi ut quibuslibet fidei prædicationibus æque stultis sicut et sanis acquiescamus? Si enim fides ratione minime sit discutienda, ne meritum amittat, nec quid credi oporteat animi judicio sit discutiendum, sed statim his quæ prædicantur, assentiendum, quoscunque errores prædicatio seminet, suscipere nihil refert, quia nihil licet ratione refellere, ubi rationem non licet adhibere. Dicat idolatria de lapide vel ligno vel qualibet creatura : Hic est Deus verus creator cœli et terræ; vel quamlibet patentem abominationem prædicet, quis eum valebit refellere, si de fide nihil sit discutiendum ratione? Statim arguenti

[1] *Reg.* I, cap. xix, v. 4. — [2] *Act. Apost.*, cap. xvii. v. 22.

se et maxime christiano et quod præmissum est objicit, « Fides non habet meritum, etc. » Statim christianus ex ipsa sua defensione confundetur, dicens ejus penitus rationes in talibus audiendas non esse, ubi eas ipse penitus induci prohibet, nec eum aliquem rationibus de fide recte impugnari minime permittit.

Christianus. Ut ait ille maximus sapientum, sic et plerumque rationes videntur, hoc est rationabiliter et convenienter aliqua dici, cum minime ita sit.

Philos. Quid et de ipsis, quæ pro auctoritatibus habentur? Nonne in ipsis plurimum erratur? Alioquin non essent tot fidei sectæ diversæ, si eisdem omnes auctoritatibus uterentur. Sed prout quisque propria ratione deliberat, singuli quas sectantur auctoritates eligunt. Alioquin indifferenter omnium scripturarum sententiæ essent suscipiendæ, nisi ratio quæ naturaliter prior eis est, de ipsis prius haberet judicare. Nam et ipsi qui scripserunt, non nisi ex ratione qua eorum abundare videntur sententiæ, auctoritatem, hoc est credendi statim eis meruerunt dignitatem. Adeo autem ipsorum quoque judicio auctoritati ratio præponitur, ut sicut vester meminit Antonius, « cum humanæ rationis sensus inventor fuerit literarum, cui sensus est incolumis, ei minime necessariæ sint literæ. » Quæ in omni philosophica disputatione ita novissimum aut nullum obtinere consetur locum, ut ea quæ a rei judicio, id est ab auctoritate ducuntur argumenta, eos omnino inducere pudeat, qui de propriis viribus confidentes alienæ opis refugium dedignantur. Unde bene philosophi talium argumentorum locos cum ad eos orator magis quam philosophus confugere cogitur, omnino extrinsecos et a re disjunctos et ab omni virtute destitutos judicaverunt, utpote in opinione potius quam in veritate consistentes, et nullo ingenii artificio ad suorum inventionem argumentorum agentes, cum is, qui ea inducit, non suis, sed alienis utatur verbis. Unde et Boetius vester tam Themistianam quam Tullianam locorum dictionem in *Topicis* suis complectens : « A rei judicio, » inquit[1], « quæ sunt argumenta quasi testimonium præbent, et sunt inartificiales loci, atque omnino disjuncti, nec rem potius quam opinionem videlicet sectantes. » Rursus idem de eo dicitur secundum Tullium : « Restat is locus, » ait, « quem extrinsecus dixit assumi. Hic judicio nititur et auctoritate et totus probabilis est, nihil continens necessarium. » Et post aliqua : « Hic vero locus extrinsecus dicitur esse constitutus, quoniam non de his qui prædicati vel subjecti sunt terminis, sumitur, sed ab extrinsecus posito judicio venit. Hinc etiam inartificialis et expers, » ait, « vocatur, quoniam hinc non sibi ipse conficit argumentum orator, sed præparatis positisque utitur testimoniis. » Quod vero dixisti in rationibus quoque discernendis sive cognoscendis nonnunquam errari,

[1] *De diff. Topic.*, Opp., p. 871.

verum utique est atque liquidum. Sed hoc eis accidit hominibus, qui rationalis peritia philosophiæ et argumentorum carent discretione; quales se Judæi profitentur esse, qui pro argumentis signa requirunt, et quicunque suum in dictis alterius præsidium ponunt; tanquam de auctoritate vel scripto absentis facilius judicetur, quam de ratione vel sententia præsentis, et sensus illius melius quam istius possit inquiri. Dum vero, quantum valemus, de nostra solliciti salute Deum inquirimus, ejus utique supplet gratia quod nostra non sufficit opera, et volentes adjuvat ut possint, qui hoc ipsum etiam inspirat ut velint. Et qui sæpe invitos trahit, volentes non rejicit, et nitenti porrigit dexteram, cujus arguere non potest negligentiam. De quo vos ipsa quam dicitis veritas securos Christus efficiens, congrua similitudine præmissa subintulit[1] : « Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. » Omnis enim qui petit accipit, et [qui] quærit invenit, et p. a. Quæ quidem memini præcedentia verba, Augustinus exponens quodam suo tractatu *de Misericordia* inquit : « Petite orando, quærite disputando, pulsate operando. » Unde et artem disputandi secundo *de Ordine* libro ceteris præferens disciplinis, et tanquam ipsa sola sciat vel scientes faciat, eam commendans ait : « Disciplinam disciplinarum, quam dialecticam vocant. Hæc docet docere, hæc docet discere. In hac se ipsa ratio demonstrat; quid sit, quid velit, scit sola. Scientesque facere non solum vult, sed etiam potest. » Idem in libro secundo *de Christiana Doctrina* eam admodum sacræ lectioni necessariam ostendens : « Restant, » inquit, « ea quæ non ad corporis sensus sed ad rationem pertinent, ubi disciplinam regunt disputationis et numeri. Sed disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in sacris literis sunt penetranda, plurimum valet. Tamen ibi cavenda est libido rixandi et puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium. Sunt enim multa, quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum et plerumque veras imitantes, ut non solum tardos sed etiam ingeniosos minus attentos decipiant. Quod genus captiosarum conclusionum scriptura, quantum existimo, detestatur illo loco ubi dictum est[2] : « Qui sophistice loquitur, odibilis est. »

CHRISTIAN. Nemo certe nostram, qui discretus est, rationibus fidem vestigari ac discuti vetat, nec rationabiliter his quæ dubia fuerint, acquiescitur, nisi cur acquiescendum ratione præmissa. Quæ videlicet, cum rei dubiæ fidem efficit, profecto id quod a vobis argumentum dicitur ipsa fit. In omni quippe disciplina tam de scripto quam de sententia se ingerit controversia, et in quolibet disputationis conflictu firmior rationis veritas reddita, quam auctoritas ostensa. Neque enim ad fidem astruendam refert, quid sit in rei veritate, sed quid in

[1] Matth., cap. VII, v. 7. — [2] *Eccles.*, cap. VIII, v. 1.

opinionem possit venire, et de ipsius auctoritatis verbis pleræque quæstiones emergunt, ut de ipsis prius quam per ipsa judicandum sit. Post rationem vero redditam, etiam si ratio non sit, sed videatur, nulla quæstio remanet, quia nulla dubitatio superest. Tecum vero tanto minus ex auctoritate agendum est, quanto amplius rationi inniteris et scripturæ auctoritatem minus agnoscis. Nemo quippe argui nisi ex concessis potest, nec nisi per ea quæ recipit convincendus est, et aliter tecum, aliter nobiscum ad invicem confligendum est. Quid Gregorius aut ceteri doctores nostri, quid etiam ipse Christus vel Moyses astruat, nondum ad te pertinere novimus, ut ex ipsorum dictis ad fidem cogaris. Inter nos, qui hoc recipimus, habent ista locum, et maxime rationibus nonnunquam fidem astruendam esse vel defendendam, de quibus quidem memini, contra eos qui fidem rationibus vestigandam esse denegant, secundus etiam *Theologiæ Christianæ* liber tam virtute rationum quam auctoritate scriptorum plenius disserit et rebelles convincit. Nunc ad propositum, si placet, revertamur.

Philos. Immo quia placet et super omnia placere oportet, quoad possumus adnitamur, et verioris ethicæ documentis legem noscitare conemur naturalem. Quod recte et ordine consumari credimus, si juxta comprehensam a te superius ethicæ summam, quod sit summum bonum, et qua illuc via perveniendum sit, discusserimus, ut sit videlicet in his ethicæ nostræ tractatus bipartitus.

Christian. Approbo tecum quod probas. Sed quia juxta superioris condictum propositi confundendæ sunt nostræ cum vestris sententiæ, ut potiora valeamus eligere, et tu ex antiquitate legis naturalis, primum tibi locum vindicasti, tuum est, qui priore, ut dicis, lege, hoc est, naturali contentus es, et ea tantum uteris, tuas vel tuorum super hoc in medium proferre sententias et postmodum nostrarum, si in aliquo dissentimus, rationes audire.

Philos. Summum bonum sive finem boni, hoc est consummationem vel perfectionem ejus, definierunt, sicut plerique nostrorum meminerunt, quo quisque cum pervenerit beatus est, sicut e contrario summum malum, cujus assecutio miserum facit. Quorum utrumque moribus promeremur. Mores autem virtutes vel eis contraria vitia constat appellari. Quidam tamen nostrum, sicut et in octavo *de Civitate* meminit Augustinus, virtutem ipsam summum bonum dixerunt, alii voluptatem.

Christian. Ut quid obsecro voluptatem intellexerunt?

Philos. Non, ut plerique æstimant, carnalium illecebrarum inhonestam et turpem oblectationem, sed quamdam interiorem animæ tranquillitatem, qua inter adversa et prospera manet quieta, et propriis bonis contenta, dum nulla eam peccati mordeat conscientia. Absit enim, ut philosophi terrenæ felicitatis maximi contemptores et præcipui carnis domitores in hujus vitæ turpitudinibus sum-

mum bonum constituerint, sicut Epicuro et ejus sequacibus, id est, Epicureis multi per ignorantiam imponunt, non equidem intelligentes, quid illi, ut diximus voluptatem nominarent. Alioquin, ut diximus, Seneca, ille maximus morum ædificator et continentissimæ, sicut et vos ipsi profitemini, vitæ, nequaquam Epicuri tanquam magistri sui sententias tam crebro ad instructionem morum induceret, si ita ut dicitur, sobrietatis atque honestatis tramitem excessisset.

Christian. Esto ut æstimas, sed hoc, quæso, aperi, utrum hoc modo voluptatem intelligentes, ab eis qui virtutem nominant, sensu etiam sicut et verbis dissident.

Philos. Nulla aut parva quantum ad sententiæ summam est eorum distantia. Hoc ipsum virtutibus pollere est hanc animæ tranquillitatem habere et e converso.

Christian. Una itaque sententia est utrorumque de summo bono, vero nuncupatio diversa; ac sic duæ illæ quæ videbantur de summo bono sententiæ ad unam sunt redactæ.

Philos. Sic æstimo.

Christian. Et quam rogo viam ad hoc summum bonum id est virtutem perveniendi constituebant?

Philos. Ipsum profecto moralis lectionis studium vel domandæ carnis exercitium, ut bona in habitum solidata voluntas, virtus dici queat.

Christian. Et quem esse beatum definiunt?

Philos. Beatum quasi bene aptum dicunt, hoc est in omnibus bene et facile se agentem, ut idem sit scilicet beatum esse, quod bonis moribus id est virtutibus pollere.

Christian. Numquid de immortalitate animæ et quadam futuræ vitæ beatitudine quidquam æstimant, et eam pro meritis suis exspectant?

Philos. Ita equidem, sed quid inde?

Christian. Numquid illius vitæ beatitudinem judicant majorem, ubi videlicet eos susceptos nullus affligit passionis dolor, ut ibi potius quam hic summum hominis bonum et veram beatitudinem exspectemus?

Philos. Quies quidem illius vitæ maxima est ab omni, ut dixisti, passione immunis, sed cum afflictio cessat, nequaquam augeri beatitudinem dicunt, nisi virtus excrescat, nec quisquam ab eis beatior fieri dicitur, nisi virtute melior efficiatur; ipsum quippe, ut dixi, definiunt beatum esse, quod est virtutibus pollere. Unde et quislibet, dum pro justitia patitur et patiendo amplius mereri dicitur, æque beatus in tormentis, ut ante dicitur, quia æque bonus. Quamvis enim virtus ejus nunc magis quam prius appareat, nequaquam tamen ex tormento crevit, sed ex tormento, quanta erat apparuit. Absit enim ut quæ-

cunque ad corporalem vel quietem vel afflictionem pertinent beatitudinem nostram vel augeant vel minuant, si in eodem proposito virtus mentem custodiat. Ipse quidem Christus vester numquid patiendo suam minuit beatitudinem aut resurgendo auxit? Nequaquam igitur quia illic cessant corporales istæ afflictiones, nos ibi censeas futuros beatiores, si futuri non sumus meliores.

Christian. Quid si sumus?

Philos. Utique beatiores quia meliores.

Philos. Illam, ut dixisti, vitam pro meritis tanquam debitam exspectatis, tanquam hic cum vitiis pugna sit, ibi victoriæ corona.

Philos. Ita omnibus patens est.

Christian. Quo igitur modo ibi merces recipienda est agonum, si felicius ibi non sit vivendum, nec illa vita sit præsenti melior ac beatior? Quod si illa quam hæc beatior, profecto et qui ea fruuntur beatiores, quam hic esse videntur.

Philos. Utique beatiores, ut dixi, si meliores. Aliter nequaquam recipimus. Nec enim qui coronam adeptus est, majore igitur præditus est virtute, quam antea fuerit in certamine, nec ejus fortitudo major est facta, licet magis nunquam prius sit probata vel cognita, immo ex ipso gravamine conflictus fortassis diminuta; nec triumphantis quam pugnantis est vita melior, quamquam suavior.

Christian. Egestatem, infirmitatem, mortem et ceteras adversitatum vel passionum molestias tam vestri quam nostri doctores et pariter universi malis connumerant, et propter illa quæ virtutibus contraria sunt, tam animæ quam corporis multa sunt vitia, quæ nihilominus inter mala sunt reputanda, ut claudicatio corporis sive cæcitas, hebetudo mentis vel obliviositas. De contrariis quidem Aristoteles in *Categoriis* suis disserens[1] : « Contrarium, » inquit, « bono quidem ex necessitate est malum; hoc autem palam est per singulorum objectionem ; ut sanitati languor et justitiæ injustitia et fortitudini debilitas. Similiter autem et in aliis. Malo autem aliquando quidem bonum est contrarium, aliquando malum. Egestati enim, cum sit malum, superabundantia contraria est, cum sit ipsa malum. Sed in paucis hoc tale quislibet inspiciet. In pluribus vero semper malum bono contrarium est. » Et in *Topicis* suis Tullius, cum a contrariis locum assignaret : « Si bona est, » inquit, « sanitas, mala est ægritudo. » Ipse etiam Dominus de pace quam obedientibus tribuit et de persecutionibus quas rebellibus immittit[2] per prophetam ait[3] : « Ego Dominus faciens bonum et creans malum. » Et in evangelio Dominus de terrenis bonis et malis ad divitem ait[4] : « Recepisti bona in vita tua et Lazarus similiter mala. » Ille

[1] *Categ.*, cap. XI, 1. — [2] Rheinwald *persecutionibus*, *quam rebellibus immittat*. — [3] Isai., cap. XLV, v. 7. — [4] Luc., cap. XXVIII.

quoque vester prius et postea noster Augustinus mortem malam astruit. « Sicut lex, » inquit, « non est malum, quoniam auget peccantium concupiscentiam, ita nec mors bonum est quoniam auget patientium gloriam et efficit martyres. Lex quidem bona est, quia prohibitio est peccati. Mors autem mala, quia stipendium peccati. Sed quemadmodum injusti male etiam utuntur bonis, ita etiam justi bene utuntur malis. Hinc fit ut et mali male lege utantur, quamvis sit lex bonum, et boni bene moriantur, quamvis sit mors malum. »

Philos. Quorsum obsecro ista?

Christian. Ut eam inquam meliorem esse vitam intelligas, quam et ab istis malis omnino constat esse immunem, et intantum a peccato prorsus remotam, ut non solum ibi non peccetur, sed nec peccari possit. Quæ nisi melior vita præsente sit aut magis placeat, frustra est in retributione posita. Sin autem magis placet nec melior est, irrationabiliter huic præfertur, et qui eam desiderant indiscrete agunt.

Philos. Certe, ut verum fatear, nunc te primum philosophum comperior, nec tam manifestæ rationi impudenter convenit adversari. Sed ibi potius quam hic, juxta propositam rationem tuam, summum est hominis bonum exspectandum. Et fortassis hoc fuit Epicuri sententia summum bonum voluptatem dicentis, quoniam videlicet tanta est animæ tranquillitas ut nec exterius eam corporalis afflictio, nec interius mentem aliqua peccati conscientia inquietet, vel vitium obstet, ut optima ejus voluntas omnino compleatur? Quamdiu autem voluntati nostræ aliquid obsistit, vel deest, vera beatitudo nequaquam est. Quod utique semper evenit, dum hic vivitur, et anima terreni corporis mole gravata et quasi carcere quodam conclusa, vera non fruitur libertate. Quis enim aliquando non desideret calorem dum nimium friget, vel e converso, aut serenum dum pluvia gravatur, aut ad esum vel indumentum sæpe amplius quam habeat? Innumerabilia sunt et alia quæ, si manifestæ veritati non resistamus, nobis nolentibus ingeruntur, vel volentibus denegantur. Si autem, ut se ratio habet, illud vitæ futuræ bonum nobis summum æstimandum est, puto viam qua illuc pervenitur, virtutes esse, quibus hic adornamur. De quibus postmodum diligentius nobis conferendum erit.

Christian. Ecce ad hoc disputatio nostra perducta est, ut summum hominis bonum, sive ipsum, ut dictum est, finem boni, futuræ vitæ beatitudinem, et, qua illuc pervenitur, viam virtutes ponamus. Sed prius de hoc summo bono nostram, id est christianam, cum vestris conferre volo disciplinam, ut quæ hujus boni doctrinam vel exhortationem habet uberiorem, tamquam perfectius habeatur et ei amplius obtemperetur; de veteri autem lege qua Judæi gloriantur, te optime arbitraris monstrasse, nullum ibi præmium hujus beatitudinis promissum fuisse, nec inde aliquam ibi exhortationem adhibitam esse. Dominus

autem Jesus, cum novum traderet testamentum, in ipso statim exordio tale doctrinæ suæ fundamentum collocavit, quod et ad contemptum mundi et ad hujus beatitudinis desiderium pariter incitaret, dicens[1] : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » et post aliqua : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Et si diligenter attendamus ad hæc, universa ejus præcepta vel exhortationes adhibentur, ut spe illius supernæ et æternæ vitæ omnia contemnantur prospera, sive tolerentur adversa. Quod nequaquam arbitror vestros attigisse doctores aut ad hunc finem boni vestros animos æque invitasse. Quod si tales erant, assigna, universa ethicæ vestræ percurrens instituta, aut si assignare non possis, tanto doctrinam Christi perfectiorem atque meliorem esse fatearis, quanto nos causa vel spe meliori ad virtutes adhortatur, cum vos potius virtutes vel earum contraria propter se ipsa magis, quam propter aliud appeti vel vitari debere censeatis. Unde et illa honesta, vel inhonesta vocari hæc debere censetis. Honestum quippe dicitis, quod per se ipsum placet et propter se ipsum, non propter aliud est appetendum, sicut e contrario inhonestum, quod ex propria turpitudine est fugiendum. Quæ enim propter aliud vel appetenda sunt vel vitanda, ea potius utilia vel inutilia nuncupatis.

Philos. Sic profecto nostris visum majoribus, sicut in secundo *Rhetoricæ* suæ M. Tullius plenius exsequitur. Sed profecto cum dicitur : Virtus propter se non propter aliud expetenda, non omnino merces meritorum excluditur, sed terrenorum intentio commodorum removetur. Alioquin virtutum finem, id est causam finalem non bene constitueremus beatitudinem, sicut in secundo *Topicorum* suorum Boethius vester Themistium secutus commemorat. Ibi quippe cum de loco a fine[2] subjiceret exemplum : « Si beatum, » inquit[3], « esse bonum est, et justitia bona est. » Hic enim, ait, finis est justitiæ, ut si quis secundum justitiam vivat, ad beatitudinem perducatur. Ecce hic aperte monstrat beatitudinem in retributione justæ vitæ positam esse, et nobis intentionem juste vivendi esse, ut ad illud perveniamus. Quam, ut arbitror, beatitudinem Epicurus voluptatem, Christus vester regnum cœlorum nominat. Quid autem refert quo nomine vocetur? dummodo res eadem permaneat, nec sit beatitudo diversa, nec juste vivendi philosophis quam christianis intentio præponatur alia; ut enim vos, sicut et nos, hic vivere juste disponimus, ut illic glorificemur, et contra vitia pugnamus, ut meritis virtutum illic coronemur, summum illud scilicet bonum pro mercede adepti.

Christian. Immo longe quantum percipio nostra in hoc et vestra intentio

[1] Matth., cap. v. — [2] Rheinwald legit *affine*, quæ prava certe lectio est. — [3] *De differ. Top.*, *Opp.*, p. 868.

quam merita sunt diversa, et de ipso quoque summo bono non modice dissentimus.

Philos. Id obsecro, si vales, aperias.

Christian. Nemo recte summum bonum dicit, quo majus aliquod invenitur. Quod enim inferius vel minus est aliquo, id nullo pacto supremum vel summum dici potest. Omnem vero beatitudinem vel gloriam humanam longe et ineffabiliter a divina transcendi constat. Nulla igitur præter illam recte summa nuncupanda est; præter ipsum nihil jure summum bonum dicitur.

Philos. Non hoc loco absolute summum bonum, sed summum hominis bonum intendimus.

Christian. Sed nec summum hominis bonum recte dicimus, quo majus aliquod hominis bonum reperitur.

Philos. Ita profecto liquet.

Christian. Quæro igitur, an in illa beatitudine alius alio beatior sit, sicut hic alterum alio justiorem vel sanctiorem esse contingit, ut videlicet secundum diversitatem meritorum sit et remuneratio diversa.

Philos. Quid si ita est?

Christian. Immo, quia ita est, oportes concedas alium ibi hominem alio beatiorem effici, nec per hoc ejus hominis beatitudinem quæ minor est, nequaquam summum hominis bonum esse nuncupandum. Unde nec illum, qui minus alio beatus est, jam beatum dici convenit. Summum quippe bonum id definisti, quo cum quisque pervenerit beatus est; aut igitur illum qui alio ibi minor est, summum bonum adeptum esse concesseris, aut eum minime beatum esse concesseris, sed eum tantummodo, quo nemo ibi sit beatior. Si enim id quod adeptus est, eum beatum efficit, profecto juxta suprapositam definitionem summum bonum illud dici convenit.

Philos. Sustine paululum, obsecro, et adtende, quid nunc interrogationi novissimæ subjecerim, quia etiam maledicta corrigere licet, cum ad inquisitionem veri non ad ostentationem ingenii, sicut dictum est, conferamus.

Christian. Approbo et concedo quod dicis. Non enim nobis circa inquisitionem veritatis penitus occupatis more puerili vel importunæ declamationis corrixari convenit. Ne, si qua minus provide conceduntur, hinc eum qui doceri vel docere intendit, erubescentiæ inferendæ occasionem sumere, ubi etiam argumentandi gratia licet nonnunquam concedere falsa. Omnem itaque licentiam vel mittendæ penitus vel corrigendæ sententiæ damus.

Philos. Memento, inquam, quid dixerim et conditionis appositæ recordare, ubi videlicet dictum est : Quid si ita est? Multis namque philosophorum visum est, omnibus bonis hominibus omnes simul inesse virtutes, nec eum ullatenus

bonum censeri, cui virtus aliqua desit, ac per hoc omnium bonorum hominum nec in meritis vitæ nec in beatitudinis remuneratione ullam esse distantiam. Quod si forte ita sit, eadem omnibus beatitudo retribuitur, et omnes æqualiter summum bonum adepti pariter fiunt beati. Quam patenter sententiam Tullius in secundo *de Officiis* libro his verbis profitetur[1] : « Justitia cum sine prudentia satis habeat auctoritatis, prudentia sine justitia nihil valeat ad fidem faciendam. Quo enim quis versutior et callidior, hoc invisior et suspectior, detracta opinione probitatis. Quam ob rem intelligentiæ justitia conjuncta, quantum volet, habebit ad faciendam fidem virium. Justitia sine prudentia multum poterit; sine justitia nihil valebit prudentia. Sed ne quis sit admiratus, cur, quum inter omnes philosophos constet, a meque ipso disputatum sæpe sit, qui unam haberet, omnes habere virtutes, nunc ita sejungam, quasi possit quisquam, qui non idem prudens sit, justus esse : alia est illa, cum veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas, alia, cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quam ob rem, ut vulgus, ita nos hoc loco loquimur, ut alios fortes, alios viros bonos, alios prudentes esse dicamus. Popularibus enim verbis est agendum et usitatis quum loquimur de opinione populari[2]. » Qui etiam in *Paradoxis* non solum in virtutibus bonos, verum etiam in peccatis ita æquat malos, ut omnia peccata paria esse astruat.

Christian. Nunc primo te importunum et corrixari magis, quam philosophari video. Quippe ne ad confessionem manifestæ veritatis cogi videaris, ad patentissimæ falsitatis insaniam te convertis, ut omnes videlicet bonos æqualiter bonos, omnes reos et æqualiter reos, omnes pariter eadem gloria vel pœna censeas dignos.

Philos. Siquidem in re non in hominum opinione consistit, qui operum effectum magis quam morum qualitatem dijudicant atque remunerant, et secundum ea quæ geri exterius videntur, alios justiores vel fortiores sive meliores vel deteriores aliis judicant. A qua profecto sententia nec vos longe esse arbitror, si vestram diligenter consideretis disciplinam. Omnes quippe virtutes, ut vir ille maximus astruit philosophus Augustinus, uno nomine caritas comprehendit, quæ sola, ut ipsemet ait, inter filios Dei et filios diaboli discernit. Unde et merito quodam loco meminit : « Ubi est caritas quidem, quod possit deesse? Plenitudo quippe legis est dilectio. » Quam ipse qui hoc dicit apostolus[3], plenitudinem prosequens et tam mala inde removens quam ibi bona comprehendens, ait[4] « Caritas patiens est, benigna est, caritas non æmulatur,

[1] *De Offic.*, lib. II, cap. x. — [2] Locum hunc Ciceronianum in Codice Ms. admodum corruptum atque mancum ex editione Tullianorum operum Orelliana emendavit Rheinwald, quæque erant supplenda subjunxit. — [3] *Rom.* cap. xiii, v. 10. — [4] *Corinth.* I, cap. xiii, v. 4.

non agit perperam, etc. » De qua etiam cum inter cetera dicatur, quod omnia suffert vel omnia sustinet, utique et mortem; ut autem Christus meminit[1], « majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis; » non ergo alius alio magis in caritate abundat, cum hæc omnia caritas in se contineat et secum afferat. Quod si in caritate nemo alium transcendit, utique nec in virtutibus aut meritis, cum omnem, ut dicis, caritas complectatur virtutem.

Christian. Revera, si proprie virtus intelligatur, quæ videlicet meritum apud Deum obtinet, sola caritas virtus appellanda est. Quæ quidem pro eo quod justum efficit vel fortem seu temperantem, justitia recte dicitur vel fortitudo sive temperantia. Sed sicut omnes qui habent caritatem, non æqualiter ea succensi sunt, nec omnes prudentes æqualiter intelligunt, ita nec omnes justi æqualiter justi sunt, aut omnes æqualiter fortes vel temperantes. Et quamvis secundum priorem distinctionem, omnes virtutes aliquibus inesse concedamus cum videlicet unusquisque illorum sit justus et fortis et temperans, non omnino tamen in virtutibus aut meritis eos esse pares annuimus, cum alium alio justiorem vel fortiorem seu modestiorem esse contingat. Quamvis enim in prædictis speciebus virtutum, singulos convenire ponamus, magna tamen est in individuis specierum differentia, cum hujus major quam illius sit justitia vel fortitudo seu temperantia; sed cum caritas omnia quæ dixisti, conferat, non tamen singulis quibus inest, omnia largitur. Sicut enim a natura omnia corporis commoda tribuuntur, sed non omnia omnibus, sic et in bonis animæ seu virtutibus contingit, ut non omnes omnibus æqualiter ditentur. Unde volo ut adtendas, quam sit illa ratio infirma, immo vilissimum sophisma, quod videlicet ex aliorum opinione in paradoxa prædictus inducit philosophus, ut virtutes sicut et vitia pares in omnibus esse convincat, cum videlicet dixerit bono viro meliorem non esse, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec sapienti sapientiorem. Etsi enim bono viro non sit aliquis melior, tamen aliquo bono viro melior est. Quid est enim aliud dicere de aliquo quod sit melior bono, nisi quod sit melior quam bonus vir, quicunque ille sit? Non enim cum Deum homine dicimus meliorem, aliter intelligimus, nisi quod omnes transcendat homines. Sic etiam cum tamen aliquem bonum dicimus virum bono viro meliorem, id est, quam bonus vir sit, vel quam sit aliquis vir bonus, non aliter accipiendum videtur, nisi generaliter omnibus bonis viris ille præponatur. Quod omnino falsum est, cum ipse etiam sit aliquis bonorum virorum. Si enim melior sit quam bonus, vel quam sit aliquis bonus vir, consequens videtur, ut

[1] Joan., cap. xv, v. 13.

neque bonus vir neque aliquis bonus vir sit adeo bonus, sed si quis bonus sit, eo minus sit bonus. Multum itaque referre videtur, si quis dicatur melior aliquo bono viro, et melior quam sit aliquis bonus vir. Et hic quidem sophismatis laqueus in omni incidere comparatione potest, ut quemadmodum omnes bonos æqualiter bonos probare conantur, ita quoslibet pulchros, cum videlicet nemo pulcher sit pulchro pulchrior simpliciter, scilicet et generaliter, licet sit pulchrior alio pulchro. Quis denique, quis non intelligat, quam insanissimum sit dicere, omnia peccata paria esse? Sive enim peccatum in voluntate sive in operatione constituas, clarum est in malis hominibus, alium alio habere nequiorem voluntatem et amplius nocere sive deterius agere. Voluntas quippe ad actum perducit, et cum facultas nocendi datur, amplius hic quam ille nocet, vel magis aliquem justum persequitur, quia plus eum odit et affligere cupit. Similiter nec omnes boni æqualiter prosunt, vel prodesse volunt. Ex quo liquidum est, nec bonos pares invicem nec malos existere, nec eorum merita æquari debere, ut remuneratio quoque par esse intelligatur. Præterea si stultorum opinione postposita, probatorum philosophorum excellentia de virtutibus dogmata consideres et disertissimi viri Plotini diligenter quaternariam virtutum distinctionem attendas[1], alias videlicet politicas, alias purgatorias, alias purgati animi, alias exemplares dicentis, ex ipsis statim nominibus et earum descriptionibus confiteri cogeris, plurimum in virtutibus homines differre. Quam etiam differentiam ipse, de quo nobis objecisti Apostolus non prætermittens, cum de continentia et indulgentia nuptiarum loqueretur, ait[2] : « Volo omnes homines esse sicut me ipsum. Sed unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius quidem sic, alius sic, etc. » Qui etiam secundum qualitatem virtutum vel meritorum præmia futuræ vitæ distinguens, « differt, » inquit[3], « stella a stella in claritate, sic erit et resurrectio mortuorum. » Et alibi[4] : « Qui parce seminat, et metet. » Quod vero plenitudinem legis caritatem esse dixit, hoc est per caritatem legem adimpleri, non omnes in caritate pares esse convincit, cum supra mandatum caritas se extendat. Unde et illa est Veritatis adhortatio[5] : « Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt, dicite : Servi inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus. » Hoc est, pro modico reputetis, si hoc solum impleatis quod ex præcepto debetis, nisi videlicet debito præcepti aliquid ex gratia superadditis, et hoc est, quod dicit : « quod debuimus facere fecimus : » ac si videlicet diceret : quia in expletione præceptorum debita tantum solvimus et quasi necessaria non gratuita operamur. Cum vero aliquis ad eminentiam virginitatis

[1] Macrob., *In Somn. Scipionis*, lib. I, cap. VIII. — [2] *Corinth.*, I, cap. VII, v. 7. — [3] *Corinth.*, I, cap. XV, v. 41. — [4] *Corinth.*, II, cap. IX, v. 6. — [5] Luc, cap. XVII, v. 10.

transsit, præceptum utique in ea transcendit, ad quam ex præcepto non cogitur. Unde idem meminit Apostolus[1] : « De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do. » Sed in his etiam, qui legem adimpleverint nec transcenderint, impar esse caritas potest, cum in eodem videlicet opere major hujus, quam illius sit caritatis affectus. Quod etiam objectum est ex illo Augustini dicto : « Ubi est caritas quidem, quod possit deesse etc., » nemo est, qui sic eum accepisse hoc æstimet, ut omnibus omnes in virtutibus et meritis unire velit, quod tam Dominum quam Apostolum secutus, fere ubique contradicit. Tale est utique quod ait, quod quidem possit deesse ad salutem, sed non ad virtutum perfectionem. Nemo quippe cum illa perit, sed non omnes in illa æquantur.

Philos. Ne gravet te multas nos sententias seu opiniones inducere, ut ex omnibus veritatem ratione possimus elicere. Qui enim quem adhuc ignorant locum vestigant, multas explorare coguntur vias, ut rectiorem valeant eligere, sicut nunc summum inquirendo bonum facere compellor, dum videlicet majorum nostrorum sententias vel propriam, a te invitatus, propono.

Christian. Non gravaret, si tale quid pro sententia induceretur, quod si verum non esset, aliquid saltem probitatis haberet. Non enim quod patenter falsum est, aliqua refelli ratione opus est.

Philos. Quid si summum hominis bonum dicamus statum illum futuræ vitæ comparatione tantum bonorum præsentis vitæ? Nam et cum vos nobis duos fines a Deo propositos dicatis, summum videlicet bonum in cœlo, vel summum malum in inferno, non aliter hoc accipitis, nisi quantum ad vitæ præsentis statum bonum vel malum. Sex quippe hominum status nobis ratio suggerit, tres videlicet in hac vita, et secundum hoc, tres similiter alios in futura. Primus quippe hominis status est in quo nascitur, dum nondum in eo excitata ratione liberum est adeptus arbitrium, ut, secundum quod elegerit, bonus homo, vel malus dicendus sit, quamvis ipse bona res vel bona sit substantia sive creatura. De hoc quidem priore statu hominis, cum ad discretionis ætatem ipse perductus scienter se ad bonum sive ad malum inclinaverit, jam bonus ipse homo vel malus effectus, bonum hominis statum vel malum ingressus est. Primus quidem hominis status quasi indifferens, nec bonus videlicet, nec malus dicendus est. Secundus, si ad virtutes conscenderit bonus, si ad vitia descenderit malus. Sic etiam futura vita tres habet status : unum quidem quasi indifferentem, nec beatum proprie sed nec miserum, qui videlicet eorum est, quorum etiam in hac vita indifferens, ut diximus, status exstitit omnibus, videlicet destitutus

[1] *Corinth.*, I, cap. xvii, v. 5.

meritis, nondum excitata hominis ratione, alium vero pro meritis optimum, et alium pessimum. Hos autem duos comparatione duorum aliorum præsentis vitæ, qui eos promerentur, summum bonum et summum malum dici arbitror, eo quod nihil adversi vel prosperi eis sit admixtum, cum alios duos talibus constet esse permixtos, ut nec boni nec mali paritas insit eis.

Christian. Ecce secundum te summum bonum illa supernæ vitæ quies intelligenda est, sicut e contrario summum malum illa malorum damnatio futura. Quorum utrumque, sicut meministi, ipsi nostris adquirimus meritis, per quæ videlicet, quasi quibusdam viis, illuc pervenitur.

Philos. Ita æstimo et planum est. Nulla quippe his qui naturalem amplectuntur legem, sententia firmior habetur, quam ut virtus ad beatitudinem sufficiat, et quod solæ faciant virtutes beatum, nulla alia quisquam via hoc nomen adipiscitur. Sic e contrario nullum vere miserum, nisi ex vitiis fieri constat. Unde sicut illas ad summum bonum, sic ad summum malum has esse vias constat.

Christian. Quoniam nunc aliquantum ad summum hominis bonum sicut et ad summum ejus malum accessisse videris et eorum insuper vias attigisti, libet paululum objectionum vestrarum habenas cursui tuo relaxare, quo facilius ad propositi tui metam pervenias, et de consumatione operis verius atque perfectius dijudicari queas. Ostenso itaque quid tu summum hominis bonum seu summum ipsius malum dicas, superest ut has quoque eorum, quas dixisti vias, virtutes scilicet ac vitia diligenter definias atque distinguas, ut vel appetantur, vel vitentur, quo melius cognoscuntur.

Philos. Virtus, inquiunt, est habitus animi optimus, sic e contrario vitium arbitror esse habitum animi pessimum; habitum vero hunc dicimus, quem Aristoteles in *Categoriis* distinxit, cum in habitu et dispositione primam qualitatis speciem comprehendit. Est igitur habitus qualitas rei non naturaliter insita, sed studio ac deliberatione conquisita et difficile mobilis. Unde hanc quam naturalem in quibusdam castitatem nominant, ex corporis videlicet frigiditate vel aliqua complectione naturæ, quæ nullam unquam concupiscentiæ pugnam sustinet, de qua triumphet, nec meritum obtinet, nequaquam virtutibus connumeramus, vel quæcunque animi qualitates facile sunt mobiles. Ubi quippe non est aliqua repugnantiæ pugna, non est superantis virtutis corona, juxta illud etiam magni vestri philosophi[1] : « Non coronabitur qui non legitime certaverit. » Hinc et illud ipsius philosophiæ ad Boethium in libro quarto *Consolationis* suæ : « Ex quo etiam virtus vocatur, quod suis viribus nitens non

[1] *Tim.*, II, cap. II, v. 5.

superetur adversis. » Hic etiam virtutem omnem difficile mobilem esse asserens, cum in prædicto qualitatis tractatu Aristotelem exponeret, scientias et virtutes inter habitus collocans[1], « Virtus enim, inquit, nisi difficile mutabilis, non est. Neque enim qui semel juste judicat, justus est, neque qui semel adulterium facit, est adulter, sed cum ista voluntas cogitatioque permanserit. » Optimus vero est ille animi habitus, qui ad veræ beatitudinis meritum nos informat, quales sunt singulæ virtutis species quas alii plures, alii pauciores statuerunt. Socrates quidem, per quem primum vel maxime moralis disciplinæ studium convaluit, quatuor virtutis species distinguit : Prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Nonnulli vero prudentiæ discretionem matrem potius sive originem virtutum, quam virtutem, nominant. Prudentia quippe est hæc ipsa morum scientia, quæ, ut tractatus ethicus tradit, rerum bonarum et malarum scientia dicitur, hoc est ipsa bonorum discretio sive malorum, quæ videlicet in se ipsis proprie bona dicenda sunt aut mala. Quædam etenim bona aut mala ex se ipsis proprie et quasi substantialiter dicuntur, utpote virtutes ipsæ vel vitia, quædam vero per accidens et per aliud. Veluti operum nostrorum actiones, cum in se sint indifferentes, ex intentione tamen, ex qua procedunt, bonæ dicuntur aut malæ. Unde et sæpe cum idem a diversis agitur, vel ab eodem in diversis temporibus pro diversitate tamen intentionum, idem opus bonum dicitur atque malum. Quæ vero substantialiter et ex propria natura bona dicuntur aut mala, ita impermixta perenniter manent, ut quod semel bonum est, malum nunquam fieri possit, vel e converso; horum itaque discretio tam bonorum scilicet, quam malorum prudentia dicitur. Quæ quidem discretio, quia æque perversis ut bonis inesse potest hominibus nec meritum habet, nequaquam virtus vel optimus animi habitus recte dicitur. Unde Aristoteles a virtutibus scientias distinguens cum in prædicto qualitatis tractatu de habitu exempla subjiceret[2], « Tales, inquit, sunt scientiæ vel virtutes. » Quem quidem locum Boethius exponens, ait[3] : « Aristoteles enim virtutes non putat scientias, ut Socrates; » sic et ille, ut jam supra memini, prius noster et postmodum vester Augustinus, quandoque virtutis nomen usque ad fidem etiam et spem extendit, quandoque ad solam caritatem contrahit, quæ videlicet propria et specialis est bonorum, cum ceteræ duo tam reprobis quam electis sint communes. Scriptum quippe est : « Fides[4] sine operibus otiosa est, » et[5] « Spes impiorum peribit. » Sicut autem fides aut spes sine operibus, inutiles aut potius nocivæ nobis efficiuntur, ita etiam prudentia. Magis quippe rei sumus vel dum scienter quod

[1] *In Prædicam. Aristotelis*, Opp., p. 174. — [2] *Categ.*, cap. VIII, 3. — [3] *In Prædicam. Aristot.*, Opp., p. 174. — [4] Jacob., cap. II, v. 17. — [5] *Proverb.*, cap. X, v. 28.

faciendum est vitamus, vel quod non est agimus, quam si hoc per ignorantiam contingeret, quæ videlicet aliquam excusationem prætendere posset. Unde et illud est quod nostis[1]: « Servus sciens et non faciens voluntatem domini sui, vapulabit multis. » Et alibi[2]: « Melius esset non nosse viam veritatis, quam post agnitam retrorsum abire. » Prudentia itaque sicut fides vel spes, quæ malis æque ut bonis hominibus conveniunt, non tam virtutes dicendæ sunt, quam ducatum quemdam vel incitamentum ad virtutes præbere.

Christian. Hoc ad præsens de prudentia satis esse arbitror. Nunc ad reliquas, ut Socrati placet, virtutes superest meare.

Philos. Justitia itaque virtus est, communi utilitate servata, suam cuique tribuens dignitatem, hæc est ea virtus qua volumus unumquemque habere id quo dignus est, si hoc commune non inferat damnum. Sæpe etenim contingit, ut dum alicui pro meritis sua reddimus, quod singulariter in uno agitur commune inferat damnum. Ne itaque pars toti, singularitas præjudicet communitati, adjunctum est, communi utilitate servata. Ad hunc quippe finem omnia, quæ gerimus, recte referri convenit; ut in omnibus scilicet non tam proprium quisque bonum, quam commune attendat, nec tam rei familiari, quam publicæ provideat, nec tam sibi, quam patriæ vivat. Unde et ille primus et maximus moralis philosophiæ doctor, Socrates cuncta in commune redigi et ad commune commodum censuit applicari, ut uxores communes esse institueret, ita scilicet ut nemo proprios recognosceret liberos; hoc est non tam sibi eos quam patriæ crederent generatos, ut hæc videlicet communitas uxorum non in usu carnis, sed in fructu prolis accipiatur. Quod tam verbo quam opere Aulus proprium occidendo filium posterorum memoriæ reliquit in exemplum, eum se, inquiens, non Catilinæ adversus patriam, sed patriæ adversus Catilinam genuisse. Hic vero justitiæ zelo accensus, nec in filio filium suum sed hostem patriæ considerans, prædictam justitiæ definitionem non tam ore, quam manu exhibuit. Quisquis igitur in hac constans est voluntate, quam diximus, ut ab ea facile dimoveri non possit, virtute pollet justitiæ, etiamsi fortitudine et temperantia nondum sit consummatus. Sed quia quibus difficile amittitur, recedere tamen nonnunquam grandi aliqua interveniente causa cogitur, sicut hæc ipsa bona voluntas quæ justitia dicitur, timore aliquo vel cupiditate evanescit, contra timorem fortitudo, contra cupiditatem temperantia necessaria est. Timor quippe rei quam nolumus, vel cupiditas ejus quam volumus, si tantæ sint ut rationi prævaleant, facile ab uno proposito mentem retrahunt et in contraria ducunt. Unde adversus timorem fortitudo clypeum, adversus cupiditatem tem-

[1] Luc., cap. XII, v. 47. — [2] Petr., II, cap. II, v. 21.

perantia sumet frenum, ut quæ scilicet per virtutem justitiæ jam volumus, per has etiam roborati, implere potentes simus, quantum in nobis est. Unde utramque harum quandam animi firmitatem et constantiam dicimus, quibus potentes efficimur ad hoc quod per justitiam volumus, exsolvendum. Quarum quidem contraria quædam infirmitates animi, et impotentiæ vitiis resistendi recte nominantur, ut ignavia sive pusillanimitas, quæ remissum hominem reddunt, et intemperantia, quæ nos in obscenas voluptates vel turpia desideria resolvunt. Est quidem fortitudo considerata, id est rationabilis laborum perpessio et periculorum susceptio. Hæc est ea virtus quæ promptos nos efficit ad suscipienda pericula vel tolerandos labores, prout opportunum est; quod maxime pendet de amore justitiæ, quem bonum zelum dicimus in propulsandis videlicet aut vindicandis malis. Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio. Sæpe enim modum excedentes, dum nobis temperantes esse videmur, temperantiæ terminos transgredimur, ut dum sobrietati studemus, immoderatis jejuniis nos affligamus, et dum vitium domare cupimus, ipsam extinguamus naturam, et sic in multis excedendo pro virtutibus finitima ipsis vitia statuimus. Unde merito postquam dictum est firma, subjunctum est moderata. Cui profecto rationi ipsam prudentiæ rationem præesse necesse est, quam virtutum, ut diximus, matrem nominant, hoc est originem ipsarum atque nutricem. Per hanc enim nisi virtutes prænoscamus, et eas diligenter non solum a contrariis et manifestis, verum etiam a finitimis vitiis discernere valeamus, nequaquam eis quas ignoramus, habendis vel conservandis operam damus. Unde quicunque his consumatus est virtutibus, ei prudentiam inesse necesse est; per quam videlicet et justitiam quæ merita dispensat, quid cuique debeatur, sciat. Fortitudo in suscipiendis periculis vel laboribus tolerandis discretionem habet, temperantia, ut dictum est, in concupiscentiis reservandis moderationem. Constat igitur in his tribus quas diximus, virtutibus, quibus prudentia deesse non potest, hominem consummari et bonis perfici. Nunc vero ipsarum species seu partes superest distinguere, quo diligentius eas agnoscamus et eorum doctrinam per singula prosequendo verius judicemus.

Christian. Immo quia sic placet et placere oportet, id fieri optamus.

Philos. Ad justitiam itaque, quod suum est unicuique servantem, ut succincte dicam, pertinent reverentia, beneficentia, veracitas, vindicatio.

Quid sit reverentia.

Reverentiam eam partem justitiæ dicimus, per quam omnibus debitam venerationem exhibere spontanei sumus, tam videlicet Deo, quæ religio dicitur, quam et hominibus potestate vel aliquo merito dignis, quæ observantia vocatur.

Hic igitur obedientiæ virtutem constat includi, qua videlicet præceptis superiorum obtemperando, hinc quoque illis honorem deferimus, quod rationabilia eorum instituta nequaquam contemnimus.

Quid beneficentia.

Beneficentia vero est, per quam necessitudinibus hominum opem debitam afferre prompti sumus, vel indigentibus scilicet necessaria dando, quæ largitas dicitur, cum in superfluis prodigalitas consistat, vel violenter oppressos liberando, quæ clementia vocatur. Misericordiam autem a miseris ita vocatam, majores nostri vitium potius et quandam infirmitatem animi, quam virtutem dixerunt, per quam videlicet aliis eo tantum quo affliguntur naturaliter compatiendo subvenire cupimus. Clementia vero nonnisi rationabili affectu ad subveniendum aliquibus fertur, nec tam quod affliguntur, quam quod injuste affliguntur attendit, ut injustitiæ obviando, justitiæ obtemperet. Alioquin justitiæ non sunt opera, quando aliis subvenimus, nisi in hoc sua cuique reddamus. Sed et cum virtus habitus sit animi, quem, ut ex superioribus liquet, per applicationem vel studium magis, quam per naturam haberi constat, nequaquam talis compassio naturalis ad virtutes referenda est, per quam videlicet ipsis etiam reis in afflictione positis humano quodam vel carnali, non rationabili affectu, subvenire satagimus, in hoc potius justitiæ adversantes, ne illis debitæ reddantur pœnæ. Denique dolori animum submittere, infirmitatis potius quam virtutis est, et miseriæ quam beatitudinis, et perturbatæ non quietæ mentis. Cum enim nihil sine causa Deo cuncta optime disponente fiat, quid accidit, unde justum tristari vel dolere oporteat, et sic optimæ dispositioni Dei, quantum in se est, contraire, quasi eam censeat corrigendam esse?

Quid sit veracitas.

Veracitas est, per quam ea quorum nos debitores pollicendo efficimur, observare studemus. Non enim si quod non oportet promittimus, rei efficimur, id non implendo, cujus nos debitores mala promissio nequaquam fecit. Qui enim quod promittendum non fuit exsequitur, mali operis geminat effectum, cum perversæ scilicet promissioni perversum adjungat factum, nec cessando ab opere malam promissionem eligat corrigere.

Quid vindicatio.

Vindicatio est ille constans affectus, per quem illatis malis debita inferatur pœna. In singulis autem his quatuor justitiæ partibus, illud quod in definitione præmisimus, communi scilicet utilitate servata, subintelligendum esse constat.

Hunc enim operum nostrorum, ut supra quoque meminimus, finem esse convenit, ut non tam propria quam communia quærat quisque commoda, nec tam sibi quam omnibus vivat, júxta illud videlicet, quod in laude Catonis Lucanus decantat[1] :

Uni quippe vacat studiis odiisque carenti,
Humanum lugere genus....
.... Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum finemque tenere,
Naturamque sequi, patriæque impendere vitam,
Nec sibi sed toti genitum se credere mundo.

Et post aliqua :

.... Urbi pater est, urbique maritus
. . . .
In commune bonus.

Quippe quod propriis intendit commodis naturæ est infirmæ, quod alienis, virtutis egregiæ. Et parvi suam æstimare vitam debet, qui unius sui curam gerens, propriis contentus est commodis, nec aliorum sibi meretur gratiam et laudem. Imitari quisque pro modulo suo Deum debet, qui cum nullius egeat, sui minime curam, sed omnium agit, nec sibi necessaria sed omnibus ministrat, totius mundanæ fabricæ tanquam unius magnæ reipublicæ procurator. Sunt qui partes justitiæ ampliori numero non rerum, sed nominum distinguentes, plerasque a nobis uno comprehensas vocabulo pluribus distinguunt, et quod in toto conclusum est, in partes discernunt, pietatem scilicet erga parentes, amicitiam id est benevolentiam erga eos qui nos diligunt, ipsorum causa magis quam sperandi alicujus commodi, cum pari eorum erga nos voluntate, gratia in remuneratione beneficiorum. Sed tria hæc profecto beneficentiæ supponi constat, per quam videlicet animus ad quælibet debita beneficentia impendenda tam parentibus scilicet, quam ceteris promptus est.

De naturali atque pusitiva justitia.

Oportet autem in his, quæ ad justitiam pertinent, non solum naturalis, verum etiam positivæ justitiæ tramitem non excedi. Jus quippe aliud naturale, aliud positivum dicitur. Naturale quidem jus est, quod opere complendum esse ipsa quæ omnibus naturaliter inest ratio persuadet, et idcirco apud omnes permanet, ut Deum colere, parentes amare, perversos punire, et quorumcunque observantia omnibus est necessaria, ut nulla umquam sine illis merita suffi-

[1] *Pharsal.*, lib. II, v. 377 et sqq.; 388 et sqq.

ciant. Positivæ autem justitiæ illud est, quod ab hominibus institutum ad utilitatem scilicet vel honestatem tutius muniendam vel amplificandam, aut sola consuetudine aut scripti nititur auctoritate, utpote pœnæ vindictarum vel in examinandis accusationibus sententiæ judiciorum, cum apud alios ritus sit duellorum vel igniti ferri, apud alios autem omnis controversiæ finis sit juramentum, et testibus omnis discussio circumferatur. Unde fit, ut cum quibuscunque vivendum est, nobis eorum quoque instituta, quæ diximus, sicut et naturalia jura teneamus. Ipsæ quoque leges quas divinas dicitis, vetus scilicet ac novum testamentum, quædam naturalia tradunt præcepta quæ moralia dicitis, ut diligere Deum vel proximum, non adulterari, non furari, non homicidam fieri; quædam vero quasi positivæ justitiæ sunt, quæ quibusdam ex tempore sunt accommodata, ut circumcisio Judæis et baptismus vobis et pleraque alia quorum figuralia vocatis præcepta. Romani quoque pontifices vel synodales conventus, quotidie nova condunt decreta, vel dispensationes aliquas indulgent, quibus licita prius jam illicita, vel e converso fieri autumatis, quasi in eorum potestate Deus posuerit vel permissionibus, ut bona vel mala esse faciant, quæ prius non erant et legi nostræ possit eorum auctoritas præjudicare. Superest autem nunc, ut post considerationem justitiæ, ad reliquas duas virtutis species stilum convertamus.

De partibus fortitudinis.

Fortitudo itaque nobis duabus partibus videtur comprehendi, magnanimitate scilicet et tolerantia.

Quid magnanimitas.

Magnanimitas vero est, qua cum rationabilis substantiæ causa quælibet ardua aggredi sumus parati. Tolerantia autem est, qua in hujus propositi incepto constanter perseveramus.

De partibus temperantiæ.

Temperantiæ vero quantum mihi videtur, nec vos improbare arbitror, partes hæ sunt, humilitas, frugalitas, mansuetudo, castitas, sobrietas.

Quid humilitas.

Humilitas est per quam ab appetitu inanis gloriæ ita nos temperamus, ut non supra quam sumus, videri appetamus.

Quid frugalitas.

Frugalitas vero est superfluæ profusionis frenum, per quam videlicet supra quam necessarium est possidere respuimus. Sic et mansuetudo frenum est iræ, et castitas luxuriæ, et sobrietas gulæ.

Et notandum quod cum justitia sit constans animi voluntas quæ unicuique, quod suum est servat, fortitudo et temperantia potentiæ quædam sunt atque animi robur quo, ut supra meminimus, bona justitiæ voluntas confirmatur. Quorum etenim contraria impotentiæ sunt, ea profecto constat esse potentias. Debilitas vero animi, quæ fortitudini contraria est, quædam ejus infirmitas et impotentia est, quam ignaviam seu pusillanimitatem dicere possumus. Intemperantia quoque, temperantiæ adversa, quædam imbecillitas animi et impotentia est, irrationabilium motuum ejus impulsibus resistere non valentis, a quibus quasi quibusdam satellitibus in miseram vitiorum captivitatem mens infirma trahitur et quorum dominari debuit ancilla fit. Sicut autem justitia voluntas illa quam diximus, bona est, ita injustitia voluntas contraria. Et justitia quidem bonum hominem, fortitudo vero ac temperantia probum efficiunt, quia, quod ex illa « volumus, » ex his ad efficiendum validi sumus. Putas autem me in præsentia species seu partes virtutis ita distinxisse, ut in his gradus omnes concludantur, quibus ad beatitudinem pertingitur et summum pro meritis bonum apprehenditur. Nunc si visum sit prudentiæ tuæ, quid in his probare vel improbare decreveris, vel si quid fortasse ad perfectionem addendum esse censueris, parati sumus excipere.

Christian. Sic profecto convenit. Sed priusquam ad hos summi boni, quos posuisti, gradus veniamus, ad intermissum non dimissum de summo bono vel summo malo conflictum redeamus, et quid simpliciter summum bonum vel summum malum dicatur, et an aliud summum bonum sit quam summum hominis bonum, vel summum malum quam summum hominis malum, determinetur.

Regressio ad intermissam inquisitionem de summo bono.

Philos. Summum utique bonum apud omnes recte philosophantes non aliud quam Deum dici constat et credi, cujus scilicet incorporabilis et ineffabilis beatitudo tam principii quam finis ignara, non augeri potest nec minui. Summum vero malum summam cujuscunque sit sive hominis sive alterius creaturæ miseriam vel pœnæ cruciatum autumo, hominis autem summum bonum vel summum malum ejus, sicut supra jam memini ac determinavi, futuræ vitæ requiem vel pœnam perpetuam intelligo. Hoc itaque inter summum bonum et summum hominis bonum referre arbitror, quod, sicut ex præmissis liquet, summum bonum Deus ipse est vel ejus beatitudinis summa tranquillitas, quam tamen non aliud quam ipsum, æstimamus, qui ex se ipso, non aliunde, beatus est; summum autem hominis bonum illa est perpetua quies, sive lætitia, quam quisque pro meritis post hanc vitam recipit, sive in ipsa visione vel cognitione Dei, ut dicitis, sive quoquo modo aliter contingat. Summum vero malum

summa est, ut dixi, cujuscunque creaturæ miseria vel pœna pro meritis suscepta. Summum autem hominis malum quoscunque hominum ibi cruciatus pro meritis susceptos nuncupamus.

De summo malo.

Christian. Quantum percipio, tam summum malum quam summum hominis malum non nisi pœnas futuri seculi, pro meritis redditas, intelligis?

Philos. Ita utique.

Christian. At profecto pœnæ illæ pro meritis collatæ utique justæ sunt, quia justum est sic eos punire, qui meruerunt. Quidquid vero justum est, bonum esse constat. Pœnæ itaque illæ, quas summum malum, vel summum hominis malum nuncupas, sine dubio bonæ sunt. Vide ergo an id quod bonum est potius quam malum, concedere videaris esse summum malum. Qua enim ratione summum malum vel summum hominis malum dicas, quod nullatenus malum sit, non video.

Philos. Meminisse te oportet, a te ipso superius tam nostrorum quam vestrorum testimoniis ostendi, omnem quoque afflictionem malum potius quam bonum esse. Non tamen ideo omnem esse malam concedendum arbitror; frequenter quippe generum permutatio in adjectivis nominibus sensum variat, ut aliud significet pœnam esse bonam, et aliud dicere pœnam esse bonum, id est rem bonam. Sicut aliud est dicere hanc æream statuam esse perpetuam, quod falsum est, aliud eam esse perpetuum, id est rem aliquam quæ perpetua sit, quod verum est, utpote ipsum æs cujus perpes et indeficiens est natura. Sed et cum omnis propositio compositum quoddam sit, non tamen omnem compositam dicimus, sed illam tantum, quæ propositiones in partibus habet, hoc est hypotheticam, nec omnem dictionem compositam dicimus, quam esse rem compositam scimus, nec omnem quam simplicem vocamus, esse rem simplicem concedemus. Sic igitur et cum pœnam aliquam justam aut bonam esse dicimus, eo scilicet quod justum sit aut bonum, eum affligi, qui torquetur, non tamen ideo eam esse rem justam aut bonam concedere cogimur. Vos quoque cum omnem creaturam bonam esse ponatis, eo videlicet, quod nihil ex creatione Dei non bonum sit, nec etiam hominem creaturam esse negetis et per hoc eum qui malus est, esse rem bonam annuatis, non tamen ideo eum esse hominem bonum recipitis. Nemo quippe hominum esse bonus dicendus est, nisi qui bonis adornatus est moribus. Bona autem res sive bona creatura dici potest etiam, quæ irrationalis est et inanimata. Sed cum omnia Deus creasse bona dicatur, et hic parvulus homo vel equus ab eo jam creatus sit, quamvis res bona creatus sit, non tamen bonus homo vel bonus equus jam creatus est,

nec ipse Deus hunc parvulum qui perversus est futurus, aut bonum hominem aut malum hominem creavit, sed bonam rem vel bonæ naturæ substantiam eum condidit, nec eum equum qui nunquam bonus est futurus, unquam bonum equum creavit, licet nonnullos equorum vitiosos creare videatur, qui videlicet in ipsa creatione sua vitium aliquod contrahere dicuntur, unde postmodum inutiles aut parum utiles fiant. Ipsos quoque homines naturaliter ex elementorum complexione in ipsa sua creatione nonnulla vitia contrahere constat, ut iracundi scilicet, vel luxuriosi vel aliis irretiti vitiis naturaliter fiant. Sed neque illum fortassis angelum ceteris quasi luciferum prælatum, quem postmodum apostatasse dicitis, bonum angelum vel bonum spiritum condidit, quem nunquam in veritate[1] vel in dilectione Dei constitisse dicitis, et[2] plerique vestrum caritatem semel habitam, nunquam fateantur amitti. Nullus quippe angelus sive spiritus aut etiam homo a dilectione Dei et vera caritate alienus, bonus recte dicitur, sicut nec malus, quam diu peccato caret. Si igitur angelus ille neque cum peccato neque cum caritate Dei creatus est, quomodo bonus adhuc angelus vel malus creatus esse dicendus est? Sic nec singuli homines, cum creantur nondum rationis compotes, aut boni homines, aut mali creatione dicendi sunt, cum videlicet ipsa creatione sua, ut boni homines aut mali essent non acceperint. Quorum etiam aliqui cum ægrotativi vel stulti naturaliter fiant, et diversis tam animi quam corporis vitiis occupati nascantur, et omnes communiter homines creentur mortales, profecto ex ipsa sua creatione substantia humanæ naturæ bona, multorum particeps fit malorum. Ut enim Aristoteles meminit[3] et manifesta tenet veritas, bono contrarium esse non potest nisi malum. Patet igitur, tam mortalitatem quam cetera modo præmissa, cum quibus nascimur, mala esse connumeranda, cum eorum scilicet contraria nemo dubitet esse bona, et quædam vitia seu mala naturaliter ex ipsa creatione quibusdam bonis inesse substantiis, ut mortalitas homini, irrationabilitas equo. Quamvis enim mortalitas non dicatur vitium hominis, cum videlicet secundum eam nemo alio homine deterior sit, qua æqualiter omnes participant, quoddam tamen est vitium naturæ in ipso homine, quoniam in hoc humana natura ab ea quæ immortalis est, deterior vel infirmior existit. Sicut igitur hominem quemlibet, quantiscunque vitiis deturpetur, rem bonam esse concedimus, nec tamen ideo bonum hominem esse annuimus, ita e contrario quamlibet pœnam rem esse malam profitemur, licet nonnullam esse bonam pœnam ponamus. Vide itaque, non esse consequens, ut si bonam et justam pœnam summum hominis malum esse statuamus, ideo quod bonum est, summum ejus malum esse credamus.

[1] Joann., cap. VIII, v. 44. — [2] *Cum* legendum pro *et* conjicit Rheinvald. — [3] *Categ.*, cap. II, 1.

Etsi enim, ut dictum est, pœna illa sit bona, non ideo bonum simpliciter, id est bona res est dicenda.

CHRISTIAN. Esto modo, ut dicis, te videlicet ex concessis non posse argui, ut, quod bonum est, concedas summum hominis malum esse, quamvis pœnam illam, quæ bona est et justa, summum illud malum esse non abnuas. Sed iterum quæro cum tam culpa præcedens quam pœna inde proveniens malum sit, quod horum deterius ac majus hominis malum dicendum sit, utrum videlicet culpa ejus, quæ hominem malum efficit, an pœna quæ a Deo illata justum in eo judicium agit?

PHILOS. Certe, ut æstimo, deterius hominis malum est culpa ejus, quam pœna ipsius. Cum enim inter quælibet mala illud alio majus esse non dubitetur, quod amplius Deo displicet et pœna dignum est, quisnam[1] dubitet culpam deterius esse quam pœnam culpæ? Ex culpa quippe homo Deo displicet, unde malus dicitur, non ex pœna quæ pro culpa irrogatur. Illa quippe injustitia est, hæc justitiæ debitus effectus et ex intentione recte proveniens. Patet itaque in homine id deterius esse, quod eum reum constituit, quam quod puniendo justum in eo judicium agit.

CHRISTIAN. Cum igitur culpa hominis majus sit hominis malum quam pœna ipsius, quomodo pœnam hominis summum ejus malum nuncupas, qua, ut dictum est, majus malum est culpa?

PHILOS. Placet itaque, si nostram in hoc improbas opinionem, tuam super hoc audire sententiam, quid videlicet summum hominis malum censeas appellandum?

CHRISTIAN. Illud itaque, quod eum deteriorem efficere potest, sicut e contrario summum ejus bonum per quod eum meliorem effici constat.

PHILOS. Et quæ obsecro sunt illa?

CHRISTIAN. Summum ejus odium, summa dilectio in Deum; per quæ videlicet duo ei qui simpliciter ac proprie summum bonum dicitur, displicere amplius vel placere constat. Quorum profecto utrumque post hanc vitam sequitur. Qui enim perpetuis et maximis cruciantur pœnis, quanto se amplius his gravari sentiunt, tanto in eum cujus puniuntur judicio, ex ipsa desperatione veniæ odio majori inardescunt. Quem penitus non esse vellent, ut sic saltem a pœna liberari possent, et ita longe deteriores ibi sunt odiendo quam hic exstiterunt contemnendo. Sic e contrario quicunque illa Dei visione fruuntur, de qua dicit psalmista[2]: « Satiabor cum apparuerit gloria tua, » id est postquam divinitatis tuæ majestatem per temetipsum mihi manifestaveris, nihil ulterius indigendo requi-

[1] Ita conjicit Rheinwald. Cod. *Quis non.* — [2] *Psalm.* XVII, v. 15.

ram; tanto tunc meliores efficiuntur, quanto amplius eum diligunt, quem in semetipso verius intuentur, ut videlicet summa illa dilectio, illa summi boni fruitio, quæ vera est beatitudo, summum hominis bonum recte sit dicenda. Tanta quippe est illa divinæ majestatis gloria, ut nemo eam conspicere queat, qui non in ipsa visione ejus statim beatus fiat, unde et dicitur[1] : « Tollatur impius, ne videat Dei gloriam. » Cum igitur fideles ejus, qui eum super omnia dilexerunt, tantam conspexerint beatitudinem, quantam nullatenus fide poterunt æstimare, hæc eorum summa exultatio, perpes erit ipsorum beatitudo.

Philos. Placet itaque summum hominis bonum sive malum illud intelligi quo melior, ut dicis, vel deterior homo efficitur. Sed si hoc in futura vita contingit, ut videlicet meliores ibi vel deteriores quam hic efficiamur, profecto et ibi aliquid amplius, quam hic promereri videmur. Quo enim meliores efficimur vel deteriores quam prius, majori pœna vel præmio digni judicamur. Quod si ibi quoque melior sit affectus, ut quo amplius Deum cognoscimus magis eum diligamus et cum ipsa retributione pariter nostra dilectio crescat in Deo, ut semper meliores efficiamur, profecto in infinitum ita nostræ beatitudinis extenditur augmentum, ut nunquam sit perfectum, quia semper recipit incrementum.

Christian. Nescis quod in hac vita tantum tempus sit promerendi, et in illa retribuendi, hic videlicet seminandi, ibi colligendi. Quamvis igitur ibi meliores efficimur ex præmio meritorum, quam hic ex meritis fueramus, non tamen necesse est, ut ibi rursus aliquid promereamus. Hoc ipsum quoque, quia ibi meliores quam hic efficimur, meritorum hic habitorum retributio est, quæ meritis reddita nos meliores efficiat, non iterum præmium promeretur, quæ in præmium meritorum tantum est constituta, non ad aliquid promerendum rursus habita. Nam et apud nos cum aliquis amicitiæ remunerationem ab amico suscipit et eum amplius propter hoc diligit, non iterum apud eum ex hac majori dilectione, quæ scilicet venit ex præmio reddito, præmium mereri judicatur, ut sic in infinitum meritum extendatur. Quamvis etenim necessitudinis coactione et retributione præmii augetur dilectio, ut non tam voluntaria quam necessaria videatur, ita quippe omnibus naturaliter insitus est affectus, ut ipsa præmii retributio quoddam dilectionis secum afferat augmentum et quadam nos necessitate, vel amore nostri potius quam virtute vel amore remunerantis in ejus dilectionem nos accendat. Si igitur inter homines amicus ab amico præmium ferat, et ex ipso præmio amplius diligere cogatur, nec tamen ex hoc dilectionis augmento rursus promereri dicitur, quid mirum, si et in alia vita ex suscepto præmio amplius Deum diligentes, nequaquam rursum ipsum præmium conver-

[1] *Psalm.* LVIII, v. 2, 3.

tamus in meritum? Aut quid denique concedi prohibeat illam divinæ majestatis gloriam tantam esse, ut semper in ejus visione profectus noster aliquis possit esse, ut quo diutius eam conspiciemus et se ipsam nobis amplius innotuerit, beatiores nos efficiat? Plus quippe istud jugæ beatitudinis incrementum valet, quam major beatitudo, unum tantum modum custodiens et in nullo cremento[1] proficiens.

PHILOS. Quomodo, quæso, in illa visione Dei profectus quisquam esse possit vel aliqua inter ipsos videntes differentia, cum videlicet illud omnino summum bonum sit simplex nec unquam conspici, nisi totum possit, nec aliquid conspici ab uno quod non conspiciatur ab alio?

CHRISTIAN. Non utique in re conspecta, sed in modo conspiciendi est diversitas, ut quo melius intelligitur Deus, beatitudo nostra in ejus visione augeatur. Nam et animam vel spiritum, quælibet intelligendo, non æqualiter omnes intelligimus, quamvis tamen incorporeæ naturæ partes in suæ essentiæ quantitate non habere dicatur. Et cum corpus quodlibet vel aliqua pars ejus ab aliquibus simul adspicitur, melius ab isto, quam ab alio homine ipsum cognoscitur et perfectius intelligitur, et cum eadem res sit intellecta, non tamen æqualiter ejus naturam percipiunt. Sic Deus huic perfectius ac melius quam illi sui notitiam pro meritis impertit, ac se amplius manifestat. Potest quippe contingere, ut, cum omnia sciat iste quæ ille, melius tamen ac perfectius singula sciat iste, quam ille, et cum tot res ab isto quot ab illo sciantur, non tamen tot de eisdem rebus scientias habet unus quot alter, aut non tam bene scit eadem

PHILOS. Numquid illam visionem Dei, in qua beatitudo vera consistit, angeli quos lapsos dicitis, nunquam habuerunt, vel saltem ille inter eos præcipuus, qui ceterorum comparatione Lucifero est comparatus?

CHRISTIAN. Nequaquam utique habuisse credendum est, nec aliquis eorum qui corruit, nec illi etiam qui non corruerunt, donec post aliorum lapsum hanc visionem, per quam simul et beati fierent et confirmati, ne amplius cadere possent, in remunerationem suæ humilitatis acceperint. Omnes quippe angeli sicut et homines tales creati sunt ut bene agere possent et male. Alioquin, qui non peccaverunt, de hoc ipso quod ceteris peccando non consenserunt, meritum non haberent. Quod autem Lucifero cujusdam excellentiæ prærogativa comparatus est, non tam ex beatitudine, quam ex scientiæ perspicacitate factum est, eo videlicet quod scientiæ luce præstantior ceteris ad quaslibet rerum naturas intelligendas subtilior conditus esset. Quod quidem in se considerans, ex ipsa scientiæ suæ magnitudine, qua se ceteris prælatum vidit, inflatus

[1] Vid. Du Cange *Glossar. Med. et Inf. Lat.* in Verbo CREMENTUM.

intumuit et majora quam possit sperare præsumsit, ut videlicet, quia se ceteris prælatum novit, se fieri æqualem Deo æstimarit et ut ipse videlicet, sicut Deus, regnum obtineret.

Philos. Illud quoque obsecro definias, utrum hoc hominis summum bonum, illam dico videlicet summam Dei dilectionem quam ex visione Dei homo percipit, accidens hominis dicenda sit, et iterum accidens dici conveniat summum bonum, tanquam ipsum substantiæ sit præferendum.

Christian. Cum accidentia eisque subjectas substantias ac propheticæ verba doctrinæ converteris, et ea tantum, quæ vitæ terrenæ, non cœlestis sunt, metiris, hæc quippe disciplina sæcularis et terrenæ his tantum documentis contenta exstitit, quæ ad præsentis vitæ statum accommodata sunt, nec ad illius futuræ vitæ qualitatem, in qua nec verba ista nec ulla hominum doctrina artium suarum regulas applicaverunt, cum rerum investigaverunt naturas, sed sicut scriptum est : « Qui de terra est de terra loquitur[1]. » Si ergo ad illud cœlestis vitæ fastigium conscendere niteris quæ omnem terrenam longe transcendit disciplinam, ne plurimum innitaris terrenæ prophetiæ regulis, quibus nec adhuc ad plenum comprehendi ac definiri terrena potuerunt, nedum cœlestia. Utrum autem dilectio illa quæ in cœlesti vita, habenda dicitur, accidens sit an qualiscunque qualitas, nihil utilitatis affert definire, quæ nisi experimento sui vere cognosci non potest, cum omnem terrenæ scientiæ sensum longe transcendat. Quid autem ad beatitudinem refert, utrum eam accidens, an substantiam, sive neutrum esse ponamus, cum quicquid dicamus vel arbitremur, ipsa ideo non mutetur vel beatitudinem nostram minuat? Ac, si quæ de accidentibus et substantialibus formis philosophi vestri dixerunt, diligenter consideres, nec substantialem illam nobis videbis, quæ non inest omnibus, nec accidentalem, quæ postquam affuerit, abesse non potest. Unde accidens etiam vestra opinio describit, quod adesse potest et abesse. Quod etiam impedit, si illam quoque dilectionem ibi futuram, sicut et præsentem, quam habemus hic, accidens concedamus? Quamvis enim nostra substantia quolibet accidenti suo melior censeatur, aut dignior, summum tamen hominis bonum id non incongrue dicendum videtur, quod ipsum hominem participatione sui optimum reddit atque dignissimum, atque, ut verius ac probabilius loquamur, ipsum Deum qui solus proprie et absolute summum bonum dicitur, summum etiam hominis bonum esse constituamus. Cujus videlicet illa, quam diximus, visionis suæ participatione, qui fruimur, efficimur vere beati. Ex quo ipso quippe, quem in ipso videmus ad nos ejus illa summa dilectio manat, ideoque rectius ipse,

[1] Joan., cap. III, v. 31.

qui ab alio non est et nos ita beatos efficit, summum hominis dicendus est bonum.

Philos. Placet utique illa de summo bono sententia quæ nec prophetiæ[1] nostræ est ignota. Sed si hæc, ut dicitis, visio Dei quæ beatos efficit, oculis tantum mentis, non corporis patet, quid necesse est sanctis animabus, ut dicitis, corpora sua tandem resumere, quasi per hoc earum gloria vel beatitudo sit augenda? Cum enim, ut dicitis, mensura hominis quæ et angeli, quid ad beatitudinem vestram resumtio prodest corporum quæ, cum angelis desint, nequaquam tamen eorum præpediunt vel minuunt beatitudinem?

Christian. Omnia[2] quæ Deus agit, non tam ad beatitudinem nostram, quam ad gloriam suam convertit, ut illa quæ nonnullis nociva sunt. Unde Salomon[3] : « Propter semetipsum omnia creavit Deus, impium quoque ad diem malum. » Ipsa quoque etiam pœna qua ejus iniquitatem Deus punit, justitiam Dei commendat, et sic eum glorificat. Quamvis itaque poneremus corporum illam resumtionem nihil sanctis animabus beatitudinis conferre, non tamen eam censeamus superfluam, quæ ad divinæ potentiæ laudem plurimum valet. Quo enim illa prius infirmiora et passioni cognovimus obnoxia, tanto postmodum magis Deum glorificandum ostendit; et cum sic ea videlicet solidata et indissolubilia videbimus facta, ut nulla ex eis passio nobis provenire, nulla in eis dissolutio possit contingere, hinc etiam nonnihil beatitudinis animæ videntur contrahere, quia, quo amplius divinæ potentiæ magnitudinem experientur, amplius eum diligere et beatiores esse non sunt denegandæ.

Philos. Illud quoque obsecro dilucides, utrum illa Dei visio, in qua beatitudo consistit, aliqua loci differentia vel augeri vel minui, an ipsa in omnibus locis exhiberi omnibus queat, vel certus ei aliquis deputatus sit locus, quo scilicet necesse sit pervenire, qui illa fruituri sunt visione?

Christian. Qui Deum ubique per potentiæ suæ magnitudinem non dubitant esse, ita ei omnia loco præsentia credunt, ut in omnibus quæcunque velit agere possit et tam ipsa loca, quam omnia in illis ejus operatione vel gerantur vel disponantur, nequaquam ista quæstione movendi sunt. Ipse quippe est, qui, sic nunc quoque sine positione locali sicut ante tempora consistens, non tam in loco esse ducendus est, qui nullatenus localis est, quam in se cuncta concludere loca, ipsos etiam, ut scriptum est[4], « cœlos palmo suo continens. » Qui enim ante omnia sine loco exstitit, nec sibi ipsius modum, sed nobis loca fabricavit, cujus nec minui nec augeri beatitudo potest : nec ullam percipere variationem, nullam perfectionem quoque, sicut nec posi-

[1] Forsan *Philosophiæ*. — [2] Rheinwald *omnium*. — [3] *Prov.*, cap. xvi, v. 4. — [4] Isai., cap. xl, v. 12.

tionem habet localem, cujus omnino simplex et incorporea perseverat æternitas. Cum igitur nusquam sit localiter, id est positione locali conclusus, ubique tam in omnibus locis, quam circa omnia loca per operationis potentiam esse dicitur. Etenim in omnibus locis nulla nisi eo disponente geruntur, et sic ei loca cuncta præsentia sibi vel ipse illis, ut quodcunque velit ibi fieri necesse sit, et sic ubique, ut dictum est, per potentiæ suæ magnitudinem esse dicitur. Unde in semet per prophetam loquitur [1]: «Cœlum et terram ego impleo,» et Psalmista nusquam irati potentiam se effugere posse considerans dicebat [2]: «Quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades, etc.» Sicut autem in omnibus locis vel intra omnia per potentiæ suæ operationem vel dispositionem dicitur esse, quia videlicet cuncta ibi vel disponi per eum necesse est, sic etiam ipsa loca concludens circa ea nihilominus asseritur esse, hoc est, sic ea in sua potestate habere, ut nihil in eis sine ipso vel ejus dispositione fieri possit. Cum itaque per potentiam suam, ut dictum est, tam intra omnia, quam extra Deus sit et omnia, quantumcunque solida sint, propria virtute penetret, quis eum locus impediat, ne, ubicunque omnibus velit, æque suam impertire notitiam possit? Eo quippe modo, quo locis omnibus inesse vel præesse per potentiam, non per localem positionem, dicitur, ubique sui notitiam, quibuscunque voluerit, habet impertire, nec summa et spiritalis virtus, cui omnia sunt pervia loca quæ sunt, aliqua soliditate vel qualitate præpediri potest. Quippe cum claritas solis solidissimum vitrum sic penetret, ut per ipsum quoque suam nobis illuminationem infundat, et corpora nostra post resurrectionem tantæ subtilitatis fore credamus, ut jam eis quodam modo spiritalibus factis nulla possit obstare materia, unde et dominicum corpus, quod adhuc mortali clauso vitro natum fuerat, post resurrectionem jam immortale et impassibile clausis januis ad discipulos intravit, multo ergo magis summam illam divinæ claritatis visionem nullo præpediri posse obstaculo, vel loci propinquitate ad illuminandum adjuvari credendum est. Nam et ignem qui ceteris subtilior est elementis, inde non recipere sectionem dicitis, quia nullo interposito corpore partes ejus dividi queant. Multo autem minus spiritalis substantia quæ longe omni corpore subtilior est, corporeo præpeditur obstaculo. Cum vero divinitas tantæ subtilitatis sit, ut in ejus comparatione quælibet aliæ naturæ corporeæ censeantur, et ipsa sola respectu aliarum incorporea judicetur, quomodo summa ejus claritas quæ cuncta cognoscendo considerat, obstaculum habebit? Qua etiam, qui fruuntur, cum omnia videant, quicquid eos scire conveniat, quantumcunque remotum

[1] Jerem., cap. XXIII, v. 24. — [2] *Psalm.* CXXXIX, v. 7, 8.

non ignorant. Alioquin paradiso fruentes tormenta inferni non conspicerent, ut eo amplius Deum diligant, quo per ejus gratiam graviora se evasisse viderint. Quem quidem paradisum in ipsa visione Dei ubique consistere Dominus Jesus patenter insinuat, dum ipso die quo ejus anima in carne passa descendit ad inferos, ut inde suos liberaret, latroni eum confesso, ait[1] : « Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. » A quo quidem paradiso ne tunc etiam anima Christi extranea exstitit, cum, ut dictum est, ad inferos descendit. Juxta itaque hanc fidem nostram et rationem manifestam, quocunque loco fidelis sit anima, quia ubique præsentem, ut dictum est, reperit Deum, et quoniam nullo impeditur obstaculo, ubique in sua æque perseverat beatitudine quam videlicet ex visione Dei nobis per eum infusa, non ex nostris viribus apprehensa, consequimur. Quippe nec ad corporalis solis apprehendendam claritatem conscendimus, sed ipsa se nobis infundit, ut ea fruamur. Ita et nos tam Deo, quam ipse nobis appropinquat, tamquam desuper claritatem suam nobis et amoris sui calorem infundens, ad quem etiam nusquam localiter consistentem, si quo modo propinquare dicimur, non id locis, sed meritis fieri est intelligendum, videlicet quantum similiores in bono efficimur vel ejus amplius voluntati concordamus, sic e contrario ab eo recedere intelligendi sumus. Quod venerabilis doctor Augustinus et doctrinarum quoque vestrarum peritissimus diligenter aperiens: « Deo, inquit, qui ubique est, non locis sed moribus aut propinqui aut remoti sumus. » Unde cum post resurrectionem tantæ facilitatis corpora sanctorum futura sint, ut ubicunque velint animæ, ipsa statim esse credantur, nullus tamen eorum recessus visionem Dei præpediet, quo minus animæ sint beatæ, nec ulla loci qualitas pœnalis esse his poterit, in quibus nihil puniendum erit, sicut nec ante peccatum primis hominibus quidquam potuit esse nocivum. Unde et cum sancti angeli ad nos missi jussa Dei exsequuntur, nequaquam loci aliqua qualitate vel intervallo ejus visione, qua beati sunt, privantur seu inaniuntur. Nec dæmones in aere commorantes, unde et volucres cœli dicuntur, quamvis positione loci superiores nobis esse videantur, non ideo tamen ad Deum, qui propriæ dignitate naturæ cunctis superior est naturis, amplius quam nos appropinquare dicendi sunt. Unde Satan veniens inter filios Dei, et stans in conspectu Domini, et mutuo loquens, sicut in libro *Job* conscriptum est[2], nequaquam hoc adventu suo a sua relaxatur miseria, ut beatior fiat. Qui etiam de cœlis ceteris altior corruendo, patenter ostendit nihil ad beatitudinem conferre loci dignitatem. Non enim quia inter filios Dei, hoc est inter sanctos angelos, veniens in conspectu Dei astitit, in ejus conspectum Dominus venit, ut ab eo

[1] Luc., cap. XXIII, v. 43. — [2] Job., cap. I, v. 7 et sq.

scilicet Dominus conspiciatur, cum ipse a Domino conspicitur, quasi cæcus in sole inter videntes assistens, non ab eis positione loci, sed beneficio lucis dissidens. Quod enim agit in visione corporalis solis qualitas corporum, hoc in visione spiritalis solis qualitas meritorum, et quemadmodum hic nulla differentia consistit virtutum in qualitate corporum aut locorum, sic nec ibi retributionum; et tanto mirabilior illa divinæ gloriæ visio qua beati fiunt, apparet, quanto amplius nulla loci qualitate vel diversitate ad hoc impediri vel juvari potest, cum in his etiam qui etiam loco disjuncti non sunt, sic agat, ut alios illuminando beatificet, alios in sua cæcitate miseros derelinquat, sicut et in hac vita per impertionem gratiæ suæ non desistit agere. Sic quippe Deus ubique per potentiam esse dicitur, ut nihilominus alicubi per gratiam adesse, alicubi dicatur deesse. Quocunque igitur modo vel adesse vel abesse, seu advenire vel recedere, divinitatis gratia dicatur, non id localiter vel corporaliter fit, sed magis spiritaliter vel per aliquam suæ operationis efficaciam contingit. Si enim ubique localiter esset, quo advenire localiter vel unde recedere posset? Nonnunquam ad nos descendere dicitur, vel per aliquod gratiæ suæ beneficium nobis collatum, vel per aliquam ex signo visibili manifestationem, sive cum aliquid insolitum gerit in terra. Sic sol iste descendere ad nos dicitur vel mundum ipsum implere non localiter sed efficaciter, id est non locali sui positione sed illuminationis operatione.

Philos. Miror te rationibus tuis, quibus me arguere niteris, eas quoque auctoritates ex scripturis vestris proferre, quibus non dubitas minime cogendum esse.

Christian. Propositum est, sicut nosti, non me tibi proprias inferre sententias, sed communem majorum nostrorum tibi fidem, seu doctrinam aperire. Quæ igitur testimonia de nostris affero, non, ut per hoc cogaris, intendo, sed ut aliorum magis ista intelligas esse, quam me ipsum finxisse.

Philos. Certe nec istud improbo, si talis processerit intentio. Sed nunc ad reliqua festinemus. Si ergo, ut asseris, tanta virtus est divinæ visionis, ut ubicunque sint animæ participatione sui æque illas beatas efficere queat, cur, obsecro, regnum cœlorum Deo et sanctis animabus spiritaliter assignantur, ut in cœlo scilicet præcipue dicantur esse, quasi beatius illic habeantur esse? Quod etiam intantum Christus vester proprio exhibuit exemplo, ut in conspectu suorum corporaliter cœlum ascenderit, et illic, ut scriptum est, ad dexteram patris residens inde ad judicium venturus promittatur in aera obviam occurrentibus[1]. Cum igitur divinæ habitationi nulla mundi regio, nisi cœlum, deputetur, si

[1] *Coloss.*, cap. III, v. 1; *Thess.*, cap IV, v. 17.

ubique, ut dicitis, Deus existens ubique beatitudine sua æque fruatur, et ejus visionis claritas, quibuscunque velit, sese, prout vult, pariter infundens, æque illos ubique beatos efficiat, nullo adminiculo, nulla loci qualitate vel propinquitate ad hoc indigens, sed ex se penitus sufficiens, cum inquam Dominus ubique per potentiam existens et quasi in uno loco suæ majestatis mansionem concludens, dicat, Cœlum mihi sedes est, et omnes tam Novi quam Veteris Testamenti scriptores non aliam mundi partem nisi cœlum ejus habitationi deputent, non immerito videri potest hujus superioris loci serenitas ipsis vel nobis non nihil conferre beatitudinis. Unde et per Jesaiam[1] ad hujus beatitudinis plenitudinem lux lunæ, sicut lux solis futura, et lux solis septempliciter promittitur tunc splendere, et nova tam cœli quam terræ creatio, ut ipsa quoque in omni[2] rerum natura felicitas augeatur.

Christian. Si prophetizare magis quam judaizare in litera nosses, et quæ de Deo sub specie corporali dicuntur non corporaliter ad literam, sed mystice per allegoriam intelligi scires, non ita ut vulgus quæ dicuntur acciperes. Cujus profecto si communem sequeris opinionem, nec eorum fidem tua transcendat intelligentia, qui nihil nisi corporeum vel ad modum rei corporeæ mente concipiunt, in eum iterum utique dilaberis errorem, ut Deum nullatenus, nisi rem quamdam corpoream et quibusdam partibus consistentem, capite videlicet manibus ac pedibus seu reliquis membris compositum intelligere queas, maxime cum omnes fere humani corporis partes ei juxta similitudinem aliquam in scripturis assignentur. Quis enim illiteratorum aut simplicium hominum audire sustineat, si Deum prædices nec oculos nec aures habere, nec cetera quæ nobis videntur necessaria membra? Statim quippe objiciet eum nequaquam videre posse, qui oculos tales non habeat, similiter non audire, nec operari, cui aures desint et manus? Sicut ergo omnia, quæ corporis sunt, nonnisi parabolice judicas in Deo intelligenda, sic quæcunque ad corporalem loci positionem de divinitate dicuntur non dubites accipienda. Cum itaque Jesaiam[3] audis dicentem : « Hæc dicit Dominus, Cœlum sedes mea et terra scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi, et quis est iste locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, etc. ; » sicut minime eum corporalem intelligis, sic nec corporalem sedem cœlum, nec corporale scabellum pedum ejus terram, neque ullam ejus localem positionem intelligas, qua sedem[4] æstimetur. Absit enim ut ejus majestas aliquid infirmitatis habeat, ut sede aliqua vel scabello sustentari egeat. Cœli ergo nomine et terræ, hoc loco bonæ et malæ

[1] Isai., cap. XXX, v. 26. — [2] Cod. *Nomine*. Rheinwald conjicit *omni*. — [3] Isai., cap. LXVI, v. 1, 2. — [4] Conj. Rheinwald : *Quæ sedes* aut *qua sedere*

distinguuntur animæ, tamquam ex meritis suis superiores et inferiores. Bonæ itaque animæ, tanquam templum ejus seu cœlum dicuntur, juxta illud Psalmistæ[1], « Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus, » eo quod ipsis qui sunt meritis celsiores, præsideat et quasi in propria domo et templo sibi sanctificato per gratiam inhabitet. Carnales vero animas quæ videlicet terrenis et infimis inhiant desideriis, quasi scabellum pedibus conculcat, quia eos quos despicit nec ad se misericorditer attollit, tanquam inferius derelictos premit et conculcando conterit et quasi in pulverem dissolutum redigit. Cum ergo inquit Dominus : Qui in manu factis non habito, et ita excellentem in sanctis animabus habitare[2] sedem, et tanto despectui carnales et terrenos habeam homines, cur mihi terreni ædificii quasi necessariam construere domum quæritis, et non potius apud vosmet ipsos domum mihi spiritalem ædificatis? Alioquin cassa est significatio templi visibilis, si invisibilis desit. Cum itaque cœlum vel regnum cœlorum futuram beatitudinem audis appellari, sublimitatem futuræ vitæ magis quam corporalem cœli positionem intellige, quam etiam nonnunquam nomine terræ propter stabilitatem ejus sicut et nomine cœli propter ipsius dignitatem constat designari. Unde et Psalmista[3] : « Credo videre bona Domini in terra viventium. » Et per Ezechielem[4] ipse Dominus post resurrectionem electis suis futuram beatitudinem promittens : « Ecce ego, » inquit, « aperiam tumulos vestros et educam vos de sepulturis vestris, populus meus, et inducam vos in terram Israel, et requiescere vos faciam super humum vestram. » Quod autem Dominus noster Christus corporales cœlos corporaliter et visibiliter ascendit, non ejus gloriæ, in quo plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat, sed fidei nostræ profuit[5]. Qui ergo prius clausis januis ad discipulos intrando resuscitandorum corporum subtilitatem, qua videlicet cuncta penetrare queant, ex ipsa sua resurrectione monstraverat, postmodum ipse in ascensione sua tantam ipsorum futuram levitatem exhibuit, ut terrenitatis mole, qua prius gravabantur, sicut scriptum est[6] : « Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, » quoquam ulterius[7] propediantur ascendere, sed quocunque animæ velint sine ulla difficultate statim eo transferri. Quod tamen ad dexteram Patris sursum conscendisse memoratur, sic nec dextra Patris intelligitur corporalis, ita nec ista sessio, qua ipse Pater sedeat, est localis positio, sed per hoc pariter cum Patre dominandi potestas et æqualis dignitas exprimitur, cum ei collateraliter a dexteris consedisse dicitur, quod quidem sedere ad dexteram cum corporaliter ad literam stare non possit, id quoque, quod de corporali

[1] *Psalm.* x, v. 4— [2] Conj. Rheinwald, male, ut opinor : *Habitem* seu *habeam* pro *habitare*. — [3] *Psalm.* xxvii, v. 13. — [4] Ezech., cap. xxxvii, v. 11, 12. — [5] Rheinwald *præfuit*. — [6] *Sap.*, cap. ix, v. 15. — [7] Forte leg. *non propediantur* ; aut *nusquam ulterius propediantur*.

ejus ascensione præmittitur, quamvis in re ita corporaliter sit factum, quemdam tamen ejus ascensum in mentibus fidelium meliorem designat. De quo videlicet ascensu ipse ad Mariam jam antea dixerat[1] : « Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. » Tunc enim tanquam in nube ab oculis hominum sustollitur Christus ad cœlum, ut ad dexteram Patris resideat, quando prædicatione sanctorum ab aspectu laboriosæ vitæ subtractus, prædicatur ita in gloria sublimatus, ut Patri corregnando pariter universis imperet et tanquam coæqualis substantia, vel Filius æque dominetur omnibus. Quod vero de splendore lunæ vel solis multiplicando subjecisti, tanquam corporaliter fieri ad futuram beatitudinem, facile est tam ex auctoritate ipsius prophetæ, qui illud dixit, quam ex ratione manifesta refelli. Dominus quippe postmodum per eumdem Jesaiam ad Hierosolimam loquens et ei futuræ vitæ claritatem promittens ait[2] : « Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit Dominus in lucem sempiternam et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus et luna tua non minuetur tibi. Sed Dominus erit tibi in lucem sempiternam et complebuntur dies luctus tui : populus autem tuus omnes justi hereditabunt terram, etc. » Quæ est ista terra, ab his, qui in perpetuum justi sint hereditanda, et præsentia divinæ claritatis, tanquam sole, qui nunquam occidat, illuminanda, nisi illa futuræ beatitudinis æternitas ? Quæ profecto claritas cum tanta sit, ut nullo ad illuminandum egeat adjumento, recte sol iste amplius illuminandi officium amittere dicitur, postquam videlicet non jam animales, sed spiritales effecti illud experiemur, quod præmissum est « Mensura hominis, quæ et angeli[3]. » Quis denique ignoret minora luminaria majorum apposita luce statim obtenebrari, aut vigorem perdere illuminandi ? Quod igitur officium illuminandi lux ibi corporea possit habere, ubi divinæ claritatis præsentia sic illuminabit abscondita tenebrarum, ut ipsa etiam manifestet consilia cordium. « Videmus nunc, » inquit Apostolus[4], « per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut cognitus sum. » Tunc quippe perfecte, tunc verissime cuncta cognoscentur a nobis, sicut et ab angelis per oculos cordis, ubi omnium sensuum, omnium administrationum cessabunt officia, cum erit Deus omnia in omnibus. Ejus quippe visio sic omnibus nostris per omnia satisfaciet desideriis, ut ipsa per se omnia nobis conferat, quæ veræ beatitudini sunt necessaria. Ipsa illa divinæ majestatis visio nobis erit lux indeficiens, sanctitas summa, quies perpetua, pax omnem sensum exsuperans, omne denique bonum, omnis virtus, omne gaudium. Cum itaque Deus erit omnia in omnibus,

[1] Joan., cap. XX, v. 17. — [2] Isai., cap. LX, v. 19, 20, 21. — [3] *Apoc.*, cap. XXI, v. 17. — [4] *Corinth.*, I, cap. XIII, v. 12.

constat tunc, ut idem Apostolus dicit[1], omnem evacuari principatum et potestatem, cum jam videlicet sola illa sit per semet ipsam principaliter potestas, quæ omnia, ut dictum est, bona per suæ visionem præsentiæ omnibus electis ministrat. Nullus jam nobis principatus angelicus vel humanus in administratione aliqua, nulla potestas in aliquo regimine præerit, quia nihil deesse poterit, ubi omnia in omnibus Deus erit, ubi, cum aderit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Nihil quippe nunc nobis nisi ex parte aliqua proficit, nihil omnia nobis necessaria conferre sufficit. Quidquid nobis nunc ad doctrinam vel ad aliquam virtutem vel ad aliquam proficit administrationem, imperfecte agit, quia solus est Deus qui omnia possit. Cessabunt itaque quæcunque imperfecte aguntur, cum ille per se suffecerit, qui omnia potest. Quod itaque ibi oculos carnis cum ceteris corporis membris resumturi sumus, non utique fiet propter officia eorum quibus egeamus, sed ad glorificandum Deum, ut præfati sumus. In quibus videlicet ejus potentiam tanto amplius experiemur, quanto illa in officiis suis, si opus esset, peragendis, validiora esse sentiemus et longe fortiorem ac meliorem consecuta statum esse viderimus. Quod si etiam de luce solis ac lunæ multiplicanda corporaliter, non mystice tantum accipiamus, ad gloriam conditoris potius quam ad officii sui necessitatem referendum est, sicut et universus mundi status in melius est commutandus, quod etiam cœlestium luminarium adjumento vel commutatione mundi, manifeste Deus nobis innotescit, id quod ante minus habebant non ex impotentia conditoris extitisse, sed pro vitæ suæ mortalis et infirmæ necessitudine, quæ nequaquam talia vel tanta ferre potest nec etiam tantis uti beneficiis digna esset. Mystice tamen intelligi facile est lunam tunc ut solem fulgere, id est ecclesiam electorum sicut et ejus solem Deum indeficientem lucem habere, et in ipsum ejus solem tunc quoque ita lucem ipsius lunæ transcendere, ut in ipso solo lucis sit perfectio, quæ septenario designatur numero.

Philos. Quantum video, si hæc ita se habent, ut dicitis, multa fidei vestræ Deus videtur debere, cujus in omnibus maxime gloriam prædicatis. Restat autem nunc, ut quid de inferis etiam sit sentiendum, diligenter aperias. Sicut enim summum hominis bonum eo amplius appetendum quo magis cognitum, ita e contrario summum malum eo magis erit vitandum quo minus erit ignotum.

Christian. Hic quippe apud nos sicut et apud vos diversa olim exstitit opinio. Alii quippe infernum corporalem quemdam locum sub terris existimant, qui ex ipsa locali quoque positione quæ inferior ceteris mundi partibus, dicatur infernus; alii quoque non tam corporale tormentum, quam spiritale arbitrantur

[1] *Coloss.*, cap. II, v. 15.

infernum, ut quemadmodum nomine cœli, qui superior est pars mundi, summam animarum beatitudinem distinguimus, ita nomine inferni summam miseriam, quæ tanto inferius jacere perhibetur, quanto ab illa summa beatitudine amplius distare cognoscitur, et ei amplius contraria videtur. Sicut enim, quod melius est, per excellentiam suæ dignitatis dicitur altum, ita e contrario, quod pejus est, per abjectionem sui dicitur infimum. Multa quippe de pœnis inferni tam Vetus quam Novum Testamentum narrat, quæ nequaquam ad literam accipi posse videntur. Quid est enim ad literam, quod de justis et impiis Dominus per Jesaiam ait[1] : « Et egredientur et videbunt cadavera eorum qui prævaricati sunt in me, vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur. » Quis iste sanctorum corporalis egressus, ut pœnas impiorum videant, aut qui vermes sunt corporales in corporibus reproborum, quæ omnibus integra sicut et sanctorum corpora sunt resurrectura? Quæ ibi erat corrosio vermium, ubi omnium pariter immortalitas absque ullo defectu erit corporum? Sed et quod[2] Dominus de divite et Lazaro[3] defunctis in Evangelio refert, quomodo ad literam stare potest, quippe cum corporalem sepulturam non inferno anima illa divitis habere queat? Aut quis sit ille corporalis Abrahæ sinus, quo anima Lazari refertur ab angelis deferri? Quam ibi linguam anima divitis habeat, vel quem digitum habeat anima Lazari, aut quæ est ibi corporalis aqua, cujus stilla linguæ ardentis infusa incendium ejus extinguere possit, aut minuere? Unde, cum hæc juxta literam nequaquam in animabus jam exutis carne contingere queant, sicut nec illud quod alibi dicitur[4] : « Ligatis manibus et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium, » tam ex Veteri quam ex Novo Testamento innui videtur ea quæ de inferno dixerunt, mystice magis quam corporaliter accipi debere; ut videlicet, sicut ille Abrahæ sinus, quo suscepta est anima Lazari, spiritalis est non corporalis intelligendus, ita et infernus spiritalis ille cruciatus, quo anima divitis sepulta memoratur. Quamdiu animæ corporibus carent, quo ferri localiter aut moveri vel quasi corporis ambitu coerceri possint, quæ nullatenus locales sunt omnique corpore propria natura longe subtiliores existunt, aut quæ sit vis elementorum corporea, tam videlicet ignis quam ceterorum, quæ ipsas sine corporibus contingere vel cruciare possit, non facile disseri aut intelligi potest. Unde et dæmones post lapsum, ut corporaliter etiam pati possint, in quædam devoluti aeria corpora dicuntur, quæ quasi carcerem acceperunt. Hinc et aeriæ dicti sunt potestates, quod videlicet in illo plurimum possint elemento, cui sunt incorporati, sicut et terrenæ potestates vocati sunt homines, qui in terris principantur. Sin autem vermes

[1] Isai., cap. LXVI, v. 24. — [2] *Quod* supplevimus. — [3] Luc., cap. XVI. — [4] Matth., cap. XXII, v. 13.

animarum quamdam earum inferiorem corrosionem, qua de conscientia sua, desperatione veniæ et futuræ pœnæ augmento jam cruciantur, ac postmodum ignem quo resumptis corporibus cruciabuntur, intellexisse propheta dicatur, facile est tam spiritale quam corporale tormentum definiri infernum, comparatione scilicet aliarum pœnarum, his tanquam infimis vel extremis ita vocatis, sive sub terris sive alibi dicantur exerceri. Cum enim terras super aquas fundatas esse constat, quomodo sub terris corporeus aliquis ignis esse dicetur, nisi forte sub terris intelligatur quæcunque terræ profunditas post hanc, in qua sumus, terræ superficiem? Sed rursum cum infinitus reproborum numerus, et juxta Veritatis assertionem, parvus sit electorum futurus, non facile fortassis recipietur tantum alicubi terræ sinum haberi, qui tot corpora capere possit. Unde si cuidam videatur tantam divini judicii potentiam esse, ut in omnibus æque locis, quos voluerit, punire possit, nihilque ad pœnam sicut nec ad gloriam referre qualitates locorum, non dubito id tanto faciliorem assensum invenire, quanto amplius et divinam potentiam videtur commendare et rationi magis propinquare. Ut enim communem fere omnium sequamur opinionem, qui in eodem igne positos, alios magis, alios minus, pro meritis suis non pro quantitate incendii cruciari dicunt, non video qualiter ejusdem ignis tanta moderatio per divinam potentiam in pœna fieri possit, et non potius diversis locis positos diversos affligere queat tormentis, vel quoslibet etiam, ubicunque sint, quibuscunque velit torquere pœnis, et omnia eis in quaslibet pœnas elementa convertere, sicut scriptum est[1] : « Pugnabo pro Deo contra insensatos orbis terrarum. » Nam et juxta eorum existimationem, in ipso æthereo cœlo, ubi quo purior tanto acutior et vehementior ardet ignis et splendet, absque læsione ulla beatorum corpora communis fides asserit permanere, et hoc eis post resurrectionem ad gloriam collatum esse, quod animæ nullatenus nostræ sustinere infirmitas possit. Sic quippe et sanos oculos lux recreat et infirmos gravat. Quis etiam quotidie tam diversas animalium non experiat naturas, ut quod aliorum vitam construat aliorum extinguat, et corporum diversa complexione, quod uni profuit alteri obsistit, tam animatis scilicet quam inanimatis. Homines sub aqua, pisces sub divo moriuntur. Salamandria sic igne vivere constat, qui maturum ceteris animantibus affert interitum. Venenum vita serpentis, mors hominis, et eadem aliis animantibus gustum præbent necessarium aliis mortiferum. Nihil omnino est, quod omnibus possit convenire naturis. Qui ex eodem utero, ex eodem patre geniti processerunt, nequaquam iisdem vivunt moribus, nec iisdem pariter rebus oblectantur, vel offenduntur, nec in eodem

[1] *Sap.*, cap. v, v. 21.

æstu vel gelu consistentes pariter cruciantur. Non hæc profecto diversitas passionum ex qualitate punientium, sed punitorum provenit. Quid itaque mirum, si resuscitata corpora pro meritis cujusque vel eodem loco, vel diversis consistentia, sic divinæ potentiæ justitia moderetur ad pœnam, ut ubicunque omnia illis æque pœnalia sint? Quod utique ille diligenter attendebat, qui vindictam Dei usquam se effugere posse fatebatur, dicens[1] : « Quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. » Denique quis malorum hominum animas in inferno plus cruciari censeat, quam spiritales nequitias in aere consistentes sua æque tormenta secum ubicunque circumferentes? Quas utique tanto majore tormento dignas esse certum est, quanto nequiores esse minime dubitantur. Quis eodem modo neget, animas impiorum in corporibus resumtas, quocunque loco moveantur, sua secum tormenta gestare, etsi nihil exterius inferatur tormenti? Multas quippe passiones animæ adhuc in corpore manentis vel intrinsecus inferri, vel extrinsecus ex aliqua perturbatione vel corporis inæqualitate videmus, quæ semel habitæ nulla possint auferri loci permutatione. Ut enim ceteras omittam passiones, quid valet ad remedium pœnæ, quo loco nunc constituas morientem, vel maxima passione laborantem, si minime illa passio lenienda sit ex loco? Aut cum modo nobis morientibus, ut beatus meminit Augustinus, tanta sit in corpore passio mortis, ut propter hanc ipsum relinquere anima compellatur, quis in corporibus resumptis et jam immortalibus factis, hanc passionem qua hic moriendo dissolvimur, ubi perpetua fuerit, ad damnationem satis esse non censeat, vel si qua forte alia possit esse major, nullo extrinsecus tormento adjuncto? Quid enim magis justitiæ convenit, quam quod ipsa præcipue corpora sua resumant animæ ad tormentum, quibus male usæ sint ad oblectamentum? Tantam vero in dissolutione mortis passionem esse certum est, ut pro quovis peccato irrogata, quamvis sit brevissima, ad purgationem tamen ejus quod non æterna damnatione dignum fuerit, sufficere credatur, unde, ut beatus asserit Hieronymus, illa est prophetæ sententia[2] : « Non judicabit bis Dominus in id ipsum et non consurget duplex tribulatio. » Legimus et nonnullas defunctorum animas damnatas noluisse reddi vitæ præsenti, ut bene operando salvarentur, si eam rursum morte interveniente finire cogerentur. Scriptum esse alibi reperimus, quasdam sanctorum morientium animas, timore pœnæ dissolutionis suæ tempore ad paratam beatitudinem egredi prorsus refugere, donec eas Dominus jussisset ab angelis suscipi sine dolore. Ex quo liquidum est, quanta sit hujus mortis passio, cujus, ut diximus, metu, alius ad salutem redire non voluit, alius ad beatitudinem

[1] *Psalm.* CXXXVIII, v. 7 et 8. — [2] Nahum, cap. I, v. 9.

egredi trepidavit. Et hanc tamen omnino passionem auferre, quibuscunque voluerit, divinæ constat esse potentiæ, sicut et prædictus asserit doctor dicens « Johannem apostolum tam a dolore mortis, quam a corruptione carnis alienum fuisse. » Qui ergo in morte passionem mortis sic omnino auferre potest, ubique, cuicunque velit, id ipsum posse videtur. Pronior quippe est natura passibilis, ut pœnam incurrat, quam careat. Ex quibus omnibus liquere jam arbitror, nihil ad pœnam damnatorum loci qualitatem referre, sicut nec ad gloriam beatorum, sed hoc sit in inferno cruciari vel perpetuo igni tradi, quod illis summis pœnis torqueri, quæ in Scriptura[1] præcipue igni comparantur, quod hujus elementi cruciatus acrior videtur. Id quoque plurimum divinæ potentiæ gloriam commendare videtur, si in omnibus æque locis et damnationis pœnam et beatitudinis gloriam ipse largiatur, qui ubique per potentiam deesse non dubitatur.

Philos. Æque, ut video, pœnam damnatorum sicut et gloriam electorum ad divinæ potentiæ laudem convertere studes, ut in summis etiam malis ejus bona prædices.

Christianus. Et sic certe convenit, quia nulla ejus sunt opera, nisi magnifica et admiratione plena. Superfluum autem censeo, quibus in locis hæc contingant definire, dummodo hæc adipisci possimus aut vitare.

Philos. Et hinc equidem adhuc sermo est, ut tam summo bono nostro quam summo malo, ut tibi visum est, descriptis, juxta propositum nostrum, quibus ad ea pertingere viis, non minus diligenter aperias, ut eo melius has tenere vel illas vitare possimus, quo amplius noverimus. Sed et quid summum bonum sit vel summum malum, quod bonum vel malum generaliter sit dicendum, id quoque si vales definire, desidero. Multas quippe harum species cognoscimus; sed tamen in quo bonæ vel malæ res dicendæ sint, non satis intelligere vel disserere sufficimus. Nostri quippe auctores, qui dicunt alia bona, alia mala, alia indifferentia, nullatenus hæc definitionibus distinxerunt, sed quibusdam exemplis ad eorum demonstrationem contenti sunt.

Christianus. Quantum æstimo, difficile definire ea censuerunt, quorum nomina vix unquam in una significatione consistere videntur. Quippe cum dicitur bonus homo vel bonus faber aut bonus equus et similia, quis nesciat, hoc nomen « bonus » ex adjunctis diversum mutuare sensum; hominem quippe bonum ex moribus, fabrum ex scientia, equum ex viribus et velocitate, vel quæ ad usum ejus pertinent? Adeo autem ex adjunctis boni significatio variatur, ut etiam cum nominibus vitiorum ipsum jungere non vereamur, dicentes scilicet bonum vel optimum furem, eo, quod in hac malitia peragenda sit callidus vel

[1] *Scriptura* in cod. omiss. restituit Rheinwald.

astutus. Nec solum ad res ipsas, verum etiam ad ea quæ de rebus dicuntur, hoc est ad ipsa propositionum dicta, sic nonnunquam boni vocabulum applicamus, ut etiam dicamus, quia bonum est malum esse, quamvis minime concedamus bonum malum esse. Aliud quippe est dicere malum est bonum, quod omnino falsum est, aliud dicere malum esse bonum est, quod minime negandum est. Quid itaque mirum si et nos sicut et illi horum significationem quæ ita inconstans est, definire non sufficiamus? Quantum tamen mihi nunc occurrit, bonum simpliciter, id est bonam rem dici arbitror, quæ cum alicui usui sit apta, nullius commodum vel dignitatem per eam impediri necesse est; indifferens vero, id est rem quæ neque bona est, neque mala, illam arbitror, per cujus existentiam nec ulla bona deferri, nec impediri necesse est, sicut est fortuita motio digiti, vel quæcunque actiones hujusmodi. Non enim actiones, vel bonæ vel malæ, nisi secundum intentionis radicem judicantur, sed omnes ex se indifferentes sunt, et si diligenter inspiciamus, nihil ad meritum conferunt, quæ nequaquam ex se bonæ sunt aut malæ, cum ipsæ videlicet tam reprobis quam electis æque conveniant.

Philos. Hic paululum nobis standum arbitror atque immorandum, si forte quæ dixisti pro definitionibus stare possint.

Christianus. Difficillimum equidem est omnia propriis definitionibus sic circumscribere, ut ab omnibus aliis ea separari queant, maxime nunc, mcu nobis ad definitiones excogitandas mora temporis non concedatur. Pleraque nominum quibus rebus conveniant, ex rationis usu didicimus. Quæ vero sit sententia eorum vel intelligentia minime assignare sufficimus. Multa etiam reperimus, quorum nec nominationem, sicut sententias definitione possumus terminare. Etsi enim rerum naturas non ignoremus, earum tamen vocabula in usu non sunt, et sæpe promtior est mens ad intelligendum, quam lingua sit ad proferendum, vel ad ea quæ sentimus disserendum. Ecce omnes ex usu quotidiani sermonis cognoscimus, quæ res appellentur lapides. Quæ tamen sint lapidis propriæ differentiæ, aut quæ sit hujus speciei proprietas nullo adhuc, credo, valemus[1] assignare vocabulo, quo lapidis aliqua distinctio seu descriptio perfici possit. Nec id tibi mirabile videri debet, si me in his deficere videas, ad quæ nequaquam magnos illos viros doctores, quos jactatis philosophos, suffecisse cognoscimus. Quæ tamen potero ad objectionem tuarum inquisitionum de his, quæ præmisi, conabor.

Philos. Et ratione satis et probatione, quæ nunc dicis, videntur abundare. Sed revera, quæ dicuntur nisi intelligantur frustra proferuntur, nec docere alios possunt, nisi disseri queant. Nunc si placet, immo quia et sic consensisti, ipsa quæ dixisti aliquantulum expedire te volo. Quare ergo, inquam, cum rem

[1] Rheinwald, *nullo adhuc credo valeamus assig. vocabulo.*

bonam definires, non visum est sufficere, ut diceres, quæ alicui apta est usui, hoc est alicui commoda utilitati.

Christianus. Commune proverbium atque probabile vix aliquod bonum esse, quod non noceat, et malum quod non prosit. Verbi gratia : Ecce jamdudum aliquis in bonis operibus se adeo exercuit, ut inde sæpius laudatus vel de suis confisus virtutibus in superbiam extollatur, vel alius invidia hinc accendatur. Sic itaque malum de bono constat provenire, et frequenter mali etiam bonam causam esse. Quippe vitia nostra vel peccata, quæ sunt proprie mala dicenda, nonnisi in anima vel bonis habent consistere creaturis, nec nisi a bono surgere potest corruptio. Quis e contrario non videat sæpe homines post magnas peccatorum ruinas, fortiores aut meliores per humilitatem vel pœnitentiam surgere, quam antea fuerint? Ipsam denique pœnitentiam peccati, quia mentis afflictio est, nec cum beatitudine perfecta, quia dolorem ingerit, convenire potest, malum esse potius quam bonum constat, et tamen hanc ad indulgentiam peccatorum nemo necessariam esse dubitat. Quis etiam nesciat, summam Dei bonitatem quæ nihil sine causa fieri permittit, adeo mala quoque bene præordinare, et eis etiam optime uti : ut etiam sit bonum malum esse, cum tamen malum nullatenus sit bonum? Sicut enim summa diaboli nequitia ipsis etiam bonis sæpe pessime utitur, ut videlicet ea in causas pessimorum effectuum convertat, ac si per ea quæ bona sunt, quædam pessima operetur, ita e contrario Deus illis optime utitur, quæ ille pessime molitur. Quippe et tyrannus et principes eodem gladio male uti possunt et bene, ille quidem ad violentiam, ille ad vindictam; et nulla credo sunt instrumenta, vel quæcunque usibus nostris sunt commodata, quibus pro intentionum qualitate tam male uti non possumus quam bene; scilicet nihil refert quid fiat, sed quo animo fiat. Unde et quilibet homo tam bonus quam perversus, tam bonarum quam malarum causæ sunt rerum, et per eos tam bona quam mala esse contingit. Non enim bonus homo a malo in eo dissidere videtur, quod id quod bonum sit, facit, sed potius, quod bene facit. Etsi enim nunc usus sermonis pro eodem habet bene facere et bonum facere, vis tamen et proprietas locutionis non ita fortassis sonat. Sicut enim bonum sæpe dicitur, nec tamen bene, id est bona intentione, ita et bonum fieri posse videtur, cum tamen bene non fiat. Sæpe quippe contingit idem adversis fieri, ita ut pro eorum intentione alius bene, alius male illud faciat. Veluti, si duo aliquem reum suspendant, alter quidem eo solummodo quod eum odit, alter vero quia habet hanc exercere justitiam, justa hæc suspensio ab isto juste fit, quia recta intentione, ab illo injuste, quia non amore justitiæ, sed odii zelo vel iræ. Nonnunquam etiam mali homines, vel ipse quoque diabolus in eodem facto ita Deo cooperari dicuntur, ut idem tam a Deo quam

ab illis fieri asseratur. Ecce enim a Satan ea quæ Job possidebat ablata videmus, et tamen hæc a Deo sibi auferri Job ipse profitetur dicens[1] : « Dominus dedit, Dominus abstulit. » Unde autem et ad illud veniamus, quod Christianorum mentes carius amplectuntur, etsi tibi vel tibi similibus ridiculum videatur. Traditio Domini Jesu in manus Judæorum, tam ab ipso Jesu quam a Deo patre, vel a Juda traditore fieri memoratur; nam et Pater Filium et Filius se ipsum et Judas eundem tradidisse dicitur, cum tamen in talibus, vel diabolus, vel Judas id ipsum fecerit, quod Deus. Et si forte ideo bonum aliquod videantur fecisse, non tamen dicendi sunt bene fecisse. Aut si fecerint id vel fieri voluerint quod vult fieri Deus, vel eamdem faciendo aliquid voluntatem habeant, quam Deus habet, numquid ideo benefacere dicendi sunt, quia scilicet faciunt, quod Deus vult fieri, aut ideo bonam habent voluntatem, quia volunt id quod Deus? Non utique. Etsi enim faciant, vel facere velint, quod Deus vult fieri, non tamen id faciunt, vel facere volunt, quia credant Deum id velle fieri; nec eadem intentio est in eodem facto illorum quam Dei; et quamquam id velint quod Deus, et eadem illorum et Dei voluntas ideo dici possit, quod idem volunt, mala tamen eorum voluntas est, et bona Dei, cum scilicet id diversis de causis velint fieri. Sic et cum eadem sit actio diversorum, quia videlicet idem agunt, pro diversitate tamen intentionis actio hujus bona est et illius mala, quia quamquam idem operentur, tamen bene hic, ille male id ipsum facit. Et quod dictu mirabile est, nonnunquam etiam bona est voluntas, cum quis vult ab altero malum fieri, quia id videlicet bona intentione vult. Sæpe namque Dominus per diabolum vel tyrannum aliquem decrevit eos affligere qui innocentes sunt, vel qui illam afflictionem non meruerunt, ad purgationem scilicet alicujus peccati eorum qui affliguntur, vel ad augmentum meriti, sive ad exemplum aliis dandum, vel quacunque causa rationabili, quamvis nobis occulta. Unde et de eo quod, permittente Domino, bene diabolus egerat, malo, Job meminit dicens : « Sicut Domino placuit, ita factum est. » Quod quia bene a Domino permissum esse non dubitet, referendo ei gratias ostendit, cum addit : « Sit nomen Domini benedictum. » Liber quoque *Regum* tertius[2] spiritum mendacem ad decipiendum Achab impium docet a Domino missum fuisse. Cum enim diceret Dominus : « Quis decipiet Achab? egressus spiritus mendax stetit coram Domino et ait : Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus : In quo? Et ille ait : Egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus : Decipies et prævalebis, egredere et fac ita. » Quod quidem Micheas propheta, cum coram ipso Achab exposuisset, sibi revelatum fuisse, adjecit : « Nunc igitur

[1] Job., cap. I, v. 21. — [2] *Reg.*, I, cap. XXII, v. 21 et sq.

ecce dedit Dominus spiritum mendacem in ore omnium prophetarum tuorum qui hic sunt, et locutus est contra te malum. « Sive autem in sanctos sive in impios Dominus diabolum sævire permittat, constat profecto nec ipsum nisi bene permittere quod bonum est permitti, nec illum nisi male facere quod tamen bonum est fieri, et cur fiat, rationabilem habet causam, licet nobis incognitam. Ut enim ille magnus philosophus vester in *Timæo* suo meminit, cum Deum optime cuncta facere probaret : « Omne, inquit, quod gignitur ex aliqua causa gignitur necessaria. Nihil enim fit, cujus ortum non legitima causa et ratio præcedat. » In quo patenter ostenditur, quæcunque a quocunque fiant, quia hæc optima divinæ providentiæ dispensatione contingunt, rationabiliter et bene sic ea provenire, sicut eveniunt, quia videlicet rationabilem, cur fiant, habeant causam, quamvis is qui ea facit, non rationabiliter ac bene ipsa faciat, nec eam in his faciendis, quam Deus, causam attendat. Cum itaque nihil nisi Deo permittente fieri constet, nihil quippe eo invito vel resistente fieri possit, certumque insuper sit nequaquam aliquid Deum sine causa permittere, nihilque omnino nisi rationabiliter facere, ut tam permissio ejus quam actio rationabilis sit; profecto cum videat, cur singula quæ fiunt, fieri permittat, cur et ipsa facienda sint, non ignoret, etiam si mala sint vel mala fiant; non enim bonum esset ea permitti, nisi bonum esset ea fieri, nec perfecte bonus esset, qui, cum posset, non disturbaret id quod fieri non bonum esset, immo patenter arguendus in eo quod non sit bonum fieri, consentiendo ut fiat : patet itaque quidquid contingit fieri, cur fiat vel non fiat rationabilem habere causam; ideoque bonum est illud fieri vel bonum est non fieri, etiam si ab eo, a quo bene non fit, fiat, vel ab eo, a quo non fit, male non fiat, hoc est mala intentione dimittatur fieri. Unde etiam ipsa mala esse, vel fieri bonum est, quamvis ipsa mala nequaquam sint bona. Quod et Veritas ipsa patenter profitetur, cum ait[1] : « Necesse est enim ut veniant scandala. Væ autem homini illi, per quem scandalum venit. » Ac si aperte dicat : Opportunum est, et humanæ congruum saluti, ut quidem et me offenso vel irato[2] scandalum inde animæ suæ, id est damnationem incurrant, ut per quorumdam scilicet malitiam id agatur, per quod omnes salventur, quicunque videlicet sanandi prædestinantur. Sed tamen væ illi, hoc est damnatio erit, cujus consilio vel persuasione hoc scandalum movetur. Malum itaque est scandalum, sed bonum est scandalum esse. Sic et bonum est quodlibet malum esse, cum tamen nullum malum sit bonum. Quod et ille magnus veritatis discipulus attendens Augustinus, et, quam optime ipsa etiam mala Deus ordinet, considerans, ita de ejus bonitate et diaboli nequitia loqui-

[1] Matth., cap. XVIII, v. 7. — [2] Rheinwald *Et me offensi vel irati.*

tur : « Deus sicut naturarum bonarum optimus creator est, ita malarum voluntatum justissimus ordinator, ut cum ille male utatur naturis bonis, ipse bene utatur etiam voluntatibus malis. » Item dicit idem de diabolo : « Deus, cum eum creavit, et futuræ malignitatis ejus non erat ignarus, et prævidebat quæ bona de malis ejus esset facturus. » Item post aliqua : « Neque enim Deus ullum non dico angelorum vel hominum creasset, quem malum esse præscisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commendaret. » Item alibi : « Sunt bona singula, simul vero universa valde bona, quia ex omnibus consistit universitatis amabilis pulchritudo. » Item : « Illud quod malum dicitur, bene ordinatum et loco suo positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant et laudabiliora sint, dum comparantur bonis. Nec enim Deus omnipotens cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret et de malo. » Item : « Nec dubitandum est Deum facere bene etiam sinendo fieri quæcunque fiunt mala. Non enim hoc nisi justo judicio sinit, et profecto bonum est quod justum est. Quamvis ergo ea, quæ mala, in quantum mala sunt, non sunt bona, tamen, ut non solum bona, sed etiam sint et mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent et mala, nullo modo sinerentur ab omnipotente bono, cui procul dubio quam facile est, quod vult facere, tam facile est quod non vult esse non sinere. Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus. » Ecce audisti aperta ratione monstrari, quia bonum est malum esse, quamvis nequaquam verum sit bonum malum esse. Aliud quippe est dicere, malum est bonum, aliud dicere, malum esse bonum. Ibi enim ad rem malam, hic ad rem malam esse applicatur bonum, hoc est ibi ad rem, hic ad eventum rei. Rem autem, ut dictum est, eam bonam dicimus, quæ cum alicui apta sit usui, nullius rei commodum vel dignitatem per eam impediri aut etiam minui necesse est; quod quidem impediri vel minui tunc eam rem necesse esset, si per ejus contrarium vel defectum dignitas illa vel commodum necessario non remaneret. Verbi gratia : vita immortalis, lætitia, sanitas, scientia, castitas talia sunt, quæ, cum aliquid habeant dignitatis vel commodi, constat illud supervenientibus horum contrariis non remanere. Sic et quaslibet substantias constat bonas res esse dicendas, quia cum aliquid conferre valeant utilitatis, nihil per eas dignitatis vel commodi necesse est præpediri. Nam et perversus homo, qui corruptæ vel etiam corrumpentis vitæ est, sicut esse posset, ut perversus non esset, ideoque per eum nonnihil deteriorari necesse esset.

Hoc autem ad præsens ad descriptionem rei bonæ satis esse arbitror. Cum vero ad eventus rerum, hoc est ad ea, quæ a propositionibus dicuntur et per

eas evenire proponuntur boni vocabulum applicamus, ut videlicet hoc esse vel non esse bonum dicamus, tale est ac si diceretur ad aliquam Dei optimam dispositionem complendam, illud necessarium esse, etsi nos omnino illa lateat dispositio. Non enim aliquem etiam bene facere bonum est, si hoc eum facere alicui divinæ ordinationi non competit, sed potius obsistit, qui nec fieri potest, quod rationabilem, cur fiat, causam non habet. Tunc autem rationabilem non habet causam, cur fiat, si quid a Deo dispositum præpediri necesse esset, si illud contingeret. Sæpe itaque decepti dicimus, quia bonum est nos hoc vel illud facere, quod faciendum esse ab omnibus censetur. Sed cum a divina dissentiat ordinatione, per errorem mentimur, sed mendacii rei non sumus ita opinantes, ut dicimus. Qui etiam sæpe per errorem multa in oratione petimus, quæ nobis a Deo denegantur, qui melius quam nos ipse, quid nobis sit necessarium, agnoscit. Unde præcipuum est sic dicere : Fiat voluntas tua. Hoc in præsentiarum satis est me dixisse, ad ostendendum videlicet qualiter nomen boni est intelligendum, quando pro re bona simpliciter sumitur vel quando etiam rerum eventibus vel quando propositionibus applicatur. Quod quia ex inquisitione summi boni pendeat, si quid superest, quod de ipso ulterius quæri censeas, licet te subinferre vel ad reliqua festinare.

[Dialogum hunc sequitur in Codice Vindobonensi exhortatio cujusdam magistri anonymi ad discipulum de inquisitione summi boni, quæ videtur Denisio (*Codices mss. Theologici Bibl. Pal. Vindobon.* 1794, vol. I, P. II, p. 199) « obliqua crisis in Abælardi opus discipulique præmunitio. » Illam suo loco, ut a D. Rheinwald edita est, postponimus.]

EXORATIO[1] MAGISTRI AD DISCIPULUM DE INQUISITIONE SUMMI BONI.

Fili carissime, studium tuum delectat me, quo sapientum scripta investigas per te ipsum legendo et intelligendo, quæque non intelligis a me ceterisque senioribus perquirendo. Etenim scolaris illa exercitatio, qua sub virga pavitantes proficiunt ingeniosi, deficiunt hebetes, bonæ indolis adolescentibus vix est pro infantilibus nutrimentis, qualia sæpe vidimus ab obstetricibus vel nutricibus massicata in ora vagientium puerculorum edentulorum poni, eisdem renitentibus et offas aliena saliva infectas interdum fastidientibus. Unde cum primis dentatis maxillis per se mandere possunt, ab aliis masticata non recipiunt, immo cum discipulis transeundo per segetes copiosas vellicant et fricant

[1] Vox hæc in codice exstat rescripta super aliam miniatam erasam.

manu propria spicas maturas exindeque grana elicita per se manducant et experiendo probant, in scolaribus illis exercitiis diligentissime lætatos non invenire saporem sapientiæ, nisi post tempus ablactationis suæ. Hinc est, quod Abraham patriarcha grande legitur fecisse convivium in die ablactationis Isaac, nimirum congaudens paterno affectu, profectibus tanti filii. Quo contra ploratus et ululatus multus est Raheli ploranti filios suos ante ablactationis tempus ab Herode occisos. Ac tum plangit ecclesia et non vult consolari, quia non sunt ablactati ejus illi pueri, quos trucidat gladius Antichristi pro eo, quod sunt infra bimatum, non attingentes ad geminæ intelligentiæ et operationis fructum. Me miserum! Pro quot parvulis ita mihi abreptis ego plorare habeo, quia eos post exercitia scholaria video vel tepuisse in sensum puerilem et animalem, qui non percipit, quæ sunt spiritus Dei, vel omnino friguisse in reprobum sensum, ut non solum faciant, quæ non conveniunt eorum professioni, sed etiam persequantur ea, quæ sunt spiritus Dei. Tu autem, fili dilectissime, ut spero in Dei misericordia, proficies etiam ultra bimatum usque adeo ut formidare non habeas gladium Antichristi, qui est hæreticorum seu falsorum fratrum sermo dolosus. Nisi enim sic proficeres, nisi ablactatus jam solidum cibum vehementer esurires de summo bono, sicut inquiris, non inquireres. Occasio vero hujusce inquisitionis exinde, ut dicis, oborta est tibi, quod legens dialogum sub disceptatione christiani et judæi atque philosophi a magistro Petro digestum de summo bono illic invenis aliquid investigatum, sed non satis elucidatum, quid sit vel ubi sit ipsum summum bonum, quave ad illud via sit rectissime gradiendum. Proinde sic accipe istud opusculum de inquisitione summi boni intitulatum, ut si quid boni de hoc bono inveneris dictum, de hoc ipso bono unde agimus non dubites aut stillasse si parum est, aut emanasse, si satis est. Satis dico, non quantum ad rei, quæ versatur, æstimationem, sed quantum ad legentis et inquirentis esuriri. Nam res ipsa est ineffabilis de qua fari utcunque gestimus, prout ipsa juvante poterimus.

« Lecta sat eximia præsens hæc philosophia
Doctrinæ triplicem cuivis præstabit honorem[1]. »

— Puto[2] autem, si opusculum Augustini de summo bono intitulatum bene perspexeris, illic abundanter instrueris, esse illud summum bonum ex quo, per quod, in quo sunt omnia bona magna, media et minima, et ipsum tale est, ut nihil melius cogitari possit, immo melius est quam ab ulla creatura cogitari possit. Nisi enim transcenderet omnem tam angelorum quam et hominum

[1] Bene monet Denisius l. l. hoc distichon rectius ad calcem Dialogi locandum fuisse : Vox « triplicem » enim ad doctrinam trium interloquentium alludere videtur. — [2] Exoratio insequens in Cod. Mss. ab aliena manu ejusdem, ut videtur, ætatis, conscripta est.

cogitationem, non exsuperaret omnem sensum, nec inhabitaret lucem inaccessibilem, neque diceretur vere incomprehensibile, quod quis posset cogitatione vel intellectu attingere vel comprehendere. Sensit hoc ille qui dixit[1] : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? » At tamen ex parte illud summum bonum cognoverunt et ex parte etiam prophetaverunt hi, per quos canonica scriptura Veteris ac Novi Testamenti administrata est, in qua vel per speculum et in ænigmate apparet pulchritudo summi boni, summæ justitiæ, summæ vitæ, summæ potentiæ, summæ lætitiæ, summæ caritatis et claritatis. Quæ omnia eisque similia de summo bono prædicata non sunt multa, sed unum causale ac primordiale principium seu fundamentum omnium quæ per ipsum et post ipsum bona sunt in ordine rerum. Quæ cum in sui natura sint omnes bonæ, utpote a summo bono habentes esse, tamen eis et bene uti bonum est et male uti malum est. Docet autem Sancta Scriptura, maxime autem Novi Testamenti, quomodo inferioribus bonis homini sit utendum, ut perveniat ad summum bonum, cujus fructus æternus tanquam diurnus denarius illis erit persolvendus, qui bonis inferioribus bene utendo laborant in vinea, quæ est præsens et peregrinans ecclesia, extra quam stantes in foro hujus mundi otiosi pagani sive negotiantes judæi, sive illis pejores falsi christiani habere denarium non poterunt, quem[2] solis bene in vinea laborantibus, prout si tempus laborandi non habent, ut infantes, Christi sacramenta gestantibus, dandum noverunt, qui non a philosophis aut judæis Christum ignorantibus aut reprobantibus, sed ex ipso Christo veritatis doctrinam acceperunt. Ipsum audite, ait pater cœlestis. Ipsum audite, aio et ego vobis quicunque me auditis, discipuli seu filii. Ipsum audite potius quam paganum philosophantem vel hebræum judaizantem. Ipsum audite solum non justa docentem, sed et impios justificantem, non per sapientiam hujus mundi aut ex operibus legis, sed per fidem qua doctrina ejus creditur et custoditur. Sicut ipse ait[3] : « Beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud. » In custodiendo illo retributio multa. Revera hæc retributio multa est, quæ non habet finem, sed ipsa est finis et consummatio participantium summo bono, fruentium summo gaudio, sapientium summa sapientia, quæ est Christus. Ipsum audite; consiliarius est. Ipsum audite; præceptor est : ipsum audite. Si non potestis recipere ipsius consilium, ut abnegantes vos vobis ipsum sequamini, saltem servate præceptum et in utroque cognoscendo ipsum audite. Primo, si fieri potest, ad conservandam innocentiam, ipsum audite. Secundo, ubi amiseritis innocentiam, saltem ad

[1] *Rom.*, cap. XI, v. 33. — [2] Rheinwald *quæ*. — [3] Marc., cap. IX, v. 7.

agendam pœnitentiam ipsum audite. Si facultas suppetit ad agendum bona, ipsum audite; si facultas desit ad volendum saltem bona, ipsum audite. Si vultis scire, quid sit summum bonum, vel qua via sit ad illud progrediendum, ipsum audite dicentem, « Ego sum via et veritas, et vita[1]. » Nam via qua itur, et veritas ac vita, quo itur, ipse est : ipsum audite. Si forte in via hac ambulantes estis tristes, cum discipulis euntibus Emmaum, ipsum audite ambulantem vobiscum et consolantem vos, ut tandem stulti et tardi cordis accendamini et dicatis[2] : « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via et aperiret nobis scripturas? » Ipse est, qui scripturas ambulantibus in se via et veritate aperit : ipsum audite. Aperit et nemo claudit, ipsum audite! Ambulantibus dicit, Bonas facite vias vestras et studia vestra, ipsum audite. Pervenientibus dicit, Habitabo vobiscum, ipsum audite. Legem naturalem quam paganus philosophus defendit, ipse docet. Ipsum audite. Legem Moysi venit implere, non solvere. Ipsum audite. Lex quidem annuncians et demonstrans languorem per Moysen data est, gratia autem et veritas eumdem sanans languorem per Jesum Christum facta est. Ipsum audite. Summum bonum se sequentibus et sibi obedientibus promisit in præmio, cætera bona inferiora eisdem concessit ad utilitatem, ita ut omnia cooperentur eis in bonum per bonum usum, quo non solum bonis, verum et malis uti docentur in bonum, si tamen audiant ipsum. Ergo ipsum audite! sitque nobis anathema, quicunque aliud docet, quam quod habet verbum doctrinæ ipsius evangelicæ, plena et veritate, gratia excitante ac roborante voluntatem, veritate illuminante rationem, gratia voluntatem præveniente ac subsequente, veritate rationem dirigente atque ducente in viam pacis, ad patriam lucis æternæ, in qua dare videbitur et gustabitur summum bonum, quod est Pater et Filius et Spiritus sanctus, Deus unus ac trinus. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan, cap. XIV, v. 6. — [2] Luc., cap. XXIV, v. 32.

MAGISTRI

PETRI ABÆLARDI

APOLOGIA

SEU CONFESSIO FIDEI.

UNIVERSIS ECCLESIÆ SANCTÆ FILIIS PETRUS ABÆLARDUS EX EIS UNUS, SED IN EIS MINIMUS.

In *Confessione Fidei* quam Abælardus scripsit, postquam in Concilio Senonensi damnatus fuisset, a nullis abscedit opinionibus quas alibi professus est, sed ea catholice interpretatur quæ concilii episcopis a vera fide dissidere visa fuerant. Major ibi apparet animi patientia et tranquillitas quam quis sperare possit cognita Abælardi indole sat prona in iram atque arrogantiam. «Amicum nostrum» D. Bernardum vocat, et queritur, haudquaquam acerbe, sibi ab amico illo attributum falso fuisse librum quemdam « *Sententiarum*. » Nos jure conjicere posse arbitramur hanc Confessionem tum scriptam fuisse, quum Petrus Venerabilis Divo Bernardo Abælardum reconciliavisset. Andreas Quercetanus videtur non eam discrevisse ab Apologetica Oratione cujus, teste Othone Frisingensi[1], tale erat exordium: « Ne juxta Boetianum illud, procemiis nihil afferentibus tempus teratur; ad rem ipsam veniendum est, ut innocentiam meam ipsa rerum veritas potius quam verborum excuset prolixitas. » Istius Apologiæ nunc deperditæ fragmenta quædam e scriptoribus contemporaneis desumpta paulo infra videbis.

Codices contulimus Biblioth. Paris. Imper. 2923 et 1896, e quibus textum Amboesii nonnullis locis, ut patebit, emendavimus.

Notum proverbium est : Nihil tam bene dictum, quod non possit depravari; et, ut beatus meminit Hieronymus, « Qui multos scribit libros, multos sumit judices. » Ego quoque, cum pauca scripserim, parva, vel, ad comparationem

[1] *De Reb. Gest. Frider.* I Imperat., lib. I, cap. XLIX.

aliorum, nulla, reprehensionis notam effugere non potui : cum tamen in his, de quibus graviter accusor, nullam (sciat Deus) meam cognoscam[1] culpam, nec, si qua fuerit, procaciter defendam. Scripsi forte aliqua per errorem, quæ non oportuit : sed Deum testem et judicem in animam meam invoco, quia in his, de quibus accusor, nil per malitiam, aut per superbiam præsumpsi. Multa in scholis multis loquutus sum, nec unquam aquas furtivas vel panem absconditum habuit mea doctrina. Palam loquutus sum ad ædificationem fidei sive morum, quod mihi salubre visum fuit; et quæcunque scripsi, libenter omnibus exposui, ut eos judices, non discipulos haberem. Quod si uspiam per multiloquium excessi, ut scriptum est[2], « In multiloquio non effugies peccatum : » nunquam importuna defensio me effecit hæreticum, paratus semper ad satisfactionem de male dictis meis corrigendis sive dolendis[3] : in quo certe proposito usque in finem perseverabo. Sed sicut meum est male dicta mea, si qua sint, velle corrigere, sic crimina non recte mihi injecta me propulsare convenit. Cum enim dicat beatus Augustinus, « Crudelis est qui famam suam negligit, » ac, juxta Tullium[4], « Taciturnitas imitatur confessionem; » conscriptis[5] contra me capitulis æquum duxi respondere, videlicet ratione servata, qua contra derogantium linguas beatus Gregorius fideles his instruit verbis : « Sciendum est quia linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant; ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat : aliquando autem etiam compescere, ne dum de nobis mala disseminant, eorum, qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant. » Agnoscat ergo fraterna charitas me qualemcunque filium Ecclesiæ, cum ipsa integre cuncta quæ recipit, recipere; cuncta, quæ respuit, respuere : nec me unquam unitatem[6] fidei scidisse, quamvis impar cæteris morum qualitate.

Quod igitur mihi vel per malitiam impositum est quod scripserim, quia « Pater plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia; » hæc ego verba non tam hæretica quam diabolica, sicut justissimum est, abhorreo, detestor, et ea cum suo authore pariter damno. Quæ si quis in meis reperiat scriptis, non solum me hæreticum, verumetiam hæresiarcham profiteor.

Tam Filium quam Spiritum sanctum sic[7] ex Patre profiteor esse, ut ejusdem sint cum Patre substantiæ, ejusdem penitus voluntatis atque potentiæ : quia quorum omnino eadem substantia vel essentia, nulla potest esse vel voluntatis

[1] Cod. 2923 *Recognoscam*. — [2] *Proverb.*, cap. x, v. 19. — [3] Sic Cod. 2923 et 1896. *Delendis* edit. Amb. — [4] *Inv. Rhet.* I, 32. — [5] Sic Cod. *Quæ scripta sunt* Amb. — [6] Sic Cod. 2923. *Unionem* Amb. — [7] *Sic* deest Amb.

diversitas, vel potentiæ inæqualitas. Quisquis etiam me scripsisse asserit, quod de substantia Patris Spiritus sanctus etiam non sit, malitiæ id vel ignorantiæ maximæ fuit.

Solum Filium Dei incarnatum profiteor, ut nos a servitute peccati et a jugo Diaboli liberaret, et supernæ aditum vitæ, morte sua, nobis reseraret.

Jesum Christum sicut verum et unicum Dei Filium ex substantia Patris ante sæcula genitum, ita tertiam in Trinitate personam, Spiritum quoque sanctum tam ab ipso Filio, quam a Patre procedentem et credens assero, et asserens credo.

Gratiam Dei ita omnibus necessariam dico[1] ut nec naturæ facultas, nec arbitrii libertas sine illa sufficere possit ad salutem. Ipsa quippe gratia nos prævenit ut velimus, ipsa subsequitur ut possimus, ipsa nos conservat[2] ut perseveremus.

Deum ea solummodo posse facere credo, quæ ipsum facere convenit : et quod multa facere potest[3], quæ nunquam faciet.

Multa quoque[4] per ignorantiam facta culpæ sunt adscribenda : maxime cum per negligentiam nostram contingat nos ignorare, quæ nobis necessarium erat prænosse. Qualis ille fuit, de quo Psalmista dicit[5], « Noluit intelligere ut bene ageret. »

Mala Deum impedire frequenter fateor : quia non solum effectum malignantium prævenit, ne, quod volunt, possint : verumetiam voluntates eorum mutat[6], ut a malo quod cogitaverunt, penitus desistant[7].

Ex Adam, in quo omnes peccavimus, tam culpam quam pœnam nos contraxisse assero : quia illius peccatum nostrorum quoque peccatorum omnium origo extitit atque causa.

Crucifixores Christi in ipsa crucifixione gravissimum peccatum fateor commisisse.

Multa de Christo dicuntur, quæ non tam secundum caput, quam secundum corpus ipsius, quod est Ecclesia, sunt accipienda : ut ille Spiritus timoris, quod est initium sapientiæ, quem videlicet timorem perfecta charitas foras mittit[8]. Hujus ergo timoris spiritum in anima Christi, qui perfectissimam habuit charitatem, nunquam fuisse credendum est, qui tamen in inferioribus membris non deest. Tantæ quippe perfectionis et tantæ securitatis anima illa extitit per ipsam Verbi unionem, ut sciret nil omnino se committere posse, unde pœnas incurreret, vel Deum offenderet. Castum vero[9] timorem in sæculum sæculi permanentem, qui proprie reverentia charitatis dicitur, tam ipsi animæ

[1] *Dico* deest Amb. — [2] Sic Cod. 2923. *Consociat* Amb. — [3] *Posset* Cod. 2923. — [4] Sic Cod. *Mala per ignorantiam* Amb. — [5] *Psalm.* XXXV, v. 4. — [6] *Immutat.* Cod. 2923. — [7] Sic Cod. 2923. *Divertant* Amb. — [8] Joan. I, cap. IV, v. 18. — [9] Sic Cod. Reg. *Quippe* pro *vero* legit Amb.

Christi quam electis Angelis et hominibus inesse semper recognosco. Unde et de ipsis supernis spiritibus scriptum est : « Adorant dominationes, tremunt potestates. »

Potestatem ligandi atque solvendi successoribus Apostolorum omnibus æque ut ipsis[1] Apostolis concessam esse profiteor, et tam indignis quam dignis episcopis, quandiu eos Ecclesia susceperit.

Omnes in dilectione Dei et proximi æquales, æqualiter bonos esse confiteor et meritis pares : nec quicquam meriti apud Deum deperire, si bonæ voluntatis affectus a suo[2] præpediatur effectu. Non enim Angelus, cum a Deo missus id quod facere vult impleverit, aut anima Christi suæ voluntati effectum addiderit, melior inde reputari debuit : sed æque quilibet bonus permanet, sive tempus operandi habeat, sive non, dummodo æqualem bene operandi voluntatem teneat, nec in eo quod non operatur, remaneat.

Deum Patrem æque sapientem, et Filium æque benignum ut Spiritum sanctum profiteor : quia in nulla boni plenitudine, in nulla dignitatis gloria, una personarum differre potest ab alia.

Adventum Filii in fine sæculi posse attribui Patri, nunquam, sciat Deus, in mentem meam venit, nec se verbis meis inseruit.

Sic et animam Christi non per se ad inferos descendisse, sed per potentiam, omnino a meis verbis et sensu remotum est.

Novissimum quoque Capitulum, quo[3] scripsisse criminor, quod neque opus, neque voluntas, neque concupiscentia, neque delectatio[4] quæ movet eam, peccatum sit, neque debemus ea[5] velle extingui, nec minus a meis tam dictis quam scriptis alienum est.

Quod autem Capitula contra me scripta tali fine amicus noster concluserit, ut diceret : « Hæc autem capitula partim in libro *Theologiæ* magistri Petri, partim in libro *Sententiarum* ejusdem, partim in libro cujus titulus est, *Scito te ipsum*, reperta sunt, » non sine admiratione maxima suscepi : cum nusquam[6] liber aliquis qui *Sententiarum* dicatur, a me scriptus reperiatur. Sed sicut cætera contra me Capitula, ita et hoc quoque per malitiam vel ignorantiam prolatum est.

Si qua igitur consolatio in Christo Jesu, si qua sunt viscera pietatis, fraternam pietatem vestram[7] exoro, ne innocentiam meam, quam a culpa veritas liberat, nemo infamiæ nævo[8] respergendo, in charitate[9] delinquat. Charitatis

[1] Sic Cod. 2923. *Ut ipsis æque Apostolis* Amb. — [2] *In suo* Cod. 2923. — [3] *Quod* Amb. — [4] Aliter *quæ moveant eam*. — [5] *Eam* pro *ea* legitur in Cod. 2923. — [6] Sic Cod. 1896. *Nunquam* Amb. — [7] *Fraternam vestram caritatem* Cod. 2923 et Victorinus 397. — [8] Sic Cod. Victor. 397. *Infamiæ nævo* deest Amb. — [9] *In charitate* deest Amb.

quippe est opprobrium non accipere adversus proximum[1], et quæ dubia sunt, in meliorem partem interpretari, et illam semper Dominicæ pietatis sententiam attendere[2] : « Nolite judicare, et non judicabimini : nolite condemnare, et non condemnabimini. »

EXPOSITIO SUPER PSALTERIUM.

Petri Abælardi *Expositionem super Epistolas Pauli et super Psalterium* ab Oudino[3], Fabricio[4] et aliis memoratam, nondum autem typis mandatam Bibliotheca Regia Parisiensis asservat in Codice 2543, membranaceo, sexcentis circiter annis exarato. Notulæ autem sunt breves et quæ litteram tantum spectant, non commentarius vere philosophicus, ubi aliquid sperare possis aut alte indagatum aut solerter et acute expositum. Constat autem libros quinque *Commentariorum in Epistolam D. Pauli ad Romanos* qui supra leguntur, prorsus alios esse ac jejunam et siccam expositionem illic repertam. Opus igitur cum parum luce dignum videretur, pauca tantum speciminis loco publici juris facere decrevimus.

Prologus. Omnis divina Scriptura vel pertinet ad historiam, vel ad moralitatem, vel ad misticum intellectum. Est autem intelligendum quod quadam permistione alterna, persæpe et historia in moralitate, et moralitas in historia, et misticus intellectus invenitur. Ad misticum vero intellectum pertinet prophetia. Est autem prophetia inspiratio divina quæ per visiones, vel per facta, vel per dicta quorumdam incommutabili veritate eventus rerum ostendit. Per visiones ut per Ezechiel, et Daniel, et Evangelistæ Johannis visionem. Per facta, ut per immolationem Abrahæ, in qua divinitas et humanitas domini nostri Jesu intelligitur; per arietem enim immolatum, humanitas Christi, id est caro Christi passa significatur; per Isaac vero reservatum et illesum, ipsa Christi divinitas in passione carnis fuisse illesa cognoscitur. Per dicta eventus rerum incommutabili veritate ostendit, ut ista prophetia. Est autem prophetia aliquando de præterito, aliquando de præsenti, aliquando de futuro. De præterito, ut Moises, divina inspiratione refectus, mundi dispositionem philosophando ostendit, dicens : « In principio creavit Deus cœlum et terram. » De præsenti, ut : « Ecce agnus

[1] *Psalm.* XIV, v. 3. — [2] Matth., cap. VII, v. 1. — [3] *Comment. de Scriptor. Eccles.*, t. II, p. 1170. — [4] *Biblioth. med. et inf. Latinit.*, t. IV, p. 234.

Dei. » De futuro non est dubium. Ista vero prophetia non uno modo, sed tripliciter agit de Christo. Aliquando enim de ipsius divinitate, aliquando de ejus humanitate, aliquando de ipsius corpore agit; corpus enim Christi vocatur Ecclesia. Sicut corpus enim a capite regitur, sic sancta Ecclesia a capite suo, id est a Christo gubernatur. Agit de ipsius divinitate, ut hic : « Deus dixit ad me : Filius meus es tu : ego hodie genui te. » Agit de ipsius humanitate, ut hic : Astiterunt reges terræ. Agit de ipsius corpore ut hic : « Dominus Deus meus, respice in me. » Et quando agit de ipso corpore, aliquando inducit corpus loquens pro se, id est Christum loquentem sub persona sua pro corpore vel Ecclesia, ut : « Longe a salute mea, » id est : A salute longe meorum. Vel simpliciter pro ipso corpore, sicut lingua loquitur aliquando pro se. Aliquando loquitur propter ipsius conjunctionem quam cum ceteris habet membris. Loquitur pro illis ut pedibus : Ego sum fixa. Loquitur pro pede hoc modo : Quid me calcas? Similiter Dominus Christus aliquando pro se, aliquando pro conjunctione et pia affectione quam habet in Ecclesia, loquitur pro ipsa Ecclesia.

Intitulatur autem hic liber hoc modo : Liber himnorum et soliloquiorum de Christo. Himnus proprie est laus divina scripta metrice; et cum apud nos psalterium metrice scriptum non sit, videndum quomodo liber himnorum vocari possit. Potest igitur vocari himnorum quantum ad Hebraicum modum, in quo a David metrice scriptum fuit. Legitur namque quod psalterium a sancto Jeronimo fuit dupliciter de Hebreo in latinum translatum, uno modo de verbo ad verbum, sed hac translatione non utimur; alio modo autem fuit ab ipso translatum, ita scilicet quemadmodum nos utimur. Et hæc translatio facta, scilicet hoc quo nos modo utimur psalterio, gallica vocatur, eo quod Galli utuntur. Sed est translatio ejusdem operis quæ romana vocatur, quoniam Romani ea utuntur, quam fecit Symachus et Aquila. Alia est translatio ejusdem quam septuaginta interpretes fecerant Ptolomeo Ægyptiorum regi.

Ideo vero liber himnorum dicitur, quoniam laus Dei est quidquid dicit; vocatur vero liber soliloquiorum de Christo, non quod de solo Christo, et non de corpore ejus, id est de Ecclesia loquitur, sed quoniam principaliter de ipsius divinitate atque humanitate loquitur, vel quoniam ubi de ipsius corpore, id est de fidelibus loquitur, quodam modo de Christo loquitur. Pertinet enim ad caput quidquid de corpore ejus dicatur. Vocatur Psalterium per simile. Psalterium enim est instrumentum in modum delta, litteræ græcæ, compositum, quod quare desuper concavum super extensis decem cordis reddit dulce melos et sonum jucundissimum. Huic est contrarium quoddam aliud musicum instrumentum, scilicet cithara, quod quare subter est concavum, super extensis cordis reddit delectabile sonum. Per citharam quæ subter est concava carnis

mortificatio intelligitur. Si enim nostrum inferius mortificaverimus, nostra nobis subtrahendo et pauperibus dando, jejunando, vigilando, orando, per hanc concavitatem jucundum sonum et delectabile Deo obsequium reddemus. Per Psalterium spiritus vivificatio intelligitur. Sicut enim psalterium per hoc quod superius est concavum, et per hanc decem cordarum super extensionem jucundum sonum reddit, ita et noster spiritus, per hoc quod sibi datur a superioribus, id est per dona spiritus sancti, et per executionem decem præceptorum legis, jucundum sonum, id est, delectabilem operationem reddit. Et sicut psalterium a superiori concavitate resonat, ita hoc opus a superioribus est, id est de celestibus tractat; quapropter Psalterium vocatur.

Psalmus ii. Psalmus iste David. Psalmus David intitulatur : « Quare fremuerunt gentes » qui cum titulo et intentione a superiori psalmo divisus esse comprobatur, quamvis in *Actibus Apostolorum* quidam versus istius psalmi de primo esse psalmo dicantur. Sed cum iste primus sit quantum ad titulum, nihil impedimenti oritur. Divisus quidem est ab illo intentione, quia cum ibi esset intentio nos a triplici morte animæ revocare, et nos instruere ut, sicut portavimus imaginem primi hominis, ita portemus imaginem secundi, hic est intentio nos monere, ut, exemplo capitis nostri, id est Christi, simus compatientes, et sic conregnantes. Diversus est titulo; hic enim titulus, ibi nullus....

EXPOSITIO SUPER EPISTOLAS PAULI.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

Cap. i. *Initium deest.* Factus et prædestinatus dicitur secundum quod homo filius Dei in virtute, secundum quod Deus. Notandum magnam esse unionem utriusque naturæ, quoniam et Deus dicitur homo et factus et passus et mortuus, et homo dicitur Deus, non quod divinitas in humanitatem, vel humanitas in divinitatem sit conversa. Aliter dicitur providentia, aliter prædestinatio. Deus dedit homini liberum arbitrium per se potens ad malum, per adjutricem gratiam Dei ad bonum. Illis ergo quos judicat gratiæ suæ adhesuros, gratiam tribuit, illis vero quos videt non adhesuros, eam non tribuit. Nec attendit Deus

qualiter futurus sit, nec secundum futuram vitam gratiam cuique tribuit vel negat; sed super hoc quod videt eum suscipiendæ gratiæ præparatum. Dicitur autem providentia quod providet Deus illum adhesurum, illum non adhesurum; prædestinatio quod videt eum ad suscipiendam gratiam preparatum, et est prædestinatio in bonis, providentia et in bonis et in malis. Large tamen aliquando prædestinatio dicitur de bonis et malis. Prædestinantur justi in baptismate, Christiani in conceptione. « Qui prædestinatus est. » Prædestinatio est beneficior Dei præscientia ordinatio[1]. Aliter prædestinatio, aliter permissio; prædestinatio in velle, permissio in nolle. Quid distet inter præscientiam et prædestinationem? Præscientia quidem est rerum notitia futurarum, antequam fiant, ex nullis earum indiciis, sed ex sola Dei inspiratione collecta; prædestinatio vero est præordinatio rerum certa cunctarum, ut fiant nullo unquam eventu mutanda. Et præscientia quidem in Deum potest et in homines eadem, prædestinatio non nisi in solum Deum, quum etsi aliqui perfecti scilicet viri, gratia Dei adjuti, præscire futura noverint, prædestinare tamen ea nullatenus potuerunt, qui nequaquam ea præscire valerent, nisi prius ab opifice summo prædestinata forent. Unde prædestinatio Dei temporanea dici solet, præscientia vero subtemporanea, sed hæc quantum ad homines, non quantum ad Deum. « An divitias bonitatis, etc. » Increpaticus est. Dives est Deus in bonitate dum multa tribuit bona hominibus et patienter exspectat et longanimiter, id est diu, et hoc ideo ut pœniteant, quia per illa bona possunt adduci ad penitentiam, cum et ipsi tales sint qui penitere possunt. « An ignoras quoniam, etc. »

Cap. xv. « Debemus. » Hic docet de susceptione infirmorum. « Non nobis, » id est nostræ voluntati, sed proximorum utilitati. « Etenim Christo. » Exemplo Christi docet non esse placendum carni, sed proximorum utilitati. « Ad nostram doctrinam, » id est ad informationem morum facta Christi scripta sunt. In eo enim plena forma et exemplum vitæ nostræ fuit....

Cap. xvi. « Ut autem sit gloria et honor.... » Non legimus determinatum quibus verbis fieret baptisma Johannis; sed sive cum verbis, sive sine verbis, non dabatur in eo remissio. Erat enim quædam præparatio ad baptismum Christi. Discipuli vero Christi qui tempore Johannis baptizaverunt, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti in remissionem baptizabant. De baptizatis quidam rebaptizati sunt, quidam non. Illi qui rebaptizati sunt, in aqua iterum mersi, spiritum accipiebant; alii vero accipiebant spiritum sine iteratione aquæ, quia sufficere videbatur illa aquæ ablutio quam per Johannem acceperant....

[1] Sic Codd.

E LIBRO INCERTO.

Hoc fragmentum in codicibus et in Amboesii editione post epistolam Berengarii adversus Carthusianos subjunctum est[1]. Vir eruditissimus cum illud agnovisset nequaquam cum hac epistola quam subsequitur cohærere, tribuendum Abælardo est suspicatus, nec immerito, ut opinor. Non enim solum et sententiarum et dicendi genere pagellæ istæ cum Abælardi ingenio et bene cognitis opinionibus congruunt; verum etiam lectorem auctor remittit ad ea quæ ipse olim scripserat « de fide philosophorum atque vita, sive etiam morum disciplina; » quod quidem clarissime indicare videtur sive orationem in festo D. Joannis Baptistæ habitam[2] sive librum secundum *Theologiæ Christianæ.*

Tenorem totius dialogi observanti manifestum est personam sub nomine Petri colloquio inductam esse ipsum Abælardum; sed quis vir sub litteris A. P. lateat, quoniam non noster sit philosophus, reperire non licuit,

Dixit A. P. dixit P. A. dixit eidem idem. Cum sit, Petre, Christus Deus, a quo Christiani dicuntur, sola est gens nostra, ut æstimo, quæ divini nominis appellatione sit insignita. P. Ipsi gloria qui tanti nominis gloriam tam infirmæ concessit creaturæ, ut ipso quoque vocabulo ei capiti cujus membra fuimus, conjuncti, ex ipsa nominis interpretatione id quod dicimur servare moneamur. Christus quippe Græce a Chrismate, id est unctione dictus, Latine unctus interpretatur, quod Hæbraice Messias sonat. Inungi autem tam Reges, quam Sacerdotes solebant. Ideoque nomine unctionis tam rex ipse quam sacerdos ostenditur. Rex quidem per potestatem qua suos eruere a periculis ac protegere potest; sacerdos per proprii corporis immolationem, qua quos eruit a diabolo, reconciliat Deo. A Christo itaque Christiani quasi a Messia Messianitæ dicimur; id est a Rege illo summo sive Sacerdote quasi regales, sive sacerdotes. Quod beatus exprimens Petrus, regale nos sacerdotium[3] appellat, quales esse debeamus commemorans : nostræ videlicet carnalitatis impetus regendo, et mactatis carnalibus concupiscentiis nos ipsos Deo quasi sacrificium offerendo. Gratia igitur[4] Christi in nobis dilatata, juxta illud Apostoli[5] : « Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. » Nomen quoque dilatari conveniebat, sicut etiam in *Cantico Canticorum*[6] di-

[1] Pag. 327-329. — [2] Vide t. I hujusce novæ editionis, pag. 566 et sq. — [3] Petr. I, cap. II, v. 9. — [4] *Itaque* Cod. 2923. — [5] *Rom.*, cap. v, v. 5. — [6] *Cant.*, cap. I, v. 2.

citur : « Unguentum effusum nomen tuum. » Ac si diceret : Nomen tuum, o Christe, quod unguentum, id est unctionem sonat, est effusum, id est dilatatum, atque in multos derivatum, qui inde scilicet Christiani dicti sunt. A. P. Sed et juxta Apostolum, cum sit Christus ipsa[1] sapientia quam sophiam Græci nominant : nullos rectius dici philosophos autumo, quam qui hujus summæ ac perfectæ sapientiæ amatores existunt. P. Hoc equidem et ipsa philosophici[2] nominis ethymologia requirit, et maxime tam doctrina fidei quam morum disciplina seu vita. Ipsos nobis philosophos gentium certum est convenire; adeo namque de fide Trinitatis aperte disseruerunt, ut mirabile sit eos quoque in plerisque diligentius quam Prophetas ipsos totam hujus fidei summam exposuisse. Quorum etiam sequaces in tantam ausi sunt insaniam prorumpere, ut Dominum quoque Jesum dicerent ea quæ de fide Trinitatis prædicavit, a philosophis didicisse. Unde et beatus Augustinus in libro VIII *de Civitate Dei* : « Mirantur, » inquit, « quidam nobis in Christi gratia sociati cum audiunt vel legunt Platonem : cum de Deo ista senserit, quæ multum congruere veritati nostræ Religionis agnoscuntur. » Idem in II *de Doctrina christiana*, « Quidam lectores et dilectores Platonis ausi sunt in tantam prorumpere dementiam, quod dicerent omnes Domini nostri Jesu Christi sententias, quas mirari et promere coguntur, de Platonis libris eum didicisse. » Quod si vitam quoque Philosophorum, ac morum disciplinam pensemus, nullos aut paucos fidelium Christianorum[3] de contemptu seculi aut morum disciplina eis anteferendos esse censebimus. Qui etiam sophum[4] sive philosophum magis ex vita quam ex conscientia dicendum esse asserunt. De fide autem Philosophorum atque vita, seu etiam disciplina morum, in exhortatione nostra ad fratres et commonachos nostros satis arbitror a nobis esse expositum. Quam quidem exhortationem quisquis legerit, videbit philosophos non tam nomine quam reipsa Christianis maxime sociatos. Neque enim Græcia tot philosophicis rationibus armata, Evangelicæ prædicationis jugo colla tam cito submisisset, nisi antea scriptis philosophorum, sicut Judæa Prophetarum, ad hoc esset præparata. A P. Verbum quoque Dei, quod Græci logon[5] vocant, solum Christum dicimus. Unde Augustinus in libro *Quæstionum LXXXIII*, cap. XLIIII : « In principio erat Verbum, » inquit, « quod Græce Λόγος dicitur. » Hinc et juxta nominis ethymologiam, quicunque huic vero ac perfecto Verbo per doctrinam et amorem cohærent, vere Logici sunt, et Philosophi dicendi sunt : nullaque disciplina verius logica dici debet, quam Christiana doctrina.

[1] *Ipsa Dei sapientia*. Cod. 2923. — [2] Sic Cod. 2923. *Physici* Amb. — [3] *Fidelium et Christianorum* Amb. — [4] Sic Cod. 2923. *Qui per sophum* Amb. — [5] Sic Cod. 2923. Λόγον Amb.

Petrus. Et si hoc quidem modo sermonis usus non habeat, ut videlicet aut Christianos nunc specialiter nominemus Philosophos, aut eorum de Christo scientiam aut a Christo traditam doctrinam appellemus logicam, profitemur tamen iis quæ dicis nominum ethymologias maxime consentire. A B. Imo etiam res ipsas plurimum attestari. Quo enim apud Gentiles philosophicæ potiores sunt disciplinæ, tanto vel multo amplius universis sacris eruditionibus evangelica quam Christus tradidit, perfectior est disciplina. Qui etiam suis quantam sermonis abundantiam daret, demonstratus in igneis linguis adventus Spiritus sancti manifestat, qui eos omnium linguarum varietates, omnium sermonum genera perfectissime docuit. Unde scriptum est[1] : « Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. » Ac si aperte diceretur : Non sunt lectionum varietates aut eloquentiæ ornamenta vel genera, quæ suis ipse non dederit, quibus etiam promiserat, dicens[2] : Quod cum veniret Spiritus ille veritatis, doceret illos omnem veritatem : ut tam verbis eos quam scientia perfectos efficeret : ut quæ perfecte cognoscerent disserere ad integrum possent. Quanto autem de Deo perfectiorem sunt adepti scientiam quam antiqui Patres, ii qui ab ipso unigenito Dei sunt edocti, Gregorius in extrema parte Ezechielis, Homilia III, edisserens, ait : « Per temporum incrementa venit in Patribus scientia Dei. Unde Daniel, Pertransibunt plurimi et multiplex erit scientia. » P. Et hoc quoque libenter accipimus quod et veritas habet, et nostræ fidei professionem commendat. Quippe quomodo per prædicationem paucorum et simplicium hominum tot in universis mundi partibus Christus acquisisset, nisi eos interius mira sapientia repleret, atque exterioribus rationibus verborum atque eloquentiæ gratia insigniret? Sicut enim in ipsa *Rhetoricæ* fronte[3] Tullius meminit, Nemo nisi sapientia et eloquentia præditus homines a jucunda sua consuetudine quæ præsertim jam naturæ vim obtineret, propter vetustatem convertere, et ad diversas rationes vitæ traducere posset. Quanto autem difficiliora videntur ac perfectiora Christi præcepta, major prædicatoribus ejus discretio et eloquentia conferenda erat. A P. Certe nil verius ac magis rationi consentaneum quam ut optimis tam scientiæ quam eloquentiæ munirentur armis, quorum prædicatio ad universum acquirendum mundum a Domino destinabatur, ut cum fiducia verbum omnibus prædicarent, quos et ipse cum mittit, confortat, dicens[4] : « Cum steteritis ante Reges et Præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. »

[1] *Psalm.* XVIII, v. 4. — [2] Joan., cap. XVI, v. 13. — [3] *Ficte* Amb. Cf. Invent. Rhet. I, I, II. — [4] Marc., cap. XIII, v. 11.

EX APOLOGIA.

Deperdita est *Apologia* qua illatas a D. Bernardo criminationes depellebat Abælardus, summa, ut perhibent, vehementia atque acerbitate. Verum Otho Frisingensis, ut supra monuimus, hujus initium nobis conservavit, et loca quædam satis ampla reperimus in libro quem edidit in lucem Bertr. Tissier[1] sub hoc titulo : *Disputatio abbatis anonymi contra errores Abælardi.* Operæ duximus pretium esse in unum varia hæc colligere fragmenta, quæ Abælardi opinionibus et condemnationi lucem quamdam afferre possint. Neque nobis dubium est quin fideliter fuerint ex *Apologia* ejus excerpta, cum auctor anonymus quæcumque adduxerit e scriptoribus loca, religiose solitus sit transcribere. Hoc unum desiderandum videtur quod non sæpius Abælardi verba transcripserit.

Ex Othone Frisingensi, *de Reb. Gestis Frider. I imper.*, lib. I, c. 49, INITIUM. Ne juxta Boetianum illud, prooemiis nihil afferentibus tempus teratur; ad rem ipsam veniendum est, ut innocentiam meam ipsa rerum veritas potius quam verborum excuset prolixitas.

E Disp. abbatis anonymi. Pag. 239. Sicut ergo sapientia quam Filium ejus intelligimus, quædam potentia est, vel facultas omnia discernendi sive cognoscendi, ne per ignorantiam errare possit; sic amor ipsius sive benignitas, quam Spiritum sanctum dicimus, optima est ejus voluntas potiusquam potestas.

Ibid., pag. 242. Amor itaque Dei sive bonitas est optima ejus voluntas faciendi optime, vel disponendi, ut diximus, omnia, non potentia faciendi vel disponendi illa. Nusquam enim, sive in nobis, sive in Deo, amor vel benignitas debet dici potentia; cum nequaquam amare vel benignum esse sit potentem esse; cum sæpe hi qui magis diligunt vel benigniores sunt, minus possint implere quod volunt; et minus sint potentes, qui plus sunt benevoli : divites affectu, pauperes effectu.

Ibid., pag. 246. Cum me arguis quod non dico quia Deus et homo una sunt in Trinitate persona, patenter te id sentire profiteris. Quod quantum sanæ fidei contrarium sit, volo tuum errorem recognoscere. Non enim Deus et homo, duæ istæ naturæ, sive singula, sive simul accipiantur, una dici possunt in Trinitate

[1] *Bibliotheca Patrum Cistercensium*, Op. Bertr. Tissier, Bonofonte, 1660-69, in-fol. t. IV.

persona. *Et infra.* Non igitur homo ille a Verbo assumptus aliqua de tribus illis in illa æternitate personis dicendus est; sed Verbum ipsum cui est unitus. Si autem de Deo et homine singulis non est dicendum, quod sint ibi aliqua persona, multo minus de illis duabus simul naturis dici convenit. Non enim illæ duæ naturæ aliquid æternum possunt esse, cum una earum careat æternitate. *Et infra.* Id solum quod semel fuit in illa Trinitate, semper in eadem permanet persona et nihil novum in eamdem Trinitatem incidit : quia nec recentem Deum fas est existimari.... Modis omnibus cavendum est ne tale quid ibi astruamus esse, quod semper ibi non fuerit, nec aliquid temporale in illa constituamus æternitate, nec aliquid compositum in illa simplicitate, nec aliquid corporeum in illa incorporalitate, nec aliquid novum in illa antiquitate.

Ibid., pag. 253. Generaliter et indubitanter tenendum est quod quidquid boni Deus in se habeat, nullatenus in ipso vel crescere, vel minui potest. Cui profecto sicut potentia ejus, vel sapientia coæterna est, ita voluntas quam habet in quibuscumque faciendis vel disponendis, ipsi coæterna est.... Non est enim in Deo aliud potentem esse, aliud bene volentem esse, cui est id ipsum esse et Deum esse, quod superiora declarant, et voluntas ejus et potentia ejus nihil aliud est quam esse.... Si ergo id solum facere potest, quod eum facere seu velle convenit, profecto id solum facere atque velle facere potest, quod quandoque facit; et eo modo tantum et eo tempore similiter quo facit; quia videlicet nec alio modo, nec alio tempore convenit, vel hoc eum facere, vel velle etiam facere.

Ibid, page 256. Ego gratiam Dei voco quidquid ad salutem hominis de ipso Deus disponit, vel ei confert, quod ipse non meruerit. Ait quippe Apostolus : Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem ex gratia, jam non ex operibus; alioqui gratia jam non est gratia. Gratia igitur Dei est in electis suis, quod eos ab æterno prædestinaverit, quod et fidem eis inspiraverit, quæ utique nostra præcedunt merita, et sine quibus eum diligere non valemus, ut salvari mereamur. Ipsa enim dilectio quam ipse per ea quæ dicta sunt, primo in nobis efficit, effectus ipsius Dei, sive donum ejus est, et ejus imputanda est gratiæ, antequam etiam nihil salutis possimus promereri. Unde et Apostolus: Quid habes, inquit, quod non accepisti? Ergo et ipsum liberum arbitrium, quia bonum est, divinæ gratiæ est donum, et ipsa ratio in qua ipsum consistit.... Cum igitur Dominus tam electis quam reprobis rationem tribuat et viam ostendat, qua perveniendum sit ad beatitudinem : et ad hanc percipiendam quam omnibus offert, præceptis et exhortationibus suis nos jugiter invitet, alii super hæc eum audiunt et præceptis obtemperant bene vivendo, ut oblata percipiant præmia; alii contemnunt et in sua remanentes ignavia obedientiæ

laborem refugiunt.... Ad bene vivendum reprobos (præparat Deus?) sicut electos, id videlicet dicendo et admonendo, et facultatem præbendo, ut nulla jam supersit excusatio.... Sed dicis quia Deus bonam voluntatem in reprobis non fecit sicut in electis. Culpandi (igitur?) reprobi non sunt, si recte non vivant, sicut electi, cum ad rectitudinem vitæ illis sit illa negata gratia sine qua recte vivere nullatenus possunt.

MAGISTRI

PETRI ABÆLARDI

TRACTATUS DE INTELLECTIBUS.

Tractatus Abælardi *de Intellectibus* exstat in Codice 2963 Bibliothecæ Abrincensis qui erat olim abbatiæ sancti Michaelis in Periculo Maris, nec monachis sancti Benedicti omnino ignotus fuisse videtur. Ii autem cum rem nimis breviter inspexissent, falso asseruerunt in isto codice contineri « Abaillardi Physicam Aristotelis[1], » quamvis hujusce commentarii vestigium nullum hic neque alibi occurrat, constetque ipsius Petri testimonio quasdam tantum Logicæ Aristotelis partes ipsi in usu fuisse.

Opus istud a nobis ante a vulgatum[2], hic inserere statuimus, ut quæcumque Abælardus scripserit studioso lectori nova hæc offerret editio, præter inedita tantum de rebus logicis opera quæ paucis abhinc annis in lucem emisimus[3].

De speculationibus itaque, hoc est intellectibus, disserturi, statuimus ad diligentius eorum documentum ipsos primum a cæteris animæ passionibus sive affectionibus disjungere, his videlicet quæ ad eorum naturam maxime videntur accedere, deinde ipsos quoque ab invicem propriis separare differentiis, pro ut necessarium doctrinæ sermonum existimamus esse. Sunt autem quinque a quibus diligenter eos disjungi convenit: sensus videlicet, imaginatio, existimatio, scientia, ratio.

Cum sensu autem intellectus tum origine tum etiam nomine conjunctus est. Origine quidem, quod quislibet quinque sensuum rem quamlibet attractando, ipsius nobis intelligentiam mox ingerit. Videndo quippe aliquid, vel audiendo, sive odorando, aut gustando, seu tangendo, ipsum quod sentimus mox intelligimus. Adeoque a sensibus ad intellectus surgere humana imbecillitas compellitur, ut vix aliquid intellectu formare possimus, nisi ad corporalium similitudinem rerum quas sensuum experimentis didicimus. Vocabulo etiam non nunquam sensus pro intellectu abutimur, cum videlicet sensum verborum dicimus pro intellectu ipsorum. Visum quoque pro intellectu tam Aristoteles

[1] *Hist. littér. de la France*, t. XII, p. 130. — [2] Vid. *Fragments de philosophie scolastique*. — [3] *OEuvres inédites d'Abélard*, in-4, 1836.

quam plerique alii frequenter ponunt, eo fortassis quod hujus modi sensus similior intellectui videatur quam cæteri. Eam quippe rem quam intelligimus sic animus ante se collocat, quo modo rem nobis antepositam aut proximam aut longinquam cernere consuevimus. Cum itaque tam origine quam nomine sensus et intellectus conjuncti sint, necessarium duxi eorum differentiam assignare, tunc etiam cum simul in anima fiunt.

Differentia sensus ad intellectum.

Differunt autem quod sensus perceptio rei corporalis est corporeo indigens instrumento, hoc est talis animæ applicatio quam in rem corporalem dirigi atque agere necesse fit, et per corporeum aliquod exerceri instrumentum, utpote per oculos, vel per aures, vel quamcumque aliam corporis animati portionem, sine qua nullatenus haberi ipse possit. Intellectus vero, hoc est ipsa animi excogitatio, nec corporei exercitio indiget instrumenti quo videlicet ad excogitandum utatur, nec etiam virtute rei existentis quæ excogitetur, cum æque scilicet et existentem et non existentem rem, sive corporalem sive incorporalem, animus sibi per intellectum conficiat, vel præteritorum scilicet reminiscendo vel futurum prævidendo, vel ea etiam non nunquam confingendo quæ nunquam esse contingit, utpote centaurum, chimeram, hircocervum, sirenes et alia multa. Et hæc quidem clara est sensus et intellectus differentia. Præterea sensus nullam vim deliberandi aliquid habet, hoc est attendendi aliquid secundum aliquam naturam aut proprietatem ipsius. Unde æque tam irrationabilibus quam rationabilibus communis est animalibus. At vero intellectus esse non potest nisi ex ratione aliquid juxta aliquam naturam aut proprietatem attendatur, etiam si sit intelligentia cassa. Quippe cum centaurum sibi animus fingit tanquam animal partim ex homine, partim ex equo compositum, itaque animalis naturam ac per hoc corporis sive substantiæ attendere eum necesse est. Et cum hominis et equi quasi partes quasdam sibi junctas consideret, et humani quoque et equini corporis non prætermittit proprietatem. Unde intellectus minime esse potest, ubicumque ratio non subest ex qua deliberetur aliquid, hoc est attendatur juxta naturam aut proprietatem aliquam. Rationem autem dicimus vim ipsam seu facilitatem discreti animi qua rerum naturas perspicere ac dijudicare veraciter sufficit.

Rationis ad rationalitatem.

Non idem vero est rationalitas quod ratio; illa quippe omnibus angelicis et humanis spiritibus inest ex qua rationales dicti sunt, hæc vero quibusdam tan-

tum, solis scilicet, ut diximus, discretis. Tantum itaque inter rationalitatem et rationem differre arbitror, quantum inter potentiam currendi et potentiam facile currendi, ex qua cursores Aristoteles appellat secundum membrorum flexibilium aptitudinem. Quicumque igitur spiritus ex natura propria discernere potest, rationalitatem habet; rationem vero ille solus qui hoc facile exercere valet, nulla ætatis imbecillitate remoratus aut inconcinnitate complexionis sui corporis, ex qua perturbationem aliquam trahat, ut insanus aut stultus fiat.

Quod idem sit animus quam ratio.

Idem autem ratio quod animus nobis videtur esse. Patet itaque ex suprapositis intellectum tam a sensu quam a ratione diversum esse, et eum necessario ex ratione descendere tanquam perpetuum rationis effectum. Unde ubicumque ratio non inest, inde intellectum abesse necesse est, qui semper, ut diximus, ex ratione aliqua aut naturam, utpote hominis vel equi, aut proprietatem deliberat, utpote colorem aliquem vel formam subjecti, vel eas scilicet in seipsis speculando, vel conjungendo ad invicem, sive distinguendo ab invicem.

Differentia imaginationis ad intellectum.

Ab imaginatione quoque clarum est intellectum disjungi, cum imaginatio quoque, sicut et sensus, nihil ex ratione deliberet, sed in his rebus quas sensimus nihil aliud imaginatio sit quam quædam sensus recordatio, cum videlicet re quam sentiebamus absente, eo adhuc modo sese animus, per quamdam quodam modo recordationem sensus affectum retinet, quo modo ante erat, cum sentiret, nihil nunc quoque per imaginationem ex ratione deliberans, sicut nec antea per sensum faciebat. Ideo autem *per imaginationem* adjunxi, quia quando simul imaginatio et intellectus eidem insunt animæ, sicut frequenter sensus et intellectus, non possumus negare quin deliberatio quædam insit, sed per intellectum, non per imaginationem. Est itaque imaginatio confusa animæ perceptio, sine sensu ejus scilicet rei quam imaginariam confusam dicimus, cum nihil ipsa ex ratione deliberet sicut nec sensus. Sæpe quippe sentimus ea quæ nequaquam intelligentes attendimus, et cum ad exteriora quæ occurrunt circumferatur sensus; animus tamen per intellectum ad alia dirigitur. Verbi gratia : cum alicujus rei studio vel meditatione occupati tenemur, ad eam intelligentiæ nostræ visus dirigitur, non ad eas quas præsentes vel videmus vel aliquo modo sentimus. Alioquin vix unquam terra vel cœlum quæ assidue

videmus intelligere cessaremus. Sed et cum de eadem re sensus et intellectus simul habentur, diversa agunt in ipsa, cum longe, ut ex suprapositis liquet, actio sentiendi et intelligendi sint diversæ, cum hæc videlicet in deliberatione sit, illa minime. Sed et diversi sensus, cum in eadem re simul agunt, veluti si simul tangat lignum et videat, a proprietatibus suis non excidunt; diversis eamdem rem percipientes modis; unde et uterque sine altero plene retinetur. Sic etiam intellectus sine sensu qui cum eo erat, omnino integer permanebit in eadem scilicet rei deliberatione quæ antea erat. Quod vero cum imaginationem describemus suppositum sine sensu, ad hoc spectat quod, cum sensus quoque confusa sit animæ perceptio, nihil videlicet ex ratione dijudicans, necesse erat ad exclusionem sensus illud supponi. Ubi enim sensus agit, imaginatio simul in ipsum agere non potest; sed, abscedente sensu, locum ejus supplet, non quidem sentiendo, sed rem absentem absque ulla discernens dijudicatione, sicut et sensus facit percipiendo, ut jam satis supermeminimus. Est itaque imaginatio de re absente tantum, cujus videlicet præsentia sensui non occurrit, sensus vero de præsente tantum. Intellectus vero æque et de absente et de præsente surgit. Et notandum quod ubicumque sensus esse potest, et imaginatio. Nam et bruta animalia, rebus quas senserant abscedentibus, imaginationem earum, teste Boetio, retinent, ipsis adhuc rebus quas senserant per quamdam recordationem adhærentia ex imaginatione, sicut antea fecerant ex sensu; et, pro ut valent, quædam longius, quædam brevius hanc imaginationem deferunt, quam sensus in eis reliquit impressam. Notandum quoque quod cum quidam omnes imaginationes quasdam sensuum, ut diximus, recordationes esse velint, hoc est eas ex rebus sentitis solum modo haberi, Aristoteles tamen, teste Boetio super *Periermenias*[1], intellectus nostros absque imaginationibus minime haberi prohibet. Unde cum plerosque de incorporeis rebus habeamus intellectus, sunt de his quoque corporeis quæ nullo unquam sensu attractavimus. Oportet, juxta Aristotelem, imaginationem dici quam nos supra descripsimus, omnem videlicet confusam animæ perceptionem sine sensu, sive illa quidem perceptio ex sensu surrexerit, sive minime. Quod vero Aristoteles dicit intellectus nostros minime absque imaginationibus haberi, ita accipiendum est, arbitror, quod, dum in aliqua re per intellectum aliquam ejus naturam aut proprietatem deliberare nitimur, eamque solam attendere curamus, ipsa sensus consuetudo a quo omnis humana notitia surgit, quædam per imaginationem ingerit animo, quæ nullo modo attendimus. Verbi gratia, dum in homine hoc solum quod ad humanitatis naturam attinet intelligere nitimur, utpote animal rationale

[1] Boeth. in libr. *de Interpret.*, p. 298.

mortale, circumscriptis scilicet omnibus aliis quæ ad substantiam humanitatis non attinent, profecto multa se per imaginationem nolenti animo objiciunt, quæ omnino ab intentione abjecimus, utpote color aliquis sive longitudo aut membrorum quæcumque dispositio et pleræque accidentales formæ corporum, quas frequenter sensibus experti sumus; adeo quidem ut, quod mirabile est, dum aliquid tanquam incorporeum[1] per intellectum attendo, sensuum usu tanquam corporeum imaginari cogor, vel dum aliquid tanquam non coloratum intelligo, necessitate consuetudinis sensus tanquam coloratum imaginor. Sensus quippe in nobis primum excitantur et frequentes sunt; deinde ad imaginationem, tandem ad intellectum humanus surgit animus. Quod vero primum didicimus firmius retinemus; hoc modo est illud Horatianum :

> Quo semel est imbuta recens servabit odorem
> Testa diu[2].

Adeo autem, ut supra meminimus, sensus consuetudo adnectitur nobis, ut vix aut nunquam aliquid intelligere valeamus, quod non tanquam corporeum et corporeis proprietatibus subjectum imaginemur. Ideo autem dictum est «vix,» quia fortassis, juxta Boethium[3], intelligentia quam paucorum admodum hominum et solius Dei esse dicit, omnem et sensum et imaginationem ita transcendit, ut sine utroque habeatur, ut videlicet nihil animo occurrat nisi id solum quod intelligitur, atque attenditur. Est itaque intelligentia hujusmodi intellectus quem nulla confusa perceptio animæ comitatur, sive per imaginationem sive per sensum. Deo autem clarum est nec sensum nec imaginationem inesse posse, cum sit utrumque confusa animæ perceptio, sed perpetuo eum cuncta intellectu continere, cum, si diligentius consideremus, idem est intelligere quod scire. Quod vero Boethius dicit intelligentiam paucissimorum hominum esse, nequaquam juxta Aristotelem in hac vita contingere credimus; nisi forte per excessum contemplationis revelatio divina alicui fiat; magisque hunc excessum mentis ab Aristotele[4] scientiam quam intellectum appellari credimus, nec eum humani animi dicendum sed divini, cum jam a Deo assumpta anima ipsum quodam modo induit, et deficiente et quodam modo in nobis moriente homine, suscitatur Deus. Opponit fortassis aliquis adversus Aristotelem, quod cum sensus et intellectus simul sunt, habetur intellectus sine imaginatione. Ad quod respondemus non ita esse. Cum enim lignum quod video intelligo, duritiam tamen ejus vel aliud quod visus non percipit imaginor, et ita absque imaginationibus nostros intellectus non esse bene dicit Aristoteles.

[1] Cod. *corporeum*. — [2] Epist. I, II, v. 69. — [3] Boeth. In libr. *de Interpret.*, p. 296. — [4] Cod. *Aristotile*.

Differentia existimationis ad intellectum.

Visa autem nunc differentia intellectuum ad sensum et imaginationem seu etiam rationem, restat eam ad existimationem et scientiam assignare. Inde autem maxime existimatio idem quod intellectus videtur esse, quod non nunquam intelligere per existimare dicimus, et opinionis nomen, quod idem est quod existimatio, ad intellectum quandoque transfertur. Sed differunt quod existimare credere est, et existimatio idem quod credulitas sive fides; intelligere autem speculari est per rationem, sive ita credamus esse sive minime. Unde cum audio dici « homo lignum est, » non minus hujus propositionis intellectum concipio, si tamen conceptui fidem non adhibeam, hoc est non ita ut concipio esse credam. Omnis itaque qui aliquid existimat, id quod existimat necessario intelligit; non autem e converso. Nec ulla est existimatio, nisi de eo quod propositio dicere habet, hoc est de aliqua rerum vel conjunctione vel divisione. Unde nunquam eam sine propositionis intellectu haberi constat.

Scientiæ ad existimationem sive intellectum.

Scientia autem neque intellectus est neque existimatio, sed est ipsa animi certitudo quæ non minus absente vel existimatione vel intellectu permanet. Alioquin dormientes scientiam amitterent, cum Aristoteles scientias et virtutes ex diuturnitate sui inter habitus potius quam inter dispositiones collocavit. Hoc de differentia intellectuum ad supraposita universaliter dici sufficiat.

De differentia intellectuum.

Nunc autem juxta promissionis nostræ propositum, ipsos ab invicem intellectus superest diligenter distinguere, ut secundum eos clara fiat sermonum discretio. Distinguendum est igitur qui sint intellectus, qui compositi et qui uni quive multiplices, qui etiam sani, qui cassi, et qui veri vel falsi dicendi sint, quidque inter componentem et compositorum referat intellectum, vel dividentem et divisorum, seu dividentem et abstrahentem.

Qui intellectus simplices, qui compositi.

Simplices quidem dicimus intellectus, sicut et simplices quasdam actiones aut tempora quæ scilicet nullis succedentibus sibi partibus conjunguntur, compositos vero contra. Sicut enim sermonum qui intellectus excitant, ita est et

intellectuum natura, ut videlicet sicut sermonum alii simplices sunt, singulæ scilicet dictiones, alii compositi, velut orationes quas ex diversis necesse est confici dictionibus propriam in ipsis significationem tenentibus, ita et intellectus ex sermonibus habiti, vel juxta ipsorum instructionem habendi, modo simplices sunt, qui videlicet ex simplicibus habendi sunt sermonibus, modo compositi, qui ex compositis. Sicut enim qui loquitur et dicit : « homo ambulat, » per plures progreditur significativas dictiones, ita qui audit ex singulis dictionibus proprios colligendo intellectus procedit; primum quidem hominem intelligendo, cum videlicet audit « homo, » quod ad significandum hominem institutum est, postea ambulationem, cum audit « ambulat, » eam insuper homini copulando. Attende autem quod diximus intellectum simplicem non qui omnino partibus caret, sed qui per successionem nullas habet. Sæpe enim per dictionem unam plura intelligimus simul, veluti cum audimus « duo, » vel « tria, » vel etiam hoc nomen « plura, » vel « populum, » vel « gregem, » vel « acervum, » vel « domum, » et quodlibet nomen multarum comprehensivum rerum, sive partium in quantitate convenientium, sive materiæ simul et formæ. Nam hominis nomen et materiam ipsam animalis et rationalitatem et [1] mortalitatem simul determinat; sed simul omnia, non per successionem in ipso nomine intelliguntur. Et plures fortasse sunt simul actiones in uno simplicis sermonis intellectu, secundum hoc quod plura concipit animus, ut videlicet ex una quaque re quam deliberat unam habeat actionem. Sed tamen non minus simplex est intellectus dicendus, si nullis per successionem partibus tamen dicitur. Possunt itaque eædem res et per simplicem simul intellectum concipi et per compositum succedentem. Nam et tres lapides ante me positos uno intuitu modo simul video, modo per successionem pluribus obtutibus unum post alium video. Sicut ergo sensu, ita et intellectu agitur, ut videlicet modo aliquid simul animus per intellectum simplicem speculetur, modo per successionem diversis intellectibus diversa. Et hoc est, ut arbitror, differentia intellectuum dictionis et orationis easdem prorsus res significantis, quod videlicet per dictionem quæ nullis scilicet significativis partibus constat, omnia simul intelligimus, per orationem vero eadem per successionem colligimus. Verbi gratia : cum sit eadem ad conceptionem rerum sententia hujus nominis « animal, » et ejus diffinitionis quæ est : « corpus animatum sensibile, » modus tamen intelligendi in eo, ut diximus, differt, quod per nomen simul illa tria, per diffinitionem succedenter ea intelligimus; sicut dictiones ipsas succedenter audimus priusquam naturam corporis attendentes, cum audimus corpus

[1] *Et* supplevimus.

deinde proprietatem animati et postmodum sensibile. Est itaque intellectus nominis et diffinitionis ejus proprie quodam modo idem, et quodam modo diversus : idem quidem secundum effectum intellectarum rerum, quia videlicet in utraque voce easdem res intelligimus; diversus autem quia ibi omnia simul hic succedunt, formas scilicet super addendo materiæ jam antea intellectæ; et cum in utroque intellectu animalis natura integre concipiatur, tam secundum materiam scilicet ejus quam secundum formas in quibus tota animalis constitutio consistit, intellectus nominis conjunctorum seu compositorum dici potest, non tamen aut conjungens aut componens, et e contrario intellectus orationis. Quippe qui hoc nomen « animal » audit, simul hæc tria corpus et animationem et sensibilitatem ut in substantia animalis conjuncta attendit. Et ideo hic intellectus qui de rebus ut jam conjunctis habetur, conjunctorum est. Ille autem conjungens est intellectus qui, per successionem progrediendo, quibusdam rebus prius intellectis alias postmodum intellectas aggregat; veluti cum animationem et sensibilitatem materiæ primitus intellectæ tanquam formas per intellectum adjungimus, hoc est ut informantes eam quam primo pure conceperamus, postmodum attendimus.

In quo differat intellectus disjunctorum a disjungente.

Sicut autem alius est intellectus conjunctorum quam conjungens, hic quippe dictionis est, ille orationis, ita intellectus divisorum et dividens. Sicut enim « animal » intellectum conjunctarum rerum facit, ita « non animal, » quod est infinitum nomen et sonat res quæ non est animal, divisorum facit; et sicut animalis diffinitio conjungentem facit intellectum, ita descriptio non animalis dividentem, quæ est res quæ non est animal. Prius quippe in hac oratione : « Res quæ non est animal, » rem simpliciter attendo per promissionem nominis hujus quod est « res, » postmodum per hoc quod subditur « quæ non est animal, » animalis naturam a re quadam separo, ut jam quamdam rem tanquam non sit animal concipiam. Sunt itaque intellectus conjunctarum vel divisarum rerum, dictionum tantum; conjungentes vero vel dividentes intellectus, orationum tantum sunt. Illi quippe simplices sunt, isti compositi.

Sunt plerique fortassis qui intellectus simplices nullas omnino partes habere concedant, neque scilicet per successionem neque simul. Qui enim, inquiunt, plura simul intelligit, una simplici actione omnia simul attendit. Sed in hoc quidem refellendo non nobis persistendum censemus, in quo aut comprobando aut reprobando, mihi nunc occurrit ratio. Hæc de simplici et composito intellectu sive de intellectu conjunctorum et conjungente vel divisorum et dividente ad præsens dicta sufficiant. Nunc de uno et multiplici consideremus intellectu,

Qui uni, qui multiplices intellectus.

Unos autem dicimus intellectus quicumque simplices sunt, vel si sunt compositi, in una conjunctione vel divisione seu disjunctione consistunt. Multiplicem autem intellectum e contrario accipimus, hoc est quicumque horum nullum habet. Una autem est conjunctio vel divisio sive disjunctio intellectus per quam animus continue ex uno mentis impulsu progreditur, et una dirigitur intentione, per quam ei quod primum intellectum est aliquid conjungendo vel disjungendo, vel inter ipsum et aliud disjungendo, cursum quodam modo inceptum sine interruptione consummat. Tunc autem unam hujusmodi conjunctionem animus habet, cum sic aliqua per successionem attendit, ut ea sic invicem aptet, ut per ea discurrendo unam conficiat essentiam, et insuper quotienscumque ad vim unius affirmationis quocumque modo aliqua invicem colligat sive per prædicationem sive per conditionis vel temporis conjunctionem, vel quolibet alio modo, dum hoc videlicet, ut supra generaliter commemoravimus, uno mentis impulsu continue fiat. Sed hæc quæ tetigimus paucis declaremus exemplis : cum dico, « animal rationale, » si continue ea profero, auditor ita animal et rationalitatem concipit, ut unam rem ex animali et rationalitate constituat quod est animal rationale. Nec minus cum dico « animal non rationale, » sic et animal et non rationale demonstro, ut tantum ad unam substantiam ea copulem, idem videlicet tam animal quam non rationale esse insinuans. Fit itaque hoc loco, cum dicitur rationale, quædam et conjunctio et divisio, conjunctio scilicet « non rationale » ad « animal, » et divisio hoc est remotio rationalis. Nec refert ad conceptionis modum vel unitatem sive in re ita sit ut concipitur sive non, sed ad conceptus solummodo veritatem. Æque enim unus est intellectus « lapis rationalis » et « chimera alba » quomodo « animal rationale » vel « homo albus. » Unde et hujusmodi orationes æque unas reddunt propositiones, quomodo et illæ transitivæ quoque conjunctionis, intellectus enim[1] unitatem essentiæ non respicit, cum videlicet dicitur « domus Socratis, » vel « similis Socrati, » vel « accusans Socratem, » vel « utens Socrate. » Licet enim suppositio obliqui casus ad eamdem personam non fiat cum præcedenti dictione, ut videlicet eadem res subjecta utrique dictioni insinuetur, sequens tamen dictio ex positione constructionis proprietatem quamdam determinat in re præcedentis dictionis; ex qua quidem proprietate cum illa re convenienti una quædam res compacta concipitur. Cum enim dicitur domus Socratis, ipse genitivus, præter propriam nominationem de Socrate possessionem quamdam determinat

[1] *Enim* supplevimus.

circa rem præcedentis dictionis, dum eam tanquam a Socrate possessam insinuat, et tale est « domus Socratis » ac si diceretur : « domus Socratica. » Similiter cæteri obliqui transitive aliquibus vocibus copulati, quasdam terminant proprietates circa res præcedentium dictionum, secundum aliquem modum se habendi ad res suas. Atque ita ex rebus præcedentium dictionum et proprietatibus per obliquos circa eas determinatis, quædam unæ res compactæ intelliguntur. Sæpe autem contingit in uno intellectu plures fieri conjunctiones aut divisiones sive disjunctiones; nec tamen ideo unitas tollitur intellectus, quia in toto intellectu unius conjunctionis summa est. Verbi gratia, si dicam : « homo ambulans qui currit, » vel « homo ambulat qui currit, » duæ sunt conjunctiones, una quidem cursus ad hominem in eo quod dicitur homo qui currit, altera ad hominem currentem cum adjungitur ambulat. Hæc est enim recta constructionis series : « homo qui currit ambulans, homo qui currit ambulat, » et fit in summa totius orationis una copulatio ambulationis scilicet ad hominem talem id est currentem. Sed et si dicam « homo qui currit est homo qui ambulat, » tam in prædicati oratione quam in subjecti una per se fit conjunctio. Sed quia ad hoc fuerit ut de ipsis rursus in summa totius propositionis una fiat conjunctio, hominis scilicet qui ambulat ad hominem qui currit, unum reddunt intellectum. Cum itaque plures conjunctiones in uno intellectu ita conveniunt ut uni subserviant omnes, et propter hoc istæ habentur ut una ex eis constituatur, unum necesse est intellectum esse ad quem habendum uno mentis impulsu continue animus tenditur. Multiplicem vero intellectum dicimus multos intellectus ab invicem dissolutos, ut si dicam « homo lignum » vel « rationale mortale, » vel « animal » et postmodum, paululum quiescens, addam : « rationale, » divisos intellectus nec ad unam rem concipiendam convenientes binis dictionibus demonstro, ex una quaque scilicet dictione re sua concepta, scilicet nequaquam rei alterius alteram rem copulando ut unum quoddam intellectus conficiat. In singulis quippe conceptionibus in se iterum animus redit, quasi in singulis motum intelligentiæ suæ inchoet; nec ideo continue ab uno ad alterum decurrit, ac per hoc unitas intelligentiæ tollitur et continuatio interciditur. Hæc de unitate ac multiplicitate intellectuum satis sit in præsentiarum dixisse.

Qui sani intellectus, qui cassi.

Nunc ordo est, juxta propositi nostri prætitulationem distinguere qui sani vel cassi intellectus, qui etiam veri vel falsi dicendi sint. Sanos quidem dicimus intellectus per quoscumque ita ut sese res habet attendimus, sive illi quidem sint simplices sive compositi. Cassi vero e contrario dicuntur, tam simplices quam compositi, quos frequentius opiniones quam intellectus vocare consue-

vimus. Unde Aristoteles[1] : « Opinio, inquit, ejus non est quoniam est, sed quoniam non est, » et Boethius, in editione super *Perihermenias*[2], eum qui falsum intelligit perhibet magis dicendum esse decipi quam intelligere. Aristoteles tamen tam veras quam falsas conceptiones intellectus appellat, ubi videlicet in eisdem *Perihermenias* dicit[3] : « Est autem quemadmodum in anima aliquotiens intellectus sine vero vel falso, aliquotiens cum jam necesse est horum alterum inesse, etc. » Et rursus : « Circa compositionem enim, inquit, et divisionem est veritas vel falsitas. » Sanos autem intellectus Aristoteles in eodem rerum similitudines appellat, hoc est ita concipientes ut rei status sese habet, veluti cum hominem intelligo vel etiam hominem esse risibilem vel non esse risibilem. Singuli intellectus, quia cum statu rerum concordant, sani sunt. Cassi vero quidem e contrario sunt, ut si videlicet intelligam chimæram quæ omnino non est, vel chimæram esse aliquid, cum omnino nihil sit. Quia enim hic intellectus chimeræ in rerum eventu rem subjectam non habet, quæ videlicet res secundum hujusmodi intellectum sane deliberari valeat, ut scilicet eam rem veraciter attendi chimæram liceat, cassus est omnino intellectus. Sic etiam intellectum hujus nominis quod est « homo » cassum esse contingeret, si haberetur de homine ex toto non existente. Veros autem vel falsos intellectus dicimus eos solummodo qui compositi sunt, tam componentes, sicut eos qui sunt affirmationis, quam dividentes, sicut eos qui sunt negationis, juxta illud quidem Aristotelis quod supra meminimus : « Est autem quemadmodum in anima, etc. » Et rursus : « Circa compositionem enim, etc. » Nota quod cum dicimus secundum simplicem intellectum aliquam rem vel vere vel falso deliberari, ut si aliquam rem hominem vel chimæram esse attendam, non ita esse accipiendum ut per simplicem intellectum id faciamus, ita scilicet ut ipse simplex intellectus aliquid esse aliquid concipiat, hoc est ad hoc intelligendum sufficiat ; quod nequaquam est, nisi componentis intellectus qui per affirmationem exprimendus est, non per simplicem dictionem. Est itaque aliud secundum intellectum aliquem deliberari aliquid, aliud per intellectum deliberari aliquid, hoc est ipsum sufficere ad attendendam quamcumque eorum conjunctionem vel divisionem, ut ex hoc deliberatio ipse dicendus sit. Ille quippe intellectus secundum quem deliberatur aliquid, pars est deliberantis intellectus, in qua vis totius deliberationis consistit, ut sunt intellectus prædicatorum terminorum, veluti cum hominem esse animal et margaritam esse lapidem sive albam proponimus. Subjectus quippe terminus tantum ad accipiendam rem quam deliberare volumus ponitur, prædicatus vero ad denotandum statum secundum quem eam deliberari volumus, hoc est

[1] Aristot. *de Interpret.*, p. 47. — [2] Boeth. in libr. *de Interpret.*, p. 305. — [3] Aristot. *de Interpret.*, p. 15.

attendi eam secundum illius status proprietatem quem ei copulamus. Unde bene secundum intelligentiæ quoque non tantum constructionis ordinem subjectum dicimus terminum per quem intellectu primo res substituitur quam deinde in copulatione vel remotione alicujus deliberemus. Quæ quidem copulatio vel remotio, conjunctio vel disjunctio prædicato perficitur, in qua scilicet conjunctione vel remotione prædicati de re subjecta id quod de ipsa demonstrare intendimus dicimus. Unde cum dicimus : « Socrates currit » vel « Socrates non currit, » si quis de quo loquamur quærat, respondemus : « de Socrate ; » et si quid de ipso dicamus interroget, respondemus « currere ipsum » vel « non currere, » quod scilicet ad copulationem vel ad remotionem prædicati pertinet. Unde et bene Aristoteles pro « prædicari dici » utitur, ut videlicet prædicatum de subjecto dici astruat, non subjectum de prædicato, et sit prædicatum quod dicitur, et subjectum de quo dicitur. Illud quippe dicitur sive significatur de aliquo per quod appositum de ipso aliquid monstratur. Unde et significari prædicatum dicit, cum ait in secundo *Perihermenias*[1] « significans » aliquid de aliquo, hoc est prædicando essentiam, et in eodem ipsas prædicatorum conjunctiones vel remotiones vocat appositiones. Sicut autem in eo quod dicitur vis enuntiationis consistit, in quo ipsa consummatur atque perficitur, ita in intellectu termini qui dicitur, hoc est prædicatur, vis deliberantis intelligentiæ constituitur. Omnis itaque intellectus, sive simplex ut « homo, » sive compositus ut « homo albus, » secundum quem res aliqua vere deliberari potest, sanus est, etiam si quadam significari voce possit quæ de nullo vere enuntiari queat, ut sunt dividua nomina, sicuti « quisque, omnis, uterque. » Tantumdem quippe valet in intellectu « quisque » vel « omnis » simpliciter dicta, quantum si dicatur « multitudo omnium rerum, » et « uterque » quantum « isti duo » vel « illi duo. » Cum itaque multitudinem omnium rerum attendimus esse multitudinem omnium rerum, fit deliberatio secundum intellectum horum nominum « quisque » vel « omnis ; » et cum attendimus istos duos esse istos duos, secundum intellectum hujus nominis relativi quod est « uterque. » Licet enim hæc nomina quæ dividua sunt, in constructione cum illis vocibus quæ dividuæ non sunt, sed magis collectivæ, eosdem habeant intellectus, non tamen idem in enuntiatione valent, cum hæc nomina de aliquo prædicata divisim, hoc est sigillatim, omnes res quas continent copulent, unde dividua dicuntur, illa vero conjunctim, id est omnia simul, non singula per se. Similiter et subjecta eamdem vim in subjectione custodiunt quam habent in prædicatione, ut videlicet per ista quæ dividua sunt, singulæ res prædicato supponantur, per illa vero omnes simul;

[1] Aristot. *de Interpret.*, p. 39.

licet hæc sit prædicationis divisorum et subjectionis differentia quod per positionem copulata falsam semper enuntiationem reddit, veluti si dicam : « uterque est uterque, » vel « omne est omne, » hoc est : « unaquæque res est unaquæque. » Vere autem subjici non recusant, veluti cum dicimus « uterque est homo, vel unumquodque est aliquid, » eædem etiam fortasse in intelligentia voces sunt, si dicatur « homo et equus » et dicatur « homo vel equus. » Nihil quippe ad intelligentiam referre videtur[1], sed ad constructionem. Nam æque hic et ibi hominem et equum duo hæc mente concipio; sed in constructione voces istæ aliis sociatæ longe diversum efficiunt sensum. Non est itaque necesse ut eædem sint penitus voces in significatione, idem penitus in contextu constructionis valeant; de quo plenius in constructionibus prosequimur.

Differt autem ab invicem dividens et disjungens et abstrahens intellectus, quod dividens intellectus negationis est, et aliquid ab aliquo removet; veluti si intelligam hominem non esse equum, vel sanum non esse ægrum, vel stantem non sedere; disjungens vero affirmationis, nec remotionem aliquam alicujus ab aliquo facit, sed ex pluribus quæ mente concipit unum tantum constituit; ut si aliquid esse hominem vel equum intelligam, vel esse sanum aut ægrum, vel aut stare aut sedere ac similiter, quicumque sunt hypotheticarum disjunctarum intellectus disjungentes dicuntur; quod quidem vis ipsa disjunctivarum conjunctionum facit. Illud quoque inquiri ac definiri necessarium judico, utrum omnis intellectus aliter quam res sese habeat attendens, cassus ac vanus dicendus sit; et rursum utrum omnis qui rem aliquam ut se ipsa habet concipit, sanus sit judicandus. Si enim sic esse ponamus, quod equidem ponendum videtur, nonnulla fortassis incurremus inconvenientia. Omnis quippe per abstractionem habitus intellectus rem aliquo modo aliter quam se habet concipit, et si alio modo eam ut se habet attendit, et vix aliquis intellectus de re sensui non subjacente habetur, qui eam in aliquo aliter quam subsistat non concipiat. Per abstractionem autem illos dicimus intellectus, qui vel naturam alicujus formæ, absque respectu subjectæ materiæ in se ipsa speculantur, vel naturam quamlibet indifferenter absque suorum scilicet individuorum discretione meditantur. Verbi gratia, cum colorem corporis vel scientiam animæ in proprio esse suo attendo, in eo scilicet quod color est vel scientia seu qualitas, in quocumque alio esse suo substantiarum subjectarum respectu proposito, in rationis (?) formas a subjectis substantiis quodam modo abstraho, eas videlicet solas in propriis naturis per se speculando, non cum ipsis subjecta earum attendendo. Sed cum naturam humanam quæ singulis inest hominibus, ita indiffe-

[1] Cod. *videntur*.

renter considero, ut nullius hominis personalem discretionem attendam, hoc est simpliciter hominem excogito, in eo scilicet tantum quod homo est, id est animal rationale mortale; non etiam in eo quod est hic homo vel ille, universale a subjectis abstraho individuis. Sit itaque abstractio superiorum ab inferioribus, sive scilicet universalium ab individuis per prædicationem subjectis, sive formarum a materiis per fundationem subjectis. Subtractio vero e contrario dici potest, si videlicet subjecta suppositis substracta per intelligentiam tollat, ac per se hoc quoque sine illis conspiciat; veluti cum aliquis subjectæ naturam essentiæ absque omni forma nititur speculari. Uterque autem intellectus, tam abstrahens scilicet quam subtrahens, aliter quam res se habet concipere videtur, cum videlicet non utrasque res conjunctas divisim intelligo, quæ divisim non subsistunt, modo videlicet solam materiam per se, modo solam attendendo formam. Præterea nemo cum aliquam rem attendit, eam excogitare sufficit secundum omnes naturas ejus aut proprietates, sed secundum aliquas tantum. Cum itaque rem quamlibet secundum aliquas tantum naturas ejus vel proprietates attendimus, ipsa autem res non secundum eas tantum quas consideramus sese habet, profecto aliter quam ipsa sit eam consideramus. Verbi gratia, hoc corpus et corpus est, et homo, et calens, et candidum, et innumeris aliis naturis vel proprietatibus subjectum; et aliquando tamen ipsum in eo tantum quod corpus est attendo, non in eo quod homo est, vel quod calet, vel quod albescit, et sic in singulis rebus quas intellectus noster percipit, aliqua tantum quæ illis rebus insunt, non omnia attendit. Præterea cum quislibet corpus eam naturam simpliciter ac pure concipit, in eo scilicet tantum attendens quod est corporea, id est corpus, aut quamlibet naturam ut universalem capit, hoc est indifferenter absque ulla scilicet personali discretione eam attendit, profecto aliter eam intelligit quam subsistat. Nusquam enim ita pure subsistit sicut pure concipitur; sed, ubicumque sit, innumeras, ut dictum est, aut naturas, aut proprietates habet, quæ minime attenduntur. Et nulla est natura quæ indifferenter subsistat; sed quælibet res, ubicumque est, personaliter discreta est, atque una numero reperitur. Corporea quippe substantia in hoc corpore, quid est aliud quam hoc corpus, vel humana natura in hoc homine, hoc est in Socrate, quid aliud est quam ipse? Nihil utique aliud, sed idem penitus essentialiter. Quis etiam res absentes vel insensibiles atque incorporeas quas nullo attractat sensu, ut qualiter sese habeant cognoscere queat, longe aliter quam sint non excogitet? Quis enim cum aliquam conspexerit præsentem quam prius absentem cogitaverat, non reperiat eam in multis contrario modo sese habuisse quam eam quam excogitaverat? Quis etiam res incorporeas ad modum corporearum non concipiat; veluti cum Deum aut animum cogitat, non eam juxta

formam habitumque aliquem corporis attendat, quem tamen minime ipsam habere constat? Quis non ipsos spiritus tanquam localiter circumscriptos ac membris compositos atque coloratos attendat, aliisque innumerabilibus modis quibus sola corpora sese habent ipsos excogitet? Quippe ut longe supra meminimus, tota humana notitia a sensibus surgit. Ac per hoc insensibilium rerum status ad modum sensibilium excogitare ipsa nos sensuum experimenta compellunt si itaque, quotiens animus rem quamlibet aliter intelligit quam subsistit, vanus dicendus sit intellectus, quis intellectus humanus juxta rationes expositas vanus dicendus non est?

Nunc autem aliam propositi nostri persequamur partem, utrum videlicet omnis intellectus sanus sit dicendus, qui ita ut sese res habet eam intelligit. Quod cum facile ab omnibus recipiatur, habet tamen et hoc nonnullam impugnationem. Quippe qui hunc hominem asinum esse intelligit, quod omnino falsum est, non quidem in eo ipso quod hoc intelligit, intelligit et ipsum esse animal et quoddam animal esse asinum, quæ utraque vera sunt. Si enim juxta aristotelicam sententiam secundi libri *Perihermenias*, eum qui opinatur, hoc est intelligit, bonum esse bonum, necesse id ipsum opinari non esse malum, multo itaque probabilius qui intelligit hunc hominem esse asinum, hoc est esse animal, tale concedendus est intelligere esse animal, cum in asino necesse sit animal substantiam intelligi, sicut etiam vis ipsa nominis specialis quod est « asinus » profitetur, in quo generale ipsum quod est animal necesse est per intelligentiam contineri. At non ita in uno contrario necesse est alterius contrarii intelligentiam concipi. Ac per hoc profecto, qui intelligit hunc hominem esse asinum, verum intelligere convincitur. Unde et hunc falsum intellectum, qui ut sese res habet concipit, verum concedi convenit. At rursus quis non abhorreat veritatem et falsitatem, contrarias formas intellectuum, eidem simul inesse intellectui, vel ab eadem anima, quæ indivisibilis est, simul sustentari?

Nunc itaque suprapositas solvamus quæstiones, atque impugnationes ipsas quæ veritatem perturbare videntur impugnemus. Quod igitur primo quæsitum est, utrum omnis intellectus aliter quam res sese habet attendens eam, vanus sit, duobus modis intelligi potest. Nam et cum dico : « Intelligo istam rem aliter quam sit, » duo sunt sensus : unus quidem hujusmodi, si ita dicam quod alius modus sit in intelligendo rem, alius in subsistendo, hoc est alius modus sit in intelligentia ejus, alius in subsistentia ipsius; veluti si divisim attendam esse, cum ipsa tamen divisim non subsistat, hoc est sine aliquo sine quo ipsa non permanet, vel si pure, vel si quis alius modus sit intelligentiæ meæ quam existentiæ rei; et hic est unus sensus cum dicitur : «Intelligo istam rem aliter quam sit, vel quam sese habeat.» Alius vero sensus, si ita dicam :

« Intelligo hanc rem aliter quam sit, » hoc est in statu alio eam attendo quam ipsa in se habeat, vel quocumque modo sese aliter habentem quam sese habeat. Et in primo quidem sensu hoc adverbium « aliter » ad hoc verbum « intelligo » tanquam modus ipsius copulatur. In secundo vero sensu ad participium vel infinitivum verbi sequentis, quod ex ipso verbo suo subaudiendum innuitur, ac si ita dicatur : « Intelligo rem aliter entem » vel « aliter esse quam ipsa sit, » vel « aliter se habentem, » vel « se habere quam se habeat. » Sic utique quæstio supraposita potest intelligi, cum videlicet quærebatur utrum omnis intellectus aliter quam res sese habeat attendens eam, vanus sit, et secundum diversos sensus diversæ dandæ sunt responsiones. Si enim ita quæratur utrum omnis intellectus qui alium modum attendendi habet quam res subsistendi, vanus sit, non est concedendum. Multi namque et innumerabiles modi sunt intelligentiæ cujuslibet rei, qui non sunt existentiæ ipsius, sicut ex suprapositis liquet. Si vero ita dicatur utrum omnis intellectus attendens rem aliter se habentem quam ipsa se habeat, vanus sit, concedendum est. Eisdem modis determinandum est et respondendum, cum quæritur utrum omnis qui dicit aliter rem se habere quam se habeat, dicat falsum. Si enim ad hoc verbum quod est « dicit » copulemus hoc adverbium « aliter, » et non ad hoc verbum quod est « habere, » non est concedendum ut quicumque dicit aliter rem aliquam se habere quam ipsa se habeat, dicat falsum. Cum enim aliquis loquens celeriter de eo qui lente currit, dicit eum currere, utique aliter dicit hoc illum facere quam ipse hoc faciat, quia hoc celeriter dicit quod ille celeriter non facit, dum videlicet iste hoc dicendo celeriter verba proferat, cum ille celeriter cursum non agat.

Nunc ad alterius quæstionis terminationem transeamus; utrum videlicet omnis intellectus sanus sit dicendus, qui ita ut sese res habeat eam intelligit. At fortasse nisi apponamus « tantum, » non videtur annuendum, propter supraposita scilicet objecta. Si autem ita dicamus : quod omnis intellectus qui rem quamlibet eo modo tantum attendit quo ipsa se habet, sanus est dicendus, ab omnibus statim recipitur; ut si Socratem intelligam esse animal vel non esse asinum, et in hoc solo quiescat intellectus meus; vel si intelligam tantum quoddam animal esse asinum, hoc est quod quoddam animal sit asinus. Si autem intelligam Socratem esse animal irrationale, non intelligo tantum illo modo eum se habere quo se habet, quia, per hoc quod irrationale super aggrego, modum quo se Socrates habet supergradior et excedo. Quisquis itaque aliquam rem intelligit tantum eo modo quo se habet, sanum in hoc intellectum habet; sed non fortassis in eo necesse est simpliciter concedendum esse, ut videlicet omnis intelligens aliquam rem eo modo quo se habet sanum habeat intellectum, nisi forte addamus in eo quod illud intelligit. Nam fortasse, cum intelligo Socratem

esse animal irrationale, in eo quod ipsum attendo esse animal, quod verum est, habeo intellectum qui est pars compositi intellectus falsi, sed non in eo quod hoc totum attendo esse animal irrationale. Quod si quis objiciat quod eadem ratione concedendum sit : idem is qui intelligit Socratem esse asinum, hoc est animal irrationale tale, verum vel sanum in hoc habet intellectum, pro eo scilicet quod intelligat eum esse animal, non est audiendus, cum enim hoc nomen « asinus, » quia simplex est sermo, simplicem habeat intellectum, et non ex partibus conjunctum, non possimus in prædicatione ejus intellectus diversarum enuntiationum distinguere, ut aliquem eorum sanum valeamus dicere. Totam quippe substantiam ac naturam asini simul in hoc nomine quod est asinus significamus atque copulamus, et non per partes. De eo autem quod dictum est objici solet, quod omnis qui intelligit Socratem esse asinum, intelligit quoddam animal esse asinum, et omnis qui intelligit quoddam animal esse asinum, intelligit verum, et ita omnis qui intelligit Socratem esse asinum intelligit verum; facile responsum damus, quod videlicet si medius terminus in eodem sensu sumatur, firma sit omnino complexio. Sed tunc pro diversa acceptione ejus, modo altera et modo altera de præmissis propositionibus probanda erit. Est autem medius terminus : « Intelligit quoddam animal esse asinum, » quod duobus modis accipi posse videtur; uno quidem modo si ita dicamus : « Intelligit de quodam animali quod sit asinus, » et ita vera est prima propositio et falsa assumptio; alio modo si ita dicamus : intelligit hoc quod quoddam animal est asinus, ac si dicatur habet intellectum particularis affirmativæ : « Quoddam animal est asinus. » Et tunc quidem falsa est prima propositio et vera assumptio. Possumus fortasse et illud non irrationabiliter dicere, quod nemo intelligens Socratem esse animal irrationale, intelligit in hoc eum esse animal, licet in intellectu hoc toto ille tanquam pars inclusus videatur. Eo quippe modo dicimus « intelligere » quo dicimus « proponere. » Tota autem hæc propositio : « Socrates est animal irrationale » non proponit Socratem esse animal, sed pars ejus; sicut nec ista consequentia : « Si Socrates est margarita, Socrates est lapis » proponit Socratem esse margaritam vel Socratem esse lapidem; alioquin falsum proponeret hæc consequentia, et illa propositio verum. Et ita qui hoc dicit, falsum diceret, et qui illud verum. Sic neque is qui intelligit Socratem esse animal irrationale, in hoc toto attendit esse animal, cum in hoc solo visus animi sui non perficiatur; neque quod intelligit quod si Socrates est margarita Socrates est lapis, per hoc intelligit aut Socratem esse margaritam aut Socratem esse lapidem. Neque hoc enim propositionum conceptu animi recte quis intelligere dicitur, sed pro illo tantum conceptu in quo visus ipse animi atque ejus explicatio consummatur atque perficitur. Unde non est necesse ut si alicujus intel-

lectus conceptum habeam, quoquo modo ideo illud intelligere dicar; et licet intelligere simpliciter sumptum sit ab intellectu, non tamen ideo intelligere hoc sumptum est ab intellectu hujus rei, cum videlicet, ut supra notavimus, intelligere hoc non sit simpliciter hunc intellectum habere, sed sic eum habere ut insuper visus animi terminetur ibi ac perficiatur. Nam et significare idem est quod intellectum constituere, non tamen significare aliquid idem est quod intellectum de eo constituere. Alioquin cum singuli sermones intellectus quoque sicut et res significare dicuntur, non tamen ideo de intellectibus rursum alios intellectus constituunt.

Solet frequenter quæri de significatione atque intellectu universalium vocum, quas res videlicet significare habeant, aut quæ res in eis intelligantur; ut cum audio hoc nomen «homo,» quod pluribus commune est rebus ad quas æqualiter se habet, quam rem in ipso intelligam quæritur. Quod si, prout oportet, respondeatur quod homo in ipso intelligitur, superest quæstio quo modo id verum sit, non vel hic homo vel ille vel alius aliquis ibi intelligatur, cum videlicet omnem hominem[1] aut hunc aut illum vel aliquem alium esse constet. Sicut enim, inquiunt, cum homo sentitur, necesse vel hunc, vel illum, vel aliquem alium sentiri; eo videlicet quod omnis homo sit vel hic vel ille vel alius, ita et de intellectu ad similitudinem sensus ratiocinantur, ut videlicet si homo intelligatur, necesse sit vel hunc vel illum vel aliquem alium intelligi. Præterea homo nihil aliud sonat quam quidam homo. Unde et qui hominem intelligit, profecto quemdam hominem intelligit, et ita hunc vel alium intelligit. Quod omnino falsum apparet. Ad quod respondendum arbitror quod, si recte ratiocinari volumus, oportet significatarum enuntiationum sensus diligenter attendere, ut secundum hanc vim complexionis diligenter quæramus discernere. Cum itaque dicimus «homo intelligitur,» hic est sensus, quod aliquis per intellectum naturam concipit humanam, hoc est animal tale attendit. Unde si post modum procedatur ita : «Sed omnis homo est hic vel alius, ergo concipit hunc vel alium,» non recte syllogizat; imo ita potius dicendum esset : «Sed omnis intelligens hominem intelligit hunc vel illum.» Tunc quippe recte medius terminus servaretur, et conjunctio extremorum per eum recte procederet. Sed falsa esset assumptio. Similiter et cum dicitur : Capa desideratur a me, hoc est desidero capam, licet omnis capa sit hæc vel illa, non tamen inest consequens ut hanc capam vel illam desiderem. At si ita diceretur : «Ego desidero capam, et omnis desiderans capam desiderat hanc vel illam,» tunc equidem recte argumentatio procederet. Quod si quis dicat quod eadem ratione nec illa com-

[1] Cod. *omnis homo.*

plexio concedenda est, quod si sentio hominem, cum omnis homo sit hic vel ille, sentio hunc vel illum, concedo utique non esse firmam complexionem. Ex natura tamen ipsius sensus qui non nisi in aliquam rem existentem agat, exerceri non potest, concedendum arbitror quod si quis hominem sentiat, hunc vel illum sentiat. At vero intellectus non minus haberi potest, etiam si res non sit, quia et eorum quæ jam præterita sunt per memoriam recordamur, et quæ futura sunt per providentiam jam concipimus, et quæ etiam nunquam sunt non nunquam opinamur atque fingimus, ut chimæram, centaurum, sirenem, hircocervum. Non est itaque necesse ut si hominem intelligam vel aliquem conceptum habeam in quo naturam humanam concipiam, ideo hunc hominem vel illum attendam, cum multi alii et innumerabiles conceptus sint in quibus humana excogitatur natura, sicut hæc ipsa simplex conceptio hujus specialis nominis quod est homo, vel hominis albi simpliciter, vel hominis sedentis vel etiam hominis cornuti, etsi nunquam ille sit, et in quibuscumque conceptionibus natura humanitatis attenditur, sive cum discretione certæ personæ, ut Socratis, vel alicujus alterius, sive indifferenter, absque ulla scilicet personæ certitudine.

Quærit etiam illud fortassis aliquis, cum audio « omnis homo » utrum intelligam omnem hominem, vel cum dicitur de aliquibus duobus quod alter eorum currit, utrum intelligam alterum eorum currere, vel cum dicitur « chimæra » quæ est alba, utrum intelligam « chimæra quæ est alba, » sicut, cum audio « chimæra, » intelligo chimæram, nec non etiam utrum, cum audio hoc nomen « non intelligibile, » intelligam non intelligibile.

At vero quis non recipiat quod si intelligam omnem hominem, hoc est unumquemque, non intelligam etiam istum, nisi forte quis ita profiteatur se omnem hominem intelligere ac si dicat se hujus orationis quæ est « omnis homo » habere conceptum? Quod quidem verum est, etiamsi neque hunc neque illum distinguat. Nam et cum dicimus quod hæc propositio « omnis homo currit » dicit omnem hominem currere, non tamen ideo ponimus quod proponat Socratem currere vel Platonem. Alioquin multiplex esset, non una, sicut Aristoteles prohibet. Nobis tamen videtur non recte posse dici ut quis omnem hominem intelligat, nisi etiam Socratem et singulos attendat, quod nemo unquam facere, credo, sufficit.

Sed neque cum dicitur « alter istorum currit, » hoc est « quidam ex eis currit, » videtur concedendum ut intelligam neque illum. Et cum dicitur « quidam homo currit » nullus potius dicitur in « currere » quam quidam, cum videlicet neque hic dicatur ibi currere neque ille. Ad quod responderi potest quod sicut hæc propositio « alter istorum currit » duos habet sensus, unum videlicet hypoteticum disjunctæ hujus : « Aut hic currit aut ille currit, » alterum

categoricæ habentis disjunctum subjectum ac si dicatur : « hic vel ille currit, » ita et cum dicitur : « intelligo alterum istorum currere, » vel « dico hominem currere quemdam, » duo sunt sensus in singulis : unus quidem, quod intelligo quod alter currit, vel quod dico quod quidam currit, alius quod intelligo de altero quod currit; hoc est vel hunc intelligo currere, vel illum intelligo currere, vel dico similiter de quodam quod currit. Et secundum priorem sensum concedendum est quod quærebatur, et non secundum alterum. Sed et fortasse, cum dicitur « neutrum intelligo currere » vel « nullum hominem dico currere, » plures sunt sensus in singulis, unus quidem affirmativus et duo negativi. Si enim ita accipiatur : « intelligo quod neuter currit » vel « dico quod nullus currit, » affirmativus est sensus. Si vero ita quod « neutrum intelligo currere, » hoc est : « non intelligo quod alter currit, » vel ita : « neque intelligo hunc currere neque illum, » duo sunt negativi sensus; et primus quidem sensus est negationis dividentis ejus affirmationis quam supra concessimus. Similiter determinandum est de eo quod dictum est : « nullum hominem dico currere. »

Quod vero quæsitum est utrum cum dicitur « chimæra quæ est alba » intelligam chimæram quæ est alba, nullo modo concedendum est, licet id verum sit quod habeam intellectus hujus orationis : « chimæra quæ est alba. » Tale est enim : « intelligo chimæra quæ est alba, » ac si dicatur : « habeo conceptum quo excogito chimæram et ipsa est alba. » Si autem dicatur « intelligo chimæram albam » verum esse potest, si videlicet habeam intellectum hujus orationis : « chimæra est alba. »

Illud autem concedendum aliquo modo videtur quod, cum audio hoc nomen « non intelligibile » intelligo non intelligibile, hoc est habeo talem conceptum in quo excogito aliquid tanquam non intelligibile. Si vero ita dicatur, « intelligo non intelligibile, » hoc est « habeo intellectum de aliquo et non potest illud intelligi, » falsum est omnino, et fortassis hic est magis proprius sensus. Sed et cum dicimus « non divisibile aliud hoc, aliud illud, » si quis ob hoc dicat quod non divisibile dividitur, non videtur omnino verus esse sensus. Similiter et si dicam, « Socrates est non prædicabilis de pluribus, » vel « est quod non prædicatur de pluribus, » et similiter Plato. Si ideo dicamus non prædicabilis de pluribus, vel quod non prædicatur de pluribus prædicari de pluribus, nullo modo vere dici videtur; si vero addamus, hoc universale non divisibile dividitur, vel hoc universale non prædicabile de pluribus prædicatur de pluribus, additio hæc verum quem intendimus ostendit sensum.

Quærit et illud fortassis aliquis, utrum quando intelligo chimæram, et talis est sensus quod habeo conceptum hujusmodi, possit dici quod intelligo chimæram, qui est intellectus. Verum quippe est quod habeo conceptum hujusmodi

qui est intellectus. Ac rursus quis recipiat quod intelligam chimæram quæ est intellectus, nisi et chimæram intelligam et illa sit intellectus? At profecto si chimæra sit intellectus, utique et ipsa est. Et cum chimæram dicat animal tale, profecto et quoddam animal intellectui esse constat. Ad quod respondeo quod cum dicitur « intelligo chimæram » vel « chimæra intelligitur, » figurativa est locutio. Si vero dicam « intelligo chimæram quæ est, » transit in locutionem propriam, quia jam per hanc orationem « chimæra quæ est » agitur tanquam personaliter de re aliqua, quæ constituitur et ponitur esse. Nam et cum dicitur « quæ est » non « qui est, » ad chimæram relatio fit per femineam vocem, quæ ejusdem est generis, non ad intellectum. Et notandum quod est necesse quod cum hæ duæ orationes : « intelligo chimæram » et « habeo talem intellectum, » ejus sint sensus per se dictæ, ideo cuilibet alicui conjunctæ eum penitus intellectum servent, quia sæpe ejus sensus sunt sermones per se sigillatim dicti, qui tamen in contextu constructionis longe aliam vim habent.

Hæc de speculationibus, hoc est intellectibus, dicta nunc sufficiant[1].

Quæritur an hæc divisio eorum quæ sunt . « aliud est substantia, aliud est accidens, » sit sufficiens. Quod si concedatur, tunc cum rationalitas sit, oportet esse substantiam vel accidens. Si autem accidens fuerit, potest adesse et abesse p. s. c. ; quod falsum est, quia substantialis differentia abesse non potest quin corrumpat. Similiter etiam cum populus sit, vel exercitus, vel grex, substantiam vel accidens esse necesse est. Si substantia esse concedatur, vel corporea vel incorporea ; si corporea, vel animata vel inanimata ; si animata, vel sensibilis vel insensibilis ; si sensibilis, animal, quod falsum esse videtur. Solutio. Quidam dicunt quod de quocumque verum est dicere, « istud est una res, » de eodem verum est dicere esse substantiam vel accidens. Hi tamen non concedunt rem unam debere dici quod per opus hominum habet existentiam, ut domus, nec quod habet partes disgregatas, sicut populus, sed hoc tantum rem unam dicunt quod naturaliter est, vel partes continue dispositas naturaliter habet. Quod quam irrationabiliter agant apertum est. Contra hoc etiam potest dici quod si una res sit, sicut exponunt, montem cum valle et aqua, quæ naturaliter sunt et partes continuas habent, unam rem concedere debent, et compositum ex corpore et albedine similiter, et sic esse substantiam vel accidens. Si substantiam, vel corpus vel aliud ; si corpus, vel album vel non ; si album, tunc albedo eadem esset pars formalis et integralis ejusdem. Alii vero duobus modis dicunt

[1] Hucusque opus de Intellectibus. Ea quæ sequuntur in codice bibliothecæ Abrincatarum non sunt Abælardi ; ejus tamen doctrinam cum attingant, et aliquam lucem controversiæ de Universalibus afferant, ideo ea non omittenda esse duximus.

divisionem sufficientem esse : prædicatione scilicet, et continentia secundum naturam. Prædicatione quidem, quando nulla res invenitur quæ sit res divisi quin sit res alicujus dividentium; verbi gratia : animalium aliud est rationale, aliud irrationale; hæc divisio est sufficiens prædicatione, quia de quocumque poterit dici : «istud est animal,» de eodem statim consequetur esse vel rationale vel irrationale. Continentia secundum numerum sufficientem dicunt, quando nihil dicitur esse divisi quod sit aliud numero a dividentibus, id est quin sit res alicujus dividentium, vel sit contentum in illis, quamvis prædicatio alicujus illorum illud non comitetur; ut tale sit exemplum : «domus alia pars paries, alia tectum, alia fundamentum,» hoc est sufficiens, quia nihil invenies quod sit pars domus quin sit vel hoc, vel aliquid contentum sub aliqua illorum, sicut lapillulum vel asserem. Prædicatam vero divisionem sufficientem dicunt hujus modi. Accidens tamen ibi large accipitur pro forma. Quod autem opponitur de rationalitate nihil valet, cum concedatur esse accidens, id est forma. Populum quoque et exercitum et gregem et domum rem unam dicunt, et substantiam et corpus inanimatum, id est non vegetatum una anima.

De formis diversi diversa sentiunt. Quidam enim volunt omnes formas esse essentias, quidam nullas, quidam quasdam essentias esse confirmant; quasdam non. Qui autem formas universaliter essentias esse volunt, si rationabiliter agant inquiramus; et primum inquirendum videtur, si concesserint unum prædicari de unoquoque, sic quod prædicatione sua unitatem inesse illi de quo prædicabitur innuat. Quod si concesserint Socratem habere unitatem, cum unus sit, concedere debent[1] et unitatem Socratis habere unitatem formam sui, cum una sit, et illam aliam; et sic tanta multiplicitas fiet quod in natura numerus non occurrat. Si autem hoc inconveniens evitare volentes, nescio quam reciprocationem facere voluerint, fortasse majus aut æquale inconveniens incurrent, quod scilicet, velint, nolint, concedent idem informare diversa, vel idem informans et informatum esse ab eodem. Si enim unitas Socratis informetur ab unitate quæ mutuo informetur ab unitate Socratis, et idem erit informans diversa, et informans aliquid et informatum ab eodem. Si autem hoc non dicant, sed tertiam informari a prima vel quamlibet subsequentium a qualibet præcedentium, necesse est semper diversa ab eodem informari. Rursus cum omnes formæ essentiæ sint, et unumquodque unitatem habeat et similitudinem in aliquo, videntur rationabiliter unitates plures esse similitudinibus, et similitudines unitatibus, et unitates etiam unitatibus, et similitudines similitudinibus.

1. Cod. *concedere debent cum unus sit.*

Quippe cum omnia quæcumque sunt similitudines habeant et unitates, oportet esse tot unitates quot similitudines sunt; præter hoc etiam unitates subjectarum substantiarum similiter oportet esse, et sic unitates plures sunt similiter. Item cum unumquodque unitatem suam et similitudinem habeat, oportet esse tot similitudines quot unitates fuerint, et præter hoc similitudines subjectarum substantiarum unitatibus, et sic similitudines plures esse unitatibus. Licet igitur concludere plures esse unitates unitatibus et similitudines similitudinibus. Quæcumque enim sunt plura aliquibus et illa sunt plura aliis, prima plura sunt plura eisdem. Et hæ sunt rationes quare omnes formæ non debent concedi essentiæ esse sive res.

Illi autem qui non asserunt essentiam esse nisi substantias, fortasse vere virtutes et vitia et colores aliquid esse denegabunt. Sed quam recte id faciant sapientes judicent.

Alii autem qui quasdam formas essentias esse, quasdam minime perhibent, sicut Abælardus et sui qui artem dialecticam non obfuscando sed diligentissime perscrutando dilucidant, nullas formas essentias esse approbant, nisi quasdam qualitates quæ sic insunt in subjecto, quod subjectum ad esse earum non sufficit, sicut ad esse quantitatum ipsum subjectum sufficit, vel partium dispositio ad invicem vel cum alio non est necessaria, sicut ad curvaturam digiti necessaria est dispositio partium ad invicem, et ad esse sessionis necessaria est dispositio partium subjecti et aliud ubi subjectum sedeat, vel quæ non insunt gratia alicujus extrinseci ita quod sine illo esse non possent, sicut proprietas aliqua inest in aliquo quia equum vel bovem possidet, quæ nullo modo remaneret, destructo illo extrinseco, vel ad cujus recessum non est necessarium addi substantiam subjecto, sicut ad recessum inanimationis necessarium est addi substantiam subjecto, scilicet animam. Nullam enim formam essentiam esse asserunt cui aliquid istorum poterit assignari velut subjectum ad esse illius sufficere, vel dispositionem partium ad invicem sive cum alio, vel quæ inerit gratia extrinseci, ita quod sine illo esse non posset, vel ad cujus recessum necesse est addi substantiam.

MAGISTRI

PETRI ABÆLARDI

GLOSULÆ SUPER PORPHYRIUM.

Præter opera ad logicam pertinentia quæ non multis abhinc annis primum in lucem protulimus (*ouvrages inédits d'Abélard*, in-4, 1836), *Glosulas super Porphyrium* Abælardus conscripserat quæ sententiam ejus de natura universalium non mediocriter illustrare videntur. Eas autem feliciter repertas quum clar. vir Ravaisson publici juris nondum fecerit, nec libuerit illi præter spem nostram eas ita nobis amice impertire ut cuncta disjecti undequaque philosophi membra hæc editio colligat et componat, argumentum tántummodo libelli benevolo lectori offerre possumus, exprompτum e nitido nec non et doctissimo amicissimi viri Ch. de Remusat opere, *Abélard*, Paris, 1845, 2 vol. in-8, t. II, pag. 93 et sqq.

Un manuscrit d'Abélard, dont l'existence même n'est indiquée nulle part, mais dont l'authenticité ne nous laisse aucun doute, donne sur sa doctrine des lumières nouvelles, et surtout explique d'une manière certaine ce qui n'avait été jusqu'ici l'objet que d'inductions conjecturales, le jugement de ses contemporains.... C'est un ouvrage qui porte un titre modeste : *Petites gloses sur Porphyre*[1]; mais, plus intéressantes et plus développées que celles qui ont déjà été imprimées, ces gloses éclaircissent autre chose que le texte de l'auteur grec, dans la version de Boèce : c'est un commentaire à la fois littéral et spirituel. Nous ne serions pas étonné que cet écrit, d'une rédaction elliptique et obscure, fût une œuvre de la jeunesse de l'auteur. Il y annonce qu'il le compose, à la demande, non plus de ses élèves, mais de ses compagnons, disons le mot, de ses camarades, « sociorum. » L'aurait-il rédigé à cette époque intéressante où, maître de fait, écolier de nom, il suivait, en les discutant, les leçons des docteurs de la Cité, et répétait pour son compte à ses pairs les leçons qu'il venait d'entendre avec eux, ne s'autorisant pour enseigner que de sa hardiesse, de son esprit et de son éloquence?

Les premières pages de ce manuscrit nous apprennent qu'on peut ramener la science en général à la science du jugement et à la science de l'action. La première est celle de la théorie, la seconde est celle de la pratique. On peut bien agir et ne pas savoir

[1] Ce manuscrit intitulé : *Glossulæ magistri Petri Bælardi super Porphyrium*, a été retrouvé par le savant M. Ravaisson, et nous en devons la communication à sa bienveillante obligeance.

juger. Tel peut utilement employer à la guérison des infirmités humaines les vertus des simples, qui ne sait pas la physique, comme tel autre peut habilement instruire, sans être capable d'opérer ce qu'il enseigne. Tous les savants n'ont pas droit au nom de philosophe; il n'appartient qu'à ceux qui, s'élevant au-dessus des autres par la subtilité de leur intelligence, jugent ce qu'ils savent. L'homme doué de cette faculté est celui qui sait comprendre et peser les causes secrètes des choses : la recherche de ces causes est du ressort de la raison, et non pas de l'expérience sensible[1].

La philosophie se divise en physique, en éthique et en logique. La première spécule sur les causes des choses naturelles; la seconde est la maîtresse de la vertu; la troisième, que nous nommons indifféremment dialectique, est l'art de disserter nettement, c'est-à-dire de discerner les arguments qui servent à disserter, c'est-à-dire encore à discuter; car la logique n'enseigne pas à se servir des arguments ni à les composer, mais à les distinguer et à les apprécier. Ceci est proprement la logique, le reste est la « ratiocinative[2]. » Or, les arguments étant composés de propositions et les propositions d'expressions, « dictiones, » la logique doit commencer par étudier d'abord les oraisons simples, puis les composées. De là, toute la division de la logique d'Aristote; de là aussi l'Introduction de Porphyre, qui conduit aux Prédicaments du premier.

Ce préambule amène Abélard à l'examen de l'ouvrage de Porphyre. Ce n'est pas une glose littérale, une simple interprétation du texte, mais une exposition et souvent une critique des principes reçus, particulièrement de quelques-unes des opinions de Boèce; tout cela suivant que les divisions du traité des cinq voix ramènent les questions sous la plume du subtil commentateur.

Nous n'extrairons de cet ouvrage que ce qui est relatif à notre sujet et peut éclaircir ces points jusqu'ici demeurés inconnus et obscurs.

La grande question que Porphyre indique en débutant, et qu'il écarte soudain, arrête Abélard, et il est presque obligé de la traiter seulement pour la poser. « Toutes les opinions sur les universaux se prévalent, dit-il, de grandes autorités[3]. » Lorsque Aristote paraît définir l'universel en disant que c'est ce qui se dit du sujet ou l'attribuable à plusieurs; lorsque Boèce dit que la division des genres et des espèces repose sur la nature, tous deux semblent penser, et bien des citations pourraient être fournies dans le même sens, qu'il existe des choses universelles. D'autres cependant n'admettent que des conceptions universelles; mais, d'accord sur ce point seulement, ils se divisent aussitôt, et rapportent ces conceptions aux choses, à la pensée ou au discours, et toute la dissidence reparaît. Abélard cite, à l'appui de chacune des trois opinions, de nombreuses autorités, dont un grand nombre ont déjà été produites et qu'il serait trop long de rappeler.

Le premier système est celui de l'existence des choses universelles. Il est plusieurs manières de l'établir.

Suivant l'une, il y a naturellement dix choses générales ou communes; ce sont les dix catégories : de ces universaux primitifs proviennent les choses générales qui sont essen-

[1] « Est scientia alia agendi, alia discernendi. Sola autem scientia discernendi philosophia dicitur.... Philosophos.... vocamus eos tantum qui subtilitate intelligentiæ præeminentes in his quæ sciunt diligentem habent discretionem. Discretus est qui causas occultas rerum comprehendere ac deliberare valet. Occultas causas dicimus ex quibus quæ res eveniunt magis ratione quam experimentis sensuum investigandum. » — [2] « Est logica, auctoritate Tullii, diligens ratio disserendi, id est discretio argumentorum per quæ disseritur, id est disputatur. Non enim est logica scientia utendi argumentis sive componendi ea, sed discernendi et dijudicandi veraciter de eis.... Duæ argumentorum scientiæ : una componendi, quam dicimus ratiocinativam, alia autem discernendi composita, quam logicam appellamus. » — [3] « Unusquisque se tuetur auctoritate judice. »

tiellement dans les choses individuelles, grâce à des formes différentes. Ainsi, l'animal qui, de sa nature, est substance, est, comme substance animée, sensible dans Socrate ou dans Brunel[1], tout entier dans l'un comme dans l'autre, sans autre différence que celle des formes. A ce compte, l'universel serait attribuable à plusieurs, en ce sens qu'une même chose serait en plusieurs, diversifiée uniquement par l'opposition des formes, et conviendrait ainsi aux individus, soit essentiellement, soit adjectivement[2].

Ce système exige que les formes aient si peu de rapport avec la matière qui leur sert de sujet, que, dès qu'elles disparaissent, la matière ne diffère plus d'une autre matière sous aucun rapport, et que tous les sujets individuels se réduisent à l'unité et à l'identité. Une grave hérésie est au bout de cette doctrine; car avec elle la substance divine, qui est reconnue pour n'admettre aucune forme, est nécessairement identique à toute substance quelconque ou à la substance en général. Or, cette conséquence est fausse. Les philosophes tiennent que la substance divine n'est passible d'aucun accident, et comme, suivant les définitions admises, la substance en général est sujette à tous les accidents, il faut bien que la substance divine diffère de toute substance, et cependant il faut aussi qu'elle soit substance. La nature de Dieu a été enseignée au monde le jour où le Seigneur a dit à la Samaritaine : « Dieu est esprit (Jean, IV, 24). » Et tout esprit est substance.

Et non-seulement la substance de Dieu, mais la substance du phénix, qui est unique, n'est, dans ce système, que la substance pure et simple, sans accident, sans propriété, qui, partout la même, est ainsi la substance universelle. C'est la même substance qui est raisonnable et sans raison, absolument comme la même substance est à la fois blanche et assise; car « être blanc » et « être assis » ne sont que des formes opposées comme la rationnalité et son contraire ; et puisque les deux premières formes peuvent notoirement se trouver dans le même sujet, pourquoi ces deux secondes ne s'y trouveraient-elles pas également? Est-ce parce que la rationnalité et l'irrationnalité sont contraires? Elles ne le sont point par l'essence, car elles sont toutes deux de l'essence de la qualité; elles ne le sont point par les adjacents, « per adjacentia, » car elles sont, par la supposition, adjacentes à un sujet identique. Du moment que la même substance convient à toutes les formes, la contradiction peut se réaliser dans un seul et même être, et alors comment dire qu'une substance est simple, une autre composée, puisqu'il ne peut y avoir quelque chose de plus dans une substance que dans une autre? Comment dire qu'une âme sente, qu'elle éprouve la joie ou la douleur, sans le dire en même temps de toutes les âmes, qui sont une seule et même substance ?

La seconde manière de soutenir l'universalité des choses, c'est de prétendre que la même chose est universelle et particulière : ce n'est plus essentiellement, mais indifféremment, que la chose commune est en divers. Nous connaissons ce système, c'est celui de l'indifférence : ce qui est dans Platon et dans Socrate, c'est un indifférent, un semblable, « indifferens vel consimile. » Il est de certaines choses qui conviennent ou s'accordent entre elles, c'est-à-dire qui sont semblables en nature, par exemple, en tant que corps, en tant qu'animaux ; elles sont ainsi universelles et particulières : universelles, en ce qu'elles sont plusieurs en communauté d'attributs essentiels; particulières, en ce que chacune est distincte des autres. La définition du genre, « prædicari de pluribus, » « s'attribuer à plusieurs, » ne s'applique alors aux choses qu'elle concerne qu'en tant qu'elles sont semblables, et non pas en tant qu'elles sont individuelles. Ainsi, les mêmes choses ont

[1] « In Brunello. » — [2] « Essentialiter vel adjacenter. »

deux états, leur état de genre, leur état d'individus, et, suivant leur état, elles comportent ou ne comportent pas une définition différente.

Mais c'est là ce qui n'est pas soutenable. La définition qui veut que le genre soit ce qui est attribuable à plusieurs, a été donnée à l'exclusion de l'individu. Ce qu'elle définit ne peut en soi être à aucun titre, en aucun état, individu. Dire qu'une même chose tour à tour comporte ou ne comporte pas la définition du genre, c'est dire que cette chose est, comme genre, attribuable à plusieurs, mais que, comme genre aussi, elle ne l'est pas; car un individu qui serait attribuable à plusieurs serait un genre; par conséquent, l'assertion est contradictoire, ou plutôt elle n'a aucun sens. Les auteurs disent que cette proposition : « L'homme se promène, » vraie dans le particulier, est fausse de l'espèce. Comment maintenir cette distinction, si une même chose est espèce et individu? Dira-t-on que l'universel ne se promène pas? C'est apparemment l'universel en tant qu'universel, en l'état d'universel, soit; mais le particulier en tant que particulier ne se promène pas davantage. Se promener n'est pas plus une condition ou une propriété du particulier que de l'universel : le particulier peut, comme l'universel, être conçu sans la promenade. L'universalité, la particularité, la promenade appartiennent, ou, pour parler le langage de l'École, sont adjacentes au même sujet, et, s'il se promène, il se promène universel et particulier. La distinction de Boèce n'est pas applicable.

C'est comme cette autre distinction par laquelle il refuse aux accidents le caractère d'attributs essentiels. L'individualité résultant de formes accidentelles ne saurait être l'attribut essentiel d'une substance susceptible d'universalité; cependant cette substance, en tant que particulière, distincte de ses semblables, est essentiellement individuelle; violation manifeste de la règle logique qui porte que, « dans un même, l'affirmation de l'opposé exclut l'affirmation de l'autre opposé. » Lorsqu'on dit que le genre est attribuable à plusieurs, on parle d'attribution essentielle, « prædicari in quid, » ou de toute autre; s'il s'agit d'attribution essentielle, comme on le nie après l'avoir affirmé, elle cesse d'être essentielle, ou elle emporte avec elle son sujet; s'il s'agit d'attribution accidentelle, « in adjacentia, » la définition n'est plus exacte, elle ne convient plus à tout genre. Il y a des genres qui n'ont pas d'attribution adjective. Veut-on parler d'attribution soit essentielle, soit autre, d'attribution en général, la blancheur est dans ce cas; elle s'affirme essentiellement d'elle-même et adjectivement de Socrate : la blancheur est blanche, et Socrate est blanc; elle s'affirme donc de plusieurs, et comme elle satisferait à la définition du genre, la blancheur serait un genre.

Enfin, on s'y prend d'une troisième manière pour soutenir que les universaux sont des choses. Voulant expliquer la communauté, l'on dit qu'entre la chose universelle et la chose singulière, est une différence de propriété, la propriété qui consiste à être universelle, la propriété qui consiste à être singulière. L'animal, le corps est universel et n'est pas seulement quelque animal ou quelque corps; mais dire : « l'animal est universel, » revient à dire : il y a plusieurs choses qui sont chacune individuellement « animal : » quand « animal » se dit d'un seul, on entend qu'un seul, un être déterminé est animal....

Abélard oppose et semble préférer à ces doctrines un système dont nous avons déjà entendu parler, mais qui jusqu'ici nous était inconnu. On a vu que Jean de Salisbury signale par deux fois une doctrine qui rapporte tout aux discours « sermonibus, » et il ajoute que son « Abélard chéri » s'y est laissé prendre.... Le manuscrit dont nous avons donné plus haut un extrait va nous offrir l'expression de cette doctrine qu'Abélard trouve

plus conforme à la raison, « sermoni vicinior, » et qui, n'attribuant la communauté ni aux choses ni aux mots, veut que ce soient les discours qui sont singuliers et universels. Aristote, au dire d'Abélard, paraît l'insinuer clairement, quand il définit l'universel ce qui est attribuable à plusieurs, « quod de pluribus notum est prædicari. » C'est une propriété avec laquelle il est né, qu'il a d'origine, « nativitate sua. » Or, quelle est la « nativité, » l'origine des discours ou des noms? l'institution humaine, tandis que l'origine des choses est la création de leurs natures. Cette différence d'origine peut se rencontrer là même où il s'agit d'une même essence. Ainsi, dans cet exemple : « Cette pierre et cette statue ne font qu'un, » l'état de pierre ne peut être donné à la pierre que par la puissance divine, l'état de statue lui peut être donné par la main des hommes. Or, du moment que l'universel est d'origine attribuable à plusieurs, ni les choses ni les mots ne sont universels. Car ce n'est pas le mot, la voix, mais le discours, « sermo, » c'est-à-dire l'expression du mot qui est attribuable à divers, et quoique les discours soient des mots, ce ne sont pas les mots, mais les discours qui sont universels. Quant aux choses, s'il était vrai qu'une chose pût s'affirmer de plusieurs choses, une seule et même chose se trouverait également dans plusieurs, ce qui répugne. Voilà bien ce que nous disait Jean de Salisbury, qu'aux yeux de l'école d'Abélard, l'attribution d'une chose comme prédicat à une autre chose était une monstruosité....

Mais Abélard se fait des objections. Comment l'oraison peut-elle être universelle, et non pas la voix, quand la description du genre convient aussi bien à l'une qu'à l'autre? Le genre est ce qui se dit de plusieurs qui diffèrent par l'espèce; ainsi le définit Porphyre. Or, la description et le décrit doivent convenir à tout sujet quelconque, c'est une règle de logique, la règle « de quocumque; » et comme le discours et les mots ont le même sujet, ce qui est dit du discours est dit des mots. Donc, comme le discours, la voix est le genre. Cette proposition est incongrue, « non congruit; » car la lettre étant dans le mot, et par conséquent s'attribuant à plusieurs comme lui, il s'ensuivrait que la lettre est le genre. C'est que, pour que la description ou définition du genre soit applicable, il faut qu'on l'applique à quelque chose qui ait en soi la réalité du défini, « rem definiti; » c'est la condition de l'application de la règle « de quocumque, » et ici cette condition n'existe pas. Le mot ne contient pas tout le défini; il n'en a pas toute la compréhension, et il n'est attribué à plusieurs, affirmé de plusieurs, « prædicatum de pluribus, » que parce que le discours est prédicable, « est sermo prædicabilis, » c'est-à-dire parce que la pensée dispose des mots pour décrire toutes choses.

D'ailleurs, à examiner soigneusement la définition du genre, ou du moins ce qu'on appelle ainsi, elle n'est pas une définition, car elle ne signifie pas que le genre soit ce qui s'attribue à plusieurs, mais seulement que le genre est attribuable à plusieurs.

On peut donc dire que le discours étant un genre, et le discours étant un mot, un mot est le genre; seulement il faut ajouter que c'est ce mot avec le sens qu'on a entendu lui donner. Ce n'est pas l'essence du mot, en tant que mot, qui peut être attribuée à plusieurs; le son vocal qui constitue le mot est toujours actuel et particulier à chaque fois qu'on le prononce, et non pas universel; mais c'est la signification qu'on y attache qui est générale, en d'autres termes, c'est la pensée du mot ou la conception. Toutefois, Abélard ne se sert pas de ces dernières expressions, mais il permet qu'on dise que le genre ou l'espèce est un mot, « est vox, » et il rejette les propositions converses; car si l'on disait que le mot est genre, espèce, universel, on attribuerait une essence individuelle, celle du mot, à plusieurs; ce qui ne se peut. C'est de même qu'on peut dire : « Cet animal,

hic status animal, est cette matière, la Socratité est Socrate, l'un et l'autre de ces deux est quelque chose, » quoique ces propositions ne puissent être renversées.

Abélard explique ainsi comment, lors même que l'on se tait, lorsque les noms des genres et des espèces ne sont pas prononcés, les genres et les espèces n'en existent pas moins; car, lorsque je les nomme, je ne leur confère rien; seulement je témoigne d'une convention antérieure, d'une institution préalable qui a fixé la valeur du langage.

Ces développements achèvent d'assurer les caractères du nominalisme à la théorie d'Abélard; mais ce qui prouve cependant qu'elle est quelque chose de plus, c'est qu'après l'avoir exposée, procédant à la détermination des questions écartées par la fameuse prétermission de Porphyre, il examine, à sa manière, la validité des concepts généraux et résout cette question comme il l'a résolue dans le traité « *de Intellectibus*. Il décide que, bien que ces concepts ne donnent pas les choses comme discrètes, ainsi que les donne la sensation, ils n'en sont pas moins justes et valables et embrassent les choses réelles. De sorte qu'il est vrai que les genres et les espèces subsistent, en ce sens qu'ils se rapportent à des choses subsistantes; car c'est par métaphore seulement que des philosophes ont pu dire que ces universaux subsistent. Au sens propre, ce serait dire qu'ils sont substances, et l'on veut exprimer seulement que les objets qui donnent lieu aux universaux subsistent. Les doutes que ce langage figuré a fait naître sont la seule source des difficultés qui semblent arrêter Porphyre.

Abélard réduit ces difficultés à de simples questions de mots. Ainsi, pour lui, le dissentiment entre Aristote et Platon vient seulement de ce que le premier pensait que les genres et les espèces subsistent par appellation dans les choses sensibles, ou servent à les nommer en essence, « appellant in se, » et que cependant ils sont hors de ces choses, en ce sens qu'ils correspondent à des concepts, purs de toutes formes accidentelles sensibles, ou, comme on dirait aujourd'hui, à des idées abstraites qui ne donnent pas les objets sous une dénomination percevable; tandis que Platon voulait que les genres et les espèces fussent non-seulement conçus, mais subsistants hors des sensibles, parce que les formes accessibles aux sens ont beau manquer aux sujets, ceux-ci n'en peuvent pas moins, en tant que conçus, être soumis à de véritables jugements, et se soutiennent à titre de conceptions de genres et d'espèces. « Ainsi, dit Abélard après cette médiocre explication, la différence n'est pas dans le sens, quoiqu'elle semble se montrer dans les termes. » Voilà comme il comprend le grand débat sur l'existence des idées, ouvert comme un abîme entre l'Académie et le Lycée....

APPENDICE

I.

CAPITULA ERRORUM PETRI ABÆLARDI.

Capitula errorum Petri Abælardi quæ S. Bernardus colligerat, et summo pontifici transmiserat, primum in lucem e codice Vaticano Dom Mabillon protulit, in editione operum sancti Bernardi, Parisiis, 1690, in-fol. Vol. 1, col. 639 et seq.

I. Horrenda similitudo de sigillo æreo, de specie et genere ad Trinitatem.

« Cum sapientia Dei quædam sit potentia, sicut æreum sigillum est quoddam æs ; liquet profecto divinam sapientiam ex divina potentia esse suum habere, ad eam videlicet similitudinem qua sigillum æreum dicitur esse quod est ejus materia ; vel species ex genere, quod quasi materia speciei dicitur esse, ut animal hominis. Sicut enim ex eo quod est æreum sigillum, exigit necessario quod æs sit, et ex eo quod est homo ut animal sit, sed non e contrario ; ita divina sapientia, quæ est potentia discernendi, exigit quod sit divina potentia, sed non e contrario. » Et post pauca : « Benignitas ipsa, quæ hoc nomine quod Spiritus est demonstratur, non est in Deo potentia sive sapientia. »

II. Quod Spiritus sanctus non sit de substantia Patris.

« Cum itaque tam Filius quam Spiritus sanctus ex Patre sit, hic quidem genitus, ille procedens, differt in eo generatio ipsa a processione, quod is qui generatur ex ipsa Patris substantia est, cum ipsa, ut dictum est, sapientia hoc ipsum esse habeat, ut sit quædam potentia. » Et post pauca : « Spiritus vero quamvis ejusdem substantiæ sit cum Patre et Filio, unde etiam Trinitas ipsa homousion, id est unius substantiæ, prædicatur, minime tamen ex substantia Patris est aut Filii, quod esset ipsum ex Patre vel Filio gigni : sed magis ex ipsis habet procedere, quod est Deum se per charitatem ad alterum extendere. Quodammodo etenim per amorem unusquisque a se ipso ad alterum procedit, cum proprie, ut dictum est, nemo ad seipsum charitatem habere dicatur, ut sibi ipsi

benignus esset, sed alteri; maxime autem Deus qui nullius indiget, erga seipsum benignitatis affectu commoveri non potest, ut sibi aliquid ex benignitate impendat, sed erga creaturas tantum. »

III. Quod ea Deus solummodo possit facere, vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore quo facit, non alio.

« Hac ratione qua convincitur, quod Deus Pater tam bonum genuit Filium quantum potuit, cum videlicet aliter reus esset invidiæ; clarum est etiam omnia quæ facit, quantum potest egregia facere; nec ullum commodum quod conferre possit subtrahere velle. » Et post pauca : « In tantum in omnibus quæ Deus facit, quod bonum est attendit, ut ipso boni pretio potius quam voluntatis suæ libito ad singula facienda inclinari dicatur. » Item : « Ex his itaque tam de ratione quam de scripto collatis constat, id solum Deum facere posse quod aliquando facit. » Et post pauca : « Qui si mala quæ fiunt disturbare posset, nec id etiam nisi opportune faceret, qui nihil importune facere potest, profecto non video quomodo peccatis consentiens non esset. Quis enim consentire malo dicendus est, nisi is per quem etiam opportune disturbari posset? » Item : « Prædictis itaque rationibus vel objectorum solutionibus liquere reor omnibus ea solummodo Deum posse facere vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore quo facit, non alio. »

IV. Quod Christus non assumpsit carnem, ut nos a jugo diaboli liberaret.

« Sciendum est, quod omnes nostri Doctores qui post Apostolos fuere, in hoc conveniunt quod Diabolus dominium et potestatem habebat super hominem, et jure eum possidebat. » Et post pauca : « Nec Diabolus unquam jus aliquod habuit super hominem, sed jure eum possidebat permittente, ut carcerarius, nec [ut eum] Filius Dei a jugo Diaboli liberaret, carnem assumpsit. » Et post pauca : « Quomodo nos justificari vel reconciliari per mortem Filii ejus dicit Apostolus, qui tanto amplius adversus hominem irasci debuit, quanto amplius in crucifigendo Filium suum deliquerit, quam in transgrediendo primum præceptum suum unius pomi gustu : quomodo enim amplius justum fuerat? Quod si tantum fuerat illud Adæ peccatum, ut expiari non posset nisi ex morte Christi; quam expiationem habebit ipsum homicidium, quod in Christo commissum est, tot et tanta scelera in ipsum vel suos commissa? Numquid mors innocentis Filii tantum Deo placuit ut per ipsum reconciliaretur nobis, qui hoc peccando commisimus, propter quod innocens Dominus est occisus, nec nisi hoc maximum fieret peccatum, etiam levius potuit ignoscere multo? Nec nisi multiplicatis malis tam bonum facere in quo et justiores facti sumus per mortem Filii Dei quam ante eramus, ut a peccatis jam liberari debeamus? » Item : « Cui vero non crudele et iniquum videtur, ut sanguinem innocentis et pretium aliquod quis requisierit, aut ullo modo ei placuerit innocentem interfici? Nedum Deus

tam acceptam mortem Filii habuit, ut per ipsam universo reconciliatus sit mundo. Hæc et his similia non mediocrem movent quæstionem, non solum de redemptione sed etiam de justificatione nostra per mortem Domini nostri Jesu-Christi. Nobis autem videtur quod nihilo minus sumus justificati in sanguine Christi, et Deo reconciliati per hanc singularem gratiam nobis exhibitam, quod Filius suus nostram suscepit naturam, et in ipsa nos tam verbo quam exemplo instituendo usque ad mortem præstitit, nos sibi amplius per amorem astrinxit : ut tanto divinæ gratiæ accensi beneficio, nulla tolerare propter ipsum vestra reformidet caritas, quod quidem beneficium antiquos etiam patres, hoc per fidem exspectantes, in summum amorem Dei tanquam homines temporis non dubitamus accendisse. » Et infra : « Puto ergo quod consilium et causa incarnationis fuit, ut mundum luce suæ sapientiæ illuminaret, et ad amorem suum accenderet. »

V. Quod neque Deus et homo, neque homo persona quæ Christus est, sit tertia persona in Trinitate.

« Quando dico : Christus est tertia persona in Trinitate ; hoc volo dicere quod Verbum quod ab æterno tertia persona in Trinitate fuit, tertia persona sit in Trinitate : et ita puto quod locutio sit figurativa. Si enim propriam diceremus esse, cum hoc nomen Christus idem sonat quod Deus et homo, tunc talis esset sensus : Deus et homo est tertia persona in Trinitate, quod penitus est falsum. » Et post pauca : « Et est sciendum, quod quamvis concedamus, quod Christus est tertia persona in Trinitate, non tamen concedimus quod hæc persona, quæ Christus est, sit tertia persona in Trinitate. »

VI. Quod Deus non plus faciat ei qui salvatur antequam cohæreat gratiæ, quam ei qui non salvatur.

« Sic iterum solet quæri illud quod a quibusdam dicitur, scilicet utrum omnes homines ita sola misericordia salventur, ut nullus sit qui bonam voluntatem habere possit, nisi gratia Dei præveniente, quæ cor moveat, et bonam voluntatem inspiret, et inspiratam multiplicet, et multiplicatam conservet. Quod si ita est quod homo ex se nihil boni operari possit, aut aliquo modo ad divinam gratiam suscipiendam per liberum arbitrium sine auxilio gratiæ se erigere, prout dictum est, non possit, non videtur ratio quare si peccat puniatur. Si enim non potest ex se aliquid boni facere, et talis factus est qui sit pronior ad malum quam ad bonum ; nonne, si peccat, immunis est a culpa ; et numquid Deus qui ita infirmum et fragilis naturæ eum fecit, est laudandus de tali creatione ? Immo si ita esset, nunc potius culpandus videretur ? » Et post pauca : « Quod si ita esset quod homo ad divinam gratiam percipiendam se erigere sine alterius gratia non posset ; non videtur ratio esse quare homo inculparetur ; et Dei gratiam non habere potius in auctorem ipsius refundendum videretur. Quod ita non est, sed longe aliter dicendum, prout rei veritas se habet. Dicendum est ergo quod homo per rationem, a Deo quidem

datam, gratiæ appositæ cohærere potest : nec Deus plus facit illi qui salvatur, antequam cohæreat gratiæ, quam illi qui non salvatur. Ita enim se gerit Deus erga homines, quemadmodum mercator qui habet pretiosos lapides venales, qui videlicet exponit eos in foro et æque omnibus offert, et per ostensos desiderium in eis ad emendum excitat. Qui prudens est, sciens se eis indigere, laborat ut habeat; acquirit nummos et emit eos; qui deses est et piger, etsi desiderium habeat, quia tamen piger est, non laborat, etsi fortior sit alio corpore, nec emit eos; et ideo culpa sua quod caret illis. Similiter Deus gratiam suam apponit omnibus et consulit Scripturis et Doctoribus eximiis, ut pro libertate arbitrii, qua gratiæ cohæreat qui prudens est, providens sibi in futuro ex libertate arbitrii qua huic cohæret gratiæ. Piger vero a carnalibus desideriis implicatus, etsi desideret beatificari, numquam tamen vult laborare compescendo se a malo, sed negligit, quamvis per liberum arbitrium possit cohærere gratiæ, et sic ab omnipotente Deo negligitur. »

VII. Quod Deus non debeat mala impedire.

« In primis videndum est, quid sit consentire malo; et quid non. Ille equidem malo consentire dicitur, qui cum debeat hoc prohibere, et possit, non prohibet : si autem debeat, et non possit; et e contrario si possit et non debeat, non est reus. Si vero nec debet, nec potest, multo minus reus censendus est. Et ideo Deus a consensu malorum est alienus, qui nec debet, nec potest mala impedire. Ideo non debet, quia cum res per benignitatem illius veniat eo modo quo melius potest, nullo modo hoc velle debet. Ideo autem non potest, quia bonitas illius electo minori bono, illi quod majus est impedimentum minime parare potest. »

VIII. Quod non contraximus ex Adam culpam, sed pœnam.

« Sciendum est quod cum dicitur, Originale peccatum est in parvis; hoc dicitur pro pœna temporali et æterna, quæ debetur eis ex culpa primi parentis. » Et paulo post : « Similiter dicitur : « In quo omnes peccaverunt » : ideo scilicet, quia seminarium omnium erat in illo qui peccavit. Non tamen inde provenit, quod omnes peccassent qui non erant : et qui non est, non peccat. »

IX. Quod corpus Domini non cadit in terram.

« De speciebus panis et vini quæritur, si sint modo in corpore Christi, sicut prius erant in substantia panis et vini, quæ versa est in corpus Christi : an sint in aere. Sed verisimilius est quod sint in aere, cum sint in corpore Christi sua lineamenta, et suam speciem habeat, sicut alia corpora humana. Species vero istæ, scilicet panis et vini, fiunt in ore ad celandum et obtegendum corpus Christi. » Et post pauca : « Hic autem quæritur de

hoc quod qui videtur esse multitud....[1] unde et præcipitur, quod a sabbato usque ad sabbatum servetur, sicut de panibus propositionis factum fuisse legitur, a muribus etiam corrodi videtur, et de manu sacerdotis vel diaconi in terra cadere. Et ideo quæritur, quare Deus permittat ista fieri in corpore suo. An fortassis non ita fiat in corpore, sed tantum ita faciat apparere in specie? Ad quod dicimus quod revera non est sic in corpore, sed Deus ita in speciebus ipsis propter negligentiam ministrorum reprimendam habere facit; corpus vero suum, prout ei placet, reponit et conservat. »

X. Quod propter opera nec melior, nec pejor efficitur homo.

« Solet quæri quid a Domino remuneretur, opus, an intentio, seu utrumque. Auctoritas autem videtur velle quod opera a Deo æternaliter remunerentur; ait namque Apostolus : « Reddet Deus unicuique secundum opera sua. » Et Athanasius ait : « Reddituri sunt de factis propriis rationem. » Et paulo post ait : « Et qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum. » Nos vero dicimus, quod æternaliter a Deo remunerentur, sive ad bonum, sive ad malum : nec propter opera pejor, vel melior efficitur homo, nisi dum operatur, fortassis voluntas ejus in aliquo augmentetur. Nec est contra Apostolum vel alios auctores, qui cum Apostolus dixit : « Reddet unicuique, etc., » ibi effectum pro causa posuit, opus scilicet pro voluntate seu intentione. »

XI. Quod non peccaverunt qui Christum crucifixerunt ignoranter; et quod non sit culpæ adscribendum quidquid fit per ignorantiam.

« Opponit de Judæis qui Christum crucifixerunt et de aliis qui martyres persequendo putabant se obsequium præstare Deo : et de Eva quæ non egit contra conscientiam quoniam seducta est, et tamen certum est eam peccasse. Ad quod nos dicimus quod revera illi simplices Judæi non agebant contra conscientiam, sed potius zelo legis suæ Christum persequebantur; nec putabant se male agere, et ideo non peccabant : nec propter hoc aliqui eorum damnati sunt, sed propter præcedentia peccata, merito quorum in istam cæcitatem devoluti sunt. Et inter illos erant electi pro quibus Christus oravit, dicens : « Pater, dimitte illis; quia nesciunt quid faciunt. » Nec oravit ut hoc peccatum eis dimitteretur, cum hoc peccatum non esset, sed potius peccata præcedentia. »

XII. De potestate ligandi et solvendi.

« Illud quod in Matthæo legitur : « Quæcumque ligaveris super terram, etc., » sic intelligendum est : « Quæcumque ligaveris super terram, id est in præsenti vita, erit ligatum et in cœlis, id est in præsenti Ecclesia. » Et post pauca : « Huic sententiæ qua dicimus

[1] Hic aliquid deest.

Deum solum dimittere peccata, Evangelium videtur obviare. Ait namque Christus ad discipulos suos : « Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. » Sed nos dicimus quod hoc dictum est solis Apostolis, non successoribus eorum. » Et statim subditur : « Si quis tamen successoribus eorum convenire hoc dixerit, ad modum supradictæ auctoritatis hanc quoque exponere decet. »

XIII. De suggestione, delectatione et consensu.

« Sciendum quoque quod suggestio non est peccatum illi cui suggestio fit, nec delectatio consequens suggestionem, quæ delectatio inest ex infirmitate et memoria voluptatis, quæ est in impletione illius rei quam adversarius suggerit, sed solus consensus qui et contemptus Dei dicitur, in quo peccatum consistit. » Et post pauca : « Nec dicimus quod voluntas faciendi hoc vel illud, nec et ipsum opus sit peccatum, sed potius, ut superius dictum est, ipse Dei contemptus ex aliqua voluntate. »

XIV. Quod ad Patrem proprie vel specialiter pertinet omnipotentia.

« Si potentiam tam ad notitiam subsistendi, quam ad efficaciam operationis referamus, invenimus ad proprietatem personæ Patris proprie vel specialiter omnipotentiam attinere : quod non solum cum cæteris duabus personis æque omnia efficere potest, verum etiam ipse solus a se, non ab alio existere habet : et sicut habet a se existere, ita etiam habet ex se posse. »

Hæc sunt Capitula Theologiæ, immo stultologiæ Petri Abælardi.

II

BERENGARII SCHOLASTICI APOLOGETICUS

Contra beatum Bernardum Clarævallensem Abbatem et alios qui condemnaverunt Petrum Abælardum.

(Legitur in editione Amboesii, p. 302 et seq.)

Petrus Berengarius, Abælardi discipulus, nobis tantum notus est *Apologia* magistri sui et duobus aliis opusculis, quæ in nostra editione *Apologiam* subsequuntur. Quo tempore natus sit, quo mortuus, quem vitæ cursum habuerit incertum est. Eum Gabalitanum fuisse Dom. Brial conjicit[1] nescio an jure, cum Pictaviensem Cod. Parisiensis 2923 faciat. Petrarchæ judicio, scriptor non infacundus est[2], et revera, quamvis ejus oratio nugis abundet et scurrilibus jocis, vi quadam dialectices et eloquentiæ passim enitet.

Ut rideas, Lector, videas: imo videas, ut irrideas quæ ridicula tibi occurrent. Et quemadmodum ipse Berengarius te monet in Epistola sequenti si quid in personam hominis Dei, Bernardi scilicet, Abbatis Clarævallensis, dixit, joco legas, non serio.

Scriptorum tuorum exemplaria, Bernarde, celebris circumquaque fama divulgat. Nec mirum scripta tua in famæ pulpito collocari; cum constet ea, qualiacumque sint, a majoribus hujus temporis approbari. Mirantur homines in te liberalium disciplinarum ignaro tantam ubertatem facundiæ, quia emissiones tuæ jam cooperuerunt universam superficiem terræ. Quibus est divinitus respondendum[3] : « Quia magna opera Domini: » et[4], « Hæc est mutatio dexteræ Excelsi. » Sed nihil est cur admiratione percelli debeant. Imo magis mirandum esset, te eloquii urgeri siccitate, quoniam audivimus a primis fere adolescentiæ rudimentis, cantiunculas mimicas et urbanos modulos factitasse. Neque certe in incerto loquimur opinionis, sed testis est alumna tui patria nostri sermonis. Nonne id etiam tuæ memoriæ altius est insignitum, quod fratres tuos rhythmico certamine, acutæque inventionis versutia semper exsuperare contendebas? Cui gravis et

[1] *Recueil des Histoires des Gaules*, t. XIV, p. 294. — [2] Ap. Oudin. *Comment. de Script. Eccles.*, t. II, col. 1199.
[3] *Psalm.* CX, 2. — [4] *Psalm.* LXXVI, 11.

peracerba videbatur injuria, reperire aliquem qui pari responderet protervia. Possem aliqua de nugis tuis huic opusculo ex testium probabilium astipulatione inserere, sed vereor paginam fœdi commenti interpositione interpolari. Ceterum cunctis nota teste non indigent. Illum itaque commentandi et nugandi usum ad divinum sæpe instrumentum accersis; et astruunt imperiti graviter et granditer dictum, quod ubertim et eloquenter effutis. Sed non sic esse ratio necessaria convincit. Frequenter enim veritas absolute et illepide profertur, et falsitas plausibilis eloquii comitate commendatur. Similesque sunt, ut ait Augustinus, simplicitas dicendi et eloquentia vasis rusticanis et urbanis : falsitas vero et veritas, ferculis vilibus et preciosis. Utraque autem fercula utrisque possunt vasis ministrari. Neque hoc ideo dixerim, ut te notabilem et suspectum reddam; sed ut veritatem non in omnium facundia esse simpliciter astruam. Sed super hoc hactenus : ad reliqua potius transeamus. Jamdudum sanctitudinis tuæ odorem ales per orbem fama dispersit, præconizavit merita, miracula declamavit. Felicia jactabamus moderna secula tam corusci sideris venustata nitore, mundumque jam debitum perditioni tuis meritis subsistere putabamus. Sperabamus in linguæ tuæ arbitrio cœli sitam clementiam, aeris temperiem, ubertatem terræ, fructuum benedictionem. Caput tuum nubes tangebat. Et juxta vulgare proverbium, rami tui umbras montium transcendebant. Sic diu vixisti, sic Ecclesiam castis institutionibus informasti, ut ad semicinctia tua rugire dæmones autumaremus, et beatulos nos tanto gloriaremur patrono.

Nunc, proh dolor! patuit quod latebat, et colubri soporati tandem aculeos suscitasti. Omissis omnibus, Petrum Abælardum quasi signum ad sagittam posuisti, in quem acerbitatis tuæ virus evomeres, quem de terra viventium tolleres, quem inter mortuos collocares. Corrogatis undecumque Episcopis eum in Senonensi Concilio hereticum pronunciasti, ab utero matris Ecclesiæ velut aborsum præcidisti. In via Christi ambulantem, tanquam sicarius de occulto prodiens, tunica inconsutili spoliasti. Concionabaris ad populum, ut orationem funderet ad Deum pro eo : interius autem disponebas eum proscribendum ab orbe Christiano. Quid vulgus faceret? quid vulgus oraret, cum pro quo esset orandum nesciret? Tu vir Dei, qui miracula feceras, qui ad pedes Jesu cum Maria sedebas, qui conservabas omnia verba hæc in corde tuo, purissimum sacræ orationis thus coram supernis obtutibus adolere deberes, ut reus Petrus resipisceret, et talis efficeretur quem nulla suspicio inquinaret. Sed forsitan malebas talem, in quo reprehensionis idoneam nanciscereris occasionem. Denique post prandium allatus est liber Petri, et cuidam præceptum est ut voce clamosa Petri opuscula personaret. At ille et Petri odio animatus, et vitis germine irrigatus; non illius qui dixit[1] : « Ego sum vitis vera, » sed illius qui patriarcham nudum stravit in area, sonorius quam postulatum fuerat exclamavit. Post aliqua pontifices insultare, pedem pedi applodere, ridere, nu-

[1] Joan., cap. XV, v. 1.

gari conspiceres; ut facile quilibet judicaret illos non Christo vota persolvere, sed Baccho. Inter hæc salutantur cyphi, pocula celebrantur, laudantur vina, pontificum guttura irrigantur. Tunc aliquis Horatiano sale ludere posset[1] :

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem.

Nam illud, quod idem poeta in alio carmine promit[2],

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus....

ibi memoriter gerebatur. Quanto salubrius audiretur suavis poetæ Galli[3] sententia luculentis admodum versibus vigilata. Ait enim :

Vina probo, si pota modo, debentque probari.
Si non pota modo, vina venena puto.

Sed lethæi potio succi pontificum corda jam sepelierat. Ecce, inquit Satyricus[4],

. . . . Inter pocula quærunt
Pontifices saturi quid dia poemata narrent.

Denique cum aliquid subtile divinumque sonabat, quod auribus pontificalibus erat insolitum, audientes omnes dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in Petrum, et oculos talpæ habentes in philosophum : Hoc, inquiunt, sineremus vivere monstrum? Moventesque caput quasi Judæi[5] : « Vah, inquiunt, ecce qui destruit templum Dei. » Sic judicant verba luminis cæci, sic virum sobrium damnant ebrii, sic contra organum Trinitatis disserunt calices facundi, sic contra simplicem disputant cornuti, sic sanctum canes, sic margaritas porci corrodunt. Sic sal terræ infatuatur. Sic legis fistula obturatur. Concionatur sapiens vir[6], « Qui tangit picem inquinabitur ab ea : » quod nos alio possumus reddere versu, « Qui tangit vinum inquinabitur ab eo. » Biberat episcoporum sobrietas sanguinem uvæ meracissimum, cujus integritatem aqua non devirginaverat, quia secundum Martialem,

Grande nimis scelus est sacrum jugulare Falernum,
Nec Bacchus Lymphæ conjugium patitur[7].

Impleverant primates orbis philosophi gutturis dolia sua vivido vino. Cujus calor ita incesserat cerebris, ut in somni letargiam oculi omnium solverentur. Inter hæc sonat lector,

[1] *Od.* I, 18. — [2] *Od.* I, 37. — [3] Hic certe alluditur ad Gallum poetam quem cecinit Virgilius, quamvis allati versus nec in Galli nec in Pseudo-Galli fragmentis reperiantur. — [4] Persius, *Sat.*, I, v. 30. — [5] Marc., cap. XV, v. 29. — [6] *Eccli.*, cap. XIII, v. 1. — [7] Versus prior est Martialis, I, 19; posteriorem nullibi vidimus.

stertit auditor. Alius cubito innititur, ut det oculis suis somnum. Alius super molle cervical dormitionem palpebris suis molitur. Alius super genua caput reclinans dormitat. Cum itaque lector in Petri satis aliquod reperiret spinetum, surdis exclamabat auribus pontificum : Damnatis? Tunc quidam vix ad extremam syllabam expergefacti, somnolenta voce, capite pendulo, Damnamus, aiebant. Alii vero damnantium tumultu excitati, decapitata prima syllaba, namus inquiunt. Vere natis, sed natatio vestra procella, natatio vestra immersio est. Sic milites dormientes testimonium perhibent, quia[1] « nobis dormientibus venerunt Apostoli, et tulerunt corpus. » Qui vigilaverat in lege Domini die ac nocte, nunc damnatur a sacerdotibus Bacchi. Sic morbidus medicum curat. Sic damnat naufragus in littore constitutum. Sic arguit innocentiam qui ad furcas ducitur suspendendus. Quid agimus, anima? Quo nos vertimus? Exciderunt ne tibi præcepta rhetorum, et occupata luctu, præpedita singultibus, dicendi ordinem non tenes? Putasne veniens Filius hominis inveniet fidem super terram? Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Petrus autem non habet ubi caput suum reclinet. Sic judicant in loco judicis sedentes rei; in loco vindicis innocentiæ vexatores. Simul sunt omnia talibus judicibus, talibus actoribus depravata[2] :

Hic satur exiguo mavult turgescere somno,
Hic exporrectis ampullat verba labellis.
Hic loquitur nimis, ille tacet : hic ambulat, hic stat.
Alter amat fletus, alter crispare cachinnum.
Diversisque modis par est vesania cunctis.

Quid hi tales egerint, quid decreverint jurisperiti, Evangelica lectio consolatur. « Collegerunt, inquit[3], Pontifices et Pharisæi Concilium, et dixerunt : Quid facimus? quia hic homo multa mira dicit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. » Unus autem ex ipsis nomine Bernardus abbas, cum esset pontifex concilii illius, prophetavit dicens : « Expedit nobis ut unus exterminetur homo a populo, et non tota gens pereat. » Ab illo ergo die cogitaverunt condemnare eum, dicentes illud Salomonis[4] : « Tendamus insidias justo, » supplantemus ei gratiam labiorum. Inveniamus radicem verbi contra justum. Facientes fecistis, et linguas vipereas in Abælardum evaginastis. Subversi subvertistis, et vinum absorbuistis, sicut qui devorat pauperem in abscondito. Inter hæc Petrus orabat[5], « Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa. » Interdum illud Psalmistæ sedulo ruminabat[6] : « Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum. » Vere pingues, quorum colla thoris adipeis incrassata liquidam sudabant arvinam. Nec mirum. Visitaverant enim dome-

[1] Matth., cap. XXVIII, v. 13. — [2] Persius, *Sat.*, V, v. 55. — [3] Joan., cap. XI, v. 47. — [4] *Prov.*, cap. I, v. 11. — [5] *Psalm.* CXIX, v. 2, 4. — [6] *Psalm.* XXI, v. 13 et 14.

stici fidei ventrium lacunas[1] in misericordia et caritate. Sedit autem in concilio vanitatis, contra Psalmi decretum, quidam memoriæ celebris Episcopus, in cujus auctoritatem plurimorum se reclamabat assensus. Hic hesternam crapulam ructans, hujusmodi in concione sermonem evomuit : Fratres, christianæ religionis participes, communi periculo providete. Ne fides in vobis turbetur, ne sincerus columbæ oculus turgente macula obducatur. Nihil enim prodest aliarum virtutum possessio, ubi fuerit fidei defectio, juxta illud Apostoli[2] : « Si linguis hominum loquar et Angelorum, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest. » O Minervæ lepos! o sales Attici! eloquentia Tulliana! Hanc certe caudam non vult hic asinus. Talis finis tali capiti non respondet. Unde etiam qui faverunt, pressa fronte, ruborem confessi sunt. Placet et non immerito hanc magni nominis umbram gregi illorum communicare, de quibus dictum est[3] : « Conceperunt ventum, et telas araneæ texuerunt. » Præfatus vero episcopus etiam præmissis adjungens : Petrus, inquit, semper turbat Ecclesiam, semper excogitat novitatem. O tempora! o mores! Sic judicat de sole cæcus. Sic pingit in ebore mancus. Sic urbem appreciatur asinus. Sic animales Episcopi judicant, sic casus ventilant, sic discutiunt rationes. Sic pugnant contra eum filii matris suæ. Sic sues crassæ adversus silentem grunniunt.

Intra tot itaque et tantas angustias, deprehensus Abælardus ad Romani examinis confugit asylum. Filius sum, inquit, Romanæ ecclesiæ. Volo causa mea quasi impii judicetur. Cæsarem appello. At Bernardus Abbas, in cujus brachio fidebat præsulum multitudo, non dixit, ut Præses qui tenebat Paulum in vinculis : Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis; sed : Cæsarem appellasti, ad Cæsarem non ibis. Renunciavit enim quæ gesta fuerant Apostolico, et statim a romana sede litteræ[4] damnationis in Petrum per Gallicanam Ecclesiam volaverunt. Damnatur taliter os illud, promptuarium rationis, tuba fidei, hospitium Trinitatis. Damnatur, proh dolor! absens, inauditus et inconvictus. Quid dicam? quidve non dicam? Bernarde,

Nil opus est bello, veniam pacemque rogamus,
    Porrigimus junctas ad tua lora manus.
Jura cadent rerum, vertetur sanctio legum,
Si vis, si mandas, si sic decernis agendum,
Quem penes arbitrium est, et vis, et norma loquendi.

Cujus unquam, Jesu bone, culpa tam cæcos habuit judices, ut non utrinque causæ latera ventilarent? ut non in quam potissimum partem jus vergeret elimarent? Isti clausis oculis palpant negotium, et quasi oculati rerum cognitores arcu iniquitatis intenso toxi-

[1] Sic Cod. 2933. Amb. *Fidei neutrium lacrimas*; quod sensu caret. — [2] *Corinth.*, I, cap. XIII, v. 1. — [3] Isai., cap. LIX, v. 4 et 5. — [4] Amb. *litem*, quod sensu caret.

cum subito jaculantur. Quidquid intestinus odiorum furor, quidquid implacabilis amentiæ turbo rotaret in Petrum, quidquid iniqua conflaret æmulatio, censuræ apostolicæ sobrium nunquam dormitare deberet acumen. Sed facile deviat a justitia, qui plus hominem quam Deum timet in causa. Verumque illud est quod per propheticum organum sonat[1] : « Omne caput languidum, a planta pedis usque ad cervicem, non est in eo sanitas. »

Sed corrigere, inquiunt fautores Abbatis, Petrum volebat. Si Petrum, bone vir, ad integrum fidei statum disponebas revocare; cur ei coram populo æternæ blasphemiæ characterem impingebas? Rursusque si Petro amorem populi tollebas, quomodo corrigere disponebas? Ex qua complexione in summam redigitur, te in Petrum exarsisse non amore correctionis, sed desiderio propriæ ultionis. Præclare dictum est a Propheta[2] : « Corripit me justus in misericordia. » Ubi enim deest misericordia, non est correctio justi, sed barbaries incondita tyranni. Testatur etiam rancorem animi ejus epistola ad Innocentium Papam directa, in qua sic stomachatur : « Non debet, inquit, refugium invenire apud sedem Petri, qui fidem impugnat Petri. » Parce, parce, bellator inclyte. Non decet monachum sic pugnare. Crede Salomoni[3] : « Noli, inquit, nimium esse justus : ne forte obstupescas. » Non impugnat fidem Petri, qui fidem affirmat Petri. Debet ergo invenire refugium apud sedem Petri. Patere, quæso, Petrum tecum esse christianum. Et si vis, tecum erit catholicus. Et si non vis, tamen erit catholicus. Communis enim Deus est, non privatus. Sed si sedet sententia cordi, pergamus pariter contemplari, quomodo Petrus fidem infestat Petri. Scribit enim Petrus ad ancillam Dei Heloissam sacris litteris apprime institutam, familiarem satis epistolam, quæ inter reliqua horum etiam verborum redolet continentiam[4] :

« Soror mea Heloissa, quondam mihi in seculo cara, nunc in Christo carissima, odiosum me mundo reddidit logica. Aiunt enim perversi pervertentes, quorum sapientia est in perditione, me in logica præstantissimum esse, sed in Paulo non mediocriter claudicare. Cumque ingenii prædicent aciem, christianæ fidei subtrahunt puritatem. Quia, ut mihi videtur, opinione potius traducuntur ad judicium, quam experientiæ magistratu. Nolo sic esse philosophus, ut recalcitrem Paulo. Non sic esse Aristoteles, ut secludar a Christo. Non enim aliud nomen est sub cœlo, in quo oporteat me salvum fieri. Adoro Christum in dextera Patris regnantem. Amplector eum ulnis fidei in carne virginali de Paracleto sumpta, gloriosa divinitus operantem. Et ut trepida sollicitudo, cunctæque ambages a corde tui pectoris explodantur, hoc de me teneto, quod super illam petram fundavi conscientiam meam, super quam Christus ædificavit Ecclesiam suam. Cujus petræ titulum tibi breviter assignabo. Credo in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; unum naturaliter et verum Deum : qui sic in personis approbat Trinitatem, ut semper in substantia

[1] Isai., cap. I, v. 5 et 6. — [2] *Psalm.* CXL, v. 5. — [3] *Eccles.*, cap. VII, v. 17. — [4] Hæc epistola Abælardi non extat integra. Cf. t. I hujusce editionis, p. 680, 681.

custodiat unitatem. Credo Filium per omnia Patri esse coæqualem, scilicet æternitate, potestate, voluntate et opere. Nec audio Arium qui perverso ingenio actus, imo dæmoniaco seductus spiritu, gradus facit in Trinitate; Patrem majorem, Filium dogmatizans minorem, oblitus legalis præcepti : Non ascendes, inquit Lex, per gradus ad meum altare. Ad altare quippe Dei per gradus ascendit, qui prius et posterius in Trinitate ponit. Spiritum etiam sanctum Patri et Filio consubstantialem et coæqualem per omnia testor, utpote quem bonitatis nomine designari volumina mea sæpe declarant. Damno Sabellium, qui eamdem personam asserens Patris et Filii, Patrem passum autumavit; unde et Patripassiani dicti sunt. Credo etiam Filium Dei factum esse Filium hominis, unamque personam ex duabus et in naturis duabus consistere; qui post completam susceptæ humanitatis dispensationem passus est et mortuus, et resurrexit, et ascendit in cœlum, venturusque est judicare vivos et mortuos. Assero etiam in baptismo universa remitti delicta, gratiaque nos egere, qua et incipiamus bonum et perficiamus, lapsosque per pœnitentiam reformari. De carnis autem resurrectione quid opus est dicere, cum frustra glorier me christianum, si non credidero resurrecturum? Hæc itaque est fides in qua sedeo, ex qua spei contraho firmitatem. In hac locatus salubriter, latratus Scyllæ non timeo, vertiginem Carybdis rideo, mortiferos Syrenarum modulos non horresco. Si irruat turbo, non quatior. Si venti perflent, non moveor. Fundatus enim sum supra firmam petram. »

Hæc de epistola Petri ad verbum excerpenda putavi, ut liquidum fieret quomodo Petrus impugnaret fidem Petri. Nunc, rigide censor, adesto, et fidem Petri sincero perpende judicio. Dixisti : « Non debet refugium invenire apud sedem Petri, qui fidem impugnat Petri. » Hoc per se dictum quoddam esset eminens et generale verum. Sed quia personaliter dixisti de Petro, convinco te sentire contraria vero. Non enim Petrus arguit fidem, ad cujus lineam vitam suam disponit, nec alienus est a Christi portione, cujus se tam humiliter insignivit nomine. Deberet ergo refugium apud sedem Petri invenire, si non illecebræ tui eloquii clausissent viscera misericordiæ Romanæ Ecclesiæ. Sed dum tu Petro clementiæ ostium obstruis, conceptæ vesaniæ signanter impetum prodis.

Hic fortasse inquies : Nimia super me lacessis injuria. Zelus domus Dei comedit me, eo quod lepra insanæ doctrinæ macularet corpus Ecclesiæ, cui obviandum in ipso statim nequitiæ semine putavi, ne late serperet vis veneni. Nonne caute consulteque egi, quod fœdum illud sacrilegumque dogma manuali quodam indiculo complosi, ne scilicet breviter volentibus attingere summam rei onerosum esset ire per spaciosos saltus voluminum Abælardi? Ad hæc ego : Laudo te, Pater, sed in hoc non laudo. Indiculum vidimus, in quo non Petri dogmata, sed nefandi commenti capitula legimus : Quod scilicet Pater sit omnipotentia, Filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia. Quod Spiritus sanctus, licet sit ejusdem substantiæ cum Filio, non tamen est de eadem

substantia. Quod homo sine nova gratia possit operari. Quod Deus non possit plus facere quam facit, nec melius facere quam facit, nec aliter facere quam facit. Quod anima Christi non descendit ad inferos. Hæc et alia indiculus tuus continet, quorum quædam, fateor, Petrus et dixit et scripsit, quædam vero neque protulit neque scripsit. Quæ autem dixerit, et quæ non dixerit, et quam catholica mente ea quæ dixerit senserit, secundus arrepti operis tractatus christiana disputatione ardenter et impigre declarabit. Nam talia sunt quæ dilui debent atque refelli, ut non immerito proprio reserventur volumini. Nunc illud est acriter persequendum, cur vir sanctus, et in ore famæ nominatissimus, qui quædam perenni sepelienda silentio scriptis propriis tradidit, Petro Abælardo hæreseos crimen impegerit. Rata namque est fama, et ab antiquo quasi naturæ legibus promulgata, neminem de simili crimine quempiam posse convincere. Quod dum fecisti, et imprudenter et impudenter egisti.

Petrus erraverat, esto. Tu quare errasti? Aut sciens, aut nesciens errasti. Si sciens errasti, hostis Ecclesiæ comprobaris. Si nesciens errasti, quomodo es defensor Ecclesiæ, qui errorem nescis discernere? Errasti vere dum originem animarum de cœlo asseruisti esse. Quod qualiter in libro astruas, quoniam utile et facile est cognitu, sagaci lectori ab altiori cardine retexam. Est liber quem Hebræus « Firasirim », Latinus nominat Canticum Canticorum, cujus littera vigilantibus animis divinæ cujusdam intelligentiæ sudat arcanum. Ad hunc librum Bernardus manum expositionis applicat; ut ab hirsutis litteræ opusculis egregii sensus frugem eliciat, utitur sane mediocri et temperato genere dicendi. Sed libet paululum percunctari, cur Bernardus post tot illustrium virorum sudores, qui in præfato opere sua ingenia contulerunt, tam immensæ majestatis volumen tentavit in lucem proferre? Nam si majores nostri plenarie sufficienterque libri hujus latebras produxerunt in solem, miror qua fronte ausus tuos extenderis in opus elimatum ad unguem. Quod si aliqua sunt tibi revelata sacramenta quæ eorum notitiam fugerint, non invideo, imo labori vehementer applaudo. Sed cum eorum expositiones, commentumque tuum studiosis revolvo manibus, nihil te novi dixisse comperio, imo sensum alienum verbis tuis vestitum deprehendo. Supervacua igitur explanatio tua esse videtur. Ac, ne quis me putet improbabilia proloquutum, proferam super hunc librum quadrigam expositorum : Origenem scilicet græcum, Ambrosium mediolanensem, Rheticium augustodunensem, Bedam angligenam. Quorum primus cum in ceteris libris, ut ait Hieronymus, vicerit, in Canticis Canticorum se ipsum vicit. Secundus vero probabili et erudito sermone Sponsi Sponsæque firmavit amores. Tertius perplexitatem voluminis sublimi ore disseruit. Quartus autem ejusdem libri opaca septem libris absolvit. Post tales itaque et tam industrios viros, Bernardus arat, quasi aliquid intentatum nostri majores reliquerint. Possemus sane lucubrationibus diserti hominis acquiescere, nisi potius tragœdiam videretur quam commentarios texere. Patefacta namque quadam parte operis, repente mortem sui fratris inducit, in cujus funeris prosecutione duos pene quaternos consumit.

Quod quam ibi discrepans et inconcinnum fuerit, paucis expediam. Liber ille Salomonis in sancti Spiritus officina conflatus, Christi et Ecclesiæ sub Sponsi Sponsæque typo maritat amplexus. Porro nuptiis gaudia consonant. At Bernardus aut rerum obscurarum tædio victus, aut negligens Apostoli dictum suadentis gaudere cum gaudentibus, mortuum suum ducit ad nuptias, cum scriptum sit : « Non est Deus mortuorum, sed viventium.» Discumbente itaque Sponso in Sponsæ gremio, et juvenculis Sponsi Sponsæque juvenculabus alterna jocunditate plaudentibus, tuba funebris subito clangit. Epulæ in luctum eunt, organa vertuntur in funus. Tragœdia risum profert[1] nuptiarum. Non discretus, non elegans citharista fuisti, qui funebres modulos regio convivio præsentasti. Quis unquam somniavit tale portentum? Solemus ridere picturas incipientes ab homine et in asinum desinentes. Revolve, quæso, prisci super hunc librum monumenta ingenii, et nullum reperies, qui in hujusmodi materia tristia lætis confœderet. Unde Rheticii Augustodunensis aurea sic depromit camœna: «Mos est, inquit, generosæ materiæ observandus, Sponsi Sponsæque tripudia festiva tuba persultent. Neque enim in funera fas distrahi animum, quoniam ad exponendum cantica nuptiarum invitat alacritas convivarum. Sed quoniam tantæ facultatis ratio in nobis vel nulla est, vel admodum orba, ejus innitar gratiæ, qui per Evangelium suum sonat : Sine me nihil potestis facere. Neque certe mihi deficiet transitorium verbum, cum credam in Verbum quod est in principio apud Deum.» O vox Catholico digna doctore! O fidelis confessor gratiæ! Recte perpendiculum sui judicii vir sapiens lineavit, qui mœrorem a gaudio tanto interstitio sequestravit. Tu vero terminos transgrediens, quos posuerunt Patres tui, cantica in elegos, carmina in threnos sorte miserabili convertisti. Quod si tibi deessent ecclesiasticæ scita censuræ, recolere poteras etiam gentilis instituta prudentiæ. Nam cum Zeuxis pictor eximius simulacrum Helenæ pinxit, non ei brachia simiæ, nec chimeræ ventrem, nec caudam piscis aptavit, sed humanorum membrorum expolitione perfectum publicis usibus[2] propalavit. Alioquin indecens et ridiculosa esset pictura. Unde Horatius in *Arte poetica*[3] :

> Humano capiti cervicem pictor equinam
> Jungere si velit, et varias inducere plumas,
> Undique collatis membris; ut turpiter atrum
> Desinat in piscem mulier formosa superne :
> Spectatum admissi, risum teneatis amici.

Concedit ars, ut quod velis incipias, sed non ut quemlibet finem cœptis tuis supponas. Unde idem poeta paulo post scripsit[4] :

> . . . . . Pictoribus atque poetis
> Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

[1] Ita Rawlinson. *Procerit* Amb. — [2] Amb. forsan *visibus*. — [3] 1 et sq. — [4] *Ibid.*, v. 9 et sq.

Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes avibus generentur, tigribus agni.

Velut ægri somnia operis tui vanæ species finguntur :

. . . . . Ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ. . . . .
Purpureus late qui splendeat, unus et alter
Assuitur pannus. . . . .

At ne quis fautorum tuorum obloquatur[1] :

Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

Quid plura? Tota ars poetica jurata contra te bella suscepit. Deberes revera ingenii tui puerperium, juxta ejusdem poetæ institutionem, nonum premere in annum; ut male tornatum opus rursus liceret incudi reddere, et curare ne te limæ labor offenderet. Deberes utique festinantiam emissionis differre, cum scriptum sit :

. . . . Nescit vox missa reverti.

Laudamus in te, Pater, venam ingenii, sed artis culpamus inscitiam. Inde est quod veteres diffinierunt ingenium esse mutilum, nisi opem artis sibi adsciscat. Laudantur sales Lucilii, et tamen mordetur quod incomposito currat pede :

Incomptos versus componit et arte carentes
Ennius ingenio dives, et arte rudis.

E quibus est ille :

Omnes mortales sese laudari exoptant.

Sed quoniam lippis et tonsoribus claret, quod non recte lamenta epithalamio conjugasti, libet aliqua de ipso boatu tragico speculari. Inter cetera, ni fallor, oratoris nostri lugubris musa sic calculat : « Decessit frater a vita, imo, ut rectius fatear, mortem reliquit pro vita. Frater, inquam, decessit, tenor continentiæ, morum speculum, vinculum religionis. Quis ulterius vegetabit me ad laborem? Quis amplius leniet mœrentem? » Et post aliqua : « Bos bovem requirit; se quod solum putat, frequenti mugitu pium testatur affectum. Bos, inquam, bovem requirit, cum quo ducere collo aratra consuevit. »

[1] Horat., *de Art. Poet.*, v. 273.

Pulchrum quidem est et tinnulum quod Bernardus loquitur; sed de alio sudore precium nomenque venatur. Ambrosius enim hæc verba syllabatim in querimonia illa posuit, quam de excessu Satyri amici sui mulcebri dealbatoque stylo procudit. Itaque Bernardus in hoc planctu adeo est vehemens, adeo pertinax, adeo vivus, ut legenti cuilibet constans sit, eum non veros fletus edere, sed verba quibus veri questus exprimantur effundere. Aiunt tamen quidam insulsi, seductorio ejus linguæ moderamine seducti, qui corpus verborum diligunt, animam autem rationis spernunt, cum tam facundia sublimi in lamentis illis uti, ut nulla modernæ eloquentiæ facultas ei valeat exæquari. O falsi judices eloquentiæ, quos projicit vocis ventus ut pulverem a facie terræ! Quænam ibi sententiarum vis? quæ pocula rationum? Totus in verbis fluctuat, et mors ridiculi syllogismi rotatur in circulo. Unde poeta, Citharœdus, inquit [1],

Ridetur corda qui semper oberrat eadem.

Læta verborum gramina sata instrangulant sententiarum. Aut fortasse idem dicendo multipliciter, Ulixem simulare volebat. De quo scriptum est :

Ille referre alii sæpe solebat idem.

Sed non talibus instrumentis mortuus suscitatur, nec eloquentiæ præstigiis vita mortuo comparatur. Unde cujusdam distichum egregie sonat :

Cur dantur frustra pro Psalmis carmina pulchra?
Plus prodesset ei ter, miserere mei.

Quod si dolorem suum delinimentis facundiæ remedioque carminis evaporare nolebat; cur non saltem super hoc proprium separatim opusculum condebat? Nec deerant, a quibus talis materiæ mutuari posset exemplar. Socrates mortem sui Alcibiadis philosophici vigoris ubertate testatur. Plato Alexim puerum cui amatorias cantiunculas composuerat, insigni titulo ducit ad tumulum. Taceo Pythagoram, Demetrium, Carneadem, Posidonium, reliquosque, quorum excellentia Græcia superbit, qui, teste Hieronymo, diversis seculis, diversis libris diversorum lamenta minuere sunt conati. Prætereo Anaxagoræ laudatam semper sententiam, qui cum ei nunciaretur filium obisse, fletu represso : Sciebam, inquit, me genuisse mortalem. Et ut peregrina omittens ad nostra veniam, Tullius, eloquii romani maximus auctor, consolatorium de morte filii sui librum edidit, cui præclara magnorum virorum monumenta quasi stellas micantes impressit. Hieronymus dolori quem de morte Nepotiani conceperat, plausibili medetur eloquio. Ambrosius, de quo præfatus sum, duos libros de excessu dilecti sui Satyri suavi stylo edisserit.

[1] Horatius, *de Art. Poet.*, v. 356.

Ad horum normam planctum tuum texere debebas, non immemor illius vulgaris proverbii,

Vicini barbæ propriam debes simulare.

Sed quoniam super hoc satis abundeque digessimus, tempestivum est illud capitulum in eodem libro visitare, in quo animarum originem de cœlis fabularis esse. Ubi sic recolo te locutum : « Merito dixit Apostolus[1], nostra conversatio est in cœlis. » Hæc verba tua subtiliter explorata, christianæ mentis palato hæresim sapiunt. Si enim idcirco animæ originem de cœlis astruis, quia quandoque beata futura est in cœlis; eadem ratione corporis origo erit in cœlis, quia quandoque beatum futurum est in cœlis. Sed ad hoc intimandum talia verba se non accommodant. Aut si ideo animæ originem cœlestem ascribis, quia olim orta, id est facta sit in cœlis, quod quidem verborum talium resultat intentio; pravitatem Origenis incurris, qui in libris Periarchon, pythagoreum platonicumque dogma secutus, originariam in cœlo sedem animabus disponit. At quoniam de anima mentio se ingessit, non absurdum est commemorare, quæ altercationis varietas occupaverit de animarum origine. Aiunt philosophi, quorum duces sunt Plato et Pythagoras, quibus et tu ex parte maxima acquiescis, animas scilicet olim ab initio factas conditasque in thesauris Dei, indeque ob antiquum vitæ contagium in corporum ergastulum lapsas, rursusque si corpus juste gubernaverint, ad antiquæ honestatis vultum meritorum vehiculo redituras ferunt. Et hæretici, animam partem esse divinæ substantiæ contenderunt, occasionem hujus fabulæ inde rapientes, quod scriptum est in Genesi[2] : « Et sufflavit Deus in faciem ejus, » scilicet Adæ, « spiraculum vitæ. » Contra quos intonat breviter Augustinus : « Flatus, inquit, ille dicitur qui hominem animavit. Factus est ab ipso, non de ipso, quia nec hominis flatus hominis pars est, nec homo eum facit de seipso, sed ex aereo halitu sumpto et effuso. » Item fuerunt quidam crassis ignorantiæ tenebris obvoluti, qui venire animas ex traduce delirabant : quos confutare quodammodo est eorum ineptias roborare. His tribus næniis[3] quasi rationi adversis orthodoxæ veritatis gladio amputatis : asserunt sancti Patres noviter creatis corporibus creatas noviter animas quotidie infundi, juxta id Evangelii[4] : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor. » Tu itaque a doctrinæ salutaris tramite devius, in philosophorum scopulos ruis. Et dum dignitatem animæ jactitas, originem ei sideream flore jejuni eloquii nundinaris. Quod si in Petri opusculis hujus vecordiam reperisses, non est dubium quin eàm inter illa quæ peperisti capitulorum monstra locasses.

Hinc ad alios tui ingenii fructus articulus est vertendus. Quærit a te vir collo inflatus romano, quid sit diligendum, et quomodo. Cui sic rescribis : « Orationes a me, Aimerice, et non quæstiones flagitare solebas. » Et post pauca : « Quæris quid sit diligendum.

[1] *Philipp.*, cap. III, v. 20. — [2] *Genes.*, cap. II, v. 7. — [3] Amb. forsan *Nodis*. — [4] Joan., cap. V, v. 17.

Cui breviter respondeo : Deus. » Homo romanus, grossus camelus, gallicano argumento gibbosus, trans Alpes saltat, ut quid sit diligendum inquirat, quasi juxta se non habeat, qui rei hujus sibi notionem infundat. Cui noster philosophus mandat non virtutem esse diligendam, ut Chrysippus, nec voluptatem, ut Aristipus; sed Deum, ut christianus. Acutulum sane responsum, et docto homine dignum! Sed quænam abjecta muliercula, quisnam hoc ignoret extremus idiota? Sic philosophantur in textrinis aniculæ. Sic propositiones Dagani cum joco mirari solemus. De cujus propositionibus aliquas exempli gratia interseram. « Filius, inquit, sum matris meæ. Placenta est panis. Caput meum est grossius pugno meo. Cum meridies est, dies est. » Quis est, cui audita tam ridicula veritate, labia risu non quatiantur? Similiter et cum Bernardus dixit, Deum esse diligendum, verissimum quidem dixit, et venerabile verum; sed ad hoc dicendum pro nihilo aperuit os suum. Nemo enim de hoc dubitat. Sperabat enim romanus aliquid secreti audire, et Archimandrita noster tale quid intonat, quod quilibet rusticus valeret respondere. Et tamen dum Deum diligendum esse pronunciat, latenter ferit romanum, qui in curia Papæ non Deum didicerat amare, sed aurum. Sequitur postea de modo diligendi : « Modus, inquit, est sine modo diligere » Aimericum, sic enim dictus est ad quem scribis, quasi lacteo succo pavisti, dum Deum diligendum aperte pronunciasti. Nunc eum subito ad altiora suberigens dicis, quod modus diligendi Deum sit sine modo diligere. Qui quæsiverat quid esset diligendum, de quo nec pauperculus christianus quidem hæsitaret, quomodo poterit hanc subtilitatem intelligere, quod modus diligendi Deum sit sine modo diligere? In quo impossibile quiddam spondere videris. Cum enim stabile fixumque sit Deum ea munificentia esse præditum, ut nequaquam nostra in illum dilectio ejus dignitati æquipollenter respondere sufficiat : quomodo sine modo diligemus, quem cum modo diligere non valemus? Quomodo, inquam, porrigetur dilectio ultra modum, cum semper remaneat citra modum? Aut si sic intellexisti sine modo diligere, id est diligere quod non perveniatur ad congruum diligendi modum, ridiculam intelligentiam portendit somnium tuum. Dum itaque rhetoricari voluisti, et obscuritatem dedisti, et quiddam inopinum atque impossibile confecisti, dum Deum sine modo diligendum docuisti.

Quanto rectius hic qui nil molitur inepte [1]?

Jesus-Christus scilicet, qui per Evangelium suum diligendi modum exprimens[2] : « Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis. » Hic nullus eloquentiæ fucus, sed mera tantum veritas, simplici et absoluto est expressa eloquio. Hic romanus aurem accommodet. Hic superbiæ strumam deponat camelus, quia Jesus hic nil impossibile pronunciat. Jesus, inquam, sententiæ lucem tene-

[1] Horatius, *de Art. Poet.*, v. 140. — [2] Matth., cap. XXII, v. 37.

bris eloquii non involvit, ut Bernardus, qui rei venerabilis majestatem exquisito quodam obnubit verborum adulterio. Vir sapiens, inquit Horatius[1] :

> Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
> Cogitat. . . . .

Quod Bernardus male attendit, qui quod Jesus nudo patuloque ore, nube sermonis ab intelligentiæ via secludit. Horum et his similium ludicrorum mensuram confertam et coagitatam, in libellorum tuorum, Bernarde, sinum dedisti. Quod reprehendere facile poterit, quem oculatum eruditio reddidit. Quæ si ungue tenus persequi vellem, longitudo certe dictaminis lectorem etiam repelleret diligentem.

Cum itaque tantas trabes loquaris, cur Abælardi festucas in trabes commutare moliris? Non est negotium misericordis culpam augere, sed minuere. Unde Psalmista cum dicturus esset[2] : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine, » commode misericordiam præposuit judicio, quasi diceret : Immense Deus, scio quia misericors es et justus ; sed in altero mea salvatio, in altero mea damnatio ; primoque misericordiæ canticum libentius volo. Scriptum est in Isaia[3] : « Et convertent gladios suos in vomeres. » Gladii enim in vomeres convertendi sunt, non vomeres in gladios : quia et mali ad tranquillitatis bonum trahendi sunt levitate correctionis, et boni ad discordiam commonendi non sunt asperitate invectionis.

His et aliis delinitus exemplis, Petrum, si errore sauciatus esset, jumento tuo deberes imponere, et sic ad stabulum universalis fidei revocare. Plures catholici quædam culpanda dixerunt, nec tamen ob id hæreticorum collegio sunt adscripti. Duo dixit Hilarius, erroris expugnator, propugnator Ecclesiæ, in quibus eum non audit sobrietas Ecclesiæ. Primum, quod Christum nil in passione doloris sensisse asseruit. Contra quam sententiam Claudianus, presbiter Lugdunensis, vir Christianissimus, et tam subtilis ad disputandum, quam artifex ad loquendum, sic personat : « Si Christus nil in passione sensit doloris, non vere passus est : et si vere non passus est.... [4] » Secundum, quod nullum incorporeum dixit esse creatum. Nec igitur, inquit Claudianus, anima, cum sit incorporea, est creata. Quod si creata non est, nec creatura Dei est. Sed non ob hoc, ut ait idem Claudianus, scientia Doctoris perdit meritum Confessoris, quia Ecclesia bono filio indulsit quod humana opinio minus caute disputavit. Procul dubio si hæc Petrus dixisset, eum esse lapidandum rigoris tui severitas sanxisset.

Beatus etiam Hieronymus in libro contra Jovinianum de nuptiis quædam disserit. Et præcipue illo loco, ubi sententiam Apostoli inducit, quæ in hunc modum se habet[5] : « Bonum est mulierem non tangere. » Cui Hieronymus subjungit : « Si bonum est mu-

[1] Horatius, *de Art. Poet.*, v. 143. — [2] *Psalm.* cx, v. 1. — [3] Isai., cap. II, v. 4. — [4] Hic aliquid deest. — [5] *Corrinth.*, I, cap. VII, v. 1.

lierem non tangere, malum est ergo tangere. Nihil enim bono contradictorium est præter malum. » Argumentum hoc scit esse frivolum, quisquis disputandi disciplina se profitetur imbutum. Nam similiter bonum est carnem non comedere, et vinum non bibere : nec ideo sequitur quod sit malum carnem comedere, et vinum bibere. Quod quidam asserentes inter hæreticos recepti sunt. Sed tamen paulisper concedatur, ut malum sit, juxta Hieronymum, mulierem tangere. Ex quo quanta sequatur absurditas nexus ipse rationis ostendit. Nam si malum est mulierem tangere, malum est cum muliere coire. Neque enim potest fieri ut bonus sit coitus, si malus est tactus. Et si malum est cum muliere coire, malum agit quisquis cum muliere coit. Peccant ergo conjugati legitime utendo coitu conjugali. Nam etiam coeundo mulierem tangunt. Igitur ut male non agant mariti, feriabuntur ab uxoribus. Aut si necesse erit coire, ita coeant ut mulierem non tangant. Sed hoc impossibile est fieri. Sequitur ergo conjugalis boni naufragium, quod ad remedium mortalis luxuriæ superna industria præparavit. Nam si conjugium coitum non excusat, eant mariti, certatim agant pœnitentiam, eo quod cum uxoribus suis aliquando coierunt. Alias in eodem libro Hieronymus inhumanius de nuptiis disputat super illum Apostoli locum[1] : « Melius nubere, quam uri. » « Sed si bonum est nubere, quare malo comparatur? Nemo enim ratione malum bono comparat. Uri certe malum est, et nubere mali hujus respectu bonum est. Quod autem respectu mali bonum sit, simpliciter bonum non est. » Ex his Hieronymi verbis distincte colligimus nuptias non esse absolute bonas. Perit igitur nuptiale bonum. Nam nuptiale bonum, secundum Hieronymum, non est bonum, nisi quia uri est majus malum quam ipsum. Multos fideles viros inter quos et Pamachium Senatorem scandalizavit hæc effera austeraque disputatio, doloremque suum scriptis super hoc epistolis eidem Hieronymo testati sunt. Quod si Petrus tam crudeliter contra nuptias declamasset, profecto Bernardus in ejus exitium conjugatorum cohortes armasset.

Augustinus, erroribus suis inimicus, eos libro *Retractationum* purgandos committit. Lactantius, de quo ipse Augustinus asseverat, quod multo auro suffarcinatus exierit de Ægypto, cum ore fulmineo contra Gentes Christum defendat, quædam absona de dogmatibus Ecclesiæ postea somniat. Longum est recensere veterum syngrapha tractatorum, quæ non sunt sic ad purum excocta, ut non inveniantur in eis multa quæ virga correctionis essent dignissima. Verax namque est Jacobi Apostoli sententia[2] : « In multis, inquit, offendimus omnes. Si quis autem in verbo non offenderit, hic perfectus est vir. » Itaque si Petrus in verbo offenderat, judicandus a te, misericordiæ potius blandum deberet sentire tactum quam iracundiæ incentivum. Æquum erat te reminisci quod Abacuc propheta Deo decantat, dicens[3] : « Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. » Vide quid distet inter iram Dei, et iram hominis. Cum homo irascitur, clementiæ

[1] *Corinth.*, I, cap. VII, v. 9. — [2] Jacob., cap. III, v. 2. — [3] Habac., cap. III, v. 2.

ab ejus pectore mentio exulat. Cum autem Deus irascitur, per ingenitæ bonitatis affluentiam misericordiæ recordatur. Recordatur non sine oblivione, qui irascitur sine commotione magnus Dominus noster, qui sic tentat summa, ut curam inferiorum non negligat. Hujus imaginem æmulari, hujus te oportebat vestigia totis conatibus amplexari, ut calculo quem forcipe tulerat Angelus de altari, purgares vitium labiorum Petri. Nec ignorare jus erat te hominem esse, quem et culpæ lubricum trahere ad pœnam, et medicus gratia reparare posset ad veniam.

His ita decursis, silentium imperat prolixitas orationis. Et quoniam vox lassata refrigerii portum jam expetit, ob recreandum Lectoris fastidium debitus primo volumini terminus affigetur, ut ad ea quæ promisimus enodanda secundi[1] luctamen laboris officiosius accingatur.

III

EPISTOLA BERENGARII

Ad episcopum Mimatensem.

Patri et Domino suo G., Mimatensi episcopo, pleno dierum, Berengarius renovari ut aquilæ juventutem suam.

In loco barbaro corpus meum a latronibus est liberrimum, sed spiritus meus apud vos in loco sancto periclitatur. Quapropter in totius orbis conspectu vobis baculum meæ porrigo defensionis, ut sanctorum dentes mordere non audeant, quem vesci spiraculo vitæ permittit truculentia gladiorum. Sis igitur Ulyxes meæ causæ, ut Circe quamvis filia Solis, jus meum magico murmure non audeat immutare, ut sidus meæ conscientiæ non possit invidia denigrare. Minus certe dolerem, si fauces lupi biberent meum sanguinem, quam si ovium dentibus in frusta minuerer. Corrige igitur, Pastor bone, tuas oves, ne contra me balent, quia non sum lupus insidians, sed canis protegens ovem. Fretus tandem vestro favore sermoni vela levabo, et inter oblatrantium linguarum Scyllas firmæ rationis remigio navigabo. Imponit plurima dira meæ personæ religiosa manus, et sacro

[1] Secundus hic labor non extat, nec a Berengario susceptus est, ut ex epistola sequenti patet.

criminum diademate caput innocentis honorat. Aiunt, quod lingua mea inquietum malum est, et mentis invidia, quæ adversus Abbatem Clarævallis librum evomuit. Quippe tantæ sanctitatis virum esse confirmant, ut jam cœlo propinquus, hominum evaserit opiniones. Qui hoc dicunt, etsi religioso vellere albescant, tamen dum sine serpente cupiunt esse columbæ, fatuitate linguam inficiunt. Nonne Abbas homo est? nonne nobiscum navigat per hoc mare magnum et spaciosum manibus[1], inter reptilia quorum non est numerus! Cujus navis etsi prosperiori feratur navigio, tamen severitas maris in dubio est. Nam nec Auster adhuc ei fidem dedit, ne ratem ejus concutiat. Nec Boream calcavit ipse sub pedibus. Nec Euri Notique minas evasit. Nec ab Æolo rege ventorum extorsit inducias. Quod vinum potest habitare in pice, et saporem ejus non mutare? Unde et Apostolus Paulus vinum suum a consorcio picis removeri optabat, et in vas gloriæ transversari, cum diceret : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » Ac si apertius loqueretur : Vinum Dei sum, et in pice sum, sed nisi picis sodalitium derelinquam, timeo ne picem sapiam conditori. Potest igitur Abbas et ut ignis de alto subvehi, et ut terra deorsum cadere. Nondum sol est, nondum fixus est in firmamento : satis est si luna est. Neque æstimet me quispiam ad injuriam ejus stylum per ceram trahere, qui meo judicio, nostrorum temporum est Martinus. Simpliciter et sine vulpe candido pectori vestro loquor. Ego ita sentio de Abbate quod sit lucerna ardens et lucens : sed tamen in testa est. Quod dedecus infigitur auro cum laudatur, si ejus scoria improbetur? Laudatis Abbatem, magis ego laudo. Cur igitur inquietius contra eum scribis, de quo tam bene sentis? Porrigite patulas aures, ut ebibant rationem.

Damnaverat Abælardum præceptorem meum, virum fidei buccinam, legis armarium, in morum via pede regio gradientem. Damnaverat, inquam, Abælardum, et vocem ejus sine audientia strangulaverat. Eram ea tempestate adolescens, nondumque impuberes malas nubes lanuginis adumbrabat, eratque mihi velut scholastico animus inficta crebro materia declinare[2]. Porro veri certaminis arridente vena, pectus appuli ut purgarem Abælardum, Abbatisque confutarem audaciam. Sed non, inquiunt, a te theologum talem argui oportebat. Tu enim bestia es, et montem tangere non debes. Parcius ista, fratres. Mementote vos hoc objicere viro. In quo audet Abbas? Audet in litteris, audeo et ego. Audet in theologicis, audeo et ego. Audet in fide, audeo et ego. Audet in sanctitate, hic non audeo ego. Quid ergo peccavi, si fidelis fidelem, minor majorem, secularis religiosum redargui? Momordi, fateor, non contemplativum, sed philosophum : non confessorem, sed scriptorem : non mentem, sed linguam : non præcordia, sed stylum : non meditationes viri, sed somnum. Legant eruditi viri Apologeticum quem edidi, et si dominum Abbatem juste non argui, licenter me redarguant. Quærite per totam seriem scripturarum ab ortu solis usque ad occasum : et videbitis in campo phi-

[1] *Psalm.* [illegible] v. 25. — [2] Sic Amboesius. Locus certe corruptus.

losophiæ semper licuisse, ut alter alterum justis occasionibus reprehendat. Colotes loquacitate notabilis rodit Platonem, principem philosophiæ, cum divina versans fabellas immiscuerit. Et certe Colotes ad Platonem mus est ad elephantem. Lucilius Ennium, Horatius Lucilium lacerat. Omittam fumos Gentilium, et membranulam hanc luminibus Ecclesiæ venustabo. Augustinus et Hieronymus, presbyter et episcopus, alterno rostro se carpunt. Fulgentius regem quemdam Africæ notat hæreticum, non veritus regiam potestatem, dum diligit veritatem. Julianus Augustinum lædit audacter. Ab infectione, inquit, hæresis nulla te purgabit herba fullonis. Solus Ambrosius ab omni suspicionis infamia liber est, quem egregio præconio coronavit Pelagius quamvis hæreticus, ita dicens : Ambrosius latinorum scriptorum velut quidam flos enituit. Cujus purissimum in scripturis sensum nec etiam inimicus audet reprehendere. Si igitur Abbas aliqua silenda descripsit, quid peccavit in ore meo veritas, si extirpanda notavit? Nec enim ante faciem gladii debet tremere justitia, nec ante potentem veritas adulationis chlamidem induere. Unde Seneca Cæsarem alloquens : « Cæsar, inquit, qui contra te audent loqui, magnitudinem tuam ignorant : qui non audent, nesciunt te hominem esse. » Socrates quoque, quem Apollinis oraculum sapientissimum esse cecinit, capitalis erat auctoritatis: et tamen Aristoteles egregie ausus est dicere : Amicus est Socrates, sed magis amica est veritas. Sed cur, inquiunt, expleto primo volumine, secundum, ut spoponderas, non texis? Quia processu temporis meum sapere crevit : et in sententiam Abbatis pedibus, ut dicitur, ivi. Nolui esse patronus capitulorum objectorum Abælardo, quia etsi sanum saperent, non sane sonabant. Postquam igitur, inquiunt, a secundo libro manus torpuit, quare primum non rasisti? Fecissem hoc, inquam, nisi cassa esset industria. Remanerent enim viva exemplaria, quæ jam per totam Franciam et Italiam concurrerent. i igitur, inquiunt, Apologiam illam jugulare non potes, damna vel vivam. Characterem rei fronti ejus infige, ut omnis qui legerit, sciat te ætate non malitia, peccasse. Damnabo, inquam, tali conditione, ut si quid in personam hominis Dei dixi, joco legatur, non serio.

Non refutamus, inquiunt, ratiocinia tua, satis caute asellum exoneras. Sed Carthusianos eremitas, genus electum, populum acquisitionis, quare inquietasti? quare invectione perunxisti? cur a cellulis suis abstraxisti? Hic placide purgationem meam audite. Improperat Propheta eis, qui congregant merces, et commendant eas sacculo pertuso [1]. Congregabant sancti anachoritæ Carthusiani merces justitiæ, sed sacculum pertusum habebant. Curavi obstruere foramen sacculi, ne farina religionis patentibus rimis exiret. Volui resecare in eis immoderatam licentiam linguæ qua, velut quidam geometræ, totum orbem mensurabant. Cur hic mea pietas crudelitatis arguitur? Cur sedulus sartor dissipator appellatur? Hic, inquiunt, firmæ rationis columnæ inniteris. Sed Massiliensem illum monachum cur vulnerasti usque ad animam? Quia vulnerabat anulum [2] Sponsæ

[1] Aggæus, cap. I, v. 6. — [2] Sic Amboesius.

Christi, et puritati antiquæ fidei naufragium minabatur. Introducebat enim præter Deum alium Creatorem, sicut epistola ejus ad me scripta declarat. Sed quocumque, inquiunt, te persequimur, arma defensionis opponis. Responde, per membra nostra[1], quoniam linguæ tuæ toxicum effudisti. Quando, inquam, factum est verbum istud? Misceremini mei, misceremini mei, saltem vos amici mei, quia humilitas tetigit me. Ubi læsi vos, ubi majestatem vestram sauciavi?

Tunc, inquiunt, non percussisti, quando dixisti : « Apud Religiosos patella Psalmus est, et pinguis refectio alleluia. » Fratres, indulgete, nihil læsi vos. In incerto loquutus sum. Indeterminate garrivi. Nullum specialiter flagellavi. Ut Apollo, cassum oraculum emisi, quasi aerem verberans. Sed, ut video, quidquid dicam, aut erit, aut non. Cur alienam vobis sarcinam imposuistis? Cur jaculo non ad vos destinato munditiam vestram exulcerastis? Dixi : « Apud religiosos patella Psalmus est, et pinguis refectio alleluia. » Quid ad vos? Et Magalonenses religiosi sunt : et canonici beati Rufi religiosi. Apollo jaculum contorsit in aera, et ne cadat incassum, spontaneos vulneri vos offertis. Quis unquam vidit os aperire, ut sagittam reciperet? Ego quidem, fratres, alias arcum intenderam, sed vos ferrum volatile retinuistis. Renui, ferre volebam : sed vos caritate commoti, vulnera ejus in vestram trahitis sanitatem. Credite mihi, non adeo fui plenus agave, id est furore, ut in vos emitterem filiam pharetræ meæ. Ergo ignoscite innocenti. Et aliud inquiunt. Cur Cyclopas conduximus, ut fulmina fabricent in caput tuum? Quid quæso? Tunc, inquiunt, dixisti : « Episcopus vester non Mimatensium, sed mimorum est episcopus. » Libet exclamare cum Hieremia Propheta[2] : « Væ tibi, mater mea! quare genuisti me virum rixæ et doloris in universa terra? » Ubi et quando, quæso, talia eructavi? Tunc forsitan quando extra mundum nundinas celebravi, tales blasphemias vestro episcopo imprimebam. Nam vere fateor, in nullo de eo talia delatravi. Aliud est, inquiunt, cur te nostro inebriemus aceto. Quid est? De nobis, inquiunt, dixisti : « Donatus vester vulgus est. » Terretis me, fratres, novitatibus vestris; et contra portenta quæ fingitis frontem cruce signabo. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Quid est, quod dicitis?

> Ultra Sauromatas fugere hinc libet, et glacialem
> Oceanum[3]. . . .

Vera est utique Prophetia illa : « Fictio veritatem in exilium mittet. » Hoc, fratres, fingere potuistis? Sed ut majori auctoritate in aures publicas prodeant, me talium facitis inventorem. Jurem me non dixisse? Sed quasi mons pariat murem, ridebitis. Reco-

[1] Amboes. *vestra*. At certe legendum *nostra*. — [2] Jerem., cap. xv, v. 10. — [3] Juvenalis, *Sat.* ii, v. 1.

gnoscam? Sed virtutem crucis statim sentiam experimento. Quid igitur faciam? Veniam rogo innocens : et si magis placet, veniam postulo reus. Ad cumulum autem satisfactionis sextarium mei sanguinis offero vobis. Parcite igitur, fratres, parcite : et criminatione nostræ personulæ ora vestra nolite fœdare. Lingua enim vestris laudibus militat, et ecclesiæ vestræ pius sum prædicator ubique. Hanc humilitatem absens vobis præsenti pagina mitto, quam præsens una voce, et si vita comes fuerit, præsens exhibebo.

IV

EPISTOLA EJUSDEM BERENGARII

Contra Carthusienses.

Fratribus Carthusiæ professionem juratis B. cum Lazaro quondam paupere æternam habere requiem.

Loquar ad Dominos meos, cum sim pulvis et cinis. Sed ut jumentum factus sum apud vos; et tamen homines et jumenta salvabis, Domine. Multiplicavit Deus misericordiam suam, qui congregavit vos a quatuor ventis cœli, ut recumbatis cum Abraham in regno Patris sui. Fidelis ille iu tota domo Ægypti de vestra vos extraxit Ægypto in manu potenti et brachio excelso, ut evomentes ollas carnium clamare possitis in deserto : « Manhu? » Quid est hoc? Vox hæc, vox deserti. Hæc vox pluviam admiratur cœlestis edulii, quam proferre non sustinet guttur Ægypti. Igitur ne redoleretis allia Pharaonis, accessistis ad hyssopum crucis, et pro Ægyptio gemitu, cœlestis alimenti desiderio clamatis, Quid est hoc? A regione deserti venit manna ad viatores deserti, et jure dicitis, Quid est hoc? quid, inquam, est quod famem repellit, quod desiderium satiat, et satiando accendit? Rapuit manus illa inexhaustæ clementiæ lutum de luto, et in diademate Salomonis quo coronavit eum mater, fecit vos aureos de luto. Sed nescio quo pacto nunc aurum rediit in lutum, et in ferri vilitatem aurei seculi moneta degenerat. Levastis corpora vestra in montes, sed mentes in vallibus remanserunt. Unde ergo veniet auxilium vobis? Sperabamus quod in cacuminibus montium pennas cuderetis, quæ vos veherent ad dexteram Patris. Seduxit nos opinio lubrica, et quod valde gemimus, alarum nudato remigio in plumis corporis gravitas vos pessumdat. Putabamus quod Deus esset montium tantum

Deus, sed et valles abundabant frumento. Suscipere debuistis pacem populo montes[1], et linguæ spicula vibrastis non in populum, sed in Deum. « Cultus justitiæ, » teste Propheta[2], « est silentium. » Quam grave trutinata in statera Spiritus Sancti sententia silentium[3]! Nam stultitia et luxuria excidit aut deficit. Ultra prosilit, aut citra jacet, nisi freno silentii gubernetur. Hujus freni rupistis juncturas, clavos fregistis, et languente auriga, veluti infrenes, equi ante sentitis præcipitia quam bravium acquiratis. Ille quidem dixit, « Cultus justitiæ silentium. » Vos vero aliter interpretantes dicitis : « Cultus justitiæ multiloquium. » Quæ enim fora, quæ prætoria tanto ardent litigio causarum, ut montanæ Carthusiæ claustrum? Ibi non accusator objicit, non advocatus objecta detergit, et non de vestra sententia fasque nefasque uniformiter damnat, nec absolvit. Super nubes volatis aquilæ, et penna tandem remissiore ad vestrum cadaver carpendum rostra deponitis. Abstinetis a carnibus pecudum, et sine sale carnes hominum devoratis. Aitis enim : « Hæc mulier prægnans est, non a semine sui mariti. Illa colit multos amasios. Canonici illi ter in die carnibus ventres confundunt. Ille ructu pigmenti aera fœdat. Ille scutellam haurit usque ad vomitum. » Vacatis otio, et ideo talia ructatis. Vere « cultus justitiæ silentium. » Quod nondum venit in linguam, apud vos jam constat esse patratum. Dubietas nostra penes vos est jurata veritas. « Cultus justitiæ silentium. » Oh clementes medicos, qui non ægros curationibus curare, sed eorum vulnera suscipere student, ut cum eis pariter ægrotent! Quid prodest, fratres, exire in heremum, et in heremo habere cor Ægyptium? Quid prodest Ægypti ranas vitare, et obscœnis detractionibus concrepare? En qui sub Pharaone languistis, sub manu Moysi expirastis. Argumento vobis est fumus linguæ vestræ, qui cum fontem bibatis in secretario cellæ vestræ, detractio in cellis concipitur, in claustris vomitur. Non est Carthusia cœlum, non est Carthusia paradisus. Adhuc est Carthusia inter flumina Babylonis. In cœlo apostata, in Paradiso prævaricator. Quid facit in Carthusia detractor? Post scoriæ puritatem, post compunctionis lacrimas, itur in forum claustri, et linguæ ostium non reseratur, sed frangitur. Quisquis vero per illud ostium non introierit, non palpatur, sed creditur : non curatur, sed judicatur : non reficitur, sed mactatur : et ut breviter dicam, sine crimine nullus apud vos.

[1] Sic Amb.; quod non liquet, imo et absonum videtur. — [2] Isai., cap. XXXII, v. 17. — [3] Sic conjicit Amboesiu Cod. *Litium*.

V

EPISTOLA ROSCELINI

Ad P. Abælardum.

Lectori gratum erit rursus ibi invenire insignem illam epistolam, quam paucis abhinc annis, vir clar. Schmeller, bibliothecæ Monacensis subpræfectus, in parvo quodam seculi XIII volumine repertam, publici juris primum fecit (*Abhandlungen der I Class. d. k. Ak. der Wiss. V Bd, III Abth.*); quamque ad Petrum Abælardum directam fuisse, nec alii cuiquam tribuendam præter Roscelinum, licet inscriptione et subscriptione in codice careat, tenor ipse sermonis satis declarat. Illa quidem esse haud immerito videtur epistola, quæ iram Abælardi maxime accensit et ipsi persuasit ut epistolam contra Roscelinum ad episcopum Parisiensem conscriberet, quam supra, hujusce tomi pag. 150, post Amboesium edidimus, cum nobis nondum innotuisset libellus a clar. viro Schmeller feliciter detectus.

Si christianæ religionis dulcedinem quam habitu ipso præferebas vel tenuiter degustasses, nequaquam tui ordinis tuæque professionis immemor, et beneficiorum quæ tibi tot et tanta, a puero usque ad juvenem, sub magistri nomine et actu, exhibui, oblitus, in verba malitiæ meam adversus innocentiam adeo prorupisses, ut fraternam pacem linguæ gladio vulnerares, juxta illud « lingua eorum gladius acutus, » et Salvatoris nostri saluberrima actuque facillima præcepta contempneres. Cum enim Veritas dicat « si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum; si autem te non audierit, adhibe testes; quod si neque sic te audierit, dic Ecclesiæ, » tu duobus primis mandatis subito iracundiæ furore calcatis ad tertium inordinate transvolasti, et ad præclaram et præcellentem beati Martini Turonensis Ecclesiam detractionis meæ plenissimas et de vasis sui immunditia fœtidissimas literas transmisisti, in quibus mea persona multiplici infamiæ macula quasi vario lepræ colore depicta, in ipsius etiam sanctissimæ Ecclesiæ contumeliam, lapso honestatis pede, eam foveam vocans, decidisti. Fovea quippe in sacro eloquio semper in malo accipitur, « ut foderet ante faciem meam foveam, » « foveam animæ meæ » et « si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt » et « qui parat proximo suo foveam prior incidit in eam. » Non itaque præfatam sanctissimam Ecclesiam quæ me indignum et peccatorem et, ut verum fatear, obprobrium hominum plebisque abjectionem gratuita miseratione recepit, foveæ comparare debueras; sed ei potius, cujus imitatrix hæc in facto effecta est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos, qui ob nimiam

caritatem quam erga peccatores habuit de cœlo descendit ad terras, qui nobiscum manens peccatores recepit et cum eis manducavit, qui et pro peccatoribus usque ad illa inferni loca ubi peccatores cruciabantur, ut eos a tormentis solveret, descendit. Sed mirum non est si contra ecclesiam turpiter loquendo debaccharis, qui sanctæ ecclesiæ vitæ tuæ qualitate tam fortiter adversaris. Verum præsumptioni tuæ ideo decrevimus ignoscendum, quia non ex consideratione, sed ex doloris immensitate id agis; et sicut damnum corporis tui pro quo sic doles inrecuperabile est, ita dolor quem mihi contraxisti inconsolabilis est. Sed valde tibi divina metuenda est justitia ne, sicut cauda qua prius, dum poteras, indifferenter pungebas, merito tuæ immunditiæ tibi ablata est, ita et lingua qua modo pungis auferatur; prius enim apium similitudinem de cauda pungendo portabas, nunc vero serpentis imaginem de lingua pungendo portas. De talibus in psalmo dictum est : « Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum. » Sed ne de contumelia nobis inlata plus æquo dolere et obloquendo nos modo ulcisci velle videamur, ad literas tuas veniamus, et quæ in eis concedenda, quæ sint refutanda demonstremus. Initium literarum tuarum de mea immunditia et de ecclesiæ beati Martini contumelia est. De ecclesia doleo, de me autem lætus sum, quia in veritate talem me esse recognosco qualem me scribendo depingis. Dixisti enim me omni vitæ spurcitia notabilem. Quod quum ita est, hanc tuam veritatis assertionem quasi quibusdam brachiis caritatis amplector, et in verbis tuis quasi in speculo me totum aspicio. Sed potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Nolo enim me justificare, quia si gloriam meam quæram, gloria mea nihil est. Absit enim ut declinet cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Quod vero super : « quod summa hæresi convictus et infamis jam toto mundo expulsus sim, » hæc tria modis omnibus refello et testimonio Suessionensis et Remensis ecclesiæ falsa esse pronuntio. Si enim aliquando vel in verbo lapsus fui vel a veritate deviavi, nec casum verbi nec assertionem falsi pertinaciter defendi, sed semper paratior discere quam docere, animum ad correptionem præparavi, neque enim hæreticus est qui, licet erret, errorem tamen non defendit. Unde beatus Augustinus : « Non ob aliud sunt hæretici, nisi quia Scripturas sacras non recte intelligentes opiniones suas contra earum veritatem pertinaciter defendunt. » Et ad Vincentium Victorem : « Absit ut arbitreris te a fide catholica deviasse, quia ipse animus correptionis præparatione et exspectatione catholicus fuit. » Qui ergo nunquam meum vel alienum errorem defendi, procul dubio constat quia nunquam hæreticus fui. Quia vero spiritu immundo quasi cum quodam vomitu loquutionis me infamem atque in concilio damnatum eructas, utrumque esse falsissimum præfatarum ecclesiarum testimonio apud quas et sub quibus natus et educatus et edoctus sum comprobabo, cum apud S. Dionysium cujus monachus esse videris, licet diffugias, modo tecum acturus venero. Neque vero timeas, quasi te noster lateat adventus, quia in veritate per tuum abbatem eum tibi nuntiabo, et quantum volueris

ibi te expectabo. Quod si abbati tuo inobediens, quod facere non dubitas, extiteris, ubicumque terrarum latueris, te quæsitum inveniam. Quomodo vero stare potest quod dixisti toto me mundo expulsum, cum et Roma, quæ mundi caput est, me libenter excipiat, et audiendum libentius amplectatur et audito libentissime obsequatur? Neque vero Turonensis ecclesia vel Locensis, ubi ad pedes meos magistri tui discipulorum minimus tam diu resedisti, aut Bizuntina ecclesia in quibus canonicus sum, extra mundum sunt, quæ me omnes et venerantur et fovent, et quod dico discendi studio libenter accipiunt. Ex hujus igitur dicti manifestissima falsitate cetera literarum tuarum commenta ex æquitate falsa esse judicanda sunt. Non minimum autem doleo quod bonorum persecutorem me dixisti. Licet enim bonus non sim, bonos tamen singulos quo debeo honore semper veneratus sum. Hos autem quos in exemplum trahis, dominum videlicet Anselmum Cantuariensem et Robertum bonæ vitæ bonique testimonii homines nunquam persequutus sum, licet quædam eorum dicta et facta reprehendenda videantur. Nec mirum, quia videmus nunc per speculum in ænigmate. Neque enim hi duo sapientes et religiosi viri majoris meriti seu sapientiæ sunt Petro apostolorum principe et martyre glorioso, et beato Cypriano Carthaginiensi episcopo doctore suavissimo et martyre gloriosissimo, in cujus laudibus beatus Ieronymus exultans ait : « Beatus Cyprianus instar fontis purissimi dulcis incedit et placidus est, et, cum totus sit in exhortatione virtutum, in persecutionis angustiis, Scripturas non deseruit divinas. » Unde Prudentius de martyribus : « Omnis amans Christum tua leget, doctor Cypriane, scripta. » Iste tamen tanto sanctorum præconio in sublime deductus aliter de baptismate sensit hæreticorum atque ipsius scriptis reliquit quam postea veritas prodidit. Unde beatus Augustinus in libro *de Baptismo* sic loquitur : « Visum est quibusdam egregiis viris, inter quos præcipue beatus Cyprianus eminebat, non esse apud hæreticos vel schismaticos baptismum Christi. Reddens ergo debitam reverentiam dignumque honorem, quantum valeo, pacifico episcopo et glorioso martyri Cypriano, audeo tamen dicere aliter eum sensisse de schismaticis et hæreticis baptizandis quam postea prodidi non ex mea sed universæ ecclesiæ sententia plenarii concilii auctoritate roborata. » Princeps vero apostolorum Petrus, quia gentes ad baptismum venientes circumcidi compellebat, a Paulo apostolo prius, postmodum a sanctis patribus merito reprehensus est. Ait enim apostolus : « Cum esset Cephas Antiochiæ et non recte incederet in veritate evangelii, aperte restiti ei in faciem quia reprehensibilis erat. » Unde beatus Augustinus : « Venerans ergo Petrum pro sui merito apostolorum primum et eminentissimum martyrem, audeo tamen dicere eum non recte fecisse, ut gentes judaizare cogerentur. » Unde beatus Augustinus : « Qui se nazareos christianos vocant, nati hæretici ex illo errore in quo Petrus devius revocatus est a Paulo. » Idem : « Cum Petrus in mari titubasset, cum Dominum carnaliter a passione revocasset, cum ter Dominum in passione negasset, cum in superstitiosam simulationem lapsus esset, videmus eum veniam consequutum ad martyrii glo-

riam pervenisse. » Quid mirum igitur si isti quos me asseris injuste persecutum, in aliquibus vel dictis vel factis aliquando minus provide egerunt, qui superioribus duobus sanctis doctoribus et martyribus nequaquam superiores extiterunt?

Vidi enim dominum Robertum feminas a viris suis fugientes, viris ipsis reclamantibus, recepisse et, episcopo Andegaviensi ut eos redderet præcipiente, inobedienter usque ad mortem obstinanter tenuisse. Quod factum quam irrationabile sit considera. Si enim uxor viro debitum negat, et ob hoc ille mœchari compellitur, major culpa est compellentis quam agentis. Rea ergo adulterii est femina virum dimittens postea ex necessitate peccantem. Quomodo ergo eam retinens et fovens immunis et non particeps ejusdem criminis erit? Illa enim nequaquam hoc faceret, nisi qui eam retineret inveniret. Audi beatum Augustinum durius inloquentem. Ait enim : « Dimissa, si per incontinentiam cogitur alicui copulari, hoc est mœchari. Quod si illa non fecerit, ille tamen, quantum in eo est, facere compulit, et ideo hoc illi peccatum Deus, etsi illa casta permaneat, imputabit. Si igitur reus est criminis vir uxorem postea non peccantem dimittens, quanto magis si illa peccaverit? » Audi etiam beatum Gregorium ad quemdam abbatem inloquentem de quodam conjugato, quem ita suscipiendum cognovit, si uxor ejus similiter converti voluerit. Nam cum unum utriusque corpus conjugii copulatione sit factum, indecens est partem converti et partem inde in seculo manere. Aut ergo uterque discedat aut uterque remaneat. Sed de domino Anselmo archiepiscopo, quem et vitæ sanctitas honorat, et doctrinæ singularitas ultra communem hominum mensuram extollit, quid dicam? Ait enim in libro quem *Cur Deus homo?* intitulat, aliter Deum non posse homines salvare, nisi sicut fecit, id est nisi homo fieret, et omnia illa quæ passus est pateretur. Ejus sententiam sanctorum doctorum, quorum doctrina fulget ecclesia, dicta vehementer impugnant. Ait enim sanctus Leo : « Cum ei multa alia suppeterent ad redimendum genus humanum, hanc potissimum elegit viam, ut non virtute potentiæ, sed ratione uteretur justitiæ. » Audi beatum Augustinum *de Trinitate :* « Cur non, postpositis innumerabilibus modis quibus ad nos redimendum uti posset omnipotens, mors ejus potissimum eligeretur? » Item : « Eos qui dicunt : « Itane defuit Deo « modus alter, quo liberaret homines a miseria mortalitatis hujus, ut Unigenitum filium « suum hominem fieri mortemque perpeti vellet? » parum est ita refellere, ut dicamus modum istum bonum esse, quo nos per mediatorem liberare dignatus est, verum etiam ut ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta subjacent, sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem modum alium non fuisse aut esse oportuisse. » Item : « Poterat utique Deus hominem aliunde suscipere, qui esset mediator Dei et hominum, non ex genere illius Adam, sicut ipsum quem primum creavit non de genere creavit alicujus, poterat vel sic vel quo vellet alio modo, creare unum alium, quo vinceretur victor prioris. Sed melius judicavit de ipso qui victus fuerat hominem assumere. » Idem *de Agone christiano* : « Stulti sunt qui dicunt : « Quare non poterat

« aliter sapientia Dei homines liberare, nisi hominem susciperet et nasceretur de femina? » Quibus respondemus : « Poterat omnino, sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ « displiceret. »

Si igitur apud istos quos impudenter me persequi declamasti aliquid sacræ Scripturæ contrarium reperimus, cur miraris in dictis tuis aliquid reprehendi potuisse, cum te in sacræ Scripturæ eruditione manifestum sit nullatenus laborasse? Huic enim singularitati, quam divinæ substantiæ tribuisti, sanctorum patrum Ambrosii, Augustini, Isidori scripta nequaquam consentiunt. Quæ collecta ideo subjicere curavi, ut non ex mea sed ex auctoritate divina quod mihi tenendum est roboretur. Beatus igitur Ambrosius in libro *de Fide* ad Gratianum imperatorem sic loquitur : « Ego et pater unum sumus. Hoc dicit, ne intelligatur discretio potestatis. » Item : « Unum cum patre et unum æternitate, unum divinitate. Non enim pater ipse est qui filius, nec confusum quod unum, nec multiplex quod indifferens. Etenim si omnium credentium erat cor unum et anima una, si omnis qui adhæret domino unus spiritus est, sed vir et uxor in una carne sunt, si omnes homines, quantum ad naturam pertinet, unius substantiæ sunt, multo magis pater et filius divinitate unum sunt, ubi nec substantiæ nec voluntatis ulla est differentia. » Item : « Non est diversa nec singularis æqualitas, quia æqualis nemo ipse sibi solus est. » Item : « Deus est nomen commune patri et filio. » Item : « Incarnatum patrem Sabelliana impietate astruere nituntur. » Item : « Quod unius est substantiæ separari non potest, etsi non sit singularitatis sed unitatis. Singularitas est sive patri sive filio sive spiritui sancto derogare. » Item : « Non unus sed unum sunt pater et filius. » Item : « Una dignitas, una gloria; i ı commune derogatur quicquid in aliquo putaveris derogatum. » Augustinus in libro *de Trinitate :* « Qui putat ejus esse Deum potentiæ, ut se ipsum ipse genuerit, eo deterius errat, quod non ipse solus talis non est, sed nec ulla creatura spiritualis neque corporalis. Nulla enim anima res est, quæ se ipsam gignat. » Item : « Circa creaturam susceptumque habitum occupati æqualitatem quam cum patre habeo non intelligitis. » Item : « Convenienter dicimus illum qui in carne apparuit missum, misisse autem illum qui non apparuit. » Item : « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio, ac si diceret, Patrem nemo videbit in judicio, sed omnes filium videbunt, ut possit et ab impiis videri. » Item : « Tres visi sunt, nec quisquam illorum vel forma vel ætate vel potestate major ceteris visus est. » Item : « Cum quæritur, quid tres? magna prorsus inopia humanum laborat ingenium. Dictum est autem : Tres personæ, ne omnino taceretur. » Item : « Trinitas filius nullo modo dici potest. » Item : « Potest universaliter dici, quod et pater spiritus et filius spiritus, et pater sanctus et filius sanctus. Si itaque pater et filius est spiritus sanctus, potest appellari trinitas spiritus sanctus. Sed tamen ille spiritus sanctus, qui non trinitas, sed in trinitate intelligitur, in eo quod proprie dicitur spiritus sanctus, relative dicitur, et ad patrem et filium refertur, quia spiritus sanctus et patris et filii est spiritus; sed talis relatio in hoc nomine non apparet. » Item : « Dictum

est a nostris Græcis : una essentia, tres substantiæ, a Latinis : una substantia vel essentia, tres personæ. » Item : « Licuit loquendi et disputandi necessitate tres personas dicere, non quia Scriptura dicit, sed quia non contradicit. » Item : « Cum conaretur humana inopia loquendo proferre quod tenet de domino Deo, timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa æqualitate ulla diversitas. » Item : « Cur hæc tria simul unam personam non dicimus sicut unam essentiam et unum Deum, sed dicimus tres personas; tres autem essentias et tres Deos non dicimus, nisi quando volumus vel unum vocabulum servire huic significationi qua intelligitur trinitas, ne omnino taceremus interrogati[1] : Quid tres? » Item : « Dicat unam essentiam, ut non existimet aliud alio majus vel melius vel aliqua ex parte diversum, non tamen ut pater ipse sit filius et spiritus sanctus. » Item : « Nulla est distantia dissimilitudinis, ut intelligatur aliud alio majus vel paulo minus, nec talis distinctio, in qua sit aliquid impar. » Item : « Ideo dicimus tres personas vel tres substantias, non ut intelligatur aliqua diversitas essentiæ, sed ut vel uno vocabulo responderi possit, cum quæritur : Quid tres, vel quid tria? tantamque esse essentiæ æqualitatem in ea trinitate, ut non solum pater non sit major quam filius, sed nec pater et filius simul major quam singulus pater. » Item : « Unus Deus, una fides, unum baptisma. Fides quamvis sit una, in aliis non tamen ipsa, sed similis; non est una omnino, sed genere; propter similitudinem tamen et nullam diversitatem magis dicitur una quam plures; nam et duos homines simillimos unam faciem habere dicimus. » Item : « Verbum ideo filius patri per omnia similis est et æqualis. » Item : « Quia spiritus sanctus communis est ambobus, hic dicitur ipse proprie quod ambo communiter, id est spiritus sanctus. » Augustinus ad Pascentium comitem Arrianum : « Cum pro diversis sibi cohærentibus dicatur unus spiritus et unum corpus, cum pro anima et corpore sibi cohærentibus dicatur unus homo, cur non maxime de patre et filio dicatur unus Deus, cum sibi inseparabiliter cohæreant? » Item : « His appellationibus significatur, quod ad se invicem referantur. » Item Augustinus in homelia : « Non turbetur cor vestrum, his qui noverant filium dictum est de patre, « Et vidistis eum. » Dictum est enim propter omnimodam similitudinem, quæ illi cum patre est, ut dicerentur nosse patrem, quia noverant filium similem. Ad hoc valet quod Philippo dictum est : « Qui videt me, videt et patrem, » non quod ipse sit pater et filius, sed quod tam similes sint pater et filius, ut qui unum noverit, ambos noverit. Solemus enim de duobus simillimis dicere his qui unum eorum viderunt : Vidistis istum, ergo et illum vidistis. Sic ergo dictum est : « Qui videt me, videt et patrem, » non quod ipse sit pater et filius, sed ad similitudinem in nullo prorsus discrepet a patre filius. » Boethius in libro *de Trinitate :* « Hujus unitatis causa est indifferentia. » Augustinus *de Trinitate :* « Sic dictum est : « Deus est caritas, » ut incertum sit et ideo quærendum, utrum Deus pater sit caritas, vel Deus filius, vel Deus spiritus sanctus, vel

[1] Schmeller *interroganti.* An non *interrogati?*

Deus tota trinitas. » Augustinus: « Igitur, ut non solum quod beatus Ambrosius verum et quod sanctus Hieronymus dicam : non solum divinitatem patris sed nec filii nec spiritus sancti naturam possunt oculi carnis aspicere. » Item in *Doctrina christiana* : « Res quibus fruimur, pater et filius et spiritus sanctus, et hæc trinitas una quodammodo res est. » Item : « In omnibus rebus illæ solæ sunt quibus fruendum est, quas æternas atque incommutabiles diximus. » Idem *de Agone christiano :* « Credamus in patrem et filium et spiritum sanctum, hæc æterna sunt atque incommutabilia. » Unde Johannes : « Tres sunt in cœlo, qui testimonium perhibent, pater et filius et spiritus sanctus. » Sciendum est vero, quod in substantia sanctæ trinitatis quælibet nomina non aliud et aliud significant, sive quantum ad partes sive quantum ad qualitates, sed ipsam solam non in partes divisam nec per qualitates mutatam significant substantiam. Non igitur per personam aliud aliquid significamus quam per substantiam, licet ex quadam loquendi consuetudine triplicare soleamus personam, non substantiam, sicut Græci triplicare solent substantiam. Neque vero dicendum est, quod in fide trinitatis errent triplicando substantiam, quia licet aliter dicant quam nos, id tamen credunt quod nos, quia, sicut diximus, sive persona sive substantia sive essentia in Deo prorsus idem significant. In locutione enim tantum diversitas est, in fide unitas; alioquin jam non esset apud Græcos ecclesia. Si autem ipsi sic loquendo unum dicunt, quare nos idem dicendo mentiamur non video. » De diversitate divinæ substantiæ sive per qualitates sive per partes beatus Ambrosius, *de Fide*, et beatus Augustinus, *de Trinitate*, sic loquuntur. Ambrosius : « Deus nomen est substantiæ simplicis, non conjunctæ vel compositæ, cui nihil accidat, sed solum quod divinum est in natura habeat sua. » Augustinus: « Quicquid secundum qualitates dici pater videtur, secundum substantiam et essentiam est intelligendum. » Item : « Nomina quatuor sunt, res autem una est. Quando ergo hæc nomina variamus sive singulariter sive pluraliter proferendo, non, quia aliud unum quam alterum significet, hoc facimus, sed pro sola loquentium voluntate, quibus talis loquendi usus complacuit. Si enim diversæ partes ibi essent, ut altera persona, altera substantia diceretur, fortassis ratio aliqua earum cur unum singulariter, alterum pluraliter proferremus, ut hominis, quia alia pars est corpus, alia anima, unam animam dicimus, sed plura corpora propter corporis partes diversas; sed neque alia qualitas per personam, alia per substantiam vel essentiam significaretur, quia, sicut jam diximus, in Deo nulla prorsus qualitas est. » Ex hac igitur sanctarum Scripturarum numerositate diligens lector intelligit, sanctos qui eas conscripserunt nequaquam in Deo tantam singularitatem intellexisse, ut una sola res, una singularis substantia tribus illis nominibus appellaretur, ne hoc de Deo sentientes in illam Sabellianam hæresin laberentur. Multa enim inconvenientia ex hac Sabelliana singularitate videtur consequi. Neque vero ea quæ dixi ideo dixi, ut aliquem doceam, sed potius, si sacras Scripturas non recte intelligo, discam, quia in omnibus paratior sum discere quam docere, et malo audire magistrum quam audiri

magister, cum hoc Augustino ad beatum Hieronymum loquente dicens : « Quamvis pulchrius sit senem docere quam discere, mihi tamen nulla ætas sera est ad discendum. » Quod autem dicis, me unam singularem sanctæ trinitatis substantiam cognovisse, verum utique est, sed non illam Sabellianam singularitatem, in qua una sola res, non plures illis tribus nominibus appellatur, sed in qua substantia trina et triplex tantam habet unitatem, ut nulla tria usquam tantam habeant; nulla enim tria tam singularia tamque æqualia sunt, sicut scriptum est : « In hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales. » Sed licet lex dicat, quod in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, nos tamen quarto jam tribus apposito, quintum et sextum apponamus, quorum testimoniis unitate similitudinis et æqualitatis roborata, ne videamur niti testium numero et occasione virorum illustrium subterfugere rationem et non audere manum conserere pro improbatione singularis unitatis, eamdem compr....emus[1]. Dic ergo, beate Athanasi, divinæ contra Arrianos defensor substantiæ, dic, quid de ipsa substantia sentias, et, sicut Arrianos qui eam per gradus variabant, vicisti, ita et Sabellianos, qui personas confundunt convincas, dic : « Neque confundentes personas, neque per substantiam separantes. » Personas confundit qui patrem filium, et filium patrem dicit, quod necesse est eum dicere qui illa tria nomina unam solam rem singularem significare voluerit. Omnia enim unius et singularis rei nomina de se invicem prædicantur. Ita igitur pater incarnatus et passus est, quia ipse est filius qui hoc totum passus est; quod quantum sanæ fidei repugnat adtende. Sequitur : « Neque substantiam separantes. » Diligenter intendendum est, utrum substantiam sanctæ trinitatis omnimodis an certo modo separari prohibeat. Quomodo enim, si sic est una, ut etiam plures sint, sicut Græca clamat ecclesia, non separatur? Omnia enim plura pluralitatis lege separantur, quia scriptum est, quod omnis differentia in discrepantium pluralitate consistit. Quæ ergo differentia in hac pluralitate personarum secundum nos, substantiarum vero secundum Græcos sit, perquiramus. Nihil enim aliud est substantia patris quam pater, et substantia filii quam filius, sicut urbs Romæ Roma est et creatura aquæ aqua est. Quia ergo pater genuit filium, substantia patris genuit substantiam filii. Quia igitur altera est substantia generantis, altera generata, alia est una ab alia; semper enim generans et generatum plura sunt, non res una, secundum illam beati Augustini præfatam sententiam, qua ait quod nulla omnino res est, quæ se ipsam gignat; quæ enim generat est ingenita, genita vero est unigenita. Sed ingenitum et unigenitum sunt plura, sicut Augustinus *de Trinitate* ait : « Filius quidem ipsam substantiam debet patri, » id est, quod est substantia a patre habet et ab ejus substantia; non ergo omnino possumus vitare separationem facere in substantia sanctæ trinitatis. Restat ergo, ut certo modo separationem prohibeat; qui modus quis sit ostendit, cum

[1] Sic Schmeller.

subdit : In hac trinitate, etc. Contra Arrium quippe agebat, qui diversitatem inæqualitatis in sanctæ trinitatis substantia ponebat, patrem, filium et spiritum sanctum gradibus dignitatis distinguens. Ideo ergo dicit : « Totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales; » si enim coæternæ, nihil prius aut posterius; si coæquales, nihil majus aut minus. Hanc igitur Arrianam separationem, contra quam agebat, secundum videlicet graduum distinctionem, Athanasius prohibet, nam omnino separationem non aufert, ubi eas coæternas et coæquales dicit. Si enim coæquales, sunt et æquales; æqualitas autem semper inter plura est, nihil enim sibi æquale est, beato Ambrosio dicente : « Nemo ipse sibi solus æqualis est. » Dum igitur in substantia sanctæ trinitatis æqualitatem et coæternitatem ponit, in ea utique separationem pluralitatis relinquit. Sed prioritatis et posterioritatis per coæternum, minoritatis et majoritatis gradus dicendo coæquales extinguit. Quod autem unam non singulariter substantiam, sed per similitudinem et æqualitatem dicat, manifeste demonstrat, cum dicit : « Una divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas. » Nisi enim priusquam unam dixit subdidisset : Æqualis gloria, coæterna majestas, unam ex consuetudine, id est singularem acciperemus; sed hoc prorsus aufert, cum dicit : « Æqualis gloria, » et quod unum secundum æqualitatem acceperit, declarat. Sicut autem ostendimus, quod cum de separatione substantiæ ageret, non omnem eum separationem accepisse, sed illam solam Arrianam per graduum scilicet distinctionem, ita summopere perquirendum est, cum dicit : « Non tres æterni sed unus æternus, » utrum omnimodis multiplicitatem æternitatis removeat an certo modo. Si enim omnino æternos dici posse negat, sibi ipsi contrarius est, qui tres personas æternas vocavit, dicens eas coæternas. Si enim coæternæ, sunt et æternæ; quomodo ergo non tres æterni, si tres illæ personæ sunt æternæ? Beatus etiam Augustinus, *de Doctrina christiana* et *de Agone christiano* æternas pluraliter appellat dicens : « In omnibus igitur rebus illæ solæ sunt, quibus fruendum est, quas æternas atque incommutabiles diximus. » Prædixerat enim : « Res quibus fruimur, pater et filius et spiritus sanctus. » Idem, *de Agone christiano :* « Credimus in patrem et filium et spiritum sanctum. Hæc æterna sunt et immutabilia. » Si igitur iste æternas omnino negat, et sibi et Augustino veraciter repugnat. Dicendum est ergo et æternas esse pluraliter, et quodammodo non esse. Sic enim, cum Johannem salvator prophetam diceret, ille se prophetam negavit. Sed, ut neque præco veritatis mentiatur, alio modo negavit ille, alio modo affirmavit iste. Negavit enim se non prophetam esse omnino, sed simplicem prophetam, quia plus quam propheta fuit, ubi quæ prædixerat ostendit. Ita igitur et hic dicendum est eum non omnino tres æternos negasse, sed eo tantum modo quo Arrius affirmabat, qui mensuram æternitatis in personis variabat. Æterni enim erant pluraliter, sicut plures res æternæ, et æterni non erant, ut æternitas in eis varia videretur. Dicat melius qui potest. Ego melius non valeo. Sed neque quod dico importune defendo. Dic et tu, sancte Isidore, ecclesiarum totius Hispaniæ magister, quid de substantia sanctæ trinitatis sentiendum decreveris. « Trinitas appellata,

quod fiat totum unum ex quibusdam tribus. » Item : « Pater et filius et spiritus sanctus trinitas et unitas; unitas propter majestatis communionem, trinitas propter personarum proprietatem, pariter simplex pariterque incommutabile bonum at coæternum. Pater solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus, filius solus de patre est natus, divinitas non triplicatur, quia, si triplicatur, deorum inducimus pluralitatem. Nomen autem deorum in angelis et sanctis hominibus ideo pluraliter dicitur, quod non sint merito æquales. De patre et filio et spiritu sancto propter unam et æqualem divinitatem non nomen deorum sed Dei esse ostenditur. Fides apud Græcos hoc modo est : « Una usia, ac si dicat una natura aut una essentia, tres hypostases, quod resonat in latinum vel tres personas vel tres essentias. » Audisti trinitatem unam esse propter majestatis communionem, non propter majestatis singularitatem; quod enim singulare nullo modo commune est, et quod commune est singulare esse non potest. Majestas igitur trinitatis, quia communis est, quomodo singularis esse potest?

Audisti etiam quia nomen Dei ideo de trinitate singulariter dicitur propter æqualem divinitatem, ne, si pluraliter diceretur, inæqualitas divinitatis intelligeretur. Sed divinitas trinitatis extra se æqualem non invenit. In ipsa igitur trinitate divinitas æqualis divinitatem invenit æqualem; plura vero æqualia res singula et unica quomodo esse possit, non video. Ut igitur fidei christianæ navis inter utrumque scopulum currens illæsa pertranseat, summopere cavendum ne ad Sabellianæ singularitatis lapidem, in qua patrem incarnatum et passum fateri necesse est, offendat, neque Arianæ pluralitatis periculum, per prius et posterius, per majus et minus substantiam variando, incurrat, atque deorum pluralitatem enormitate varietatis inducat. Soli enim Trinitati ideo Dei singularis numerus relictus est, ut in ea et intra eam omnimodam æqualitatem significet. Hominibus vero ideo pluraliter datur, ut non idem meritum nec ejusdem dignitatis esse monstretur, ut : « Ego dixi : Dii estis, » et : « Audi, Israel, dominus Deus tuus Deus unus est. » Itaque cum de divinæ substantiæ unitate discrepare videamur, tu quidem de ingenioli tui tenui conatu præsumendo solitudinem ei singularitatis adscribens, ego autem divinarum scripturarum sententiis armatus similitudinis et æqualitatis unitatem defendens, in hoc tamen convenire nos convenit, ut Deum qui unus trinus est, quoquo modo illud intelligendum sit, unanimiter deprecemur, quatenus in nobis ignorantiæ tenebras illuminet, seu infidelitatis maculam lavet, nostrisque mentibus cognitionem suæ veritatis infundat, et nos, sopito contentionis desiderio, idipsum invicem sentire concedat Jesus Christus Dominus noster. Amen.

Sed quia ad fabulas nostræ detractionis, quas ipse impudenter finxisti, quasi ad epularum delicias tamquam potens crapulatus a vino diutius resedisti, in merdæ nostræ detractionis immunditia suino more saturatus es, nos quoque versa vice, non odii dente mordendo nec ultionis baculo feriendo, sed literarum tuarum latratibus arridentes, de vitæ tuæ inaudita novitate disputemus, et ad quantam ignominiam merito tuæ immundi-

tiæ dilapsus sis, demonstremus. Neque vero opus est ut ad tuam contumeliam more tuo aliquid confingamus, sed tamen quod a Dan usque Bersabee notum est replicemus. Miseria siquidem tua jam manifesta est, et quamvis eam lingua taceat, tamen eam res ipsa clamat. Vidi siquidem Parisius quod quidam clericus nomine Fulbertus te ut hospitem in domo sua recepit, te in mensa sua ut amicum familiarem et domesticum honorifice pavit, neptim etiam suam, puellam prudentissimam et indolis egregiæ, ad docendum commisit. Tu vero viri illius nobilis et clerici, Parisiensis etiam ecclesiæ canonici, hospitis insuper tui ac domini, et gratis et honorifice te procurantis non inmemor, sed contemtor, commissæ tibi virgini non parcens, quam conservare ut commissam, docere ut discipulam debueras, effreno luxuriæ spiritu agitatus, non argumentari, sed eam fornicari docuisti, in uno facto multorum criminum, proditionis scilicet et fornicationis reus, et virginei pudoris violator spurcissimus. Sed Deus ultionum, dominus Deus ultionum libere egit, qui ea qua tantum parte peccaveras te privavit. Ea enim de parte dives in inferno sepultus qua plus peccaverat plus ardebat, cum linguam suam gutta aquæ refrigerari poscebat.

Dolore igitur tam pudentis vulneris anxiatus metuque mortis imminentis pro vitæ prioris fœditate compulsus, habitum mutasti, et quasi monachus effectus es. Sed audi beatum Gregorium de his qui timore ad religionem confugiunt loquentem : « Qui timore bona agit, a malo penitus non recessit, quia eo ipso peccat, quod peccare vellet, si peccare impune potuisset. » Audi etiam beatum Augustinum : « Inaniter se putat victorem esse peccati qui timore mortis non peccat, quia etsi exterius non agitur negotium cupiditatis, intus tamen ipsa est hostis; et quomodo coram Deo innocens apparebit qui faceret quod vetatur, si subtrahas quod timetur; et ideo jam ipsa voluntate reus est qui faceret quod non licet, sed ideo non facit, quia impune non potest; quantum enim in ipso est, mallet non esse justitiam. Quod si mallet non esse justitiam, faceret, si posset, ut non esset justitia. Quomodo ergo justus est talis justitiæ inimicus? Amicus autem justitiæ esset, si amore justitiæ non peccaret. Qui gehennam metuit, non metuit peccare, sed ardere. Ille autem peccare metuit qui peccatum sicut gehennam odit. » Audi eundem : « Non frustra apud peccatores instituta sunt potestas regis, jus gladii, ungulæ carnificis, arma militis. Hæc etenim timentur, et quietius inter malos vivunt boni; quamquam boni dicendi non sint qui talia metuendo non peccant, quia non est bonus quisquam timore pœnæ, sed amore justitiæ. » Sed esto. Valeat timore conversio, sed tamen si bona sequatur conversatio.

Videamus autem, ex quo conversus es, quomodo conversatus es. In monasterio siquidem beati Dionysii, ubi non tam ex regulæ severitate quam ex sapientissimi abbatis misericordia, dispensatione, pro facultate singulorum omnia temperantur, morari non sustinens, ecclesiam a fratribus sub nomine obedientiæ, ubi voluntati voluptatique tuæ deservires, accepisti, quam cum tuis superfluitatibus tuisque desideriis sufficere non

posse conspiceres, aliam ad omnem voluntatem tuam idoneam eligens, a domino abbate ex generali fratrum consensu accepisti, ubi, ut cetera taceamus, undique congregata barbarorum multitudine, veritatem artis partim ex ignorantia, partim ex superbia in nugas commutans, non docenda docere non desinis, cum et docenda docere non debueras, atque collecto falsitatis quam doces pretio, scorto tuo in stupri premium nequaquam transmittis, sed ipse deportas, et quod, dum poteras, in pretium expectatæ voluptatis dabas, modo das in premium, plus utique remunerando stuprum præteritum peccans, quam emendo futurum, et qua prius cum voluptate abutebaris, adhuc ex voluntate abuteris; sed Dei gratia ex necessitate non prævales. Audi ergo beati Augustini sententiam : « Voluisti aliquid, sed non potuisti, sic annotat Deus, quasi feceris quod voluisti. » Teste Deo et electis angelis loquor, quia conmonachos tuos perhibentes audivi, quia, cum sero ad monasterium redis, undecunque congregatam pecuniam de pretio falsitatis quam doces, calcato pudore ad meretricem transvolans deportas, stuprumque præteritum impudenter remuneras. Quia igitur, suscepto habitu, doctoris officium mendacia docendo usurpasti, utique monachus esse cessasti, quia beatus Hieronymus monachum, monachus ipse, diffiniens : « Monachus, inquit, non doctoris sed plangentis habet officium, qui scilicet mundum lugeat et Domini pavidus præstolet adventum. » Sed neque clericum te esse habitus clerici convincit abjectio, sed multo minus laicus es, quod coronæ tuæ satis probat ostensio. Si igitur neque clericus, neque laicus, neque monachus es, quo nomine te censeam, reperire non valeo. Sed forte Petrum te appellari posse ex consuetudine mentieris. Certus sum autem quod masculini generis nomen, si a suo genere deciderit, rem solitam significare recusabit. Solent enim nomina propria significationem amittere, cum eorum significata contigerit a sua perfectione recedere. Neque enim ablato tecto vel pariete domus, sed imperfecta domus vocabitur. Sublata igitur parte quæ hominem facit, non Petrus, sed imperfectus Petrus appellandus es. Ad hujus imperfecti hominis ignominiæ cumulum vero pertinet, quod in sigillo quo fœtidas illas litteras sigillasti, imaginem duo capita habentem, unum viri, alterum mulieris, ipse formasti. Unde quis dubitet, quanto adhuc in eam ardeat amore qui tali eam capitum conjunctione non erubuit honorare? Plura quidem in tuam contumeliam vera ac manifesta dictare decreveram; sed quia contra hominem imperfectum ago, opus quod cœperam imperfectum relinquo.

MAGISTRI

PETRI ABÆLARDI

FRAGMENTA THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ.

Cum pars ultima voluminis hujus jamdudum typis mandata erat, inciderunt in manus fragmenta quædam, et illa quidem non mediocris pretii, *Theologiæ Christianæ* nostri Abælardi, quæ apud bibliothecam Cassinensem reperta vir clar. Luigi Tosti primus in lucem edidit, ad calcem libri doctissimi cui titulus est *Storia di Abælardo e dei suoi tempi*, Napoli, 1851, in-8°, pag. 286 et sqq. Quæ quidem etsi sero innotuerint, nec ideo apte suo loco potuerint apponi, ea præpostere inseri quam prorsus omitti maluimus, producimusque, ut occasio data est, quasi in extremis, antequam incœpto operi finem imponamus.

[« Sed rursus singulis istis difficillimæ occurrunt objectiones, ut utroque cornu graviter fidem nostram oppugnet complexio[1].... »]

Potest facere Deus ut ille salvetur qui non est salvandus, vel quem non est bonum salvari; ergo potest facere id quod non est bonum eum facere. Quod enim non facit, non est bonum eum facere; alioquin dimitteret id facere quod est bonum eum facere. Si melius esset omnes homines salvari quam aliquis, et Deus illud posset quod melius esset, et quod minus bonum est faceret, utique non esset perfecte bonus. Si non potest Deus facere nisi quod bonum est eum facere, non potest salvare eum quem non salvabit, quia eum utique non est bonum salvari. Duo sunt egentes, quorum uterque æque dignus eleemosyna; alteri illa datur, quia dividi non potest, nec utrisque sufficere potest : sed nequaquam ratio est cur illi detur potius quam isti, nec igitur ratio-

[1] Vide supra, pag. 561 hujus voluminis. Quæ uncis intercluduntur jam edita erant.

nabiliter datur illi potius quam isti. Si potest disturbare malum aliquod Deus, quod non disturbat, videtur consentiens esse. [Quis autem negare audeat, quod non possit Deus eum qui damnandus est salvare....]

[SOLUTIO. Eo itaque more quo de Deo disserere cœpimus, innitentes, quid et nobis super hoc visum sit, sine aliqua obstinationis assertione proferamus. Visum autem itaque nobis est Deum qui summe bonus est, nec in sua crescere[1] vel minui bonitate potest, quam naturaliter ac substantialiter ex seipso, non nostro modo per actus habet, sed ex ipsa sua et ineffabili bonitate, adeo semper, ut humano modo loquar, accensum ut quæ vult, necessario velit, et quæ facit, necessario faciat. Non enim carere sua potest bona voluntate quam habet, cum sit naturalis et coæterna, non adventitia, sicut nostra est nobis; et omne quod in natura est divinitatis, necessario ei atque omnibus modis inevitabiliter inest, utpote justitia, pietas, misericordia, et quæcumque erga creaturas bona voluntas. Qui itaque necessario tantum bonus est, quantum bonus est, nec minui potest in bonitate, necesse est ut tam bene velit de singulis quam bene vult; et tam bene singula tractet quantum potest. Alioquin, juxta etiam Platonem, æmulus esset nec perfecte benignus. Quod si eam quam habet voluntatem faciendi aliquid necessario habet, nec illa unquam efficacia possit carere, necesse est ut ea necessario faciat quæ ejus voluntatem necessario comitantur. Quidquid itaque facit, sicut necessario vult, ita necessario facit. Tanta quippe est ejus bonitas ut cum necessario ad bona quæ potest facienda compellat, nec omnino possit abstinere, quin bona quæ potest efficiat, et quo melius potest vel citius potest. Unde et in laudem ejus dicitur de his quoque quæ diu distulit, quia non tardabit. Nemo enim tardare in aliquo dicendus est, quod ideo differt ut convenientius fiat : sed is tantum tardare dicendus est, qui dum facere debet, non facit; nam et differre sicut auferre bonum quod possis, non est bonitatis perfectæ, hoc est, ut quod jam faciendum esse censeas, in futurum differas, cum jam æque possis in futuro. Necessario itaque Deus mundum esse voluit ac fecit, nec otiosus extitit qui eum, priusquam fecit, facere non potuit, quia priusquam fecit, fieri eum non oportuit. Si enim prius fecisset, utique et prius eum fieri oportuisset, quia facere quidquam nisi opportunum non potest, immo nisi optimum, id est, tam bonum quantumcumque convenit, quod suo alto reservatur consilio[2],] in quo omnium naturarum esse et rationes æternaliter atque incommutabiliter constituit. Si quis tamen et de hoc rationem exigat quare Deum velle non oportuerit aut facere ut semper cum eo mundus esset vel quod ejus beatitudinem participaret creaturæ, ut

[1] Tosti *exercere*. — [2] Vide supra, pag. 565 hujus voluminis.

semper hoc vellet esse quibus semper vellet prodesse qui summe bonus est, nec de hoc fortassis humana ratio defuerit. Oportebat enim ut non solum per naturam, verum et per existentiam præcederet omnem creaturam, ut tanto dignior appareret, quam amplius omnibus....

Facile tamen posset existimari ut qui non præcederet opera sua per existentiam, non præcederet per naturam; cum nulla nostra videamus opera, qui nos tempore quo nos præcedamus, et qui cum eo sic perpetua permanerent, ut nullatenus inciperet ab eo suæ causam existentiæ non haberet. Sed dicis : Quomodo immensæ ejus bonitati honorique congrueret, ut nullatenus unquam solus esse vellet, aut suæ beatitudinis gratiam non impertiri, quæ tanto jucundior et grata magis sive utilior esset, quanto amplius participaretur qui minui nescit. Unde et Salomon : « Sapientia absconsa et thesaurus absconditus, quæ utilitas in utrisque. » Et Boetius : « Omne, inquit, bonum cum in commune deducitur, pulchrius elucescit, etc. » Sed dico quoniam et hoc ad honorem ejus proficit, ut diximus, quod solus ante omnia extiterit, cum ex hoc præcipue comprobetur tanto dignior cunctis, quanto natura et existentia prior, et minus illis egere, sine quibus omnino in se, in sua perfectus majestate, voluit existere; et ab eo tanto probabilius[2] cuncta effici credi, quanto amplius more cunctorum artificum sua præcedit opera. Sed nec tamen proprie dici possumus domum componere vel aliquid facere, quamdiu quod operatum est. Unde Aristoteles : « Etsi fit aliquid, non est veluti si nunc fiat, domus utique nondum est ipsa. »

Tunc quippe fit aliquid, quando ad esse perducitur, et ad hoc ut sit, præparatur. Quod vero adhuc præparatur, profecto nondum est, quia imperfectum est. Neque enim dum fit domus, adhuc ipsa est, sicut utique est postquam facta est; nec dum imperfecta est domus, adhuc domus est; quia ex imperfectione constitutionis domus non dicitur. Sed nec bonitati ejus congrueret quod incongruum esset, ejus, ut dictum est, gloriam minuendo : sed videlicet per existentiam quoque ipsius cuncta is[1] præcederet, quem tamen amplius plus honorem suum quam nostrum oportet attendere profectum : alioquin injustus esset, si quod æquius est, imo æquissimum, minus curaret, honorem videlicet suum, quam profectum nostrum. Sed fortassis inquies hoc ad superbiam magis quam ad bonitatem pertinere, ut qui suam quærat gloriam; et juxta Apostolum, charitatem ipsam minime quærere quæ sua sunt. Amor quippe propriæ gloriæ superbia dicitur; unde Augustinus *Super Genesim ad litteram* : « Superbia, inquit, est amor excellentiæ propriæ. » Est, inquam, omnis superbia amor propriæ gloriæ, sed non communiter. Nam et qui gloriam adepti sunt

[1] Sic Tosti ; at locus certe depravatus. — [2] Tosti *probabiles*.

Sancti, ipsam procul dubio diligunt qua fruuntur, quam et hanc ipsam in eis Deum amare conspiciunt, a cujus avelli non possunt amore, nec quidem in ea beati effici possunt, quam sine amore possident. Sic et Deus propriam amat gloriam, cum hæc summe sit amanda; et in omnibus quæ facit suam præcipue gloriam et honorem attendit, qua nulla rectior vel æque recta potest esse causa, alioquin in his quæ facimus rectiorem habemus[1] causam quam ipse, et nostra opera tota meliora viderentur quam sua, quanto meliori efficerentur causa atque intentione rectiori. Constat quippe, nos nihil oportere facere, nisi ad gloriam et laudem ipsius : quem et nobis finem Veritas ipsa proponit, cum dicit[2] : « Ut glorificetur Pater vester qui est in cœlis. » Si igitur ipse, non propter se, sed propter nos, ea quæ efficit faceret, nos autem propter ipsum, profecto dubium non esset, nos rectiori intentione duci quam ipsum, cum nos eum haberemus finem, ipse vero nos. Maxime cum nec ipse opera nisi secundum intentionem penset; juxta illud Veritatis documentum : « Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit, etc. » Hoc est, si recta intentio fuerit, tota massa operum bona erit. Cum itaque tota qualitas operum ex intentionis radice accipienda sit, profecto necesse erit, tanto meliora esse opera, quanto meliori perficiuntur intentione. Tanto autem melior est intentio, quanto finis ipse, id est finalis causa, est potior. Ut igitur Deus in omnibus quæ agit optimum habeat finem, oportet ad seipsum omnium quæ efficit intentionem dirigere, ut propter se illa quoque faciat, quæ propter nos facere dicitur. Aliter tamen propter se, aliter propter nos : propter se quidem, quasi ad gloriam, ut ad salutem suam; propter nos autem, tanquam ad salutem vel ad aliquam utilitatem nostram. Non est itaque recta superbiæ definitio : « Amor propriæ gloriæ, » sed « ambitio propriæ gloriæ. » Non est enim ambitio nisi malum : quando videlicet injuste aliquid concupiscentia appetit. Quod vero dictum est, caritatem nec sua quærere, ac per hoc Deum qui singulariter quoque ipsa quoque[3] caritas dicitur, non debere propriam quærere gloriam, inconsiderate objicitur. Nostram quippe Apostolus caritatem accepit quam commendabat, cum ait, quia caritas non quærit quæ sua sunt : hoc est non est sollicita de suis commodis. Quam beatus definiens Augustinus, dicit eam esse motum animi ad diligendum Deum et proximum propter Deum. Deum autem nullum omnino motum animi habere constat, nec vocabulum caritatis Dei et nostram caritatem in una significatione concludere, sed et omnia quæ de ipso, more nostro, loquimur, figurate, juxta aliquam significationem, non proprie dici[4]; de quo alibi plenius disseremus.

Quod itaque dicit Apostolus : « Caritas non quærit quæ sua sunt, » in una

[1] Sic Tosti. Annon *haberemus*. — [2] Tosti *dicis*. — [3] Sic Tosti. *Quoque* bis repetitum delendum videtur. — [4] Tosti *dicitur;* quod absonum est.

tantum et propria significatione vocabulo usus caritatis, nostram intellexit caritatem tantum, quæ tota, ut dictum est, caritas propria nuncupatur. Quid enim obest si dicamus et caritatem non quærere sua, id est, non esse sollicitum de suis commodis, qui nullum in aliquo commodum adipisci potest, cum in se ipso omnium plenitudinem bonorum habeat, nec alio extrinsecus indigeat commodo? Sed et cum, juxta Gregorium, caritas proprie non dicatur, nisi quæ in alterum habetur, nihil fortassis officit, si caritatem Dei sicut et nostram ponamus quærere non sua; ac si ita dicamus, neque ipsum, neque nos ex caritate quam in alterum habemus, de nostris bonis, sed[1] de bonis alterius cogitare. Cum itaque juxta suprapositas rationes oporteat Deum in omnibus quæ agit plus honoris sui gloriam quam quidlibet attendat aliud, profecto decebat, ut non solum per naturam, verum etiam per existentiam tam mundum quam cuncta omnia præcederet.

Quod etiam oblatum est : « Sapientia absconsa et thesaurus absconditus, quæ utilitas in utrisque? » facile depelli potest : sed ex nobis quoque ipsis id ipsum discutiamus, et qualiter intelligendum sit diligenter inquiramus. Utile quippe est quandoque multa ignorari, et multis utilius fuisse videtur, non invenisse thesaurum quam invenisse, et pauperes extitisse quam abundantes. Verum tamen est quod dicitur, quoniam ex[2] scientia abscondita, quamdiu abscondita est, nullam participatione sui affert utilitatem, quam[3] abscondi aliquibus et participari ab eis similiter non potest. Postea vero participata tanto fortasse carior esse poterit, quanto amplius dilata fuerit. Eadem et de thesauro ratio est : qui quamdiu absconditus est, nullum ex administratione vel usu suo commodum præstat. Sed non ideo statim vel scientiam vel thesaurum revelari oportuit, ut statim aliquam præstaret utilitatem, qui commodius tempore suo majorem fructum potuerit reservari; sicut et de divina contingit sapientia, in qua non semper nos participare oportuit, ut cum eam participare cœpimus, eam amplius veneremus. Verum quod omne bonum, cum in commune deducitur, pulchrius elucescit, hoc est, tanto pluribus gratum esse quantum amplius communicatur. Sed non ideo statim omne bonum omnibus publicandum est : sed secundum rationes quibus et quando id communicandum sit, quas incommutabiliter in omnibus quæ agit, divina observat Providentia. Quæ quidem Providentia omnino non esset, nisi Deus cunctis per existentiam quoque præiret. Non enim Providentia nisi de futuris esse potest, cum sit Providentia futurorum præscientia. Patet itaque Deum tam dignum extitisse, ut per existentiam quoque cuncta præcederet omnia[4]. Neque hoc bonitati ejus in aliquo derogare, si voluerit

[1] Tosti *de nostris bonis seu et de bonis.* — [2] Sic Tosti. *Ex* delendum.— [3] Sic Tosti. Legendum *quæ.* — [4] Sic Tosti. *Cuncta* vel *omnia* delendum.

secum æternaliter aliqua permanere, sicut id ei derogaret, si posset facere bona quæ non faceret, aut non tantum bona quantum posset. Unde eum omnia quæ potest facere necesse est, et tam bona quantum potest. Nec tamen ideo omnia quæ ab eo fiunt necesse est fieri. Quod quidem nobis ex superioribus quæstionibus nunc solvendum, occurrit. Ponimus itaque, juxta superiorum rationum acumina, Deum omnia quæ facit necessario facere; nec tamen, ut dictum est, quæ ab eo fiunt necessario fieri; quippe cum dicimus, quoniam necesse est Deum hunc salvare, vim ipsam necessitudinis ad subjecti naturam reducimus, quod est Deus, ac si videlicet diceremus quod Deus reipsa sua natura ita id facere compellitur, ut nullo modo ejus natura permittat, ut id ita non faciat, sicuti facit. Non tamen necesse est hunc salvari per eum, cum nullatenus natura ejus qui salvatur, id exigat, ut ipse salvetur : natura quippe ejus mutabilis est, et in nullo suo statu necessario fixa. Natura vero divina sicut omnino incommutabilis est atque invariabilis, ita et in omni suo statu, eo modo quo permanet incommutabiliter persistit, atque ex ipsa sua incomparabili bonitate ad omnia quæ velle eum et facere oportet, necessario, ut ita dicam, mutatur, ut et sic velit et perficiat. Necesse est itaque Deum id facere, quod non est necesse ab eo fieri. Ibi quippe vis necessitudinis ad immutabilem Dei naturam applicatur, hic ad operationis ejus commutabilem eventum, quem æque fieri possibile est, cum nullam sui eventus necessitudinem teneat. Similiter cum dicimus, possibile est hunc salvari per Deum, et possibile est Deum hunc salvare; ibi ad naturam hujus, hic ad naturam Dei possibilitas refertur. Tale ergo est quod dicitur : possibile est hunc salvari a Deo, ac si diceretur quod natura ejus omnino permitteret eum salvari a Deo, cum nullo modo ad hoc ipsa repugnaret; quod quidem verum est. Quum vero dicitur : possibile est Deum salvare hunc, tale est ac si dicatur quod natura Dei omnino permittat quod eum Deus salvet, quod nequaquam verum est, ut supra jam confirmavimus. Sic et vocem audibilem dicimus, hoc est apertam ex se ipsa audiri, quamvis nullus adhuc esset qui eam audire sufficeret; et agrum aptum excoli, antequam etiam crearetur qui eum excolere valeret. Ex se quippe ipsis jam habent vox et ager, ut se audiendi vel colendi ad hoc idonea præbeant; cum nihil ulterius in eis agendum esset, quo ad hoc præparentur, sed totum id jam habeant quod habere ea oporteat ad audiendum sive ad colendum. Sed quamvis apta sint ad hoc ut audiantur vel colantur, non jam tamen necesse est aptum esse aliquem ut hoc audiat vel colat.

FINIS.

INDEX

RERUM ET NOMINUM.

INDEX

AUCTORUM QUI A PETRO ABÆLARDO CITANTUR.

INDEX

EORUM QUÆ IN HOC POSTERIORI VOLUMINE CONTINENTUR.

PARISIIS. E TYPIS CAR. LAHURE ET SOCIORUM
Viis dictis de Fleurus, 9, et de l'Ouest, 21.